SC.15.Pl.6.

37
23 A
16

ARA 250

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

BIBLIA SACRA
VULGATAE EDITIONIS,
SIXTI V. PONTIFICIS MAXIMI
iuſſu recognita,
& CLEMENTIS VIII.
auctoritate edita


cum ſeleƈtiſſimis Litteralibus Commentariis

IOANNIS GAGNAEI,
IOANNIS MALDONATI,
EMMANUELIS SA,
GUILIELMI ESTII,
IOANNIS MARIANAE,
PETRI LANSSELII,
THOMAE MALVENDAE,
IO. STEPHANI MENOCHII,
IACOBI TIRINI,
IACOBI GORDONI,
& IACOBI BENIGNI BOSSUET.

ACCEDUNT

Romanæ Correctiones, ac Lectionum Varietates a FRANCISCO LUCA BRUGENSI obſervatæ, & Notationes in loca variantia ab eodem concinnatæ, in ſua ſingulæ capita tributæ: nec non ſelecta variorum Prolegomena, nunc primum in unum collecta, indices denique plures accuratiſſimi.

TOMUS DECIMUSEXTUS
complectens Capita viginti & octo ex ISAIA.



VENETIIS
MDCCLII.

Excuderunt { MODESTUS FENTIUS, & IOANNES TYBERNINUS ſub ſigno Providentiæ.

SUPERIORUM PERMISSU AC PRIVILEGIO.

Digitized by Google

PROPHETIA ISAIAE.

ISAIAS ab anno 25. *aut* 26. *Oziæ Regis Iuda ad initium uſque Manaſſes vaticinatus eſt: diverſis adeo temporibus ſuas edidit Prophetias. Ex ſtirpe Regum Iuda ortus ſub Manaſſe martyrium obiit. In unum volumen collegit vaticinia ſub Ozia, Ioathan, Achaz & Ezechia facta. Quinque primis capitibus Prophetiæ regnante Ozia, Viſio capite ſexto comprehenſa ſub Ioathan; quæ ſequuntur uſque ad* 15. *ſub Achaz: conſequentibus deinde capitibus revelationes ſub Ezechia & Manaſſe factæ continentur. Huius iuſſu ſectum fuiſſe, Iudæorum traditio eſt, veterum Patrum auctoritate confirmata. Ac de Iſaia illud* Epiſt. ad Hebræos, cap. 11. verſ. 37. *interpretantur, ubi de Sanctorum perſecutionibus verba facit:* Secti ſunt, *ubi plurali numero utitur, pro ſingulari, more in Scripturis uſitato. Librum ſcripſit de geſtis regis Oziæ, cuius ſit mentio* Lib. II. Paralip. cap. XXVI. verſ. 22. *qui excidit. Chriſti Domini Incarnationem, Nativitatem, Prædicationem, Mortem denique tam dilucide prænuntiat, ut Propheta Evangelicus a Sanctis Patribus merito appelletur.*

Digitized by Google

CAPUT PRIMUM.

Tempus quo prophetavit Iſaias ſuper Iudam & Ieruſalem, quæ ob ſuam ingratitudinem aliaque ſcelera, omni pœnarum genere a Deo percuſſa, non eſt ad eum reverſa: quamobrem dicit miſerrimam imminere ipſi deſolationem: victimæ & ſollemnitates ipſius reiiciuntur: & quid facere debeat ut in gratiam a Deo recipiatur: rurſum ob defectionem a priſtina virtute in varia peccata, gravem vindictam, & futuram tandem ipſius liberationem & in feliciorem ſtatum reſtitutionem vaticinatur.

1. VISIO Iſaiæ filii Amos, quam vidit ſuper Iudam & Ieru-
ſalem in diebus Oziæ, Ioathan, Achaz, & Ezechiæ,
regum Iuda. 2. Audite cæli, & auribus percipe ter-
ra, quoniam Dominus locutus eſt. Filios enutrivi, &
exaltavi: ipſi autem ſpreverunt me. 3. Cognovit bos
poſſeſſorem ſuum, & aſinus præſepe domini ſui: Iſrael
autem me non cognovit, & populus meus non intelle-
xit. 4. Væ genti peccatrici, populo gravi iniquitate,
ſemini nequam, filiis ſceleratis: dereliquerunt Dominum, blaſphemaverunt
ſanctum Iſrael, abalienati ſunt retrorſum. 5. Super quo percutiam vos ul-
tra, addentes prævaricationem? omne caput languidum, & omne cor mœ-
rens. 6. A planta pedis uſque ad verticem, non eſt in eo ſanitas: vulnus,
& livor, & plaga tumens, non eſt circumligata, nec curata medicamine,
neque fota oleo. 7. (a) Terra veſtra deſerta, civitates veſtræ ſuccenſæ igni:
regionem veſtram coram vobis alieni devorant, & deſolabitur ſicut in vaſti-
tate hoſtili. 8. Et derelinquetur filia Sion ut umbraculum in vinea, & ſicut tu-
gurium in cucumerario, & ſicut civitas, quæ vaſtatur. 9. (b) Niſi Dominus
exercituum reliquiſſet nobis ſemen, (c) quaſi Sodoma fuiſſemus, & quaſi Go-
morrha ſimiles eſſemus. 10. Audite verbum Domini principes Sodomorum,
percipite auribus legem Dei noſtri populus Gomorrhæ. 11. (d) Quo mihi mul-
titudinem victimarum veſtrarum, dicit Dominus? * plenus ſum: holocau-
ſta arietum, & adipem pinguium, & ſanguinem vitulorum, & agnorum,
& hircorum, nolui. * 12. Cum veniretis ante conſpectum meum, quis
quæſivit hæc de manibus veſtris, ut ambularetis in atriis meis? * 13. ne of-
feratis ultra ſacrificium fruſtra: incenſum abominatio eſt mihi. Neomeniam,
& ſabbatum, & feſtivitates alias non feram, iniqui ſunt cœtus veſtri: 14.
calendas veſtras, & ſollemnitates veſtras odivit anima mea: facta ſunt mi-
hi moleſta, laboravi ſuſtinens. 15. Et cum extenderitis manus veſtras, aver-
tam oculos meos a vobis: & cum multiplicaveritis orationem, non exau-
diam: (e) manus enim veſtræ ſanguine plenæ ſunt. 16. (f) Lavamini, mundi
eſtote, auferte malum cogitationum veſtrarum ab oculis meis: quieſcite a-

gere

gere perverſe, 17. diſcite benefacere: quærite iudicium, ſubvenite oppreſſo,
iudicate pupillo, defendite viduam. 18. Et venite, & arguite me, dicit
Dominus: ſi fuerint peccata veſtra ut coccinum, quaſi nix dealbabuntur:
& ſi fuerint rubra quaſi vermiculus, * velut lana alba erunt. 19. Si volueritis,
& audieritis me, bona terræ comedetis. 20. Quod ſi nolueritis, &
me ad iracundiam provocaveritis: gladius devorabit vos, quia os Domini
locutum eſt. 21. Quomodo facta eſt meretrix civitas fidelis, plena iudicii?
iuſtitia habitavit in ea, nunc autem homicidæ. 22. Argentum tuum verſum
eſt in ſcoriam: vinum tuum miſtum eſt aqua. * 23. Principes tui infideles,
ſocii furum: omnes diligunt munera, ſequuntur retributiones. (*g*) Pupillo non
iudicant: & cauſa viduæ non ingreditur ad illos. 24. Propter hoc ait Dominus
Deus exercituum fortis Iſrael: Heu, conſolabor ſuper hoſtibus meis,
& vindicabor de inimicis meis. 25. Et convertam manum meam ad te, &
excoquam ad purum ſcoriam tuam, & auferam omne ſtannum tuum. 26.
Et reſtituam iudices tuos ut fuerunt prius, & conſiliarios tuos ſicut antiquitus:
poſt hæc vocaberis civitas iuſti, urbs fidelis. 27. Sion in iudicio redimetur,
& reducent eam in iuſtitia: 28. & conteret ſceleſtos, & peccatores
ſimul: & qui dereliquerunt Dominum, conſumentur. 29. Confundentur
enim ab idolis, quibus ſacrificaverunt: & erubeſcetis ſuper hortis, quos elegeratis,
30. cum fueritis velut quercus defluentibus foliis, & velut hortus
abſque aqua. 31. Et erit fortitudo veſtra, ut favilla ſtuppæ, & opus veſtrum
quaſi ſcintilla: & ſuccendetur utrumque ſimul, & non erit qui extinguat.

(a) Inf. v. 6. (b) Rom. ix. 29. (c) Geneſ. xix. 24. (d) Ierem. vi. 29. Amos v. 22. (e) Infr. lix. 2. (f) I. Pet. iii. 21. (g) Ierem. v. 28.

BRU-

BRUGENSIS

Romanae Correctiones.

Verſ. 11. *Plenus ſum: Holocauſta arietum, & adipem pinguium, & ſanguinem vitulorum & agnorum & hircorum nolui*. Per ſe legendum eſt *plenus ſum*: non vero illi iungendum id quod ſequitur, ſive integre, ſive ex parte, mutatis accuſativis in ablativos, ut quidam codices faciunt.

Verſ. 12. *Cum veniretis ante conſpectum meum*. Nec adnectas hæc verſui præcedenti, nec præſens *veniretis* mutes in futurum *veneritis*.

Verſ. 13. *Ne offeratis ultra ſacrificium fruſtra*. Alii ſcribunt *afferatis*, id eſt vocalem primam loco quartæ.

Verſ. 18. *Velut lana alba erunt*. Non omittas *alba*, quod Interpres explicandi cauſa adiecit, ſecutus LXX.

Verſ. 23. *Principes tui infideles*. Quidam libri, pro *infideles*, ſcribunt *inobedientes*.

Notationes.

Verſ. 11. P*Lenus ſum holocauſta arietum, & adipem pinguium, & ſanguinem vitulorum & agnorum & hircorum nolui*. Ita plerique codices legunt: porro Pariſienſium duo, (*Ge. p. o.*) Hentenii duo, noſterque unus (*Tril.*) cum textu Hieronymi Commentariis adiuncto habent: *Plenus ſum holocauſto arietum & adipe pinguium, & ſanguinem vitulorum & agnorum, & hircorum nolui*. Alter ex noſtris E littera inſignitus ſcribit: *Plenus ſum holocauſtis arietum, & adipem pinguium, & ſanguinem vitulorum & agnorum & hircorum nolui*. Alius M. notatus: *Plenus ſum holocauſto arietum, & adipe pinguium, & ſanguine vitulorum & agnorum & hircorum nolui* (*a*). Quatuor his modis, ut Latine legitur, ſic verti ex Hebræo poteſt; quarto modo Chaldæus paraphraſtes tranſtulit: tertio Græci ſunt interpretati; ſecundo Latinorum neotericorum nonnulli, Hebræorum diſtinctionem ſecuti, reddiderunt: primo alii Latinorum neotericorum convertere, &, quod opinor, vetus noſter Interpres. Neque enim plerique tantum codices, verum etiam caſtigatiſſimi fere quique ad eum ſcribunt modum; quibus adſtipulantur tractatores Richelius, Carenſis, Lyranus, Thoma, Haymo, atque adeo, quem noſtræ verſionis auctorem crediderim, Hieronymus. Etſi enim textus commentario adiunctus ſicut ante notavimus, legat; commentarius tamen *τὸ plenus ſum* ut per ſe poſitum, exponit, *nulla re indigeo*.

Verſ. 12. *Cum veniretis ante conſpectum meum*. Quædam exemplaria, Pariſienſium duo, (*Vet. Ge. p. Compl.*) Hentenii tria, noſtra novem, *veneritis* pro *veniretis* legunt. Hebræa utramque lectionem patiuntur (quamquam ſit ad verbum, cum venietis) Ceterum ut pleraque, ita & integriora noſtra (*Brug. Leod. Lob. P, O, L.*) vulgatæ editionis manuſcripta cum Haymone enarratore *veniretis* probant. Hieronymi commentariis iunctus textus *veneritis* legit, nectitque partem iſtam iis quæ præcedunt: *Nolui, cum veneritis ante conſpectum meum*; cui diſtinctioni melius *veniretis* conveniat; indicat tamen ſuo ſcribendi modo alteram diſtinctionem, eam quæ ſequentibus hanc partem copular, ita ut ſit duodecimi verſus initium, quæ celebrior eſt.

(*a*) *Holocauſt.* Hebræis, Græcis & Chaldæis multitudinis numero legitur. Pagninus, Ferrerius.

COM-

COMMENTARIA

MALDONATI.

Verſ. 1. VISIO, id eſt prophetia: Prophetæ enim *Videntes* appellabantur, I. Reg. IX. 9. quia Deus eis in viſione apparebat: Num. XII. 6. Sumitur autem viſio hoc loco non pro ipſa viſione, ſed pro re viſa, pro toto opere, quod ſcribit, ſicut Apocalypſis Ioannis Apoſtoli, id eſt quod revelatum eſt illi. FILII AMOS. Non eſt hic ille Amos, qui tertius eſt inter duodecim Prophetas, quia, ut annotat Hieron. hic ſcribitur אמוץ ille עמוס; quamquam hunc putant Hebræi fuiſſe etiam Prophetam ſecuti ſuam illam regulam: Quoties Propheta nominat patrem ſuum, patrem quoque Prophetam fuiſſe. QUAM VIDIT SUPER IUDAM ET IERUSALEM. על יהודה וירושלים *ſuper Iudam*, id eſt de Iuda & Ieruſalem, vel pertinentem ad Iudam & Ieruſalem, ut על ſignificat materiam. Aut, quod mihi magis placet, contra Iudam & Ieruſalem. Non enim vaticinatur contra decem tribus quæ rebellionem fecerant, quæ vocabantur Iſrael & Ephraim; ſed contra duas Iudam & Beniamin, ad quam pertinebat Ieruſalem: Ioſue XVIII. IN DIEBUS OZIAE. Hic eſt qui IV. Reg. XV. 1. vocatur Azarias pater Ioatham. Sub his enim quatuor Regibus vixit & vaticinatus eſt Iſaias. Mortuum autem credunt Hebræi ſectum ſerra ſub Manaſſe, ut ait Heron. in cap. LVII. Iſaiæ. Idque duabus de cauſis, quia vocavit principes Manaſſe principes Gomorræorum, & quia dixit ſe Deum vidiſſe, Iſai. VI.

V. 2. AUDITE CAELI. Vehemens exordium, invitatis ad audiendum rebus etiam inanimatis, ſicut Moſes Deut. XXXII. 1. *Audite cæli quæ loquor*, & ut Poeta quidam dixit:

Audiat hæc æther.

QUONIAM DOMINUS LOCUTUS EST, id eſt loquitur per me, præt. pro præſenti more Hebræorum. Captat attentionem ex perſona loquentis Dei: FILIOS ENUTRIVI. Heb. גדלתי, *educavi*, *creſcere feci*, & ורוממתי ET EXALTAVI, id eſt ad honores provexi. IPSI AUTEM SPREVERUNT ME. Heb. פשעו *inique egerunt contra me*, ſcilicet defecerunt a me, conſpiraverunt contra me. Alludit ad tempus, quo in deſerto educavit Hebræos.

V. 3. COGNOVIT. Præter. Heb. pro præſenti, id eſt ſolet cognoſcere: ET ASINUS PRAESEPE בעליו *dominorum ſuorum*. ISRAEL AUTEM ME (Deum) NON AGNOVIT, ET POPULUS MEUS התבונן *non ſtuduit intelligere*: comparatione ſtupidiſſimorum animalium apte declarat Iudæorum ingratitudinem.

V. 4. VAE GENTI PECCATRICI. הוי, *Væ*, vel, *o*, vel, *heu* gentem peccatricem, populum gravem, id eſt plenum iniquitate. SEMEN, מרעים, *perverſe agentium*, id eſt progeniem malorum, & ut ait Ioan. *Genimina viperarum*: Luc. III. 7. *Filios ſceleratos*. משחיתים *corrumpentes*, id eſt perditos, profligatos, qui omnia bona paterna, id eſt Dei dona dilapidant. BLASPHEMAVERUNT. Heb. נאצו, *contempſerunt*. ABALIENATI SUNT, id eſt rebellionem fecerunt.

V. 5. SUPER QUO. תכו, *percutiemini*. Aliqui interpretantur, *quare percutiemini*, aut, *ad quid*, על מה. Melius noſter Interpres meo iudicio, *Super quo?* Eſt enim ſenſus, tam ſæpe eſſe eos percuſſos propter ſua peccata, ut nulla iam pars corporis ipſorum ſana ſit, ſuper quam percuti poſſint amplius, & tamen non deſtitiſſe peccare; ſed potius addidiſſe, id eſt auxiſſe prævaricationem. Hoc eſt, OMNE CAPUT LANGUIDUM, ET OMNE COR, לדוי, *infirmum*; id eſt, intus & foris percuſſi eſtis, & in iis partibus in quibus vita maxime conſiſtit, neque meliores facti eſtis. *Populus non eſt reverſus ad percutientem ſe*: Iſai. IX. 13. & Hierem. II. 30. *Fruſtra percuſſi filios veſtros, diſciplinam non receperunt*: & Hierem. V. 3. *Percuſſiſti eos, & non doluerunt; contriviſti eos, & renuerunt accipere diſciplinam.*

V. 6. A PLANTA PEDIS. ועד ראש, *uſque ad caput* NON EST IN EO, (id eſt, in vobis, ſubita mutatio numeri & perſonæ,) SANITAS, מתם, *integritas*, id eſt, nihil reliquum eſt quod percuti poſſit. VULNUS, ET LIVOR, ET PLAGA, טריה, *viridis*, id eſt recens, incurabilis, ut exponunt R. Abrah. & R. David. לא זורו,

non

non ſunt expreſſa, ולא חבשו, *& non ſunt circumligata*, *& non ſunt emollita oleo*; id eſt, adeo graviter percuſſi eſtis, ut vulnera veſtra incurabilia eſſent, propterea non fuerint ligata: aut ſine ulla miſericordia caſtigavi vos, nolui enim vulneribus ullum malagma imponere, ut maiorem vobis dolorem facerent; aut, cum nondum vulnera veſtra ligata eſſent, nova peccata veteribus addidiſtis.

V. 7. TERRA VESTRA. שממה, VASTATA: poſſunt hæc omnia verti aut per præteritum; quaſi dicat: Non ſolum corpore & animo, ſed etiam in bonis externis punivi vos, & non eſtis emendati; aut per futurum: Cum hactenus corpore & animo vos afflixerim, poſt hac affligam bonis externis. ET DESOLABITUR. Heb. שממה כמהפכתזרים *& vaſtata eſt iuxta ſubverſionem alienorum*, id eſt ſicut ab hoſtibus. Aut melius, ſicut ſi eſſet regio hoſtium, & non populi mei; ſicut vaſtatæ ſunt civitates Amorræorum & Gomorræorum.

V. 8. ET DERELINQUETUR. Umbraculum ubi habitant cuſtodes vinearum, & cucumerariorum, collectis fructibus ſolum relinquitur, atque vaſtatur; ſic derelinquetur FILIA SION, id eſt Ieruſalem. ET SICUT CIVITAS QUAE VASTATUR. Heb. נצורה *quæ obſidetur*: ſolet enim civitas cum obſidetur ab habitatoribus deſeri. Alii contrario ſenſu exponunt, *Derelinquetur filia Sion*, id eſt aliis vaſtatis, illa ſola non vaſtabitur: ſed non convenit exemplum umbraculi. Debet ergo intelligi hæc Prophetia de vaſtatione Ieroſolymitana facta per Nabuchodonoſorem: IV. Reg. XXIV.

V. 9. NISI DOMINUS EXERCITUUM RELIQUISSET NOBIS: שריה כמעט, *parvas reliquias*, QUASI SODOMA FUISSEMUS, id eſt penitus aboliti. Reliquit autem in illa Babylonica captivitate paucos quoſdam, qui & Legem conſervarunt, & templum poſtea & civitatem reſtaurarunt: II. Paral. XXXVI. & I. Eſdræ I.

V. 10. AUDITE VERBUM DOMINI PRINCIPES SODOMORUM. Principes Sodomorum vocat Regem & Principes Iuda, & populum Gomorræ populum Iudæ, quod peccatis Sodomæ & Gomorræ ſimiles eſſent: qua de cauſa Hebræi tradunt fuiſſe ſerratum a Manaſſe.

V. 11. QUO MIHI: רוב, *multitudo ſacrificiorum veſtrorum*, id eſt quem mihi uſum affert. PLENUS SUM. Hebræi iungunt, שבעתי עלות, *ſatiatus ſum holocauſtis arietum*; *& adipe* מראים *pinguium animalium* רים. ETIAM SANGUINEM VITULORUM ET AGNORUM ET HIRCORUM, לא חפצתי *non amavi*, id eſt faſtidivi præ ſatietate. Non negat Deus ſe delectari ſacrificiis, ſed negat delectari ſine miſericordia: *Miſericordiam volo, non ſacrificium*: Oſee VI. 6. Matth. IX. 13. vide caput Aggæi II.

V. 12. CUM VENERITIS. Fut. pro præſenti; id eſt, quis umquam a vobis requiſivit, ut cum venitis in conſpectum meum, nihil aliud faciatis, quam atria mea רמס *conculcare*, id eſt pedibus, non animo venire. Videtur autem alludere ad illam legem Deut. XVI. 16. ut omne maſculinum ter in anno appareat coram Domino.

V. 13. NE OFFERATIS ULTRA SACRIFICIUM. Heb. *Ne pergatis offerre* מנחת שוא *munus vanitatis*, id eſt plenum ſceleris & impietatis (quam vanitatem vocat) *ut ſoletis*. Aut vanitatis, quod nihil vobis prodeſt, fruſtra. NEOMENIAM ET SABBATUM. קרא מקרא, *vocare convocationem*, id eſt congregationes veſtras, לאאוכל *non potero*, id eſt non patiar, non feram אוןועצרה *iniquitatem & cœtum*, id eſt, cœtum cum iniquitate convocatum (ſub. non feram.) Aut iniquitas (eſt) etiam cœtus.

V. 14. FACTA SUNT MIHI MOLESTA. לטרח, *in laborem*, id eſt onus grave. LABORAVI SUSTINENS. נלאיתי נשא *fatigatus ſum* (ea) *ferendo*.

V. 15. CUM EXTENDERITIS. Extendere manus eſt orare, ut Pſal. CXLIX. 2. *Elevatio manuum mearum ſacrificium veſpertinum*. Solebant enim Iudæi orare ſublatis in cælum manibus, Exod. XVII. 11. Quod & Ethnici faciebant, ut indicat Poeta:

> —— *Et tollens iunctas ad ſidera palmas.*

ET CUM MULTIPLICAVERITIS. Hebraiſmus, id eſt cum multum oraveritis. Repetitio eſt cum epitaſi. MANUS ENIM VESTRAE SANGUINE PLENAE SUNT, id eſt homicidiorum reæ, non ſunt puræ, quales D. Paulus levare docet I. Tim. II. 8.

V. 17. SUBVENITE OPPRESSO. Heb. אשרו,

חמוץ,

Digitized by Google

חמוץ quæ verba ambigua ſunt: aliqui Hebræi interpretantur, *Beatificate fermentantem* (iudicium) id eſt, iudicem, qui non temere, ſed conſiderate iudicat. Alii, *Beatificate oppreſſum*. Alii, (quod magis convenit) *Dirigite*, id eſt emendate iniuſtam ſententiam contra illum latam. DEFENDITE. ריבו אלמות *agite*, aut *ſuſcipite cauſam viduæ*. Ne permittatis pupillum & viduam opprimi in iudicio.

V. 18. ET VENITE. Heb. non eſt præpoſitio ו. Septuag. tamen reddiderunt καὶ δεῦτε, ſive quia legerunt, ſive quia intellexerunt orationem eſſe aſyntheton. Qui ſenſus mihi videtur multo eſſe melior; quaſi dicat: Facite hæc quæ dixi, & venite diſceptemus; id eſt, ne timeatis venire in iudicium ante conſpectum meum: nam SI FUERINT PECCATA VESTRA (rubea) UT COCCINUM: rubea vocat peccata, id eſt ſanguinolenta propter homicidium, ſicut ante dixerat: *Manus veſtræ ſanguine plenæ ſunt*; quaſi dicat: Si habueritis graviſſima peccata, quale eſt homicidium, omnia penitus delebo, ut maneatis albi, id eſt innocentes & puri, ſicut nix & lana. Ex hoc loco colligimus primum poſſe hominem, ſi velit, per gratiam Dei ita mandata ſervare, ut poſſit Deo in iudicio ſatisfacere: deinde opera bona cum gratia aliquid ad iuſtificationem conferre.

V. 19. SI VOLUERITIS ET AUDIERITIS, id eſt obedieritis mihi, BONA TERRAE COMEDETIS: carnalibus carnalia promittit, quibus myſtice intelligitur vita æterna, quæ volentibus & obedientibus datur. Confirmatur hinc liberum arbitrium.

V. 20. ET ME AD IRACUNDIAM PROVOCAVERITIS. Heb. ומריתם *rebelles & contumaces fueritis*, חרב תאכלו *gladio devorabimini*, id eſt conſumemini: QUIA OS DOMINI LOCUTUM EST; id eſt, quod ſine dubitatione ulla eveniet, quia Dominus prædixit.

V. 21. QUOMODO FACTA EST MERETRIX. Heb. לזונה, *in meretricem*, id eſt meretrici ſimilis: CIVITAS FIDELIS, id eſt quæ ante fidelis erat. Fidelem autem civitatem vocat Ieruſalem tamquam uxorem, quæ Deo quaſi marito fidem ſervaverit; meretricem autem quæ violaverit fidem; quaſi dicat, Quomodo facta eſt meretrix uxor caſta? PLENA IUDICII; id eſt, in qua iuſtitia & iudicium ſolebant abundare, in qua multi & iuſti iudices eſſe ſolebant. IUSTITIA HABITAVIT. ילין, *habitabit*, id eſt habitabat: fut. pro imperf. NUNC AUTEM HOMICIDAE: homicidium ponit pro quolibet magno peccato.

V. 22. ARGENTUM TUUM VERSUM EST IN SCORIAM. Numerat peccata Ieruſalem, quæ ante uno homicidii nomine intellexerat. Myſtice autem ſignificat bona opera quæ ante faciebat, nunc in peccata converſa eſſe, aut mixta peccatis ſicut vinum aqua, ſicut verſ. 5. dixit non placere ſibi eorum ſacrificia, *quia eorum manus ſanguine plenæ ſunt*.

V. 23. PRINCIPES TUI. סוררים, *prævaricatores*, id eſt vendunt cauſas; aut, *deflectentes* (a recto iudicio.) SOCII FURUM; id eſt, abſolvunt fures, qui dant illis partem furti. PUPILLO NON IUDICANT, id eſt non ſuſcipiunt, non agunt eius cauſam. ET CAUSA VIDUAE NON INGREDITUR AD ILLOS; id eſt, non audiunt cauſam viduæ, qualis eſt ille iudex qui deſcribitur Luc. XVIII. 3.

V. 24. HEU EGO CONSOLABOR. Aliqui ita interpretantur, Ego ita delebo hoſtes meos, id eſt te, o Ieruſalem, ut ſumpta vindicta conſolationem capiam; quem ſenſum videntur Septuag reddidiſſe, οὐ παύσεται γάρ μου ὁ θυμὸς, καὶ κρίσιν ἐκ τῶν ἐχθρῶν μου ποιήσω. Sed niſi fallor alius eſt ſenſus אנחם paſſive: *placabor ab hoſtibus meis*, id eſt pacem inibo cum Chaldæis & Babyloniis qui nunc hoſtes mei ſunt, ואנקמה paſſive; id eſt, exiſtimabo me ultum de illis, condonabo illis vindictam, quam ſtatueram de eis ſumere, ut te puniam; quaſi dicat: Parcam ad tempus externis hoſtibus, ut per illos de domeſticis pœnas ſumam. Alludit enim ad captivitatem Ieroſolymitarum ſub Nabuchodonoſor, IV. Reg. XXV. hoc eſt, quod ſtatim ſequitur.

V. 25. ET CONVERTAM MANUM MEAM AD TE; quaſi dicat: Tollam manum meam a percutiendis hoſtibus, & convertam ad percutiendum te. ET EXCOQUAM, id eſt repurgabo כבר *ſicut purum*, AD PURUM SCORIAM TUAM. ET AUFERAM OMNE STANNUM TUUM; id eſt, expiabo ſuppliciis omnia peccata tua, relinquamque te puram & immaculatam.

V. 26. ET RESTITUAM; id eſt, eris qualis eras ante. Dabo tibi bonos iudices & conſiliarios, quales habebas ante. ET VOCABERIS CIVITAS צדק, *iuſtitiæ*, URBS FIDELIS, id eſt non prævaricatrix.

V. 27. SION IN IUDICIO REDIMETUR. ושביה, docti vertunt, *Et converſi eius in iuſtitia* (redimentur) id eſt, qui in ea reſipuerint; putantque alludi ad obſidionem Senacherib IV. Reg. XVIII. & XIX. ubi Deus urbi diſſipata obſidione pepercit propter paucos iuſtos: ſicut Sodomæ parcere conſtituerat ſi decem in ea iuſtos inveniſſet. Ego alium ſenſum eſſe arbitror ut שביה vertamus, *captivi eius*; id enim etiam nomen ſignificat. & Septuag. verterunt *αἰχμαλωσία*. Promittit ergo Deus fore, ut cum longa captivitate peccata Ieruſalem expurgaverit, redimatur, & captivi eius a Babyloniorum ſervitute liberentur: quod Lib. II. Paral. cap. XXXVI. & Lib. I. Ezech. cap. I. factum legimus.

V. 28. ET CONTERET. ישבר *contritio ſceleſtorum & peccatorum ſimul* (erit) id eſt, omnes iniqui in captivitate conſumentur, iuſti vero Ieroſolymas revertentur.

V. 29. CONFUNDENTUR. יבישו, *pudore afficientur*, id eſt afficiemini; loquitur enim de ſecunda perſona per tertiam, ut ſæpe faciunt Hebræi. AB IDOLIS. מאלים, *a diis*, aut, ut alii vertunt, *ab arboribus*, id eſt propter idola, aut propter arbores אשר חמדתם, *quas deſideraſtis*; id eſt, quas amaſtis ut ſub illis ſacrificaretis. ET ERUBESCETIS. מהגנות, *propter hortos*, id eſt lucos, quos elegiſtis. Solebant Ethnici in lucis ſub arboribus idolis ſacrificare: Exod. XXXIV. 11. & Deut. VII. 5. & III. Reg. XIV. 23. Dicit autem fore ut erubeſcant propter arbores, id eſt ut eos pœniteat.

V. 30. CUM FUERITIS. כי תהיו, *quando*, aut *quia eritis*: aptiſſima comparatio: quia enim dilexerunt quercus & lucos, efficientur ſimiles quercubus, quibus folia deciderunt, & hortis non habentibus aquam; id eſt, privabuntur omnibus bonis, omnique honore, punientur ſicut quercus & horti. Nam per quæ quiſque peccat, per ea puniri debet.

V. 31. ET ERIT. חסון, *fortis*; id eſt, idolum in quo robur omne veſtrum collocabatis, לנערת, *in ſtupam*: ופעלו, *& artifex eius*; id eſt, vos qui illud feciſtis in ſcintillam, *& ſuccendetur utrumque ſimul, & nemo extinguet*; id eſt, vos & idola veſtra, quaſi ignis ſtupæ velociſſime conſumemini, ita ut nemo, neque vos, neque illa liberare poſſit. Quod autem idola ſtupæ comparat, Iudæos vero ſcintillæ, eandem vim habet, ac ſi diceret, Ipſos ſibi exitii auctores, qui materiam ſibi aptam ut ſe comburerent paraverunt, & ſuis in eam manibus ignem iniecerunt, id eſt provocaverunt peccatis ſuis iram Dei.

S A.

Verſ. 1. VISIO, id eſt revelatio. Chald. *prophetia*. AMOS; ſcilicet fratris Amaſiæ Regis Iuda. SUPER. LXX. *contra*. IUDAM ET IERUSALEM, id eſt tribum Iuda & Beniamin.

V. 2. ENUTRIVI. LXX. *genui*. SPREVERUNT. Chald. *rebellarunt contra*.

V. 3. PRAESEPE DOMINI; pro, dominum præſepis: hypallage. ME, ſcilicet Dominum ſuum. NON INTELLEXIT. Chald. *Non intellexit ut converteretur ad timorem mei*.

V. 4. GRAVI, id eſt gravato. LXX. *pleno*. NEQUAM, id eſt maligno. BLASPHEMAVERUNT. Hebr. & LXX. *ad iracundiam provocaverunt*.

V. 5. SUPER QUO; pro, ad quid; quaſi dicat, Fruſtra fecero. LANGUIDUM, ſcilicet morbo.

V. 6. A PLANTA, &c. Chald. *A populo uſque ad principes*. TUMENS. Heb. *purulenta*, ſeu *putrida*.

V. 7. DESERTA; pro, deſeretur, ſcilicet tempore captivitatis Babylonicæ; de hac enim ſermo. DEVORANT; pro, devorabunt.

V. 8. FILIA SION, id eſt Ieruſalem. Chald. *Cœtus Sion*. QUAE VASTATUR; pro, *vaſtata*. Chald. & LXX. *obſeſſa*.

V. 9. EXERCITUUM, ſcilicet cæleſtium & terreſtrium, ſeu Angelorum & hominum. SEMEN, id eſt aliquot ſuperſtites. SIMILES; quaſi dicat, Deſtructi penitus.

V. 10. SODOMORUM, ſcilicet ſimiles.

V. 11. QUO; quaſi dicat, Quorſum offertis. PLENUS, id eſt ſatur; quaſi dicat, Nauſeam mihi pariant. NOLUI; pro, nolo; quaſi dicat, Non mihi placent.

V. 12. CUM VENIRETIS; pro, venitis. LXX. *ne veniatis*. UT AMBULARETIS, &c.

Digitized by Google

&c. quaſi dicat: Nihil aliud facitis, quam calcare atria.

V. 13. Iniqui; pro, quia iniqui.

V. 14. Calendas. Heb. & LXX. *Neomenias*, ſcilicet feſta principii cuiuſque menſis. Laboravi sustinens; quaſi dicat, Defeſſus ſum ferendo. LXX. *Non amplius remittam peccata veſtra*.

V. 15. Sanguine, id eſt homicidiis.

V. 16. Cogitationum. Heb. & Chald. *operum*. Quiescita, id eſt deſinite.

V. 17. Iudicium, id eſt iuſte agere.

V. 18. Arguite, ſcilicet niſi fecero quod ſequitur. Heb. & LXX. *diſceptemus*. Vermiculus: repetitio: idem enim eſt coccineus color & vermiculi; ex granis enim fiunt vermiculi, quorum ſanguine color fit, qui vulgo *grana* dicitur, ſcilicet a granis illis.

V. 19. Bona, ſcilicet fructus.

V. 21. Quomodo. Admirantis. Fidelis, id eſt quæ olim fidem ſervabat. Iudicii, id eſt æquitatis, ſeu iuſtitiæ.

V. 23. Principes, &c. Explicatio præcedentis. Infideles. Heb. *contumaces*. Chald. *rebelles*. LXX. *inobedientes*. Retributiones, id eſt munera, ut ſit repetitio; vel quaſi dicat: Alter alterum iuvat inique, ut ab illo viciſſim inique iuvetur: ſic enim Chald. interpretatur. Iudicant, id eſt ius reddunt.

V. 24. Heu. LXX. *væ*. Consolabor, ſcilicet ſumpta vindicta.

V. 25. Excoquam, id eſt purgabo more ignis. Scoriam tuam. LXX. *inobedientes*. Chald. *improbos tuos*. Omne stannum tuum. Chald. *omnes peccatores tuos*. LXX. *omnes iniquos a te, & omnes ſuperbos*.

V. 26. Iusti. Heb. & LXX. *iuſtitiæ*.

V. 27. In iudicio. Chald. *cum factum fuerit in ea iudicium*. In iustitia. LXX. *cum eleemoſyna*.

V. 28. Conteret, ſcilicet Deus.

V. 29. Confundentur, id eſt pudefient. Ab idolis, id eſt ob idola, ſcilicet quæ coluerant, nec potuerunt ab eis liberari. Elegeratis, ſcilicet ad colenda idola.

V. 31. Favilla stuppae. Heb. *ſtuppa*. Chald. *ſtuppa lini*. LXX. *ſtipula ſtuppæ*. Utrumque, id eſt fortitudo, & opus, ſeu ut eſt Heb. *fortis, & operator*. LXX. *iniqui, & peccatores*. Chald. *impii, & opera eorum prava*.

ESTII.

Verſ. 1. Super quo percutiam vos ultra, addentes praevaricationem? Sicut magna miſericordia Dei eſt, quod affligat hominem peccantem, ut pœnis admonitus reſipiſcat; ita magna & extrema eſt hominis malitia, ſi ne caſtigatus quidem ad Deum convertatur. Et hoc eſt quod ait: *Super quo percutiam vos ultra?* quaſi dicat: Me puniente vos propter peccata, & apponente plagas plagis, & vobis nihilominus addentibus peccata peccatis? Porro illud, *ſuper quo?* duobus modis accipi poteſt. Vel, *ſuper quo?* id eſt ſuper quo membro, vel in qua corporis parte? quaſi dicat: Ita omni ex parte corporis percuſſi eſtis, ut nullum reſtet membrum percutiendum. Conſiderat enim Propheta totum populum tamquam unum corpus; cuius diverſa membra, ut principes, ſacerdotes, plebei varie fuerant afflicti; neque tamen a peccando deſiſtebant. Vel hoc modo: *ſuper quo?* id eſt, qua plaga vel afflictione vos ultra percutiam? ac ſi dicat: Omne genus plagarum adhibui, & conſumpſi ad vos percutiendos & reducendos ad me, ita ut vix ulla plaga infligenda ſuperſit. Utraque expoſitio eſt apud Hieronymum.

V. 6. A planta pedis usque ad verticem non est in eo sanitas. Non de ſingulis hominibus loquitur, ſed de populo, quem comparat corpori multis membris conſtanti: eſtque ſermo hyperbolicus, quo ſignificatur paucos & vix ullos eſſe in illo populo ſanos, & integros ſecundum animum coram Deo. Sed dices, Numquid non Ezechias rex, qui erat vertex illius populi, ſanus & ſanctus erat? tantopere laudatus in hiſtoria ſacra? Reſpondeo non conſtare quod hæc verba ſcripta fuerint tempore Ezechiæ: nam vel tempore Achaz, vel tempore Manaſſæ, qui peſſimi reges fuerunt, ſcripta fuiſſe dici poteſt. Deinde per *verticem*, non unus homo, ſed multi poſſunt intelligi, videlicet proceres omnes & capita multitudinis.

V. 9. Nisi Dominus exercituum reliquisset nobis semen, quasi Sodoma fuissemus, et quasi Gomorrha

Digitized by Google

I S A I AE

RHA SIMILES ESSEMUS. Quidam ſic: *Niſi Dominus reliquiſſet nobis paucos illos, ex captivitate Babylonica reverſos in Iudæam, ſub Zorobabel & Ieſu, tota gens noſtra periiſſet, ſicut Sodoma & Gomorrha*. Sed aliam veriorem, & ſublimiorem nobis interpretationem ſuggerit Apoſt. Paulus Rom. IX. hanc videlicet: *Niſi Dominus reliquiſſet nobis*, id eſt Iudaico populo parvas reliquias, videlicet Apoſtolos ac diſcipulos Chriſti, ſanctas aliquot feminas, alioſque paucos, qui crediderunt ex Iudæis, tota Iudaica gens quantum ad veram pietatem eſt deleta: ſcilicet, quia populus Iudaicus Chriſtum repulit, pauci tamen ſupradicti eum receperunt.

V. 19. SI VOLUERITIS ET AUDIERITIS ME, BONA TERRAE COMEDETIS; SI AUTEM NOLUERITIS, &c. Locus apertiſſimus pro libero arbitrio. Ceterum quomodo conſiſtat libertas arbitrii cum efficaci operatione gratiæ Dei, vide Eſther XV. ad illud: *Convertit Deus ſpiritum regis*.

V. 23. OMNES SEQUUNTUR RETRIBUTIONES. Adferunt quidam hunc locum, ut oſtendant Deo non eſſe ſerviendum propter mercedem aliquam aut retributionem; nam graviter videtur id propheta hic reprehendere. Sed facilis reſponſio eſt: nam agitur hic de retributionibus, quæ non ſunt Deus; nam præcedit: *Omnes diligunt munera*, ubi ſatis oſtendit ſe agere de muneribus & retributione, quæ extra Deum eſt. Sed non pugnare inter ſe, gratis Deo ſervire, & ſervire Deo ut fruamur ſolo Deo, aperte docent illa verba, Pſal CXVIII. quæ ſunt Davidis viri ſecundum cor Dei: *Inclinavi cor meum ad faciendas iuſtificationes tuas propter retributionem*; quibus ſimilia ſunt de Moyſe Heb. XI. de Apoſtolis Matth. XIX. Et prius Deus ipſe, ut Abrahamum excitaret, dixit Geneſ. XV. *Ero merces tua magna nimis*. Vide etiam Concil. Trident. ſeſſ. VI. cap II. & can. XIII. Denique Eccleſia quoque de ipſis Martyribus canit: *Omnes ſancti quanta paſſi ſunt tormenta ut ſecuri pervenirent ad palmam*. Item, *Tradiderunt corpora ſua ut heredes fierent in domo Domini*, & iterum: *ſed permanent immobiles vitæ perennis gratia*. Vide noſtra plenius in I. Sent. diſt. I.

M A R I A N AE.

LIBRI huius auctor Iſaias. Rabbi Iſaac Harama Præfatione in Cantica; Ezechiam & ſocios eius librum hunc ſcripſiſſe ait: nugæ. Fuit e tribu Iuda, genere regio, eloquio elegans, non tam Propheta, quam Evangeliſta, ob aperta de Chriſto vaticinia. Sic Hieronymus. Septuaginta ferme annis prophetaſſe Iſidorus in Proœmiis ait. Manaſſes impius Rex medium ſecuit. Is finis vitæ, ea merces meritis fuit.

Verſ. I. VISIO ISAIAE. Chald. *Prophetia*. Sic autem vocatur, quoniam Prophetæ vident futura, & nuntiant ea; unde *Videntes* vocantur, I. Reg. IX. 9. FILII AMOS. *Amos* fuit frater Amaſiæ Regis Iuda: IV. Reg. XIV. I. Sic Hebræi ſentiunt. SUPER IUDAM ET IERUSALEM. Septuag. *contra Iudæam*. Sane *ſuper* ſæpe ſignificat *contra*. Eſt ergo *Prophetia* contra Iudam & Ieruſalem, id eſt contra tribus Iudæ & Beniamin: nam Ieruſalem in tribu Beniamin erat. IN DIEBUS OZIAE. *Ozias* vocatur *Azarias*, IV. Reg. XV. I.

V. 2. AUDITE CAELI.... QUONIAM DOMINUS LOCUTUS EST, id eſt Deo revelante, & ex eius iuſſu locuturus ſum. FILIOS ENUTRIVI. Septuag. *genui*. SPREVERUNT. Heb. *prævaricati ſunt*. Chald. *rebellarunt in verbum meum*.

V. 3. ASINUS PRAESEPE DOMINI SUI. Heb. *dominorum ſuorum*. Sed in ſingulari olim legiſſe Septuag. & Chald. argumento ſunt qui vertunt, *cognovit aſinus præſepe domini ſui*. Et fortaſſe Hypallage eſt, *præſepe domini*, pro *dominum preſepis* cognovit.

V. 4. VAE....POPULO GRAVI; pro, gravato iniquitate. SEMINI NEQUAM. Hebr. *ſemini malorum*. Ita vox *nequam* eſt in genitivo plurali. BLASPHEMAVERUNT. Heb. & Septuag. *ad iracundiam concitaſtis ſanctum Iſrael*.

V. 5. SUPER QUO PERCUTIAM VOS? Sept. *Quid percutiam vos fruſtra?* ſcilicet id erit nullo fructu. Tum verba Heb. poſſunt ſic verti: *Ad quid percutiam?* quaſi dicat, Neque beneficia vos vincunt, neque illatis malis a malo revertemini.

V. 6.

V. 6. A PLANTA PEDIS. Omnes ſunt mali, populus, & Principes. PLAGA TUMENS. Heb. *recens*, ſeu *ſanioſa*. NON EST CIRCUMLIGATA. Heb. *compreſſa*. CURATA MEDICAMINE. Heb. *circumligata non eſt*.

V. 7. TERRA VESTRA DESERTA; pro, deſeretur. Loqui videtur de captivitate Babylonica, quando duæ tribus eo ſunt ductæ. Sic alia verba ſequentia, *ſuccenſæ*, *devorant*, pro futuris ſumantur. ET DESOLABITUR SICUT IN VASTITATE HOSTILI. Pagn. *Et deſolatio ſicut everſio alienorum*; ſed per *alienos* hoſtes intelligit.

V. 8. FILIA SION, id eſt Jeruſalem ſita ad montem Sion, illique ſubiecta. SICUT TUGURIUM IN CUCUMERARIO. Melones ibi etiam erant & cucurbitæ, aliaque ad mitigandum æſtum, nempe in regione calida. SICUT CIVITAS, QUAE VASTATUR. Vox Heb. נצורה *nezurah*, ut ait Schol. Heb. poteſt ſignificare *vaſtata*, quod Hieronymus & Pagninus ſecuti ſunt. Poteſt etiam ſignificare *obſeſſa*, quod Chald. & Septuag. ſunt ſecuti. Ergo manebit Ieruſalem ſicut civitas obſeſſa, quæ multa mala patitur, hoſtibus ex omni parte circumfuſis. Si ea vox deducitur a verbo *zur*, ſignificat *obſeſſa*; ſi a *nazar*, *deſolata*, *vaſtata*.

V. 9. RELIQUISSET NOBIS SEMEN; id eſt, niſi ſervando generi quibuſdam pepercifſet, penitus ut Sodoma periiſſemus.

V. 10. PRINCIPES SODOMORUM audite; iis nempe ſimiles. LEGEM, doctrinam audite.

V. 11. QUO MIHI. Heb. *ut quid mihi victimæ?* PLENUS SUM, id eſt ſatiatus: eas faſtidio victimas. ADIPEM PINGUIUM. *Saginatorum*, *altilium*: id vox Heb. ſignificat. Pagn. *bubulorum*. NOLUI; pro, nolo.

V. 12. CUM VENIRETIS. Septuag. *neque veneritis*; nempe Hebraice pro כי *chi*, legerunt מה *mah*. Quæ lectio ſignificat, *Quid venitis? Ne veniatis ante conſpectum meum*. UT AMBULARETIS; id eſt, nihil aliud facitis, quam calcare atria. Quis hoc quæſivit?

V. 13. SACRIFICIUM FRUSTRA ne offeratis. Heb. *ſacrificium mendax*; nempe, quia aliud geritis corde, ſcilicet impietatem. Aut ſacrificium vanum, quo non impetrabitis quod cupitis. INIQUI SUNT COETUS VESTRI. Heb. *iniquitas & cœtus*; pro, iniquitas in cœtu: Hieronymus ſententiam expreſſit.

V. 14. CALENDAS. Heb. *menſes veſtros*; id eſt menſium initia, *neomenias*, ut Septuag. & Chald. ponunt, (Primus dies cuiuſque menſis feſtus Iudæis erat) *odivit anima mea*.

V. 15. MANUS ENIM VESTRAE SANGUINAE PLENAE SUNT, quem ſcilicet effunditis. Ideo cum extenderitis manus, *avertam oculos*. Heb. *abſcondam oculos*. Tale ſpectaculum non feram.

V. 16. AUFERTE MALUM COGITATIONUM. Chald. *operum*. Alii *ſtudiorum* vertunt: vox Heb. *mahalalim*, *opera* ſeu *ſtudia* ſignificat. QUIESCITE, id eſt deſinite agere perverſe.

V. 17. QUAERITE IUDICIUM; id eſt, uter litigantium potior cauſa ſit, diſquirite. IUDICATE PUPILLO. Chald. *iudicate iudicium pupilli*. DEFENDITE VIDUAM. Heb. *litigate viduam*, id eſt cauſam viduæ. Nullius ſolitudo illi apud vos noceat.

V. 18. ARGUITE ME. Heb. *increpemus*. Septuag. *diſceptemus*; id eſt, videamus veſtra cauſa ſit potior an mea. Vel *arguite me*, niſi fecero quæ ſequuntur. SI FUERINT PECCATA VESTRA UT COCCINUM. *Coccus* granum eſt, inde *coccinum* color, qui ex granis illis fit ruber. *Grana* dicta Hiſp. a granis. SI FUERINT RUBRA QUASI VERMICULUS. Repetitio eſt. Ex granis fiunt vermes, e quibus idem color, ſed melior & lucidior. Hiſp. *grana de polvo*.

V. 20. QUIA OS DOMINI LOCUTUM EST; ſupple, id certo eveniet, nempe a Deo prædictum.

V. 21. CIVITAS FIDELIS, quæ ante viro fidem ſervabat, nunc quomodo in ſcortum degeneravit? PLENA IUDICII, id eſt æquitatis erat plena ante, nunc contra.

V. 22. ARGENTUM TUUM VERSUM EST IN SCORIAM. Incuborum argentum in carbones vertitur; ſic veſtrum argentum evaneſcet. *Plata de duendes*. Aut potius *argenti* nomine pecuniam intelligamus, quod ſæpe in Sacris fit, ut Romani *æris* nomine pecuniam intelligunt. Ergo pecuniam multa mixtura adulteraſtis. Inverſæ Reipub. ſignum, cum pecunia adulteratur. Eam mixturam *ſcoriam* vocet.

Favent

Digitized by Google

Favent ſequentia. VINUM TUUM MISTUM EST AQUA: non ſincerum venditur. Septuag. etiam favent: *Argentum tuum reprobum*.

V. 23. PRINCIPES TUI INFIDELES. Heb. *rebelles*. Omnia hæc ſigna ſunt Reipubl. perturbatæ & inverſæ. SEQUUNTUR RETRIBUTIONES, id eſt munera expetunt, ut ſit repetitio eius quod dixit, *diligunt munera*. Aut ut Chald. *Iudices inter ſe mutuo diſſimulant: Faveo tibi, ut mihi viciſſim in lite mea faveas*. PUPILLO NON IUDICANT, id eſt cauſam pupilli & viduæ non tractant: ſic verſu 17.

V. 24. HEU, CONSOLABOR SUPER HOSTIBUS MEIS. Heb. *de hoſtibus meis*, ſcilicet ſumpta vindicta. ET VINDICABOR. Repetitio.

V. 25. EXCOQUAM AD PURUM. Pagn. *purgabo quaſi fornax*. בר *bor* ſignificat, quod *criſol* Hiſpan. dicimus, quo argentum purgatur: ſignificat ergo, Purgabo ſicut in conflatorio. STANNUM TUUM. Per *ſtannum* & per *ſcoriam* mixturam alterius metalli ſignificat; quaſi dicat: Pecuniam, quam adulteraſti, ſuo nitori reſtituam, aut improbos & inobedientes auferam; quos per *ſcoriam* & *ſtannum* Chald. & Septuag. intelligunt.

V. 26. VOCABERIS CIVITAS IUSTI. Heb. & Septuag. *Iuſtitiæ civitas vocaberis*, poſt tuam reſtitutionem.

V. 27. SION IN IUDICIO REDIMETUR, id eſt poſt iudicium, poſtquam punita fuerit. REDUCENT. Heb. *reverſi eius*; ſcilicet qui revertentur de captivitate, redimentur. REDUCENT EAM IN IUSTITIA, id eſt iuxta merita eorum. Septuag. *iuſtitiam* pro eleemoſyna ſumentes, quod ſæpe fit, ſic totum locum vertunt: *Cum enim iudicio ſalvabitur captivitas eius, & cum eleemoſyna*. Nimirum vocem *ſabeiba* a verbo שבה *ſabah*, deduxerunt, quod eſt *captivum ducere*, non a *ſub*, id eſt *reverti*.

V. 29. CONFUNDENTUR. Pudefient. AB IDOLIS: ſic Septuag. Chald. *a lucis idolorum*. Heb. *ab arboribus*, ſive ſint ulmi, ut quidam volunt, ſive quercus. Ergo pudefient ob arbores, ſub quibus idola colebant. QUIBUS SACRIFICAVERUNT. Heb. *quas* (arbores) *concupiſtis*; ſcilicet ad ſacrificandum idolis. ET ERUBESCETIS SUPER HORTIS. Heb. *ab hortis*. QUOS ELEGERATIS, ad colenda ſcilicet idola. Mutat perſonam, ut ſæpe in Sacris fit.

V. 30. CUM FUERITIS VELUT QUERCUS; ſcilicet ſpoliati honore veſtro, ut quercus cum nudatur foliis. Chald. *quercum* hic ponit; id eſt, roboris genus, quod noſtris *quexigo*, cui folia cadunt. *Ilex*, *la encina*, ſemper ſervat folia. Quidam inter Hebræos *ulmum* credunt ſignificari voce Hebr. אלה *elah*. VELUT HORTUS ABSQUE AQUA, ſcilicet omni decore ſpoliati fueritis, ut hortus ſine aqua, quæ eſt velut anima hortorum.

V. 31. FORTITUDO. Heb. *fortis*. Sed mutatis punctis vox חסן *haſon*, *fortitudinem* ſignificat, ut Chald. & Septuag. verterunt. VESTRA non eſt Heb. ſed bene ſuppletur. Septuag. *fortitudo eorum* dixere. Chald. *fortitudo impiorum*. UT FAVILLA STUPPAE. Heb. *ut ſtuppa*. ET OPUS VESTRUM. Heb. *& operator eius*. Sed mutatis punctis *opus* ſignificatur: ſic Chald. & Septuag. dixerunt, *& opera eorum*. Totius verſus ſenſus eſt: Fortitudo, id eſt divitiæ & præſidia quibus confiditis, erunt inſtar ſtuppæ quæ facile comburitur; & opus earum divitiarum, ſcilicet faſtus, ſuperbia, qua in Babylonium rebellabitis, erit inſtar ſcintillæ, quæ comburet ſtuppam, & una cum illa peribit, nullo qui ad incendium accurrat.

M A L V E N D AE.

Verſ. 1. VISIO. חזון *chazon*, proprie, *viſio*, *præviſio*, quæ alicui apparet & revelatur; *revelatio*, quæ apprehenſa manet, nec elabitur memoria, ut affinitatem habeat cum verbo אחז *achaz*, *obſervatio*, *proſpectio*, *contemplatio*; id eſt, doctrina divinitus revelata de rebus magnis atque graviſſimis, in qua Deus ita res revelat, ut eas ipſas quodammodo videndas & ſpectandas oculis ſervorum ſuorum exhibeat ad obſignandum earum certitudinem, ut periphraſtice exponitur infra cap. II. I. & deſcribitur cap. VI. Eſt autem toto hoc primo verſu epigraphe, ſeu inſcriptio generalis totius libri, non autem ſingularis alicuius viſionis: nam una viſio temporibus quatuor regum videri non poterat; quaſi dicat: Hic eſt liber viſionis, ſeu prophetiæ, aut revelationis, hoc

hoc eſt revelationum. ISAIAE. ישעיהו *ieſchaghiahu*, hoc eſt *Salus IAH*, ſeu *Salvabit IAH*. In Exod. xv. 2. & in Pſal. LXVII. 5. obſervavimus, IAH eſſe nomen IHUH decurtatum; ut tantus vates nomine ſuo præferat Salutem humani generis a IHUH, decurtato & imminuto, hoc eſt Chriſto perficiendam, quam ipſe ſuis vaticiniis tantopere prædicavit. FILII AMOS. אמוץ *amotz*, id eſt *Erectus*, *Surrectus*, *Strenuus*, *Fortis*, *Robuſtus*. De quo quamvis nihil certi ex Scripturis habeamus, Hebræi tradunt fuiſſe fratrem Amatziæ regis Iehudæ II. Regum XIV. & plerique docent, dono prophetiæ quoque, ut filium, inſignem fuiſſe, quod utcumque colligi poſſe videtur e II. Paralipom. XXXII. 32. vide S. Hieronymum infra in cap. XXXVII. 2. & certe non eſt dubium quin fuerit ſumma auctoritate, cum filius ſe ab illo plurimum appellet. QUAM VIDIT; id eſt, quam non ex animo ſuo commentus eſt, ut pſeudoprophetæ de quibus Ierem. XXIII. 16. ſed oblatam a Deo percepit, perceptamque ſcriptis conſignavit. IN DIEBUS OZIAE, vel *Ghuziiahu*, ſeu *Huziiæ*, qui vocatus eſt quoque *Ghazariah*, ſive *Hazaria*, II. Regum XV. 1. Euſebius in Chronico notat Iſaiam anno 22. Hoziæ iam prophetaſſe: vixit in regno Hozias annos 52. II. Regum XV. 2. Iotham regnavit annos 16. II. Regum XV. 33. Achaz XVI. II. Reg. XVI. 2. Ezechias XXIX. II. Reg. XVIII. 2. at Iſaiam ſub impio Manaſſe ſerra per medium ſectum occubuiſſe, & Romanum Martyrologium VI. Iulii, & plures Patrum affirmant, ut annotavimus Lib. IX. de Antichriſto, cap. XII. in VII. Cruciatus. Demus id factum ſub initia Manaſſis: inde proculdubio evincitur XCI. annos Iſaiam prophetaſſe. Chronicon Alexandrinum nuper editum, ad Olympiadem XXI. *Vaticinatus annos nonaginta.* Tremellius, & Iunius contrahunt iſtud tempus: *Tempus*, inquiunt, *quo prophetavit, quam fuerit diuturnum, ex nomine quatuor regum ſatis indicatur: nam (ut miſſum faciamus quod a Iudæis traditur, prophetam hunc imperio Menaſchis ſerra diſſectum eſſe, & veſtigiis tantum Scripturæ Sacræ inſiſtamus) ſi ab ultimo Huzziiæ regis anno, infra cap.* VI. *verſ.* 1. *dicamus prophetaſſe, uſque ad* XV. *Iechizkiiæ, quo Babylonios legatos ad eum miſſos fuiſſe eſt credibile* II. *Regum* XX. 21. *non potuit minus annis quadraginta quinque prophetaſſe: amplius utrum prophetaverit (quod tamen veriſimilius eſt) nihil poſſumus certo ſtatuere*. Nonnulli haud abſurde ex S. Hieronymo infra in cap. VII. 8. & Epiſt. CXLII. ſumunt, Iſaiam XXV. Huziæ anno prophetare cœpiſſe, unde ad initia Manaſſis ſunt 88. anni, ſed ſunt hæc omnia incerta: ut etiam illud, quod plerique augurantur, quinque hæc priora capita ſub Hoziia fuiſſe Iſaiæ revelata, & ab ipſo prophetata, vide infra cap. VI. 1.

V. 2. AUDITE CAELI, ET AURIBUS PERCIPE TERRA. Vel proſopopœia eſt, vel metonymia: de qua vide in Deuteronom. XXXII. 1. QUONIAM DOMINUS LOCUTUS EST. Alii, *nam Iehova loquitur*, ad cuius vocem ipſa elementa, inanimaque omnia percelluntur, & obſequuntur voluntati Dei. FILIOS ENUTRIVI. Hebr. *grandefeci*, *magnifeci*, *magnificavi*, *ornavi*. Notionem *educandi*, *nutriendi*, *adoleſcendi*, *creſcendi* agnoſcunt etiam Hebræi, e II. Regum X. VI. & Iob XXXI. 18. Caietanus reddidit: *filios grandivi*. Leo Iudas, Tremellius, & Iunius: *filios educavi*, *&* *extuli*. Summa expoſtulationis: Iſtos adoptavi, inquit Deus, pro meis, adoptatos educavi, educans ornavi, & in ampliſſimam dignitatem evexi. SPREVERUNT ME. Alii ex Hebr. I. *prævaricati ſunt contra me*. II. *inique egerunt contra me*. III. *rebellaverunt in me*. IV. *defecerunt a me*. V. *perfide deſciverunt a me*. VI. *deficientes rebellaverunt in me:* atque etiamnum deficiunt, alienatique permanent & rebelles. Notant verbum פשע *phaſchagh*, ſignificare hic *ingratiſſimam defectionem & alienationem maximo contemptu cogitatam, & ſummo ſtudio atque conatu effectam*.

V. 3. COGNOVIT BOS POSSESSOREM SUUM, &c. Alii per præſens: *Agnoſcit bos poſſidentem ſe*. Amplificatio per comparationem brutorum animantium. ISRAEL AUTEM ME NON COGNOVIT. Alii: *Iſrael non agnoſcit*, videlicet me, dominumque ſuum averſatur. NON INTELLEXIT. Verbum ex Hithpahel reddi ſolet: *non accurate*, *ſtudioſe intellexit; non advertit animum*, *non diligenter obſervavit*; vel *data opera*, *ex affectu noluit intelligere*.

V. 4. VAE GENTI PECCATRICI, &c. Alii ex Hebr. I. *Calamitas*, *dolor*, *ærumna*, *lamentum*, *gentis peccatricis;* id eſt,

In-

Digitized by Google

Ingens calamitas futura eſt, vel ingruit genti peccatrici. II. *O gentem*, vel *heu gentem ſceleſtam!* III. *Heu gentem aberrantem!* IV. *Ah gens peccatrix!* Graviſſima & pathetica indignitatis exclamatio hoc verſu, continens gradationem elegantiſſimam ad exaggerandum peccatum Iſraelitarum: quod ita in peccatis vivant, ut amplitudine eorum prægraventur, iis veluti patriis & avitis hæreant pertinaciſſime; denique omnibus nervis contendant, ut peccatorum moles amplius accumuletur. Particula, vel nomen *Hoi*, in Scriptura interdum eſt dolentis, interdum indolentis; aliquando exclamantis & vocantis, nonnumquam inſultantis; ut infra verſ. 24. plerumque ex dolore abominantis, non ſine animi indignatione ob rei indignitatem, ut hic. Nonnulli eſſe volunt deplorantis alienam miſeriam & calamitatem: nec deſunt, qui comminantis; & ſane poteſt omnia complecti. POPULO GRAVI INIQUITATE. Varie alii ex Heb. I. *populo onuſto iniquitate*. II. *populum gravatum iniquitate*, vel *depravatum*. III. Avenarius vocem *populus* in regimine accepit: *populus gravis iniquitatis*, ſeu *graviſsimæ iniquitatis*. IV. Tremellius & Iunius כבד *chebed*, ſubſtantive capiunt: *populus gravitatis iniquitatis*, ſeu *graviſsimus iniquitate*. SEMINI NEQUAM. Alii: I. *ſemen maleficorum*. II. *proli malorum*; id eſt, filiis ex pravis parentibus generatis. III. *ſemini noxio*, vel *maligno*, aut *malitioſo*, ſeu *nocenti*. IV. *ſemen maleficorum*, ſeu *maleficentiſsimum*. V. *ſemen malignorum*, ſeu *malignantium*. FILIIS SCELERATIS. Heb. *filii perdentes*, vel *perditores*. Alii: 1. *filii corruptores*, id eſt corrumpentes, ſeu perdentes alios, vel ſe ac ſuam rationem vivendi. 2. *filii perdite agentes*, vel *perditi*, aut *perditiſsimi*. 3. *filii ſubverſores*, *diſsipatores*; id eſt, qui alios in populo evertunt & opprimunt. DERELIQUERUNT DOMINUM, &c. Apoſtrophe, qua iuſtiſſimam cauſam iſtius exclamationis exponit Deus, a ſceleribus populi: quæ ſimiliter gradatim tribus verbis oſtenduntur, & exaggerantur a natura & gratia Dei, quæ illis innotuerat. Reliquerunt me, inquit, revocantem ſpreverunt, & oppoſuerunt cervicem, ut ipſe Iechizkiia ex Ieſchaiæ verbis docet II. Paralipom. XXIX. 6. BLASPHEMAVERUNT SANCTUM ISRAELIS. Alii: I. *iraſci fecerunt ſanctum Iſraelis*. II. *ad iram provocaverunt*, &c. III. *probris affecerunt*. IV. *ſpreverunt*, vel *reiecerunt*, *reſpuerunt*. V. *execrati ſunt*. VI. *contemptim irritaverunt*. Proprie, *contumeliis*, *conviciis*, *verbis maledicis inceſſerunt*, *laceſsiverunt*, *inſectati ſunt*, *ſubſannaverunt*, vel *invecti ſunt*, *involarunt*. De ratione verbi נאץ *natz*, vide Comm. Numeror. XIV. 11. SANCTUM ISRAELIS, id eſt Deum, qui ſe ſanctiſſimum & puriſſimum in omnibus operibus ſuis ſemper Iſraeli approbavit: atque ipſum Iſraelem ſanctificat. ABALIENATI SUNT RETRORSUM, נזורו *nazoru*, præteritum Niphal verbi *zur*. Alii: I. *alienaverunt ſe retrorſum*; id eſt, retrocedentes deſtiterunt eum ſequi. II. *a tergo defecerunt*. III. *receperunt ſe retro*, ſeu retroceſſerunt; id eſt, deſierunt ſequi Deum. IV. Caietanus: *retraxerunt retrorſum*, vel ſeipſos a Deo, vel Deum ne eis beneficia impenderet. V. Tremellius & Iunius: *abalienantes ſeſe averterunt retrorſum*. VI. Forerius putat eſſe præteritum Kal verbi נזר *nazar*: *ſeparati ſunt*, vel *ſeparaverunt ſe retrorſum*, quod Hebræi non abnuunt: quaſi religione quadam ac ſanctimonia, ſeu puro Naziræatu ſeparaverint ſe a Deo tamquam ab immundo & profano, ut hoc verbum uſurpari vult Ezechiel. XIV. 5. Sed ſatius eſt, ut ſit a זור *zur*, quod hic *defectionem perfectam ſtudio*, *aſtuque firmatam* ſignificare notant.

V. 5. SUPER QUO PERCUTIAM VOS ULTRA, ADDENTES PRAEVARICATIONEM? Notant particulam *ultra*, & antecedentibus & ſequentibus iungi poſſe; iam diverſimode reddunt: I. Caietanus: *Super quo percutiemini, adhuc addetis declinationem*; id eſt, ſuper quacumque re percutiamini, adhuc efficimini deteriores, addentes declinationem declinationi: fruſtra ſunt vobis divina flagella ad emendationem. II. Forſterus: *Super quo*, ſeu *quamobrem*, vel *propter quod percutiemini ultra*, *cum adiicitis averſionem*; quaſi dicat, Perpetuo vapulabitis, quotieſcumque pergetis prave agere. III. Vatablus, Leo Iudas, Clarius: *Ad quid percutiemmini ultra*, *addituri ſcilicet defectionem?* Carpit Iudaicum populum, qui licet ſæpius cæſus, nullis plagis emendaretur; quaſi dicat: Fruſtra laboravero ſi ultra vos percu-

cuſſero, cum nullis plagis emendemini. IV. Forerius: *Quorſum percutimini? adhuc additis averſionem*. Quid opus eſt, inquit, caſtigationibus & flagellis? perdetur oleum & opera: nam in dies peiores efficimini. V. Montanus: *Super quo ſoletis percuti, adhuc vos conſueſcitis addere deviationem*, ſeu *declinationem*. Ac ſi dicat, Paſſim in ea ſcelera relabimini, ob quæ ſæpe ante puniti eſtis. VI. Tremellius, & Iunius: *Quamobrem quo percutimini amplius, augetis apoſtaſiam?* quaſi dicat: Non potui apud me continere vos beneficiis: qui fit ut ne caſtigationibus quidem aſperrimis, quas experti eſtis, revocemini ad bonam frugem, ſed potius certatim exardeſcatis in apoſtaſiam? Hæc duo poſtea ordine explicantur; afflictiones uſque ad verſ. 10. apoſtaſia vero, inde ad 16. VII. Sanctes: *Per quid percutiemini adhuc? addetis pravitatem? prævaricationem*. סרה *ſarah, apoſtaſiam, diſceſsionem, averſionem, defectionem, deviationem, declinationem, inobedientiam, rebellionem, contumaciam*. Vide in Deuter. XIII. 5. OMNE CAPUT LANGUIDUM. Alii: I. *Omne caput diſpoſitum eſt ad infirmitatem*. II. *omne caput languori expoſitum eſt*. III. *morbo obnoxium*. IV. *morbidum*, vel *affectum eſt morbo*; quaſi dicat: Corpora veſtra morbis affeci, & animos moleſtiis: neque propterea rediiſtis ad bonam mentem. V. *totum caput confectum eſt eadem ægritudine*. VI. *omne caput occupat ægritudo*. ET OMNE COR MOERENS. Heb. *languidum, infirmum, debile, languefactum, deſtitutum viribus, ægrum*. Quidam: *menſtruatum*, haud prorſus aliene. Hac allegoria corporis humani, quæ apud Iſaiam eſt frequens, oſtendit caſtigationes Iudæorum; quaſi dicat: Tota adminiſtratio politica & eccleſiaſtica infirmata eſt; & quod maxime in populo firmum eſſe debet, id ipſum eſt tenuiſſimum.

V. 6. NON EST IN EO SANITAS. מתום *methom*, a מתה *mathah*: *non eſt in eo homo, mortalis, humanitas, mortalitas, genus humanum, figura, ſtatus, forma hominis*. A תמם *thamam*: *non eſt in eo conſummatio, perfectio, integritas*; id eſt, nihil in eo eſt ſanum, integrum, ſed *vulnus*, &c. vide in Pſal. XXXVII. 4. Quidam Hebræorum exponunt: *non eſt in eo firmitas*, aut *bona valetudo*. Poſſis reddere: *non eſt in eo homo vir*; id eſt, nullus eſt in hoc populo eo nomine dignus: ut ſunt eiuſmodi Diogenis Cynici dicta apud Laertium. ET PLAGA TUMENS. Heb. *& percuſsio purulenta*. Alii: 1. *& plaga humida, fluens, livida, virens*. 2. *recens*. 3. *putida, fœtida, ſanioſa*: vide in Iudic. XV. 15. 4. *tabida*. 5. Caietanus: *tenera*. NON EST CIRCUMLIGATA. Verbrum זור *zur*, quidam tranſitive, alii intranſitive capiunt; unde varie reddunt: I. *non compreſſerunt*, vel *non ſunt compreſſa*, vel *contracta, conſtricta, compacta*, ſcilicet vulnera, & plagæ & tumices, de quibus proxime dixerat. Loquitur autem de ea compreſſione, qua chirurgi vulnera hiantia comprimunt, & conſtringunt. II. *non fuerunt expreſſa*, nam premendo extruditur ſanies, & curatur plaga. III. *non fuerunt fracta*, id eſt aperta, ſcilicet emplaſtro: ſed adhuc livida ac tumentia, & in difficiliore curatione. IV. Retenta primæva verbi notione, poſſis reddere: *non ſunt alienata*, vel *amota*, ſeu *reiecta* a corpore, hoc eſt, non ſunt curata. V. Buxtorfius, & Schindlerus exponunt: *non comprimuntur*, vel *exprimuntur*, ut ſcilicet chirurgi vulnera hiantia comprimere vel exprimere ſolent, pus ex eis alienando & emittendo. VI. Forſterus in radice כבס *cabas*, reddit: *non aſperſa fuerunt*; deduxit a זָרָה *zarah*; id eſt, eluta liquoribus medicinalibus. NEC CURATA MEDICAMINE. Hebr. *neque ſuperalligata ſunt*, vel *obligata*. Caietanus: *faſciata*. Hiſpanice: *faxados, embendados*. NEQUE FOTA OLEO. Hebr. mutant numerum præcedentium: *& non mollificata, emmollita fuit, tenera facta fuit*, ſcilicet plaga tumens, vel unaquæque ex rebus nominatis: alii, *lenita, delinita fuit oleo*, ſeu *unguento*, hoc eſt malagmate ſuperpoſito. Tremellius, & Iunius verſum ita explanant: *A planta pedis uſque ad caput non eſt in iſto corpore integritas; ſed vulnus, & tumex, ac plaga ſanioſa: neque exprimuntur, neque alligantur: denique nulla emollitur unguento*. Id eſt, in toto regno nihil eſt integrum: ſcatent vulneribus, livore, & pure omnia; atque eiuſmodi, quæ neque gravibus medicamentis curari, neque ſuavibus unguentis mitigari poſſint.

V. 7. TERRA VESTRA DESERTA, &c. Hunc & ſequentem verſum nonnulli de excidio Chaldaico per Nabuchodonoſorum ac-

accipiunt: plerique de Romano per Veſpaſianos principes. Nec deſunt, qui de vaſtatione iam ante hæc tempora facta interpretantur. Tremellius, & Iunius: *Regio veſtra deſolata fuit*. Explicatio ſuperioris allegoriæ, docens quam miſer ante fuit ſtatus procerum & populi in regno Iehudæorum. CIVITATES VESTRAE SUCCENSAE IGNI. Tremellius, & Iunius: *civitates veſtræ exhauſtæ igne*, videlicet a Chazaele rege Syriæ, II. Regum VIII. 12. & cap. XII. 17. & 18. & a Ioaſcho rege Iſraelitarum II. Reg. XIV. 11. & ſequentibus, & II. Paralip. XXV. 21. & ſequentibus. Alii, quod Romani plures urbes in ſuprema illa haloſi ſuccenderint. REGIONEM VESTRAM CORAM VOBIS ALIENI DEVORANT. Hebr. *humum*, ſeu *tellurem veſtram in præſentia veſtra extranei comedunt eam*. Alii: I. *terram veſtram, eam ipſam, inquam, alieni abſumunt, idque vobis aſpicientibus*. II. Tremellius, & Iunius iungunt ſequentibus: *Terra ipſa veſtra, quam coram vobis extranei conſumpſerunt, tam ita deſolata eſt ut ſolet ſubverſione extraneorum*. Exponunt, *extranei conſumpſerunt*, nempe Chazael rex Syriæ, temporibus Ioaſchi, II. Regum XII. 18. & Ioaſch rex Iſraelis, temporibus Amatziæ, II. Reg. XIV. & II. Paralip. XXV. Alii de vaſtatione Romana. ET DESOLABITUR SICUT IN VASTITATE HOSTILI. Hebr. *& afflatio ſicut ſubverſio alienorum*; id eſt, erit ſtupenda deſolatio, qualis inferri ſolet ab extranea & alienigena gente, quæ & ſanguine, & religione, & ſocietate politica, ac moribus & inſtitutis aliena eſt. Alii: I. *deſolatio, inquam, erit, iuxta ſubverſionem alienigenarum*, id eſt, ſicut ſubverti ſolent alieni a Dei religione & fœdere, impii Dei hoſtes, ut Sodomitæ. II. *Ita ut ſit vaſtatio quemadmodum in everſione hoſtili ſit*. III. Tremellius, & Iunius: *nam ita deſolata eſt, ut ſolet fieri ſubverſione extraneorum*; id eſt, neque tantum externis bellis, ſed etiam inteſtinis motibus ab ipſis domeſticis attrita eſt; idque tam graviter, quam fuiſſent facturi extranei. Hoc enim primum ab Hathalia cœptum eſt, II. Reg. XI. deinde perfectum a coniuratis, contra Ioaſchum & Amatziam, II. Reg. XII. & ſequentibus, & II. Paralipom. XXIV. & XXV. Quidam Hebræorum hic זָרִים, *zarim*, accipiunt pro זֶרֶם *zerem*: *ſicut everſio cataractæ*, ſeu *inundationis aquarum*, quæ omnia obvia proruit.

V. 8. ET DERELINQUETUR FILIA SION UT UMBRACULUM IN VINEA. Alii ex Heb. I. *Et reſidua-manet*, vel *remanebit filia Tziionis ſicut tugurium in vinea*. II. *Et reliqua facta eſt filia Tziionis ut tugurium*, ſeu *tuguriolum, in vinea*. סֻכָּה *ſuccah*, proprie *abſconſio*, ſeu *abſconſorium, tectorium, tugurium, umbraculum, umbra, caſa-frondea, trichila*: vide Comm. in Levit. XXIII. 34. SICUT TUGURIUM. מְלוּנָה *melunah*, proprie, *pernoctatorium, diverſorium, hoſpitium*, in quo quis pernoctat: quidam, *tegillum, tuguriolum* reddunt. IN CUCUMERARIO. Forſterus: *ſicut pernoctatorium in criſpitudine*, ſeu *perplexitate*, id eſt *in cucumerario*: *quod videlicet ſtipite e terra ducto, ſubinde in latum ramuſculos & palmites, in quibus flores, germina, folia, fructus excreſcunt, pertinaciter expandit*. At ego cucumeres potius Hebraice dictos exſtimaverim a criſpitudine, & aſperitate corticis. Moris erat in Palæſtina ut apud nos, tempore uvarum, cucumerum, peponum, &c. cuſtodes adhibere, qui in tuguriolis, ſeu caſis frondeis noctu dieque vineas & cucumeraria cuſtodirent: quorum tuguria collectis iis fructibus, deſolata manebant. Quidam hic reddunt: *in dura, ac rigida tempeſtate*, quæ omnia ſubvertit, quanto facilius tuguriolum. Poſſis exponere: *ſicut pernoctatorium in perplexitate, intricatione, criſpitudine*, ſcilicet ramorum & frondium contextum. Senſum huius loci Tremellius & Iunius ita concipiunt; quaſi dicat: Totum regnum Iehudææ ita exhauſtum & expilatum eſt, ut elapſo vindemiæ, cuſtodiæque tempore tuguriola cuſtodum (ubi inſtrumenta ruſtica aſſervantur) exportari ſolent: quod fecerunt partim Ghazael, partim ſtipendarii Iſraelitæ, partim vero Ioaſch rex Iſraelitarum, ut eiſdem capitibus, quæ modo dicta ſunt, exponitur. Plures de vaſtitate Romana poſt Chriſti necem accipiunt. SICUT CIVITAS, QUAE VASTATUR. נְצוּרָה *netzurah*, vel *netzorah*, quidam a צוּר *tzur*, deducunt exponuntque: *ſicut urbs concluſa, coarctata, coanguſtata, obſeſſa, arcta obſidione preſſa*. Tremellius, & Iunius exponunt: Id eſt, cuius aditus & exitus aut invius aut periculoſiſſimus eſt; quaſi dicat: Omnes regni partes omniaque itinera diligentiſſime

by Google

me fuerunt obſeſſa, cum bellis non tantum externis, ſed etiam internis fluctuavit: vide ſupra verſ. 7. Alii ad mala & infortunia, quæ obſeſſa urbs pati ſolet, referunt. Plerique tamen Pahul verbi נצר *natzar*, faciunt: *ſicut urbs aſſervata*, *præſervata*; ac in malum ſumunt: *ſicut civitas obſervata*, ſeu *obſervanda*, vel *ſicut civitas*, *a qua cavetur*, id eſt a qua ſe obſervant & timent homines, ut a loco deſerto, ſolitario, periculoſo, latronibus, aut feris infeſto; vel a qua ſe præſervant & abſtinent homines, ut a loco immundo, abominando, ac tetro, ne contaminentur: ſic accipi volunt id participium infra cap. LXV. 4. Nonnulli tamen hic reddunt: *ut civitas deſtructa*, *deſolata*, *deſerta*.

V. 9. NISI DOMINUS EXERCITUUM RELIQUISSET NOBIS SEMEN. Multifariam alii ex Hebr. I. Caietanus: *Niſi Iehova exercituum fecit remanere nobis remanens ſicut paucum*. II. Forſterus: *Niſi Iehova exercituum reliquum feciſset nobis reſiduum*, vel *modicum*, ſeu *propemodum nullum*. III. Vatablus: *Niſi Iehova exercituum reliquos*, vel *reſiduos feciſset nobis ſuperſtites plane paucos*, vel *tantillos*, aut *quaſi paucos*. IV. Leo Iudas: *Niſi Dominus exercituum reliquas feciſset nobis reliquias admodum paucas*. V. Forerius: *Niſi Iehova Tzebaoth reliquum feciſſet nobis reliquias propemodum nullas*. VI. Montanus: *Niſi Dominus exercituum reliquiſſet nobis ſuperſtitem ut parum*. VII. Tremellius, & Iunius: *Niſi Iehova exercituum reliquos feciſset nobis ſuperſtites utcumque paucos*, *ut Sedomum eſſemus*, *Hamoræ ſimiles eſſemus*. Amplificatio peccati Iudæorum a miſericordia Dei, viam ſternens ad exprobrationem apoſtaſiæ Iudæorum, ſequente verſu: Acceptum, inquit, ferendum eſt ſummæ benignitati Dei, quod non abſumpti penitus ſumus, ut Lamentat. III. 22. nam niſi Deus, qui exercitus illos, de quibus verſ. 7. contra nos armaverat propter peccata noſtra, ſui nominis rationem habuiſſet, iam diu de nobis actum eſſet, ut de Sedomo, & Hamora olim Geneſ. XIX. Hic autem locus nominatim quidem a propheta de ſuis temporibus dictus eſt: ſed univerſe tamen ad omnia tempora pertinet, quibus Eccleſia tenetur confiteri indignitatem ſuam ex viribus propriis, & miſericordiam Dei ex gratuita electione eius per Chriſtum: ut Romanor. IX. 29. Quæ ſane ratio exponendi apta & congruens eſt. Plerique tamen ex interpretatione Pauli proprie loqui Iſaiam putant de apoſtolis, & paucis illis Iudæis, qui ex ſuprema clade Romana relicti, nomen in Chriſtianam religionem dedere. Particulam illam, *ſicut parum*, vel *ſecundum paucum*, aliqui ſequentibus nectunt, id eſt cito, brevi, extemplo, propemodum, parum abfuit quin ſicut Sedom fuiſſemus, &c. ſed reclamat accentus *Athnach*.

V. 10. PRINCIPES SODOMORUM. קצינים *ketzinim*, *duces*, *ductores*, *capitanei*, *gubernatores*, *præfecti*. Vide in Ioſue X. 24. & in Iudic. XI. 6. Hic magiſtratus Iudæorum politicos, & eccleſiaſticos intelligunt, *principes Sodomorum*. Quidam reddunt: *tyranni Sodomorum*; id eſt, malitia & ſceleribus cum Sedomitis comparandi, quibus propterea non immerito graviſſimum excidium importaſſet Deus, niſi fuiſſet miſertus noſtri propter nomen ſuum. Hinc ad verſ. 16. exprobratio eſt graviſſima apoſtaſiæ Iudæorum: ut dictum eſt ſupra in verſ. 5. quos propterea graviſſime & ſigillatim conteſtatur hoc verſu. PERCIPITE AURIBUS LEGEM DEI NOSTRI. Alii: *auribus percipite doctrinam Dei noſtri*. Eam nimirum, quæ ſequentibus verbis exponitur, de improbitate veſtra, de officio impoſterum, & de conſtantia iudiciorum, ac promiſſionum Dei.

V. 11. QUO MIHI MULTITUDINEM VICTIMARUM VESTRARUM. Alii ex Heb. I. *Ad quid*, *cur mihi offertis tantam multitudinem ſacrificiorum veſtrorum?* quaſi dicat, Solis ſacrificiis non poteſtis me placare, niſi & mentem puram afferatis. II. *Quorſum mihi multitudo ſacrificiorum veſtrorum?* Occupatio graviſſima, ut Pſal. XLIX. 8. & ſequentibus, qua anticipat propheta obiectionem Iudæorum: Quo iure, dixerit quiſpiam, apoſtatas Sedomitas & Hamoræos nos vocas, qui ſacrificia, templum Dei, ſolemnitates omnes, & cultum externum lege inſtitutum tam ſtudioſe obſervamus? Immo vero, inquit propheta, quid iſta ad apoſtatas pertinent? aut quid iſtis apud Deum ſe effecturos putant? Non iſta per ſe, ſed homines ipſos ſibi ſanctificavit Deus; & homines iſtis citra fidem & pietatem animi præfidentes,

averſatur. PLENUS SUM: HOLOCAUSTA ARIETUM, ET ADIPEM PINGUIUM, &c. Sic plerique cum Noſtro Hebræa diſtinguunt, & illud *holocauſta arietum*, &c. ſequentibus iungunt. Alii coniungunt: *ſatur ſum*, *ſatiatus ſum holocauſtis arietum*, *& adipe pinguium*, vel *faſtidio holocauſta arietum*, *& adipem pinguium*, quaſi inſtar hominis ſaturi & pleni, qui cibos iam faſtidit: humanitus dictum, ac ſi dicat, Nauſeam mihi pariunt ſacrificia. PINGUIUM. מריאים *meriim*, interiectio *Aleph* inter duo *Iodim*. Alii, *ſaginatorum*: alii, *altilium*; nonnulli, *bubalorum*, reddunt: nos *merinorum* diximus: vide Comm. II. Samuel. VI. 13. NOLUI. Alii ex Heb. *non accepi*: *non acceptum habui*: *non delector*, *non oblector*, *non amo*.

V. 12. CUM VENIRETIS ANTE CONSPECTUM MEUM. Heb. *Cum venietis videri*, *conſpici*, *apparere*, *faciebus meis*; eſt enim infinitivus Niphal. Quod quidam non ſatis obſervantes, active reddunt: *Cum venitis ad videndum faciem meam*. Aptius alii: *Cum venietis ut conſpiciamini*, vel *cum veniretis ut conſpiceremini*, *coram me*. Quidam: *Cum veniretis ad comparendum coram me*, id eſt ut præberetis mihi vos videndos. Nonnulli: *Quod advenitis*, ſubaudi, *in atria mea*, ex fine verſus: *an ut compareatis*, ex formula legis, quæ habetur Exod. XXIII. 17. & XXXIV. 23. *in conſpectu meo*; id eſt, non tantum corpore, ſed etiam animo integro ſiſtatis vos, & exhibeatis mihi: quod idem propheta obiicit infra cap. XXIX. 12. QUIS QUAESIVIT HAEC DE MANIBUS VESTRIS, UT AMBULARETIS IN ATRIIS MEIS? Alii ex Heb. I. *quis quæſivit hoc de manu veſtra*, *calcare*, vel *conculcare*, ſeu *ut conculcaretis atria mea*? II. *quis requiſivit hoc de manu veſtra quatere atria mea*? III. *quis poſtulavit id e manu veſtra*, id eſt a vobis, *ut calcaretis atria mea*? Aut atrium maius, id eſt populi, intelligit; & tunc plurale eſt pro ſingulari, propter amplitudinem atrii: aut atrium populi ſimul intelligit, taxatque ſacerdotes & plebem; quaſi dicat: Præcepi ut huc quotannis conveniretis, ut ſacrificiis & oblationibus teſtaremini me verum eſſe Deum; ſed nihil aliud quam atteritis pavimentum atriorum meorum, honoris mei, & pietatis prorſus immemores. IV. *quis quæſivit hoc a manu veſtra*; *ut conculcetis atria mea*? tantum, non autem animum veſtrum ſiſtatis atque offeratis mihi: quod eis idem Iſaias obiicit infra cap. XXIX. 13 Aliqui exponunt: *quis quæſivit hoc*, ſacrificia, *de manu veſtra*? quaſi dicat: Quæſivi ego ſacrificia, ſed non a manibus veſtris impuris, & tot ſceleribus contaminatis; ſed a puris & candidis manibus & animis: *quatere atria mea*. Quid vos putatis agere quatiendo, & terendo atria mea? num putatis in hoc ſolo cultum meum, ac pietatem conſiſtere, ſi frequentetis atria mea; & non magis in iuſtitia & ſanctitate? Nonnulli putant illud, *conculcare atria mea*, magnam habere emphaſim, ut indicet acceſſum ſceleratorum hominum ad atria Dei, eſſe quamdam conculcationem.

V. 13. NE OFFERATIS ULTRA SACRIFICIUM FRUSTRA. Varie alii ex Heb. I. *Ne addatis offerre ſacrificium mendacii*, aut *vanitatis*, id eſt ſacrificium mendax, irritum, inane, quod flocci pendo. II. *Ne addatis offerre oblationem temeritatis*. III. *Ne ultra offeratis fruſtrancum munus*. IV. *Ne pergitote offerre munus vanitatis*, id eſt quod vanum eſt apud me: immo vero, ut ſtatim ſubditur, abominationi eſt, intolerabile eſt, Proverbior. XV. 8. & XXI. 27. gradatio, quæ ſimiliter reperitur ſequente verſu. SACRIFICIUM. מנחה *minchah*, de hac voce vide Geneſ. IV. 3. & in Levit. I. I FRUSTRA. שוא *ſchave*, *præcipitantia*, *temeritas*, *vanitas*, *mendacium*. Recte obſervant oppoſitionem hic eſſe inter *ſchave*, & *minchah*, quod *minchah* ſit *munus*, *donum*, *donarium*, quod ſenſim, placide, cum pompa quadam portatur: at *ſchave*, *temeritas*, *præcipitantia*; quaſi dicat, Munus aut ſacrificium contra ipſius rationem & naturam, temere ac præcipitanter offerebant. NEOMENIAM, ET SABBATUM, ET FESTIVITATES ALIAS NON FERAM, INIQUI SUNT COETUS VESTRI. Varie ex Heb. transfundunt: I. Caietanus: *neomeniam & ſabbatum vocare vocationem non potero*, *iniquitatem & retentionem*; id eſt, neomeniam, & ſabbatum, & retentionem non potero vocare convocationem ſanctitatis, ſed iniquitatis, eo quod iniquis animis & operibus veſtris replentur: qua ratione erunt verba tranſpoſita. Solemnitates enim Domini appellabantur *Convocatio*

catio.

cationes ſanctitatis, Levit. XXIII. 2. II. Vatablus: *kalendas & ſabbatum, quod vocetis convocationem*, vel *indicatis indictionem, non poſſum ferre iniquitatem cum cœtu*; ad verbum, *non poſſum iniquitatem & cœtum*, id eſt non poſſum ferre cœtus veſtros iniquos. III. Sanctes: *kalendas, & ſabbatum, & convocationem ſolemnitatis, ut rem iniquam ferre nequeo, ſicut nec cœtus retentionem*. IV. Iſidorus Clarius: *neomeniam & ſabbatum, & ſolemnes convocationes alias non feram, iniquitatem conjunctam cum feſtorum celebratione*. V. Leo Iudas: *neomenias, ſabbatum, panegyres, non poſſum, nempe vanitatem & concurſum*. VI. Forſterus: *renovationem*, ſeu *novilunium, & ſabbatum, convocare convocationem non potero*, ſeu *non poſſum ferre concupiſcentiam & retentionem*. Vocat Propheta cultus ipſorum ſine fide, nomine cupiditatis; vel *non feram petulantiam, & prævaleſcentiam*, id eſt tyrannidem. VII. Forerius: *novilunium & ſabbatum, quando convocatur concio, non fero: violentia, & tyrannis ſunt*. VIII. Marinus: *neomeniam, & ſabbatum, convocare convocationem non potero: iniquitas, & conſtrictio*, ſeu *adunatio* populi in die feſto; ut ſit illud, *Nemo poteſt duobus dominis ſervire*. IX. Hiſpanicus Interpres: *luna nueva, y ſabado, convocar convocation no podre ſuffrir: iniquidad y ſolemnidad*, id eſt *Es abſurdo, coſas que no quadran*. X. Avenarius: *non potero* ferre *iniquitatem, & congregationem* in die feſto. XI. Montanus: *menſem & ſabbatum, vocare convocationem, non potero iniquitatem, & retentionem*; vel *neomeniam & ſabbatum vocare vocationem non potero; vanitas & concurſus*; id eſt, ſuo vocabulo neomeniam & ſabbatum vocare non potero, nihil enim revera minus ſunt, cum vera ac legitima eorum ratio perierit: ſed ſunt dumtaxat mera vanitas, & turbulentus atque inconditus hominum concurſus. XII. Tremellius, & Iunius: *novilunio & ſabbato convocando convocationem, non poſſum ferre iniquitatem, neque interdicti die*; hanc videlicet iniquitatem apoſtaſiæ, & animi per hypocriſin cultum Dei ſimulantis: pathetica parentheſis, evidentiſſime exprimens affectum indignabundi & averſantis animi: *neque interdicti die*; id eſt, quocumque die ab omni opere ſervili ceſſaviſtis ex interdicto, ſive feriæ eſſent legitimæ, ſive indictivæ, ut Ioelis I. 14. NON FERAM. Heb. *non potero*, id eſt non ſuſtinebo, non patiar, ſeu *non poſſum ferre*: notant eſſe elegantem ellipſin, indignationis indicem: ſimilemque extare I. Corinth. III. 2. vide in Pſal. C. 5. COETUS VESTRI. עצרה *ghatzarah*. Aliqui, *prævaleſcentiam, coarctationem, conſtrictionem*, hoc eſt oppreſſionem, tyrannidem interpretantur; ſed dubito an alibi in ſignificatu tyrannidis hæc vox reperiatur: ſatius eſt ut ſolemnem conventum indicet, ut II. Reg. X. 20. Ioelis I. 14. & II. 15. de qua voce vide Levit. XXIII. 36.

V. 14. CALENDAS VESTRAS. Heb. *Innovationes*, id eſt novilunia, primos dies menſium, qui Hebræis ſolemnes erant, Numer. X. 10. I. Samuel XX. 5. & Pſal. LXXX. 4. Inconſiderate quidam: *encenia*, ut illa Ioan. X. 22. non animadvertentes aliud eſſe חנכה *chanuccah*, & aliud חודש *chodeſch*; vide Numer. XXVIII. 11. ET SOLEMNITATES VESTRAS. מועדים *moghadim*, proprie *ſtationes, ſtata, ſtatas ferias, feſtivitates, ſolemnitates*: vide Numerorum XXIII. I. FACTA SUNT MIHI MOLESTA. Ex Heb. Alii: I. *fuerunt ſuper me in laborem*. II. *facta ſunt mihi oneri*. III. *factæ ſunt ſuper me in gravamen*. IV. *ſunt mihi labori*, ſeu *fatigationi*, aut *vexationi*. V. *laſſum reddunt me*. VI. *ſunt mihi laborioſæ*: ſic ſumitur vox טורח *torach*, Deuteron. I. 12. LABORAVI SUSTINENS. Ex verbo: *defatigatus fui levare*. Alii: I. *fatigatus ſum ſuſtinendo*. II. *defeci ferendo*; quaſi dicat, Ferre non poſſum. III. *defatigatus factus ſum ferendo*. IV. *defeſſus factus ſum ſuſtinendo*, id eſt tolerando. V. *defeſſus ſum ferendo*. Hiſpanicus Interpres: *canſado eſtoy de llevarlas*. VI *laſſatus ſum portando*.

V. 15. ET CUM EXTENDERITIS MANUS VESTRAS, &c. Quidam: *Propterea expandentibus vobis manus veſtras*, &c. id eſt, in veſtris difficultatibus inclamantes averſor, ut qui non tantum indigni eſtis, ſed etiam imparati, illotis & cruentis manibus acceditis. MANUS ENIM VESTRAE SANGUINE PLENAE SUNT. Alii: *manus veſtræ cædibus plenæ ſunt*, nimirum quas expanditis me verſus; quaſi dicat: Vos adhuc madetis ſanguine & cædibus, omnique peccatorum genere circumfluitis, cum

acce-

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

acceditis ad me: quamobrem non eſt cur ſperetis exaudiri a me, niſi vos ipſos ab iſta impuritate repurgetis; quod ſequentes verſus docent. *Sanguine*, pro cædibus: ſynecdoche.

V. 16. Lavamini: vel *abluite vos*, aut corda veſtra; vel *abluimini*: verbum metaphoricum, reſpiciens ad cruentas manus quas modo exprobraverat. Mundi estote. הזכו *bizacbu*, Marinus & Avenarius volunt eſſe imperativum Niphal verbi זכה *zacbab*: ſed Hebræorum plurimi, & eos ſecuti Sanctes, Forſterus, Buxtorfius, Schindlerus, volunt eſſe defectivum ex Hithpahel eiuſdem verbi pro התזכו *bitzacub*, vel הזדכו *bizdacbu*: vide Sanctem in Theſauro, & Lib. III. Inſtitutionum, cap. LXII. in præterito; unde reddunt: *Purificate, mundificate vos ipſos, puros & mundos vos ipſos reddite*: quæ coniugatio ſignificatum intendit: ſed cum hic defective ponatur, euphoniæ cauſa uti Hebræi annotant, ſane illud ſignificari videtur, numquam hominem tantam puritatem & mundiciem cordis & operis præſtare poſſe, quæ Deo poſſit eſſe condigna. Cogitationum vestrarum. מעללים *maghalalim*, *ludicrorum*, *adinventionum*, *ſtudiorum*, *moliminum*, *actionum*, *puritatum*. Vide in Deuteron. XXVIII. 20. & Iudic. II. 19. Ab oculis meis. Heb. *de preſentia*, ſeu *e regione*, *ex adverſo*, *a conſpectu oculorum meorum*; id eſt, ex animo & corpore veſtro, palam & clam: quia omnia penitus introſpicit Deus. Quiescite agere perverse. Heb. *deſiſtite malefacere*. Alii: *ceſſate affligere*, ſeu *lædere alios*.

V. 17. Discite benefacere; id eſt, colite diſciplinam & exercitia beneficentiæ. Quaerite iudicium. Alii: I. *diſquirite diligenter ius cauſæ*: iudices & patronos alloquitur. II. *ſciſcitemini iudicium*. III. *quærite ius*; id eſt, ſinguli privatim & publice, quidquid eſt officii veſtri recognoſcite: quod proleptice dictum, poſtea minutatim accommodatur officiis miſericordiæ. Subvenite oppresso. Varie alii ex Heb. I. *dirigite oppreſſum*; id eſt, negotia oppreſſi, vel ius ſuum recte oppreſſo reddite. II. *ducite oppreſſum*, ſeu *iter præbete*, aut *ducatum oppreſſo*. III. *rectificate oppreſſum*; id eſt, iniquam ſententiam contra inſontem latam emendate, corrigite. IV. *reſtituite oppreſſum*. V. *beate infectum*, ſeu *vitiatum*, id eſt exacerbatum & perturbatum. VI. *beatificate acetoſum*, ſeu *ærumnoſum*. VII. *iuvate malis confectum*. VIII. *dirigite ab homine nequam oppreſſum*. IX. remote nonnulli Hebræorum apud Kimchium: *beatificate*, id eſt beatum prædicate, *fermentantem*, id eſt iudicem, qui ſtatim non iudicat, ſed poſt maturam deliberationem, id eſt qui bene fermentat & concoquit iudicium. X. aptius: *beatificate fermentatum*, ſeu *acetoſum*, id eſt acerbatum, contriſtatum, mærore affectum. Sic Plautus in Mercatore: *Mea uxor propter illum tota in fermento iacet*. Et in Pſeudolo: *Ecquid habet acetum in pectore*. Defendite viduam. Heb. *litigate*, *contendite*, *diſceptate viduam*, vel *viduæ*; id eſt, ſuſcipite, agite cauſam viduæ, vel *diſceptate pro vidua*.

V. 18. Et venite, et arguite me. Alii ex Heb. I. *Venite nunc*, & *increpemus nos*. II. *Adeſte*, *agite*, *eia*, *quæſo*, & *diſceptemus inter nos*; id eſt, argumentis mutuis cauſam noſtram utrique tueamur, & videamus veſtrane cauſa melior ſit, an mea. III. *Ite nunc ac diſceptabimus*, vel *argumentabimur*. Notant verbum hic eſſe ex Niphal, ſed in ſignificatione activa poni. IV. *Adeſte*, *quæſo*, & *diſputemus*. V. *Venite iam*, & *diſceptemus*. Exhortatio, ut ſi Iudæi nondum reſipiſcere a peccatis didicerunt, ſaltem ex æquo diſceptantem Deum, & rationes blande ineuntem cum ipſis audiant: viciſſim, ſi quid cauſæ habent, proferant ipſi, tantiſper dum placet Deo a iudicis partibus abſtinere. *Iam*, id eſt quandoquidem nondum reſipiſcitis: & *diſceptemus*, id eſt amice, & ex æquo inter nos de cauſa conferamus, ut alter alterum patienter audiat, prout fit partibus inter ſe litigantibus & conferentibus ad tranſigendam cauſam: quod genus conteſtationis adhibet Deus ad frangendam, aut evincendam hominum improbitatem, & teſtandam patientiam, & miſericordiam ſuam, ut Ieremiæ II. & Michææ VI. Nonnulli hunc ſenſum concipiunt: Si vos ipſos purificaveritis, & præſtiteritis omnia illa duobus præcedentibus verſibus explicata, poteritis mecum contendere ac diſceptare iudicio, id eſt puri & mundi haberi a me.

Con-

Digitized by Google

Contendere itaque cum Deo, figurate & hyperbolice pro omnimoda puritate & ſanctitate pollere accipiunt: nam cum in Scripturis ſæpius dicatur ſanctiſſimos quoſque coram Deo immundos reputari, & neminem eſſe, qui ſi eius peccata diligenter obſervarentur, Dei iudicium poſſet ſuſtinere, &c. nulla loquendi figura adeo magnifice potuit pœnitentiæ virtus commendari, quam ſi diceret: Adeo ſancti eritis, ut poſſitis cum Deo iudicio contendere: non poterit in iudicium adducere errata, quæ pœnitentia deleta ſunt: & hunc eſſe germanum ſenſum, confirmant ex ſimilitudinibus nivis & lanæ, quæ ſequuntur. Sed eſſe ſubtiliorem & ab uſu Scripturæ alienum, loca Ierem. II. & Michææ VI. facile oſtendunt. SI FUERINT PECCATA VESTRA UT COCCINUM. Heb: *ſi fuerint errata veſtra ut dibapha*, ſeu *bis tincta coccina*: vide in Proverb. XXXI. 21. Geneſ. XXXVIII. 27. Exod. XXV. 4. Quidam exponunt: *ſi fuerint peccata veſtra*; quaſi dicat, confirmo fore, tantum autem accommodabitis, ut vero ſenſu iuſtitiæ meæ, & peccati veſtri afficiamini, & promitto me aboliturum peccata veſtra pro miſericordia mea: *velut dibapha*, id eſt graviſſima & atrociſſima: comparatio eſt a colore ſanguineo, cuius dixerat plenas manus eorum eſſe; quaſi dicat, Si ſuerint cruentiſſima & ardentiſſima, ut ſolet eſſe coccinum dibaphum. QUASI NIX DEALBABUNTUR. Alii: *tamquam nix exalbeſcent*; id eſt, ablutis peccatis fietis albi, & puri: hypallage; eſt autem eadem metaphora Pſal. L. 9. QUASI VERMICULUS. תולע *tholagh*, *vermis*, *coccus*, *granum*, *coccinum*: vide in Exod. XXV. 4. VELUT LANA ALBA ERUNT. Vox *alba* non eſt Hebraice, ſed intelligitur: forte reſpexit ad priſcum veterum veſtitum, qui togis laneis arte fullonica candefactis utebantur: de quo Lipſius Electorum I. cap. XIII. Quidam reddunt: *ſicut nativa lana fient*.

V. 19. SI VOLUERITIS, ET AUDIERITIS ME, BONA TERRAE COMEDETIS. Alii ex Heb. I. *Si acquieſcetis ut audiatis, bono huius terræ fruemini*: non autem fruentur &. conſument extranei, ut ſupra verſ. 7.

V. 20. ET ME AD IRACUNDIAM PROVOCAVERITIS. Heb. *& mutabitis*, in peius. Alii: 1. *& irritaveritis*. 2. *& rebelles*, ſeu *contumaces fueritis*. 3. *atque rebellabitis*. 4. *& non obtemperaveritis*. 5. *& amaricaveritis*, ſeu *exacerbaveritis*. Poſſis reddere: *& mutabiles fueritis*, id eſt varii, inſtabiles, inconſtantes in fide. & reverentia Dei. GLADIUS DEVORABIT VOS. Heb. *gladio comedemini*, vel *devorabimini*, *abſumemini*; hoc eſt, vos ipſi, & non tantum terra veſtra exhaurietur, prout actum eſſe poſtea temporibus Achaſi legimus II. Paralipom. XVIII. Alii, non tamen recte, vertunt: *ſiccitate abſumemini*. QUIA OS DOMINI LOCUTUM EST; quaſi dicat, Certiſſime hoc illis eveniet niſi reſipiſcant, quia verbum Dei eſt in lege enunciatum, Levit. XXVI. 25. & Deuteronom. XXVIII.

V. 21. QUOMODO FACTA EST MERETRIX CIVITAS FIDELIS? &c. Diverſimode alii hunc verſum ex Heb. transferunt: I. *Quomodo facta eſt ut meretrix civitas fidelis? erat, plena iudicii*, ſeu æquitatis, id eſt in qua plures erant æquiſſimi iudices: *iuſtitia morabatur*, vel *diverſabatur*, *manebat*, *verſabatur in ea*: *nunc autem homicidæ*. II. *Quomodo facta eſt in meretricem cauponam*, ſeu *cauponariam civitas fidelis, plena iudicii? iuſtitia habitabat in ea, & nunc homicidæ*. Putant loqui Prophetam de temporibus Chriſti, quando Phariſæi legem falſis traditionibus ac interpretationibus depravarunt, vel ut caupones vinum merum ſolent aqua diluere; & quæſtui inhiantes, variis uti fraudibus ac deceptionibus: ſic Ennius apud Ciceronem Lib. I de Officiis dixit: *Cauponantes bellum*; de quo vide Paulum Merulam in Commentario ad VI. Annalem Ennii, & Gulielmum Canterum Lib. III. Novarum Lectionum, cap. IX. Huc pertinent ſimilitudines ſcoriæ, & vini diluti, ſequente verſu. Illud autem, *& nunc homicidæ*, ſubaudi, habitant in ea, ſic accipiunt, quod paulo ante ſupremum Titi exitium plena fuerit ſicariis, ut late ex Ioſepho diſces. III. *Quomodo effecta eſt meretrix urbs fidelis? pleniſſima iure, in qua iuſtitia pernoctabat*, id eſt dies noctesque colebatur, *eam nunc homicidarum plenam eſſe*? Reprehenſio, quam tum demum adhibet Deus, cum Iudæi neque ad reſipiſcentiam adducti ſunt, neque ad æquam illam diſceptationem oblatam a Deo ſupra verſ. 17. Eſt autem tota hæc reprehen-

ſio

ſio pathetica per comparationem temporum inter ſe: Prius, inquit, fideliter audiebant, ſapiebant, officium & ius colebant, aut denique reſipiſcebant moniti; nunc autem ut procaciſſima meretrix, aut ſceleratiſſimus quiſque homicida, pœnitentiam fugiunt pertricta fronte, monentem Deum non audiunt, ac potius prophetas revocantes multant, ut de Ioaſchio & Amatzia legimus II. Paralipom. XXIV. 20. & cap. XXV. 15.

V. 22. ARGENTUM TUUM, &c. Hunc verſum de phariſæis & ſcribis tempore Chriſti intelligunt, qui puram Dei doctrinam prava interpretatione corruperant. Alii reddunt: *Argentum tuum abiit in ſcorias, merum tuum inſpureatum eſt aqua*. Allegoria oſtendens univerſam optimatum corruptionem, & omnium ordinum, quam ſequens verſus exponit: ſic Ezechiel. XXII. 18. & 19.

V. 23. PRINCIPES TUI INFIDELES. סוררים *ſorerim*, *perverſi*, *contumaces*, *inobedientes*, *rebelles*, *immorigeri*, *incorrigibiles*, *intractabiles*, *indiſciplinabiles*, *refractarii*, *qui nulla diſciplina regi volunt*, ſed pro libidine cuncta agunt. Quidam reddunt: *declinantes*, ab æquo & iuſto. SOCII FURUM: probatis & participatis furtis; ut Hoſee VI. 10. vel qui pretio aut munere accepto furtis & aliis ſceleribus connivebant, ſynecdoche. Alii: *conſortes*, *partiarii ſurum*. OMNES DILIGUNT MUNERA. Alii ex Heb. *unuſquiſque eorum amat munus*, ut Exod. XXIII. 8. & Deuteron. XVI. 19. SEQUUNTUR RETRIBUTIONES. Alii: *captant retributiones*, vel *inhiant muneribus*; quaſi dicat, Pretio vendunt iudicia. Quidam exponunt: I. Mutuo ſibi vices præſtant ac rependunt, ut ſi hic in gratiam alterius iudicium pervertit, is viciſſim ut ei gratificetur, ſeu gratiam rependat, iudicium pariter corrumpat. II. Facile ob lucrum ac quæſtum legitimas iuris pœnas in multas pecuniarias, ſeu compenſationes, ut in lege vocantur, Exod. XXI. & XXII. convertunt. ET CAUSA VIDUAE NON INGREDITUR AD ILLOS; id eſt, non auditur, non admittitur ab illis, nullum locum apud eos habet: non curant.

V. 24. PROPTER HOC. Heb. *Ad ſic*. Hiſpanice: *Aſsi*. Oſtendit Deus ſe invitum tandem eo pertrahi, ut immorigeros, ac ne audientes quidem, & præfractos Iudæos tamquam hoſtes coniuratos verberet, hoc verſu: quorum verberum uſus & effecta ſequentibus exponuntur. AIT. נאם *neum*, *dictum certum*, *indubitatum*, *conſtans*, *ſtabile*, *ſermo fidelis*: vide Notas in Geneſ. XXII. 16. DOMINUS. אדון *adon*, *ſuſtentator*, *columen baſis*, *columna*. Commune Deo & hominibus: ſed hic proprium epithetum Dei; ob id ininterpretatum reliquimus. Qui ſe prius non tantum ut patrem, ſed etiam ut æqualem Iudæis ſliterat, verſ. 18. nunc iam iudicis partes aſſumit, quas æterna potentia ſua exequatur in contemptores ſui fœderis gratuiti: quo ſpectant omnia Dei epitheta. FORTIS. *Abir*, *potentiſſimi*, *robuſtiſſimi*, vel *pennigeri*: in Geneſ. XLIX. 24. HEU, CONSOLABOR SUPER HOSTIBUS MEIS. Ex Heb. exponunt: *Heu*, vel *eheu*, *ah*, ut ſit particula inſultantis, *conſolationem capiam de hoſtibus meis*. Humanitus dictum: ac ſi Deus ex offenſis acceptis contriſtaretur, & levamen ex ultionibus perciperet. Sane in graviter offenſis ſumma eſt vindictæ dulcedo ac voluptas, qua animus commotus penitus ſedatur ac conquieſcit. Vide ſimilem locutionem Ezechiel. V. 13. & Deuter. XXVIII. 63. Hiſpanicus Interpres: *Ea*, *tomare ſatisfecho de mis enemigos*. Frigide alii exponunt: Adeo dolenter inimicos meos puniam, ut opus ſit mihi conſolatione; vel, puniam quidem eos, ſed me vindictæ pœnitebit. Aut ex Hiſpaniſmo, *yo me conortare de mis enemigos*. Id eſt, ægre quidem, & contra genium meum, ſed nihilominus puniam.

V. 25. ET CONVERTAM MANUM MEAM AD TE. Alii: I. *Et reducam manum meam ſuper te*. Id eſt, iterum atque iterum, frequenter, identidem te percutiam & affligam. Hiſpanice, *Darte he otra mano*, vel *otra buelta*; cum rem ne plene perfectam & abſolutam, vel non ſatis expurgatam ac emundatam ſignificare volumus. II. *Et admoliar manum meam tibi*. III. *Nam referam manum meam contra te*: expoſitio allegorica iudicii & ultionis, quam ſumpturum ſe dixit Deus ſuperiore verſu: Subduxeram, inquit, ferulas meas, de quibus ſupra verſu 5. & ſequentibus, ſed eas & graviores eis repetam atque importabo. ET EXCOQUAM

AD PURUM. Heb. *& uram, purgabo, purificabo, conflabo, examinabo, excoquam, fundam*. Varie reddunt: I. *& expurgabo ut purificativum*, id eſt ut res, quæ vim purificandi & purgandi habet, qualis eſt ſapo. II. *& uram ſicut expurgativum*. III. *& conflabo iuxta puritatem*. IV. *& uram ad puritatem*, vel *ad purum putum*. V. *ut defæcans ſcorias tuas, iuſtæ puritati reſtituam te*; id eſt, ut manu mea tamquam artifex, eos qui improbi ſunt, a probis ſeparem refundendo totam rempublicam, velut adulterinum nummum: ſic Ierem. IX. 7. & Malach. III. 3. atque hic generalis eſt afflictionum effectus, quas denuntiat Deus propter duplicem uſum, qui deinceps exponitur. AD PURUM. כבור *cebor, ſecundum puritatem*, vel *ut expurgatorium: bor, puritas, purgatio, purificatio, expurgatio*, ut Pſal. XVII. 25. vel *expurgatorium, purificatorium, purgatorium*, ut Iob XI. 30.

V. 26. ET RESTITUAM IUDICES TUOS UT FUERUNT PRIUS. Alii: *Et reducam, reſtituam iudices tuos ſicut primum*, vel *quales olim fuerunt*, aut *ſicut in principio*, &c. Prior uſus expurgationum Dei, inſtauratio & reformatio totius reipublicæ atque Eccleſiæ diſparatis improbis, duobus his verſibus. *Iudices tuos, & conſiliarios tuos*; id eſt, ſummatum ordines, ad quos utraque adminiſtratio & politica & eccleſiaſtica pertinet, & quibus corruptis non poteſt totus etiam privatorum ſtatus non eſſe corruptiſſimus. Plerique hunc & ſequentem verſum ad tempora Chriſti & apoſtolorum referunt, quando apoſtolici reſtituti ſunt pro Moſe, Ioſue, Samuele, & illis antiquis ſanctis iudicibus. Alii, ad tempora Ezechiæ regis, reformato politico & eccleſiaſtico ſtatu. POST HAEC. Heb. *poſt ſic*, id eſt ſtatim, vel poſtmodum. VOCABERIS. Heb. *vocabitur tibi*, vel *indetur tibi nomen*. CIVITAS IUSTI. Heb. *Urbs iuſtitiæ*, ſeu *iuſta*; id eſt, reipſa eris, & diceris, agnoſcerisque ea, quæ ante fuiſti, ſupra verſ. 21.

V. 27. SION, &c. Brevis, inquiunt, occupatio, qua Propheta docet nihil eſſe quod ſibi propterea Eccleſia arroget, aut homines ulli: nam totum illud opus a Deo eſſe, qui iudicio ſuo bonos diſparat a malis, & ſervat propter iuſtitiam ſuam. IN IUDICIO REDIMETUR: illo nimirum, quod denuntiaverat verſ. 25. Alii: *iure redimetur, liberabitur, ſervabitur*; id eſt, non gratis, ac liberaliter, ſed pretio ſanguinis Chriſti inæſtimabili. ET REDUCENT EAM IN IUSTITIA. Heb. varie accipiunt: a שוב *ſchub, & revertentes, converſi, reſipiſcentes, reduces eius*, id eſt quicumque a peccatis ſuis revertentur ad Deum vivum, abducti iudiciorum ſenſu & exemplis ad pœnitentiam; *in iuſtitia*, qua Deus iuſtiſſime præſtat bona omnia, quæ promiſit, ut Pſal. L. 16. Alii: *ob iuſtitiam*, quam fecerint. Vel: *per iuſtitiam* Chriſti שבה a *ſchabah* vero: *& captivi abducti*, vel *captiva-abductio eius*, id eſt captivi a ſatana, peccato, morte. Nonnulli: *in iudicio & iuſtitia*; id eſt, optime expenſis ac perſpectis cauſæ circumſtantiis: quod non placet.

V. 28. ET CONTERET SCELESTOS, &c. Heb. *Et confractio, contritio, tranſgreſſorum*. Quidam: *Fragmenta autem a ſectorum*. Secundus uſus vindictæ divinæ contra improbos, qui hoc verſu per eamdem allegoriam metallorum enuntiatus, ſequentibus explicatur: nam fragmenta vocat particulas, & reiectamenta ſcoriæ quibuſcum improbi comparantur. Alii alluſum putant ad Pſal. II. 9. Quidam reddunt: *Contritio autem prævaricatorum & peccatorum ſimul veniet*, vel *fiet pariter*. Tranſgreſſores ſunt, qui tranſgrediuntur legem, aut fœdus, ut ſeditioſi; peccatores, qui ſtudio, & perfricta fronte peccant, ſcelerati: vide in Pſal. I. 1. CONSUMENTUR, vel *deficient*, id eſt, conflagrabunt omnino, & gravitate ignis, ſeu iudicii divini conſumentur. Quidam hunc verſum ita reddunt: *Fragmenta autem deſectorum, & peccatorum pariter, ac derelinquentium*, ſeu *deſerentium Iehovam, deficient*.

V. 29. CONFUNDENTUR ENIM AB IDOLIS, QUIBUS SACRIFICAVERUNT. Ex Heb. Alii: I. *Confundentur*, vel *erubeſcent, propter quercus* vel *ulmos, quas concupiviſtis*. Confuſio perſonarum, tertiæ pro ſecunda; id eſt, Pudore enim afficiemini propter, &c. II. *Quia pudore afficiemini ab ulmis, quas concupiviſtis*. III. *Quoniam confundentur propter ilices, quas deſideraviſtis*. IV. *Pudeſient enim a diis, ſeu idolis, quibus vos delectati eſtis*, id eſt quos amore & honore proſecuti eſtis. V. *Nam pudeſient propter arbores*, ſeu *lucos*, *quos deſi-*

deſideraſtis. Exponunt, *Nam*, ætiologia a vanitate idolorum, quibus confidunt improbi: Conſumentur, inquit, nam non poterunt dii ipſorum iuvare ipſos: *propter lucos*, diis illorum conſecratos, prout legimus Huzziiæ, & aliorum temporibus excelſa non amota fuiſſe II. Regum XV. 4. & XVI. 4. *quos deſideraſtis*, apoſtrophe ad populum, gravius exprimens ipſius idolomaniam; cuiuſmodi apoſtrophæ leguntur in prophetis paſſim. אלים *elim*, *fortes*, *deos*, quidam interpretantur, id eſt idola. Alii plurale faciunt vocis אלה *allah*, *quercus*, *robur*, *ilex*, de qua verſu ſequente. Iudæos idolis lucos & arbores conſecraſſe, notiſſimum eſt ex Scriptura. ET ERUBESCETIS. Heb. & *infodietis*, vel *infoſſi eritis*, ſeu *infodiemini*, id eſt pudore ſuffundemini: vide de hoc verbo Iob VII. 20. & Pſal. XXXIV. 4. Aliqui reddunt: *& avertetis oculos ab hortis*, ſcilicet pudefacti. QUOS ELEGERATIS. Heb. *elegiſtis*, non acquieſcentes loco, quem elegi, Deut. XII. 5. & II. Paralip. AI. 6.

V. 30. QUERCUS. אלה *elah*, vide in in Geneſ. XXXV. 4. DEFLUENTIBUS FOLIIS: id eſt, infeliciſſime marceſcetis, & exareſcetis, ut illas ipſas arbores, & excelſa, lucoſque videtis marceſcere, in quibus idola colitis. Exponit enim Propheta his duobus verſibus rationem, qua Deus improbos perditurus eſt: primum, inquit, ſua ipſorum infirmitate peribunt, hoc verſu: deinde qui volent robore experiri cum Deo, ſuo robore ſe conficient ipſi, ſequente verſu.

V. 31. ET ERIT FORTITUDO VESTRA UT FAVILLA STUPPAE. Heb. varie redduntur: I. *Eritque fortis ut ſtuppa*; id eſt, fortiſſimus deorum veſtrorum, erit imbecillior ſtuppa. II. *Et erit protectio*, *præſidium*, *protectorium*, in quo fiduciam collocabatis, *in ſtuppam*, ſeu *velut ſtuppa*. ET OPUS VESTRUM QUASI SCINTILLA. Heb. I. *& operans eius*, vel *factor*, *fabricator*, *operator*, *opifex*, *artifex*, *eius*, nempe idoli, vel præſidii, *in ſcintillam*, ſeu *veluti ſcintilla*, aut eruptio ignis. II. *& opus eius*, ſcilicet ipſum idolum, *in favillam*, vel in floſculum ſiccum & torrefactum, qui facile ignem concipit. Hunc verſum quidam ita ex Heb. efferunt: *Eritque fortiſſimus quiſque velut ſtuppa*, *& opus eius velut ſcintilla*: id eſt, quiſquis robore fretus reluctabitur, ſuo ipſius labore incendetur, & conflagrabit ut ſtuppa igne: *ardebuntque ambo pariter*, *adeo ut nullus poſſit extinguere*; id eſt, peribit ipſe cum opere ſuo, & ſuo ipſius gladio iugulabitur.

MENOCHII.

Verſ. 1. VISIO: revelatio, viſum, ſive res viſa, non oculis corporis, ſed mentis. Olim autem prophetæ *Videntes* dicebantur. Vide I. Reg. IX. 18. ISAIAE; Iſaias idem eſt, ac *Salus Domini*. FILII AMOS: non illius, qui eſt tertius inter Prophetas minores, ſed alius, qui ab Hebræis creditur fuiſſe frater Amaſiæ Regis Iuda. SUPER IUDAM, ET IERUSALEM; id eſt, pertinentem ad regnum Iuda, & Ieruſalem, quæ regni erat metropolis. OZIAE, qui quinquaginta duobus annis regnavit: IV. Reg. XV. 2. IOATHAN, qui ſexdecim: IV. Reg. XV. 33. ACHAZ, qui etiam ſexdecim: IV. Reg. XVI. 2. EZECHIAE, qui viginti novem: IV. Reg. XVIII. 2. ex quo colligitur, diuturno tempore ſacrum hunc vatem prophetaſſe.

V. 2. AUDITE CAELI. Aliqui de cæli, & terræ incolis accipiunt, Angelis ſcilicet, & hominibus. Alii verius de ipſis cælis, & terra, utitur enim proſopopœia ad inanimatas creaturas, ut oratio plena indignationis gravior evadat. QUONIAM DOMINUS LOCUTUS EST; quaſi dicat: Non ego, ſed ſacra, & divina maieſtas hæc edicit per me. FILIOS, &c. Intelligit Iudæos ſui temporis, quos potiſſimum prophetæ verba perſtringunt, licet aliis etiam accommodari poſſint. ENUTRIVI. Sic Oſeæ. XI. 3. dicitur: *Et ego quaſi nutritius Ephraim*, *portabam eos in brachiis meis*, *& neſcierunt quod curarem eos*. EXALTAVI: alui, creſcere feci, & adoleſcere, auxi beneficiis multiplicibus. SPREVERUNT ME. Chaldæus, *rebellarunt contra me*.

V. 3. COGNOVIT, id eſt cognoſcere ſolet. PRAESEPE DOMINI, id eſt dominum præſepis, eſt enim hypallage. ME NON COGNOVIT: ſcilicet eſſe Dominum ſuum, quia contumax fuit, & rebellis, & non eſt veritus ſpernere me. NON INTELLEXIT: vocem meam cum vocarem, iuberem, minarer, obſecrarem.

V. 4.

Digitized by Google

V. 4. GRAVI INIQUITATE, id eſt gravato. SEMINI NEQUAM: filiis degenerantibus, & ſceleratis. DERELIQUERUNT DOMINUM: ad idololatriam converſi. BLASPHEMAVERUNT: factis, & verbis, nam idolorum cultores facti, Deum reipſa blaſphemaverunt; blaſphemaverunt etiam verbis, hymnis, & laudibus falſa numina celebrantes. In Heb. & apud LXX. eſt *ad iracundiam provocaverunt*. Conveniunt hæc Chriſto, quem Iudæi blaſphemaverunt, vini potatorem, in nomine Beelzebub dæmonia eiicientem, &c. SANCTUM ISRAEL, Deum Iſrael. ABALIENATI SUNT RETRORSUM: a veri Dei cultu recedentes.

V. 5. SUPER QUO: quorſum, ad quid, cum ſitis in malo obſtinati? Vel, ſuper quo membro, cum iam nullus novæ plagæ locus pateat? Vel quo genere plagæ?

V. 6. OMNE CAPUT LANGUIDUM, &c. Allegoria corporalis ægritudinis perditum ſtatum Iudæorum, & peccatorum morbo corruptum deſcribit. CAPUT LANGUIDUM, ægrotum, male habens. Videtur capitis nomine Principes populi ſignificare. COR MOERENS. Ut caput Principes, ita cor Sacerdotes ſignificare videtur. *Mœrens* idem eſt quod *infirmum*, ut ex Hebræo vertit Pagninus. A PLANTA PEDIS, &c. In toto corpore politico non eſt ſanitas. PLAGA TUMENS; ob ſaniem ſcilicet & pus: plaga ſanioſa, purulenta, & putrida. NON EST CIRCUMLIGATA, &c. quaſi dicat, Nullus fuit, qui plagam hanc veſtram curaret. FOTA OLEO: affuſo oleo mollita, & lenita.

V. 7. TERRA VESTRA DESERTA. Hactenus de Iudæorum peccatis, nunc de eorumdem punitione verba facit. Senſus eſt: terra veſtra deſeretur, ſcilicet tempore captivitatis Babylonicæ, de hac enim eſt ſermo. ALIENI: exteræ, & barbaræ nationes devorabunt: vaſtabunt vobis ſpectantibus, gementibus, & prohibere non valentibus.

V. 8. FILIA SION: Ieruſalem. SICUT UMBRACULUM IN VINEA. Sicut tabernaculum, ſive teges, in quo ante vindemiam vineæ cuſtos degebat, ut uvas, & fructus a furibus, & beſtiis tutaretur, quod collectis uvis diſiicitur, & diſſipatur. IN CUCUMERARIO: in horto, in quo cucumeres, pepones, cucurbitæ proveniunt, qui, ut vineæ, cuſtodes habent ad tempus. SICUT CIVITAS QUAE VASTATUR: *Sicut civitas deſolata*, ut vertit Pagninus.

V. 9. RELIQUISSET NOBIS SEMEN: paucas aliquas reliquias, gentis noſtræ ſemen. QUASI SODOMA, &c. id eſt, funditus interiiſſemus.

V. 10. PRINCIPES SODOMORUM. Ita vocantur Iudæi, quia peccata Sodomorum, & eorum cauſæ fuerunt *ſuperbia*, *ſaturitas panis*, *& abundantia*, *& otium ipſius*, *& filiarum eius*, *& quod manum egeno non porrigebant*, ut ait Ezech. cap. XVI. 49. ſed etiam quia nefando vitio Sodomiæ fuerunt obnoxii, ut patet capite ſequenti cum dicitur: *Pueris alienis adhæſerunt*. num. 6. & quia in ſuis ſceleribus fuerunt effrontes, & impudentes æque ac Sodomitæ, hoc enim eſt quod dicitur cap. III. num. 9. *Peccatum ſuum quaſi Sodoma prædicaverunt, nec abſconderunt.* LEGEM DEI NOSTRI, id eſt quæ ſit voluntas Dei, quam ego vobis prædico; תורה *thora*, non ſolum legem, ſed in genere conſtitutionem, inſtitutionem, ſeu doctrinam notat, qua docemur de voluntate Dei erga nos.

V. 11. PLENUS SUM, id eſt ſatur; quaſi dicat, Nauſeam mihi pariunt, quia impuro corde, & peccatis pleno ea offertis; & quia in externis ſacrificiis omnem ſanctitatem ponitis, internam, quæ vera eſt, & neceſſaria negligentes. NOLUI; pro *nolo*; quaſi dicat, Non mihi placent.

V. 12. CUM VENIRETIS, &c. Sententia eſt: Quis exſpectavit, aut poſtulavit hæc a vobis, cum veniretis ante conſpectum meum in templum? LXX. habent: *neque veniatis ut appareatis mihi?* UT AMBULARETIS IN ATRIIS MEIS; id eſt, quis quæſivit ut in atriis meis ambularetis, & ea frequentaretis?

V. 13. INCENSUM, id eſt victimæ mihi incenſæ, & crematæ; poteſt tamen etiam accipi pro thymiamate, quod etiam incendebatur. NEOMENIAM: novilunium ſive Calendæ, hoc eſt prima dies cuiuſque menſis, quæ celebris & feſta erat ſacrificiis, & clangore tubarum. Vide Num. XXVIII. 11. NON FERAM: ferre non poſſum. INIQUI, &c. quia ſcilicet cœtus veſtri iniqui ſunt, cum ſint hominum impiorum, & in peccatis obſtinatorum; &

quia convenitis non tam ad ſacrificandum, quam ad potandum, & luxuriandum.

V. 14. CALENDAS: neomenias. ODIVIT ANIMA MEA: odivi ego. LABORAVI SUSTINENS: cum tædio, & moleſtia ſuſtineo; deleſſus ſum ferendo.

V. 15. CUM EXTENDERETIS MANUS; orantes me. SANGUINE: ſanguinis effuſione, & ſceleribus, quæ ſanguinis nomine ſignificantur in Scriptura.

V. 16. MALUM COGITATIONUM VESTRARUM: mala veſtra conſilia, & inſtituta. In Hebræo eſt, *Malum operum veſtrorum*. QUIESCITE: deſinite.

V. 17. IUDICIUM. Diſquirite utrius litigantis cauſa iuſta ſit, & nolite ob munera, favores, aut metus iniuſtam ferre ſententiam. IUDICATE PUPILLO: pupillum iniuſte oppreſſum defendite, & pro illo ſententiam pronuntiate.

V. 18. ET VENITE, ET ARGUITE ME; quaſi dicat: Si hæc feceritis, arguite me infidelitatis, & inconſtantiæ, niſi vos in gratiam recepero, & niſi præſtitero id quod ſequitur. SI FUERINT PECCATA VESTRA UT COCCINUM, &c ſi fuerint peccata veſtra in modum coccini ſanguinea, multa, & gravia, plane diluentur. Dixi num. 15. ſanguinis nomine peccata ſignificari. Huic ergo inſiſtens allegoriæ ait, ſi ſanguine, hoc eſt peccatis plane fueritis imbuti, & tincti, ita ut omni ex parte coccinei ſitis, &c. COCCINUM: dicitur a cocco. Eſt autem coccus, de quo hic, granum tinctorium. Vide Plin. Lib. IX. capite XLI. & Dioſcorid. Lib. IV. cap. XLIII. In hoc grano naſcitur vermiculus, quo ad tingendum infectores utuntur. Color hic vulgo dicitur *Grana*, ſcilicet a granis illis. Eſt autem coccus vox Græca, κόκκος, quæ granum ſignificat. QUASI VERMICULUS, eſt repetitio eiuſdem ſententiæ.

V. 19. SI VOLUERITIS ME: ſi meam elegeritis ſervitutem, & me ſancte colueritis. BONA TERRAE: fructus terræ Chanaam.

V. 20. GLADIUS, &c. exterarum gentium Babyloniorum, & poſtea Romanorum, ut inquit D. Hieronymus, abſumet vos. QUIA OS DOMINI LOCUTUM EST. LXX. *os enim Domini locutum eſt hæc*.

V. 21. QUOMODO: nota eſt admirantis, & cum admiratione deplorantis. FACTA EST MERETRIX: ad idola, quaſi ad adulteros, indeque & fraudes, & iniuſtitias deflectendo. CIVITAS FIDELIS: Ieruſalem, quæ antea fidelis Deo, & quaſi marito fidem ſancte ſervabat. PLENA IUDICII: quæ iuſtos, & pios iudices habuit, & iuſta tribunalia. NUNC AUTEM HOMICIDAE; ſcilicet facti ſunt, qui iuſtitiæ cuſtodes eſſe debuiſſent.

V. 22. ARGENTUM TUUM, &c. argenti, & ſcoriæ allegoria ſignificat magnam morum mutationem in deterius factam, multiplicesque in Rempublicam corruptelas invectas. IN SCORIAM. Scoria eſt excrementum & fæx argenti. VINUM MIXTUM AQUA: iuſtitia, & probati mores magna ex parte corrupti, & depravati. Nulla eſt in re ſincera virtus.

V. 23 INFIDELES. Heb. *contumaces*, Chald. *rebelles*, LXX. *inobedientes*. Sententia eſt: Sunt immorigeri, contumaces, qui nulla diſciplina regi volunt, ſed pro libidine cuncta agunt. SOCII FURUM, quia ut ſequitur, OMNES DILIGUNT MUNERA. RETRIBUTIONES. Vel intelligit munera ſimpliciter, vel ſignificat viciſſitudinem, nam magiſtratu impunitatem tribuente, facinoroſi homines dona viciſſim retribuunt. NON INGREDITUR AD ILLOS: quia a pauperculis viduis nihil ſperant, ideoque eas non audiunt, aut pro illis non iudicant, cum iniuſte vexantur.

V. 24. HEU, id eſt *væ*, ut eamdem particulam Hebraicam הוי *hoi* ſupra vertit Interpres num. 4. Bene tamen etiam vertitur *Heu*, ſimulque ſignificatur Deum quodammodo invitum peccata noſtra punire. CONSOLABOR: ſcilicet ſumpta vindicta; ſic enim iuſtitiæ meæ lætæ ſatisfaciam.

V. 25. EXCOQUAM AD PURUM, &c. purgabo te camino tribulationis, & tamquam metallum purgabo. Quid ſit ſcoria dixi n. 22. AUFERAM OMNE STANNUM TUUM; ita ut purum remaneat argentum. Verba ſunt hæc Dei irati peccatis, ſed propitii peccatoribus.

V. 26. UT FUERUNT PRIUS: ut nimirum ſancti ſint, & integri, & iuſtitiæ cultores eximii, quales fuerunt Moſes, Ioſue, &c. Impleta eſt hæc prophetia, cum poſt captivitatem Babylonicam dedit

Deus

Deus populo Eſdram, Nehemiam, Machabæos, & huiuſmodi, & poſt captivitatem Romanam Apoſtolos, &c. CIVITAS IUSTI; ſcilicet Chriſti, cum ſcilicet is naſcetur, docebit, & ſanctificabit te. In Hebræo eſt, *Civitas iuſtitiæ*. URBS FIDELIS; ſcilicet Deo, in eius unius fide, cultu, & obedientia perſiſtens.

V. 27 IN IUDICIO REDIMETUR; id eſt, Iſrael per Cyrum liberabitur e Babylone poſt iuſtam ſatisfactionem; ſcilicet pœnam ſeptuaginta annorum captivitatis toleratam: illa enim hic vocatur *iuſtitium*, quia Dei iuſto iudicio eis fuit inflicta. Plenius, & verius hoc factum eſt per Chriſtum, qui *in iudicio*, id eſt ex rigida iuſtitia ſatisfecit, & redemit Sion, id eſt Eccleſiam Iudæorum, & gentium, quæ cœpit in Sion, & Ieruſalem. REDUCENT EAM, &c. captivitatem reducent in Ieruſalem, & regent eam in iuſtitia.

V. 28. CONTERET, Dominus. CONSUMENTUR: paupertate, & ærumnis captivitatis in Babylone.

V. 29. CONFUNDENTUR AB IDOLIS: pudefient ob idola, quæ coluerunt, nec potuerunt ab illis liberari. SUPER HORTIS: hortos, & lucos intelligit, in quibus colebant idola, & præſertim obſcœnum Beelphegor, ſive Priapum. Vide II. Paralipomen. cap. XV. 16. ELEGERATIS, ſcilicet ad colenda idola, vel deorum ſuperſtitionem admiſeratis.

V. 30. VELUT QUERCUS, &c. quæ quondam florens, iam in hieme, aut ſenio defrondeſcens, marceſcit, areſcit, & emoritur. HORTUS ABSQUE AQUA: qui ſine humore aret, & ſqualidus eſt.

V. 31. FORTITUDO VESTRA: fortitudinem Iudæorum vocat eorum urbes, muros, arma, arces, & præcipue idola, in quibus ſpem habebant. OPUS VESTRUM, ornatum intelligit, pompam, & cultum, quem exhibebant idolis, opes item, & florentem ſtatum, quem malis artibus vobis paraſtis. QUASI SCINTILLA; quæ ſtatim extincta evaneſcit.

T I R I N I.

Verſ. 1, VISIO, ſeu res viſa *a*, QUAM VIDIT non oculo corporis, ſed mentis & intellectus; Chaldaice, *prophetia quam prophetavit*: Prophetis enim ita mens illuminabatur a Deo, ut res etiam remotiſſimas, ſeu loco, ſeu tempore, quaſi præſentes & coram ſe poſitas cernerent. Unde prophetia illorum vocatur *viſio*, & Prophetæ *videntes b*. ISAIAE FILII AMOS, non illius Prophetæ, qui tertius eſt inter minores, & prorſus aliis litteris ſcribitur, ſed alterius e regio ſanguine, quem Hebræi tradunt fuiſſe fratrem Amaliæ regis Iuda. IN DIEBUS OZIAE: ab anno ut minimum XXV. regni ipſius, uſque ad initia regni Manaſſe id eſt per integros XC. annos, ut patet ex Chronico cap. XXX.

V. 2. AUDITE CAELI, id eſt angeli incolæ cæli, inquit S. Baſilius, Hieronymus, Auguſtinus. Sed melius Cyrillus & Rupertus proprie id capiunt de cælis & terra materialibus, ut ſit proſopopœia: ut in ſimili dixi Pſal. XLIX. 4.

V. 3. Bos brutum & ſtolidum animal COGNOVIT, id eſt agnoſcere ſolet, dominum POSSESSOREM SUUM, eique ſe blandum & gratum & obſequentem exhibere, arando, triturando, currum trahendo. Et ſimili modo, ASINUS agnoſcit PRAESEPE DOMINI SUI. Hypallage, id eſt dominum *c* præſepis ſui: nempe ſervit, & paret aſinus domino ſuo ad nutum. Hunc locum litteraliter de omnibus bobus & aſinis loquentem, uti docent Baſilius, Hieronymus, Cyrillus & Thomas Anglicus; accommodatitio ſenſu S. Aug. Ambroſ. Origenes & alii a Leone Caſtrio contra Calvinum citati applicant bovi & aſino qui Chriſto recens nato in præſepi Bethlehemitico aſtiterunt, eumdemque naturali atque ordinaria obedientia, forſan & extraordinaria, ſeu miraculoſa aliqua reverentia (ut vult S. Bonaventura) agnoverunt & adorarunt. Si enim agnus S. Franciſci flexit genua ad S. Euchariſtiam, ſi apes eamdem non ſemel tutatæ ſunt, ſi aliæ feræ S. Anton. Paul. Hilarionem, Kilianum & alios non paucos coluerunt, quidni potuerint bos & aſinus præſentem dominum ſuum Chriſtum peculiari aliquo ſervitio honoraſſe *d*?

V. 5. & 6. SUPER QUO, ſupple membro, ſeu qua parte corporis: ita S. Hieronymus & Nazianzenus *e*. Vel, ut LXX. & Vatablus, *ſuper quo*, id eſt ad quid? quorſum? Vel denique, ut Cyrillus & Hieronymus, qua plaga, quo flagello PER-

CUTIAM

Digitized by Google

CUTIAM vos? quaſi dicat: Afflixi vos fame, peſte, bello, ſervitute, & mille aliis plagis; ſed fruſtra, cum nulla afflictione facti ſitis meliores. Quid reſtat, niſi ut vos abiiciam? Sic Ezech. XVI. 42. *Auferetur zelus meus a te, nec iraſcar tibi amplius*. Quæ Dei abiectio eſt plaga omnium graviſſima. OMNE, id eſt totum, CAPUT LANGUIDUM eſt, totumque COR MOERENS. Sub his primariis membris ſubintellige cetera omnia membra corporis politici, id eſt Synagogæ, de qua hic ſermo eſt, non de Chriſto, licet huic flagris undique laniato concionatores id accommodent. Unde & Chaldæus vertit: *a populo uſque ad principes omnes ſunt contumaces & rebelles*. Loquitur enim Iſaia de morbis & vulneribus ſpiritualibus potius, quam corporalibus. Suſpicatur Sanchez per *caput languidum* notari Oziam regem arrogantia & lepra infamem. Sicut per *cor* ſacerdotes, per *pedes* populus deſignatur. Ubique PLAGA TUMENS pure & ſanie; Hebraice, *plaga ſanioſa*, purulenta, inquit Pagninus.

V. 7. TERRA VESTRA DESERTA, id eſt deſeretur, nempe per deſolationem quam invehent Chaldæi, inquit S. Baſilius. Item quam Romani, ut Cyrillus, Hieronymus, & alii, qui hæc omnia exponunt quaſi dicta Iudæis tempore Chriſti.

V. 8. FILIA SION; id eſt, Ieruſalem, quæ ſubiecta monti Sion, ex eo quaſi filia ex parente deſcendere & naſci videbatur: DERELINQUETUR, id eſt deſerta relinquetur UT UMBRACULUM IN VINEA; id eſt, ſicut perfecta vindemia deſeri ſolet & everti *umbraculum*, ſeu teges, in quo cuſtos vineæ degebat tempore vindemiæ, ut uvas & alios fructus a furibus & beſtiis tutaretur. Et ſuccendetur igne Ieroſolyma, ſicut collectis ex agro fructibus ſuccendi ſolent *tuguria* cuſtodum IN CUCUMERARIO, id eſt in loco ubi creſcunt *cucumeres*: ſub quibus intellige etiam citrulos, pepones, melones, cucurbitas, & alios refrigerantes fructus, quorum in Palæſtina, regione admodum calida, maximi ſunt proventus. Pro *tugurio* LXX. hic & alibi vertunt ὀπωροφυλάκιον, id eſt *pomorum cuſtodiam*; Tertullianus & Cyprianus, *cuſtodiarum*.

V. 9. NISI DOMINUS EXERCITUUM RELIQUISSET NOBIS SEMEN; id eſt, ex illa univerſali per Nabuchodonoſorem vel Veſpaſianum hoſtili vaſtatione pauculos conſervaſſet ſuperſtites, quaſi reliquias & ſemen gentis Iudaicæ, omnes Iudæi ſtirpitus exciſi fuiſſent, & funditus deleti, ut Sodoma & Gomorrha: & has gentes ut in culpis ſecuti eramus, ſic & in pœnis ſecuti fuiſſemus. Unde mox vocat Iudæos *populum Gomorrhæ*, & principes Iudæorum.

V. 10. PRINCIPES SODOMORUM. Primo, ut dixi, propter ſimilitudinem ſcelerum, Ezech. XVI. 49. & Iſaiæ II. 6. & III. 9. Deinde, quia ſicut in Sodomis pauci inventi ſunt iuſti, puta Lot cum ſuis, ita & in Iudæa, tum tempore Iſaiæ, tum tempore Chriſti: ita Cyrillus. Tertio, quia *Sedon*, vel *Sodoma* Hebraice, inquit Baſilius, ſignificat *declinationem*; *Gomorrha*, *rebellionem*: quæ in Iudæos optime quadrabant.

V. 11. QUO MIHI, ſeu quorſum offertis mihi tam crebras victimas? nam licet in ſe bonæ ſint, & a me inſtitutæ, immo præceptæ, tamen ut a vobis offeruntur, mihi diſplicent. Primo, quia impuro *f* corde illas offertis. Secundo, quia neglecta vera ſanctitate interna, ſanctitatem omnem in illis externis ſacrificiis *g* ponitis. Tertio, hæc legalia ſacrificia non niſi umbra ſunt & typi ſacrificii veri Euchariſtici: unde & per Chriſtum abolita ſunt & mortifera reddita: ita S. Cyprianus *b*, Cyrillus, Baſilius, Procopius, Dionyſius & Leo Caſtrius. PLENUS, Hebraice, *ſatur* SUM talibus victimis: nauſeam mihi movent.

V. 15. MANUS ENIM VESTRAE SANGUINE, id eſt ſanguinis effuſione, ſeu homicidiis & iniuriis in proximum, PLENAE SUNT. Secundo, *ſanguine*, id eſt ſceleribus, quorum ſymbolum eſt ſanguis, res Iudæis maxime exoſa & deteſtabilis, tum propter legis inhibitionem, qua vetabantur edere ſanguinem, Levit. VII. 27. tum propter fœditatem menſtrui ſanguinis, quo nihil immundius, Levit. XV. 25. Tertullianus, Cyprianus & Leo Caſtrius hæc exprobrant Iudæis Chriſtum ad mortem depoſcentibus & clamantibus: *Sanguis eius ſuper nos, & ſuper filios noſtros*.

V. 18. SI FUERINT PECCATA VESTRA UT COCCINUM, id eſt in modum coccini rubra & ſanguinea, ſeu valde enormia

& hor-

Digitized by Google

& horrenda; quaſi dicat: Si veſtris ſceleribus primam innocentiæ ſtolam, quaſi rubeis cruoris maculis fœdaveritis, pœnitentiam agite, & mox velut nix & lana candeſcetis: ita S. Chryſoſt. De *cocco* & *vermiculo* alibi dixi *i*: hic locus pro ſtabiliendo adverſus hæreticos libero arbitrio, & neceſſitate bonorum operum, inquit S. Hieronymus & Baſilius.

V. 22. ARGENTUM TUUM VERSUM EST IN SCORIAM; id eſt, doctrina Scribarum & Sacerdotum tuorum, admixtione pravarum traditionum & ſceleratarum legum, & impiarum ſuperſtitionum degeneravit in fæces & ſordes: ita S. Baſilius, Hieronymus, Cyrillus: qui tamen per *argentum*, ut & per VINUM, putant ipſos quoque Scribas & Sacerdotes intelligi poſſe. De quibus

V. 25. EXCOQUAM AD PURUM SCORIAM TUAM, id eſt inſtar argentarii, impuram hanc argenti maſſam igne Babylonico & Romano tamdiu liquabo & excoquam, donec purum argentum a *ſtanno* & *ſcoria* ſecernatur. Simile Ierem. VI. in fine.

V. 27. SION IN IUDICIO REDIMETUR; id eſt, Iudæi poſt iuſtam ſatisfactionem liberabuntur e carcere Babylonico per Cyrum; nempe poſt expletos 70. annos ſervitutis, captivitatis & miſeriarum, quæ iuſta Dei ſententia ipſis decretæ fuerunt in pœnam. Allegorice, Eccleſia per Chriſtum ex rigida iuſtitia redimetur a ſervitute peccati & dæmonis, inquit Hieronymus, Rupertus & paſſim Patres. Anagogice, perfectiſſime in reſurrectione redimemur ab omni malo.

V. 29. CONFUNDENTUR AB IDOLIS; id eſt, ob idola quæ coluerunt, & in quibus ſperaverunt, nec tamen ab illis iuvari potuerunt. Loquitur de Iudæis qui vixerunt non tempore Chriſti, (quia nulli tum Iudæi colebant idola) ſed tempore Iſaiæ: & rurſus qui vivent tempore Antichriſti. ET SUPER HORTIS QUOS ELEGERATIS: ſubaudi *& lucis & nemoribus*, in quibus laſcive & impudice colebatis idola veſtra *k*, Beel-Phegor *l*, Priapum & alios obſcœnos deos.

V. 31. FORTITUDO VESTRA, id eſt urbes, mœnia, arces, arma veſtra, quæ putatis invicta eſſe; ſimiliter ET OPUS VESTRUM, nempe palatia, fundi, opes, quas vobis fingitis æternas fore; erunt UT FAVILLA STUPPAE ET SCINTILLA: quia igni Babylonico, Romano & Antichriſtiano (quando ipſe cum ſuis igne cæleſti abſumetur) omnia in cineres redigam.

(a) In Proleg. de Idiotiſm. Heb. n. 46.
(b) I. Reg. IX. 18. Parens Iſaiæ ſcribitur אָמֹץ non, עמוס
(c) In prolegom ſup. num. 42.
(d) Baron. ad annum Chriſti 689.
(e) Nazianz. orat. de plaga grandinis.
(f) Prov. XV. verſ. 8.
(g) Ierem. VII. verſ. 4.
(h) Cyprian. l. 1. contra Iudæos cap. XVI.
(i) Exodi. XXV. verſ. 4.
(k) Num. XXV. verſ. 3.
(l) III. Reg. XV. 18.

GORDONI.

Verſ. I. VISIO ISAIAE, &c. Habet hic verſiculus genus Iſaiæ, & conſignationem temporis quo prophetavit ſub quatuor his regibus. Ceterum Amos iſte, frater fuit Amaſiæ regis Iuda: ex IV. Reg. XIV. I. diverſus ab illo qui eſt tertius inter minores Prophetas. Noſter hic Amos nobilis eſt, alter ignobilis; & Hebraice varie ſcribuntur: pater Iſaiæ eſt, אמוץ, *amots*; alter eſt, עמוס *hhamos*. *Viſio*. Onus, & Prophetia, apud Prophetas non raro pro eodem ſumuntur. Viſionis etiam nomen certitudinem deſignat: intellige autem viſionem, viſum, ſeu rem viſam. Reſtat illud, SUPER: aliqui interpretantur *contra*, *τὸ* על, nempe contra Iudam & Ieruſalem, ac etiam Beniamin: recte tamen eſt ſupra; nam & bona & mala prophetat.

V. 2. AUDITE CAELI, &c. Attentionem captat invocatione vel angelorum & hominum; vel modus eſt loquendi & compellandi res inſenſibiles ut teſtes, ſi populus ad quem mittitur, non vult audire.

V. 3 & 4. COGNOVIT BOS. Pleraque hic occurrunt in ſenſu litterali facilia, ac proinde pro ratione inſtituti, mihi moram non iniiciunt. Hoc de bove & aſino, commode ſub alio ſenſu trahit Aug. ad Præſepe Chriſti; licet impio Calvino hoc non arrideat. Interim Iſaias tribus his verſibus 2. 3. & 4. oſtendit triplicem concionatoris dicendi characterem, & tonum: quod ſequitur, BLASPHEMAVERUNT SANCTUM ISRAEL; intellige Deum, qui eſt ſanctus in Iſrael.

V. 6.

Digitized by Google

V. 6. uſque ad verſ. 9. Super quo percutiam, &c. Expoſtulatio gravis & eloquens eſt adverſus peccatis infamem populum. At quomodo verſ 7 terra deſerta vocatur, regnantibus regibus ſupra hic memoratis? R. Poſſe referri, vel hiſtorice ad præterita, vel etiam prophetice ad futura (quæ vident Prophetæ ſæpe ut iam facta) nam, priusquam hæc diceret Iſaias, gravia damna perpeſſa eſt Iudæa ab hoſtibus, ut omnes ſciunt; continuo fere a morte Salomonis; tum poſt hoc Iſaiæ vaticinium ſub Chaldæis, Aſſyriis, & Romanis.

V. 9. Nisi Dominus exercituum (צבאות *tſabaoth*) reliquis et nobis semen In Heb. שריד *ſarid*, *reliquum aliquid*, quaſi ſemen gentis. Sanchez per hoc ſemen intelligit inſequentes cum Iſaia, & poſt eum Prophetas; verus tamen ſenſus litteralis quem intendit maxime Iſaias, ſunt reſidui illi poſt captivitatem Babylonicam, & poſt excidium urbis ſub Tito, quando multi ex Iudæis evaſerunt Chriſtiani.

V. 11. Quo mihi multitudinem victimarum; hoc eſt, quorſum eas offertis? diſplicent, reiicio, quia impuro corde offeruntur: vana confidentia veſtra eſt ſic expiari peccata: vide Hoſeæ vi. *6.*

V. 13. Incensum abominatio est mihi. Incenſum, hoc eſt victimæ veſtræ incenſæ & crematæ. Simile additur de Neomeniis, &c. incenſum etiam accipi poteſt pro thymiamate quod offerri ſolebat. Ineptus eſt quidam ex noſtri ſæculi Novatoribus (Muſculus hic eſt) qui refert hæc verba contra Thurificationes in Miſſa. Iudæos alloquitur Propheta, & hos ut peccatores: nec vidit iſte Novator, Apoc. viii. 4. ubi probantur Thuribula.

V. 15. Manus plenae sanguine. Cyprianus hoc retulit ad Iudæos crucifigentes Chriſtum; tamen apud Prophetas ſymbolum peccati eſt ſanguis: ergo plenæ ſanguine, hoc eſt ſceleribus.

V. 16. uſque ad 24. Lavamini, mundi estote. His verſibus invitantur Iudæi ad meliorem vitam: declarantur eorum peccata, & promittitur venia pœnitentibus. Notet hic Calviniſta ex verſ. 17. ad reconciliationem cum Deo non requiri ſolam fidem, ſed etiam multa opera bona hic recenſita, quibus diſponimur: & (verſ. 18.) niſi tunc recepero vos, arguite me infidelitatis: quamvis eſſent peccata veſtra ut coccinum, hoc eſt ſanguinea, enormia; de cocco & coccino vide quæ dixi Exodi xxv. verſ. 8. & 9. Notent porro Novatores, dum verſ. 19. Deus dat optionem boni & mali, male immo impie negari ab illis liberum arbitrium. At, inquit Calvinus, hac optione data ſponte operatur homo. Verum, non eſt hoc libere agere: nam etiam ſponte aſinus captat pabulum.

Demum ex verſ. 22. optimi Iudæorum (iuſtitia & pietas) verſa ſunt in aquam, ſcoriam & fæces, ſpumam, impietatem & vitæ impuritatem. Illud vero verſ. 23. infideles, apud Septuag. *inobedientes*, ſcilicet Deo, cui principes fidem non ſervant. Heb. סוררים *ſorerim*: rad. סור *ſur*, *declinavit*, *rebellis fuit*: in Hebræo eſt paronomaſia. סוררים & שרים *ſarim & ſorerim*, *principes*, *rebelles*.

V. 24. & deinceps. Propter hoc ait Dominus. Poſt reprehenſa peccata, reliquo hoc capite læta prophetat, & pollicetur. Senſim accedens ad Chriſtum, consolabor super hostibus: nempe ſumpta vindicta de illis: הוי אנחם *hoi ennachem heu conſolabor*; dolentis interiectio eſt. Deus enim velut invitus punit hoſtes & peccatores, ac tamquam dolens; quamvis iterum ex actu illo iuſtitiæ ſit conſolatio: loquitur Deus hic more humano. Ceterum excoquere ad purum ſcoriam populum, eſt purgare velut in conflatorio, & auferre peccatores, quos deſignat per ſcoriam & ſtannum, ut ſic reſtet purum argentum. Hic ignis conflatorii ſunt Chaldæi & Romani.

V. 26. Hos reſtituendos iudices, Interpretes cum Hieronym. deſignant Eſdram & ſubſequentes uſque ad Chriſtum. Civitas vero iuſti, hoc eſt iuſtitiæ, ſub ducibus poſt reditum a captivitate, vel iuſti, hoc eſt Chriſti, præſertim poſt adventum Spiritus Sancti, in Apoſtolis & eorum ſucceſſoribus.

V. 27. Sion in iudicio redimetur. Prophetia eſt de reditu a captivitate ſub Cyro poſt 70. annos: in iudicio, hoc eſt poſt iudicium, ſeu poſtquam punita fuerit Sion, quæ reducetur in iuſtitia redeuntium ſub Eſdra, & Nehemia: ſubduntur ad finem capitis damna futura ante captivitatem, & ſub ea.

Ex

Ex Eiusdem Auctario.

Verſ. 10. Principes Sodomorum. Sic compellat Iudæos ob ſimilia eorum peccata.
Verſ. 14. Calendas, Neomenias.
Verſ. 21. Meretrix. Civitas olim fidelis, nunc verſa ad idola & iniuſtitias. Plena iudicii: olim cuſtos iuſtitiæ, nunc iniuſta.
Verſ. 29. Hortis. In hortis & lucis colebant idola.
Verſ. 30. Velut quercus, dum colebat in idolo.
Verſ. 31. Et erit. Quidquid habebatis pro fortitudine & ornatu idolorum, erit inane & favilla.

PROPHETARUM NOMINA ET TEMPUS QUO FLORUERUNT.

Prophetare cœperunt

	Anni Mundi	Reges Iuda	Gentium Principes	Roma	Olympiades.
Iſaias	3220	Oziæ anno 49	Phul Babyl.	o	o
Ieremias	3352	Ioſiæ anno 13	Nabopolaſſari an. 7	101	32 1
Ezechiel	3386	Sedeciæ 5	Nabuchodonoſori an. 13	135	40 2
Daniel	3374	Ioachimi an. 4	Nabuchodonoſori 1	123	37 3
Hoſeas	3170	Oziæ anno 1	Sardanapali an. 18	o	o
Ioel	3195	Oziæ anno 25	Phul Belochus Babyl.	o	o
Amos	3195	Oziæ 25	Phul	o	o
Abdias	3227	Ioathan an. 5	Phul 46	o	o
Ionas	3155	Ieroboan ſecundi an. 1	Sardanapali anno 2	o	o
Micheas	3227	Ioathan anno 5	Phul 46	o	Olimpiadum initium
Nahum	3261	Ezechiæ an. 8	Salmanaſſari anno 7	10	9 2
Habacuc	3285	Manaſſ. an. 3	Merodach anno 34	34	15 2
Sophonias	3341	Ioſiæ anno 2	Ben Merodach an. 17	90	29 2
Aggeus	3484	o	Darii an. 2	233	65 1
Zacharias	3484	o	Darii an. 2	233	65 1
Malachias	3492	o	Darii an. 10	241	67 1

Digitized by Google

CAPUT II.

Ad montem domus Domini fluent omnes gentes, & de Sion exibit lex, nec ultra bello moleſtabitur: domus vero Iacob ob idololatriam, avaritiam & reliqua ſcelera abiicietur: ſuperbi humiliabuntur, & ſolus Dominus exaltabitur.

1. VErbum (*a*), quod vidit Iſaias, filius Amos, ſuper Iuda &
Ieruſalem. 2 Et erit in noviſſimis diebus præparatus mons
domus Domini in vertice montium, & elevabitur ſuper
colles, & fluent ad eum omnes gentes. 3. Et ibunt po-
puli multi, & dicent: Venite & aſcendamus ad montem
Domini, & ad domum Dei Iacob, & docebit nos vias
ſuas, & ambulabimus in ſemitis eius: quia de Sion exibit
lex, & verbum Domini de Ieruſalem. 4. Et iudicabit Gentes, & arguet po-
pulos multos: & conflabunt gladios ſuos in vomeres, & lanceas ſuas in falces:
non levabit gens contra gentem gladium, nec exercebuntur ultra ad prælium.
5. Domus Iacob venite, & ambulemus in lumine Domini. 6. Proieciſti enim
populum tuum, domum Iacob: quia repleti ſunt ut olim, & augures habue-
runt ut Philiſthiim, & pueris alienis adhæſerunt. 7. Repleta eſt terra argento,
& auro: & non eſt finis theſaurorum eius: 8. & repleta eſt terra eius equis:
& innumerabiles quadrigæ eius. Et repleta eſt terra eius idolis: opus manuum
ſuarum adoraverunt, quod fecerunt digiti eorum. 9. Et incurvavit ſe homo,
& humiliatus eſt vir: ne ergo dimittas eis. 10. Ingredere in petram, & abſ-
condere in foſſa humo a facie timoris Domini, & a gloria maieſtatis eius. 11.
Oculi ſublimes hominis humiliati ſunt, & incurvabitur altitudo virorum: exal-
tabitur autem Dominus ſolus in die illa. 12. Quia dies Domini exercituum
ſuper omnem ſuperbum, & excelſum, & ſuper omnem arrogantem: & humi-
liabitur. 13. Et ſuper omnes cedros Libani ſublimes, & erectas, & ſuper omnes quercus
Baſan. 14. Et ſuper omnes montes excelſos, & ſuper omnes colles elevatos:
15. Et ſuper omnem turrim excelſam, & ſuper omnem murum munitum, 16.
& ſuper omnes naves Tharſis, & ſuper omne quod viſu pulchrum eſt. 17.
Et incurvabitur ſublimitas hominum, & humiliabitur altitudo virorum, &
elevabitur Dominus ſolus in die illa: 18. & idola penitus conterentur: 19. (*b*)
& introibunt in ſpeluncas petrarum, & in voragines terræ, a facie formidinis
Domini, & a gloria maieſtatis eius, cum ſurrexerit percutere terram. 20. In
die illa proiiciet homo idola argenti ſui, & ſimulacra auri ſui, quæ fecerat
ſibi ut adoraret, talpas & veſpertiliones. 21. Et ingredietur ſciſſuras petrarum,
& in cavernas ſaxorum, a facie formidinis Domini, & a gloria maieſtatis eius,
cum ſurrexerit percutere terram. 22. Quieſcite ergo ab homine, cuius ſpiritus
in naribus eius eſt, quia excelſus reputatus eſt ipſe.

(a) Mich. iv. 1. (b) Oſee x. 8. Luc. xxiii. 30. Apoc. ix. 27.

COM-

COMMENTARIA

MALDONATI.

Verſ. 1. VERBUM; id eſt, divina ſententia, quam Iſaias per viſum accepit de Iuda & Ieruſalem: aut contra, ut ſup. cap. I. 1.

V. 2. ET ERIT IN NOVISSIMIS DIEBUS, id eſt ſupremis temporibus, *cum venerit plenitudo temporum*: Gal. IV. 4. Vaticinatur Propheta de vera reſtauratione Ieruſalem, quæ per Chriſtum facta eſt, fundata Eccleſia Catholica, quam vocat montem domus Domini; id eſt, in quo templum Dei ædificatum eſt, ſicut antiquum templum erat in monte Sion, dicitque futurum eſſe præparatum, id eſt poſitum in vertice montium, id eſt ſupra omnes montes, ita ut non poſſit abſcondi, *ſicut civitas ſupra montem poſita*: Matth. V. 14. Myſtice prædicit Eccleſiam Catholicam ſuperiorem futuram omnibus hæreticorum conventiculis. ET FLUENT AD EUM OMNES GENTES; id eſt, omnes ad Eccleſiam Catholicam ſeſe recipient. Indicat vocationem gentilium: verbum autem fluendi ſignificat ſponte omnes gentes ad Eccleſiam venturas, ſicut omnes aquæ fluunt in mare.

V. 3. ET IBUNT. Hebraiſmus, id eſt excitabuntur & dicent: VENITE, ASCENDAMUS AD MONTEM DOMINI, id eſt ad Eccleſiam Catholicam, ET DOCEBIT NOS VIAS SUAS: nullibi enim incorrupta doctrina eſt extra Eccleſiam. QUIA DE SION, id eſt de Eccleſia accipienda eſt lex credendi & vivendi, non ab hæreticis prurientibus auribus.

V. 4. ET IUDICABIT GENTES; id eſt, coarguet omnium gentium mores lex ſuo lumine, eaſque ad ſe trahet, reddetque ex feris mites, ita ut non ſint inter eas bella. ET CONFLABUNT GLADIOS SUOS IN VOMERES &c. id eſt, inſtrumenta bellica in inſtrumenta pacis: prædicit pacem, quæ in toto orbe fuit tempore Chriſti.

V. 5. DOMUS IACOB. Verba ſunt Gentilium aut Iudæorum fidelium invitantium ceteros Iudæos ad recipiendum Evangelium, quod lumen vocat, *Quia præceptum Domini lucidum illuminans oculos*: Pſal. XVIII. 9. Et Chriſtus: *Lux vera quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*: Ioan. I. 9.

V. 6. PROIECISTI. Propheta mutata perſona, & materia, alloquitur Deum. Debent autem hæc cum præcedentibus ita coniungi: Quamvis nunc propter eorum peccata illos abieceris, tamen veniet aliquando tempus, quo tempore ſumma pace fruentur. QUIA REPLETI SUNT UT OLIM. Heb. מקדם, *ab oriente*, aut *præ oriente*: intelligendum eſt ἀπὸ τοῦ κοινοῦ, *auguribus*; id eſt, didicerunt auguria ab orientalibus, id eſt Chaldæis, aut præ Chaldæis. ET AUGURES HABUERUNT. Heb. ועננים, *& augures* (ſunt) *ſicut Philiſthæi*. ET PUERIS. Heb. ובילדי נכרים, *& in filiis alienorum*. ישפיקו, *applauſerunt ſibi*, id eſt libris aut diſciplinis alienigenarum delectati ſunt. Scitum enim eſt, libros liberis eſſe ſimiles.

V. 7. REPLETA EST TERRA. Heb. ארצו, *terra eius*, id eſt Iacob, ARGENTO, &c. Aliqui ſic interpretantur: Quamvis repleta eſſet ante terra eorum argento, & auro, & equis, & theſauris; tamen grati Deo fuerunt, ut illam repleverint idolis. Alii putant ſignificari eos nimis eſſe confiſos in ſuis divitiis. Mihi ſenſus videtur in occulta comparatione conſiſtere; quaſi dicat, Tam repleta nunc eſt terra Iacob idolis, quam ante erat divitiis. Aut in tacita ætiologia: quia nimis divites erant, converterunt divitias ſuas in idola, ut Exod. XXXII. 7. *Sedit populus manducare & bibere, & ſurrexit ludere*; id eſt, *quia manducavit & bibit nimium, coluit vitulum*.

V. 9. ET INCURVAVIT SE HOMO, ET HUMILIATUS EST, ad adoranda idola. *Et non dimittes eis*; id eſt, quia idola coluerunt, non relinques impunitos. Alii, ſed coactius: *Incurvatus eſt homo, & humiliatus eſt* (a te) id eſt abiectus: *neque remiſiſti eos*, id eſt non reliquiſti impunitos. Prior ſenſus melior propter ſequentia.

V. 10. INGREDERE. Imperativus pro fut. id eſt, ingredientur in petram, & abſcondent ſe בעפר *in pulvere*, aut in terra, ſub terra, A FACIE TIMORIS DOMINI. Hebraiſmus, id eſt propter timorem Domini:

tanta erit Dei ira contra eos: alludit autem ab Babylonicam captivitatem. ET A GLORIA MAIESTATIS EIUS. Vocat gloriam maieſtatis Dei Chaldæorum potentiam, quos Deus ad puniendos Iudæos immiſit.

V. 11. OCULI SUBLIMES; id eſt, ſuperbia hominum tunc deprimetur, & ſolus Deus exaltabitur.

V. 12. QUIA DIES DOMINI, id eſt dies punitionis, Hebraiſmus, ut II. Cor. I. 14. & I. Theſſal. v. 2. & II. Pet. III. 10. *Et dies viſitationis*, I. Pet. II. 12. SUPER. Heb. על, *contra* OMNEM SUPERBUM ET EXCELSUM, id eſt elatum, *& contra* OMNEM ARROGANTEM. Heb. נשא, *exaltatum*: ET HUMILIABITUR, id eſt ut humilietur, aut ita ut humilietur.

V. 13. ET SUPER OMNES CEDROS, id eſt homines ſuperbos. ET SUPER OMNES QUERCUS BASAN. Heb. אלוני, alii vertunt *caſtaneas*: poſſumus idem intelligere atque per cedros, ut ſit repetitio: vel per cedros, viros; per quercus, feminas ſuperbas: Baſan autem regio eſt paſcua & arboribus conſita.

V. 14. ET SUPER OMNES MONTES EXCELSOS. Hoc verſu & ſequenti idem dicit aliis metaphoris.

V. 16. ET SUPER OMNES NAVES THARSIS, id eſt quibus in Tharſis inſulam in Oceano occidentali navigabant mercatores ad quærendum aurum, III. Reg. x. 22. Superbos onerariis navibus comparat propter magnitudinem & altitudinem, & quia ambitionis vento feruntur. ET SUPER OMNE, &c. Heb. על כל שכיות חמדה, *ſuper omnes picturas deſiderii*; id eſt, ut quidam interpretantur, ſuper naves bene inſtructas. Sic Sept. ἐπὶ πᾶσαν θέαν πλοίων κάλλους. Alii, *ſuper omnes res viſu pulchras.* Mihi verus ſenſus videtur, quem Chald. reddidit & R. Salom. *ſuper palatia pulchra*. Gallice, *Maiſons de plaiſance*. Tales enim ſunt ſuperbi, alti, bene ornati, & compti.

V. 17. ET INCURVABITUR, id eſt itaque humiliabitur, deiicietur: quæ ſequuntur uſque ad verſ. 19. repetitio ſunt verſ. 11.

V. 19. ET INTROIBUNT. Quod verſ. 10. dixit per imperativum, dicit nunc per futurum: unde intelligitur imperativum illic pro futuro poſitum, & ſecundam perſonam ſingularem pro tertia plurali.

V. 20. SIMULACRA ARGENTI SUI, id eſt argentea ſua, & aurea ſua. QUAE FECERAT SIBI. Heb. אשר עשו לו, *quæ fecerunt illi ſtatuarii*, aut gentiles, *qui eum* (Iudæum) *idololatriam docuit, ut adoraret*, לחפר פרות ולעטלפים. Aliqui vertunt, *in foſſuram talparum, & veſpertilionum* (proiiciet ea.) Alii, ut R. David, *ad fodiendum foveas talparum & veſpertilionum*; id eſt, proiectis idolis quærent aut facient ſibi homines foveas more talparum & veſpertilionum, ut in illis deliteſcant: ſicut ſtatim ſequitur: *Et ingredietur ſciſſuras petrarum*. Alii, ut Chald. faciunt unicam dictionem, חפרפרות, quaſi dicas, Fodiens foveas; itaque talpam vocari dicunt, eſſeque appoſitionem. *Ad adorandum* TALPAS ET VESPERTILIONES, id eſt idola talparum & veſpertilionum.

V. 21. ET INGREDIETUR. Heb. לבוא, *ut ingrediatur*. Hieron. videtur legiſſe ובוא, *& ingredietur*; id eſt, proiiciet idola, ut magis expeditus ſit ad abſcondendum ſeſe, IN CAVERNAS SAXORUM. Heb. בסעפי הסלעים *in dentibus rupium*, ad verbum; id eſt, inter acutas partes rupium quæ tamquam dentes eminent, dantque locum volenti deliteſcere.

V. 22. QUIESCITE ERGO. Epiphonema eſt quo Propheta ſententiam concludit: aut, ut alii exiſtimant, recitat verba quæ homines dicturi ſunt cum ſe abſcondent. *Quieſcite*, חדלו, id eſt *nolite timere*, AB HOMINE, CUIUS SPIRITUS IN NARIBUS EST, id eſt mortali & fragili, cuius vita conſiſtit in naribus, quæ ſi illi obſtruantur ut reſpirare non poſſit, moritur: QUIA EXCELSUS REPUTATUS EST IPSE. Heb. כי במה נחשב הוא, *quia in quo reputatus eſt?* id eſt, quanti enim faciendus eſt? quaſi dicat, Nihili. Hærent verba cum ſequenti cap. ut ſi dicat, Nolite homines timere, ſed Deum, ut Matth. x. 28.

S A.

Verſ. 1. SUPER IUDA. LXX. *de Iudæa.*

V. 2. MONS, id eſt locus altiſſimus, ſcilicet dignitate. DOMUS DOMINI, id eſt Eccleſiæ. OMNES, ſcilicet ex omni natione aliqui.

V. 3. VIAS SUAS, id eſt præcepta ſua. Chald. *vias, quæ rectæ ſunt coram eo.* LEX, id eſt Evangelica.

V. 4. Arguet, ſcilicet peccatorum. Lanceas, id eſt lancearum ferrum. Ad praelium; quaſi dicat: Erit ſumma pax per longum tempus, vel ſemper, ſecundum Chriſti Legem. At ſunt bella inter Chriſtianos. An ſecundum Chriſti Legem?

V. 6. Repleti, ſcilicet peccatis. Chald. *repleta eſt terra idoli*. Olim. Chald. & LXX. *ab initio*; quaſi dicat, Ut eorum maiores. Pueris alienis, id eſt filiis alienigenarum; quaſi dicat, Contraxerunt matrimonia cum alienigenis. Septuag. *Multi filii alienigenæ nati ſunt eis*. Chald. *In legibus populorum ambulant*. Adhaeserunt, ſcilicet coniugio, vel vitæ imitatione.

V. 7. Repleta est, &c. quaſi dicat: Cum rebus omnibus abundarent, tamen idola coluerunt.

V. 9. Incurvavit se, ſcilicet idolis, vel pro, incurvabitur, id eſt humiliabitur, ſcilicet a Deo. Vide inf. Ne ergo dimittas. Hebr. *& non parces*.

V. 10. Fossa humo. Heb. & Chald. *pulvere*. LXX. *terra*. A facie timoris, id eſt ob timorem.

V. 11. Humiliati sunt; pro, humiliabuntur. Illa, ſcilicet punitionis Dei.

V. 13. Cedros, &c. per hæc ſuperbi & obſtinati intelliguntur.

V. 16. Tharsis. LXX. *maris*. Chald. totum verſum ſic vertit: *Super omnes habitantes in inſulis maris, & morantes in palatiis pulcherrimis*.

V. 19. Voragines. Chald. *cavernas*. LXX. *foramina*.

V. 22. Quiescite, &c. quaſi dicat: Deſinite timere homines & magnifacere, qui etſi ſe per iram efferunt, & magni videntur, tamen nihil ſunt; ſed Deum timete. Excelsus. LXX. *in quo*. Chald. *quaſi nihilum*.

ESTII.

Verſ. 2. *&* 3. Et erit in novissimis diebus praeparatus mons domus Domini in vertice montium, et elevabitur super colles, et fluent ad eum omnes gentes. Noviſſimi hi dies deſignant tempus de quo Ioannes 1. epiſtolæ cap. II. *filioli noviſſima hora eſt*, & complectitur ultimam ætatem mundi, ſcilicet tempus ab adventu Meſſiæ in carnem, uſque ad diem iudicii. Mons vero domus Domini ab aliis intelligitur ipſe Chriſtus, de quo Dan. II. videlicet lapis qui percuſſerat ſtatuam, & factus eſt mons. Alii ipſam Eccleſiam Chriſti intelligunt, ut ſit idem *Mons domus Domini*, & ipſa domus Domini; id quod poſterioribus verbis ſatis indicatur, dum dicitur: Venite et ascendamus ad montem Domini, et ad domum Dei Iacob. Et notandus hic locus contra hæreticos, ad oſtendendum Eccleſiam eſſe viſibilem & manifeſtam; & talem, quæ non modo ab iis qui in ea ſunt, conſpici ac demonſtrari poſſit; verum etiam ab iis, qui nondum eam ſunt ingreſſi. Neque enim omnes gentes confluxuræ ad eam dicerentur; & alius alium invitaret, dicendo, *Venite aſcendamus ad montem Domini* &c. niſi certis quibuſdam ſignis conſpicua eſſet Eccleſia, & demonſtrabilis. Unde magna eſt cæcitas hæreticorum, qui Eccleſiam Chriſti videre ſe negant, quam viderunt omnes gentes, etiam ipſi perſecutores Eccleſiæ: ſed ita cæci ſunt hæretici more Sodomitarum, ut ſcilicet non poſſint invenire oſtium domus. Quia de Sion exibit lex, et verbum Domini de Ierusalem. Hoc factum eſt in die Pentecoſtes & deinceps, quando Apoſtoli legem Chriſti novam, & Evangelium prædicaverunt, primum Ieroſolymis, deinde per Iudæam & Samariam, ac demum per gentes, in variis mundi partibus; iuxta id quod præceperat, & prædixerat eis Dominus Actor. 1. *Eritis mihi teſtes in Ieruſalem, & in omni Iudæa & Samaria, & uſque ad ultimum terræ*. Et Matth. XXVIII. *Euntes ergo docete omnes gentes*. Et rurſum Lucæ XXIV. *Prædicari in nomine eius pœnitentiam & remiſſionem peccatorum in omnes gentes, incipientibus ab Ieruſalem*.

V. 22. Quiescite ergo ab homine, cuius spiritus in naribus eius est, quia excelsus reputatus est ipse. Obſcura ſententia, & varie exponitur. Hieron. de Chriſto intelligit hoc modo: *Quieſcite ergo ab homine*, &c. quaſi dicat: Moneo vos, ut diligenter caveatis ab homine, qui ſpirat & vivit more ceterorum animalium, id eſt ab homine mortali, neque enim contemnendum putetis; quia licet mortalis ſit ſecundum hominem, tamen

tamen excelſus reputatus eſt ipſe ſecundum naturam ſuperiorem, nempe divinam. Alii fere omnes tam vetuſti quam recentiores interpretes, illam poſteriorem ſententiæ partem, *quia excelſus reputatus eſt ipſe*, vertunt fere hoc modo per interrogationem, *in quo enim reputatus eſt ipſe?* Eſt enim vocabulum Hebræum ambiguum ad *excelſum*, & *in quo*. Et ſenſum hunc reddunt: Deſinite timere hominem mortalem, cuius vita conſiſtit in ſpiratione, qua ceſſante, extingui eum neceſſe eſt: nam quanti talis æſtimandus eſt? quaſi dicat, Nihili; ſed potius timete Deum immortalem & omnipotentem. Et huic ſententiæ favet, quod immediate ſubnectitur capite proximo: *Ecce enim dominator Dominus exercituum auferet a Ieruſalem*, &c.

M A R I A N AE.

Verſ. 1. VERBUM....SUPER IUDA. Septuag. *de Iudæa*. Hic *ſuper* non ſumitur pro *contra*, quoniam proſpera fere hoc capite nuntiantur.

V. 2. ERIT.... PRAEPARATUS. Sic Heb. Septuag. *manifeſtus*, ἐμφανής. Videntur illi pro נכון *nachon* legiſſe נבון *nabon*. Idem accidit Michææ IV. 1. Tum Cyprianus Lib. II. epiſt XVII, citat: *& erit manifeſtus mons*. MONS DOMUS DOMINI: in quo erit templum Domini, id eſt Eccleſia. IN VERTICE MONTIUM. Hoc, & quod ſequitur, ET ELEVABITUR SUPER COLLES, ad dignitatem refero. Plura & maiora in eo fient prodigia, quam in Sina & aliis montibus. FLUENT AD EUM. Vox Heb. ſignificat *inſtar fluminis fluent*. OMNES GENTES, id eſt plurimæ Evangelio credent.

V. 3. DOCEBIT NOS VIAS SUAS. Heb. *de viis ſuis*, id eſt partem viarum ſuarum, myſteriorum ſuorum nos docebit. Omnia non capit mortalitas. DE SION EXIBIT LEX, ET VERBUM DOMINI. Utraque voce *Evangelium* ſignificatur.

V. 4. IUDICABIT GENTES, ſcilicet Deus Chriſtus ſibi orbem ſubiiciet, arguet quaſi Iudex, lites componet, diſceptabit inter litigantes. Ex eo ſumma ſequetur pax, ſub uno capite orbe quieſcente. CONFLABUNT GLADIOS SUOS IN VOMERES, aut *in ligones*. NEC EXERCEBUNTUR. Heb *non diſcent amplius bellum*. Hæc Chriſti adventu ſunt facta.

V. 5. DOMUS IACOB, poſteri Iacob, gens Iſraelitica. AMBULEMUS IN LUMINE DOMINI, id eſt eius doctrinam & præcepta ſequamur. Aut, hanc felicitatem conſectamini, pacemque tenete, & bona pacis.

V. 6. PROIECISTI ENIM; ſuperiori ſcilicet tempore, antequam Chriſtus veniret, ante hanc felicitatem Deus eum populum proiecit. Meminit eiectionis populi, & quam ob cauſam, ut eos ab ea iniquitate deterreat. QUIA REPLETI SUNT. Quare ſunt repleti? Chald. ſupplet, *idolis*. UT OLIM. Chald. & Septuag. *ut ab initio*, id eſt primis temporibus. Quidam vertunt, *quia repleti ſunt præ Oriente:* ſic מקדם *miquedem* explicant, id eſt magis quam Orientales, ſcilicet idolis. PUERIS ALIENIS ADHAESERUNT. Chald. *Et in legibus populorum* (Gentium) *ambulant*. Septuag. *Multi filii alienigenæ nati ſunt eis*, quia ſcilicet alienigenas duxerunt. Quidam vertunt: *Et in filiis alienigenarum acquieſcunt*. Et per *filios* intelligunt libros, aut artes ab alienigenis inventas, quibus ſe Iudæi oblectabant.

V. 7. REPLETA EST TERRA. Cum copiis omnibus abundarent, deliquere tamen, nihilominus tamen idola coluerunt innumera.

V. 9. INCURVAVIT SE HOMO, id eſt adoravit idola. Idem ſignificat quod ſequitur. ET HUMILIATUS EST VIR: is eſt adorantis habitus.

V. 10. ABSCONDERE IN FOSSA HUMO. Heb. *in pulvere*, id eſt in terræ cavernis abſcondere. A FACIE TIMORIS, id eſt a timore, præ timore. Vox *a facie* ſæpe redundat. Prædicit ſupplicia, quæ patientur, quoniam priorum iniquitates imitabantur.

V. 11. HUMILIATI SUNT; pro, humiliabuntur. IN DIE ILLA. Quo tempore iniquos puniet Deus.

V. 13. SUPER OMNES CEDROS LIBANI, dies Domini veniet, id eſt ſuperbos: in eos maxime deſæviet ira Dei. QUERCUS BASAN. *Cedri*, & *quercus* arbores ſunt pulchræ, per quas venuſti homines deſignantur.

V. 16. NAVES THARSIS. Septuag. *maris*. Tharſis duplex, tum illa, unde Salomon

ſomon aurum petebat, inſtructa claſſe in Aſiongaber maris Rubri portu: III. Reg. x. 22. & II. Paralip. xx. 36. Tum illa, quo Ionas ibat e Ioppe ſolvens, quam docti credunt eſſe Tunetum, Carthaginem. Et *naves Tharſis* celebrantur Pſal. XLVII. 8. nam a Tyro oriundi cum ea urbe emporio nobiliſſimo Orientis commercia habebant. Ita de poſteriori tum Pſalmum, tum Iſaiam loqui crediderim. SUPER OMNE, QUOD VISU PULCHRUM EST, erit ſcilicet dies Domini. Quidam vertunt: *Super omnes picturas deſiderii*, id eſt ſuper omne quod mente & voto fingere poſſumus. Quod aliis verbis expreſſit Hieronymus: *Itaque in die illa, cum veniet ad puniendum Dominus, ſubiiciet ſibi cedros*, id eſt pulchros quoſque, *tum montes & colles*, id eſt Principes, *tum murum munitum*, id eſt fortes, *tum naves Tharſis, quæ erant ditiſſimæ*, id eſt opulentos. Denique omnia, quæ deſiderari poſſunt, ea proſternet.

V. 19. ET INTROIBUNT, ſcilicet homines præ terrore. VORAGINES TERRAE. Heb. *foveas pulveris*, id eſt ſubterraneas, ut verſ. 10. CUM SURREXERIT PERCUTERE, ſeu *conterere* terram. Septuag. & Chald. ſic verſ. 21. ubi idem verbum eſt.

V. 20. SIMULACRA AURI, id eſt idola proiiciet homo, quæ fecit. UT ADORARET. Heb. *ut ſe incurvaret*, ut verſ. 9. TALPAS ET VESPERTILIONES. Heb. *fodienti foveas* (ea eſt talpa) *& veſpertilionibus* ſe ſcilicet incurvarunt.

V. 21. CAVERNAS SAXORUM. Heb. *dentes petrarum*, ſcilicet *ſcopulos*: ſic Heb. Schol. ingredientur præ timore.

V. 22. QUIESCITE ERGO AB HOMINE; id eſt, ne eum timeatis, Deum timete. CUIUS SPIRITUS, id eſt mortalis eſt, vivit ex reſpiratione. QUIA EXCELSUS: ironice. Heb. *in quo reputatus eſt ipſe?* Sic Septuag. *in quo reputatus eſt*, ἐν τίνι ἐλογίσθη? Vox *excelſus* ab Hieronymo eſt addita, quia pro *bameh*, *in quo*, legit *bamah*, id eſt *excelſus*. Chald. *quaſi nihilum reputatus eſt ipſe*. Ea eſt vis verborum, *In quo reputatus eſt?* ſcilicet nihil eſt homo, non eſt quod eum timeatis. Senſus idem Vulgatæ.

M A L V E N D AE.

Verſ. 1. VERBUM. דבר *dabar*. Recte obſervant, in huiuſmodi locutionibus prophetarum, quando propheta loquitur in nomine Domini, vel ait ſe vidiſſe verbum, aut denuntiat verbum ex ore Dei *verbum* ſignificare integram aliquam ſententiam, ſeu narrationem rei cum omnibus ſuis partibus & circumſtantiis, concionem, prophetiam ipſi a Deo revelatam, doctrinam divinitus acceptam. QUOD VIDIT. Quidam: *quod viſione*, ſeu *revelatione accepit*, ut populo denuntiaret, & fideliter Eccleſiæ Chriſti conſignaret. Notant, integram hanc concionem ſeu prophetiam contineri tribus his capitibus ſequentibus.

V. 2. ET ERIT IN NOVISSIMIS DIEBUS PRAEPARATUS MONS, &c. Heb. *Et erit in extremitate dierum, apparatus erit mons* &c. Geminatur verbum *erit*, ob certitudinem rei futuræ; unde quidam reddunt: *Et erit temporibus poſtremis, erit*, inquam, *præparatus mons* &c. Alii ſic diſtinguunt: *Et erit*, ut hic ſiſtatur, hoc eſt, Iſtud futurum eſt: deinde ſequatur, *In extremitate dierum erit apparatus mons*, &c. ſic infra cap. III. 24. Nonnulli iungunt cum voce *verbum* præcedentis verſus: *Et erit*, ſcilicet verbum hoc, *in poſtremitate dierum firmum*, ſeu *ratum*, *erit mons domus* &c. quaſi dicat: Non brevi, nec diebus noſtris adimplebitur, ſed in poſtremis temporibus eius firmitudo atque certitudo comprobabitur; vel *Et erit in noviſſimum dierum deſtinatum*: ſed hoc eſt confundere omnia, nec ullam rationem vocum, aut diſtinctionum Hebraicarum habere: *in extremitate dierum*, ſic Geneſ. XLIX. 2. nimirum Chriſti adventu, & doctrina Evangelii, qua tandem revelatum eſt & explicatum totum conſilium Dei in Chriſto. Contineri his tribus verſibus doctrinam ſeu vaticinium de Evangelica vocatione & converſione gentium ad Chriſtum, Patres omnes & Explanatores uno ore confirmant, & res ipſa perſpicue loquitur. PRAEPARATUS ERIT MONS DOMUS DOMINI: id eſt conſtitutus, firmus, ratus, ſtabilis. Eccleſiam proculdubio intelligit. IN VERTICE MONTIUM; id eſt, Eccleſia Dei prædicatione verbi ipſius velut ſpectanda exhibebitur, & cognoſcenda in oculis

culis omnium. Allegoria, qua comparat propheta Eccleſiam Dei civitati in monte editiſſimo poſitæ, unde fax Evangelii totum orbem, & ipſas montium anguſtias perluſtrare poſſit, ac proinde omnibus innoteſcere. ET ELEVABITUR SUPER COLLES. Alii: *& editior erit cunctis aliis collibus*; vel, *& erit exaltatus ſupra colles alios*; quaſi dicat: Plura ſigna edentur in eo quam in Sinai, & Moria. ET FLUENT AD EUM. Recte notant, verbum נהר *nahar*, copiam & affluentiam cum celeritate, ac lubentia, & pronitate indicare; quaſi dicat, Magno impetu ac celeriter, & propenſione concurrent, confluent, prolabentur. Et mirum quod in montem confluere dixerit: non ſine myſterio, ut indicaret tantam vim eſſe ſpiritus & gratiæ Dei, ut ad ardua, difficilia, alta Evangelicæ doctrinæ non minus alacriter, facile, ac prompte gentes concurrerent, quam flumina per præceps labuntur. Quidam hunc verſum evidentius ita convertunt: *Erit ergo ultimis temporibus, ubi conſtitutus fuerit mons domus Iehovæ in vertice aliorum montium & elatus ſupra colles, ut confluant ad eum omnes gentes*.

V. 3. ET IBUNT POPULI MULTI. Heb. *ambulabunt*, *proficiſcentur*, *vadent*. Exponunt, Id eſt, accedent fide per caritatem operante ad Deum colendum, audiendum, obſequendum in Eccleſia. QUIA DE SION EXIBIT LEX, &c. Alii: *nam Tziione prodibit, egredietur*, *doctrina*. AEtiologia, cur gentes ad Eccleſiam tantum ſibi confluendum eſſe profiteantur: Nam, inquiunt, nuſquam alibi doctrina, verbumque Dei ſalutare exaudiri poteſt; tantum in Eccleſia eſt, & ab ea ad impios omnes derivatur, prout illa eſt columna & ſtabilimentum veritatis. I. Timoth. III. 15 vide infra in verſ. 6. Alii proprie & citra allegoriam: Quia de Tzijone, id eſt de cœnaculo illo in monte ipſo Tzijonis ſito, ubi Spiritus Sanctus igneis linguis in apoſtolos allapſus fuit, prodiit Evangelium, inde cœptum eſt prædicari per apoſtolos. Nam in monte Tzijonis conſtitutum illud fuiſſe cœnaculum, S. Hieronymus Epiſtola XXVII. & plures alii tradunt. Vide Pſalm. CIX. 2. Michææ 4. 2.

V. 4. ET IUDICABIT GENTES. Heb. *Et iudicabit inter gentes*; *& arguet populos multos*. Alii ex Hebr. I. *Et ius dicet inter gentes*, *& correctionem adhibebit populis multis*; id eſt, Iehova ipſo verbo ſuo Evangelico lites dirimet, controverſias componet, ob quas belligerabant inter ſe gentes, & cum opus fuerit, alterutros increpabit per miniſtros verbi, ut ad pacem redeant, & amicitiam colant: hæc enim omnia præſtat Evangelium, feras & barbaras gentes manſuefacit, graves controverſias, & inveterata odia componit, ut in ſummam pacem ac concordiam coeant II. *Qui iudicem aget inter gentes*, *& corripiet populos multos*, &c. Totius verſus ſenſum ita concipiunt: Id eſt, omnes inter ſe, quamvis alieniſſimas, conciliabit, abductas ad unum Deum, unam fidem, unum baptiſma, unum corpus, & unum ſpiritum, id eſt Eccleſiam unam, & vocatas in unam ſpem vocationis ſuæ, Epheſ. IV. 4. quo argumento ſtudebunt ſervare unitatem ſpiritus per vinculum pacis: quod hic allegorice pro temporum ratione Iſaias prænuntiat. ET ARGUET POPULOS MULTOS. Exponunt: *Caſtigationem*, *correctionem*, *inſtitutionem*, *diſciplinam*, *eruditionem tamquam pædagogus pueris adhibebit populis multis*: ut ſumitur id verbum Geneſ. XXIV. 14. & 44. tametſi in alia conſtructione. Quidam: *& arguet pro populis multis*. Similis conſtructio infra cap. XI. 4. id eſt, diſceptabit, propugnabit, cauſam aget pro populis multis. ET CONFLABUNT. Hebr. *concident*, *contundent*, *conterent*, *cudent*, *lanceas*, vel haſtas, cuſpides, ferramenta lancearum. NON LEVABIT GENS CONTRA GENTEM GLADIUM, NEC EXERCEBUNTUR ULTRA AD PRAELIUM. Alii ex Hebr. I. *nec feret gens contra gentem gladium*, *nec ultra bello aſſueſcent*, vel *operam dabunt*. II. *non attollat gens una in alteram gladium*, *neque diſcant amplius bellum*: ſed ſtudeant paci Epheſior. IV. 3. Allegorica hoc verſu deſcriptio ſummæ pacis & tranquillitatis futuræ per Chriſtum, eiuſque Evangelium, quod ſummam animorum concordiam, & omnem odii ac ſimultatis depoſitionem ſuadet ac inducit: ut etiam Michææ IV. 3. Et quamvis hæc præcipue de pace ſpirituali accipiuntur; at non eſt dubium tempore quo Chriſtus natus eſt, ſummam omnium gentium pacem in orbe fuiſſe, bellis extinctis, & ut Eccleſia

in

in Martyrologio 25. Decembris habet, *Toto orbe in pace compoſito*. De qua re vide Commentarium S. Hieronymi huius loci, Oroſium Lib. I. cap. 1. & Lib. VI. cap. XX. quando Auguſtus iam ter Ianum clauſerat, auctore Svetonio in Octaviano cap. XXII. de quo vide Lipſium Electorum I. cap. XX. & Caſaubonum in Svetonium.

V. 5. DOMUS IACOB, &c. Alii: I. *Domus Iahakob adeſte, & incedamus in luce Iehovah*. II. *Domus Iahakobi agite, ambulemus in luce Iehovæ*. Exhortatio, Iudæos revocans a viis ſuis pravis ad bene utendum præſente luce Evangelii, ut Ioan. XII. 35.

V. 6. PROIECISTI ENIM POPULUM TUUM, &c. Quidam reddunt: *Quandoquidem deſeris populum tuum*, &c. Reprehenſio ætiologica, ſive cauſam explicans cum ſuperioris prophetiæ de vocatione gentium, tum hortationis proxime antecedentis ad Iudæos, qua docet propheta utriuſque cauſam poſitam eſſe in ſceleribus illorum, & indignatione Dei ipſos propter ſcelera reprobante: vide Romanor. IX. X. & XI. capitibus. Enuntiatur autem hic locus per apoſtrophen ad Deum, velut certiſſimum teſtem, & vindicem ſcelerum, quæ inficiabantur Iudæi, ad exaggerandam reprehenſionem. *Deſeris populum tuum*; id eſt, iam iam præſto eſt, ac velut in procinctu, ut abiicias populum tuum; quod flagellis tuis, de quibus ſupra cap. I. ex parte oſtendiſti. QUIA REPLETI SUNT, UT OLIM. Heb. *quia impleti fuerunt de oriente*. Habes hunc locum a nobis accurate explanatum in Paradiſo cap. XXII. Tremellius, & Iunius: *quia pleni ſunt ſupra quam oriens malis, & præſtigiatores ut Peliſchthæi*; quaſi dicat: Ex omnibus populis finitimis & circumſtantibus omne genus ſcelerum hauſerunt ſtudioſiſſime, & in regione ſua accumularunt: nam Syros & Meſopotamienſes (quos nefariis artibus abundaſſe vel una hiſtoria Bilhami docet) ab oriente eſſe, & Peliſchthæos ab occidente, docet propheta infra cap. IX. 12. Vide Caietanum hic. ET AUGURES. עוננים *ghonenim*, reddunt, *oculatores*, *obſervatores*, *præſtigiatores*: vide Levit. XIX. 26. & in Deuter. XVIII. 10. ET PUERIS ALIENIS ADHAESERUNT. Multifariam hunc locum ex Hebr. elucidant: I. Aben Ezra: *& ſcientiæ extrinſecæ ſufficient eis*, *& in illis erit eorum ſufficientia*, id eſt, in pravis ac reprobatis artibus. II. Kimchi, Sanctes: *& cogitationibus*, *conſiliis*, *alienorum applauſerunt*. III. apud Kimchium: *& in ſcientiis alienorum occupabunt ſe*: id eſt dederunt operam damnatis artibus, omiſſa lege, præceptiſque divinis. IV. apud Kimchi: *& imaginibus*, *ſimulacris*, *alienorum* deorum *applaudent*. V. Kimchi, Vatablus: *& in ſcientiis alienis fuerunt ſufficientes*, vel *& in natis alienorum contenti fuerunt*, ſeu *ſibi ſatisfecerunt*. Natos more Hebræorum vocat cogitationes, conſilia, quaſi fœturas, quæ naſcuntur ex mente; qui in libris editis ab exteris gentibus de auguriis & maleficiis acquieſcunt. VI. Caietanus: *& in natis alienorum ſibi ſufficient*, vel *dubitabunt*; id eſt, in his ſuperſtitioſis, quæ ab exteris gentibus nata ſunt & proficiſcuntur, erunt callentiſſimi; vel nova dubia ac difficultates, ut peritiſſimi, exquirent, ſeu excitabunt VII. Leo Iudas, Avenarius: *& in filiis liberis alienigenarum ſatagent*, vel *ſatagerunt*: hoc eſt, in libris maleficarum artium ab exteris nationibus editis omnem diligentiam navarunt. VIII. Forſterus: *& in natis alienorum ſatisfaciunt*; id eſt, gignunt nothos, ſeu ſpurios ſufficienter. Videtur dicere, quod doctores populi Iſraelitici hypocriſi diſcipulos gignant, qui ſufficiunt pro ipſorum ſynagoga. IX. Iſidorus Clarius: *& ſtudiis alienis adhæſerunt*. X. Marinus: *& in pueris*, ſeu *natis alienorum ſatisfecerunt*. Hebraiſmus ſatis ornatus; pro, inventiones extraneas ſibi ſatis eſſe ad ſalutem exiſtimant. XI. Forerius: *& in natis alienis*, ſive *in filiis nothis ſatisfaciunt*; id eſt, nothos gignunt ſufficienter, hoc eſt ſatis multos; ut notet propheta multitudinem adulteriorum, & filiorum ſpuriorum; vel multos generant diſcipulos in maleficis illis artibus, quas colebant. Aut, & in filiis nothis ſeu ſpuriis ſibi acquieſcunt, ſatisfaciunt, & placent, vehementer amant procreare, ſeu habere filios adulterinos. Vel, & in natis alienorum deorum, ideſt in genealogiis deorum ſufficienter inſtructi & inſtituti ſunt. Viguit hæc vanitas mirifice apud gentes, ut genealogias deorum probe callerent. Hinc celebris Heſiodi Theogonia. XII. *& in natis alienorum ſatisfacient*; id eſt, miſ-

centur cum gentibus, ducunt harum filias, & filios gignunt alienigenas. Ita Forerius & Schindlerus. XIII. Montanus: *& in natis alienorum ſatisfient*; id eſt in his quæ naſcuntur & conſequuntur ex alienis; quaſi dicat: Gentes ſuperſtitionibus operam dederunt; Iudæi earum imitatione, ſectantes id quod ab illis natum erat, ſibi eiſdem ſuperſtitionibus ſatisfieri curarunt. XIV. Tremellius, & Iunius: *denique natis alienigenarum acquieſcunt*; id eſt, non acquieſcunt doctrinæ & verbo Dei, quod gentes amplexuræ ſunt, ſupra verſ. 3. ſed extera omnia præferunt ſimplicitati divinæ legis. XV. Hiſpanus Interpres: *y en hijos agenos ſe eſcarvan*; id eſt, *Hizieron alianças con pueblos eſtraños contra el mandamiento de Dios*. Deuteron. VII. 2. 13. Nobis illa aptiſſima omnium interpretatio videtur, quæ magis cum Hebræo & Noſtro congruit: *& in natis alienorum compoſuerunt*, ſeu *pulſaverunt*, hoc eſt adhæſerunt, ut notet infandum puerorum concubitum: vide Commentarium S. Hieronymi. Heraclides de Politiis: *Videntur autem primo Cretenſes uſi congreſſibus cum pueris maſculis, amoris cauſa; neque in eo eſt apud illos aliquid turpe vilenis.*

V. 7. TERRA EIUS: ſcilicet populi tui. Sic paulo poſt iterum, *terra eius*, & verſu ſequente. ET NON EST FINIS THESAURORUM EIUS. Alii: *& infinitis theſauris*, vel *infiniti ſunt theſauri eius*. Sic paulo poſt, *& non eſt finis quadrigis eius*. Senſum huius verſus ita concipiunt; id eſt, exterorum ſtudiis abducti, non dant operam regno Dei, ſed pecuniæ, opibuſque, & humanis viribus.

V. 8 IDOLIS. אלילם *elilim*, *deunculi*, *deaſtri*, *extremæ nihilitates*, *omnimodæ nihilitates*; vide Levit. XIX. 4. Sic infra verſ. 18. & 20. OPUS MANUUM SUARUM ADORAVERUNT. Alii: I. *operi manuum ſuarum ſupplices proſternuntur*, vel *proſtrati adorant*, vel *procidentes adorant*: ut vertitur id verbum Matth. IV. 9. & cap. XVIII. 29. II. *operi manuum ſuarum honorem habentes quiſque incurvant ſe*. Ait hoc verſu: Exteris ſtudiis abrepti, & locupletati, ſua abundantia in dedecus Dei & idololatriam abutuntur: ut Hoſee II. 8.

V. 9 ET INCURVAVIT SE HOMO, ET HUMILIATUS EST VIR. Ex Hebr. alii: I. *Proinde deprimetur*, aut *deiicietur homo*, *& humiliabitur vir*; id eſt, propter idololatriam abiicientur. II. *Homo ſe incurvat*, *& vir ſe demittit*. III. *Et proſtratur homo*, *& humiliatur vir*. IV. *Et ſe deprimit plebeius homo*, *ſeque demittit vir præſtans*; id eſt, omnes ſunt idololatræ, cum infima, tum ſumma conditione homines. De vocibus illis iunctis ſeu comparatis, *homo*, *vir*, vide in Pſalm. XLVIII. 3. ſic infra cap. V. 16. NE ERGO DIMITTAS EIS. Hebr. *& non levabis eis*; id eſt, non ſublevabis eis onus ſeu pondus peccati, non remittes, condonabis, veniam dabis, parces. Quidam reddunt: *propterea ne parceto illis*. Epiphonema patheticum, quo propheta exardeſcens zelo gloriæ Dei, iudicium ipſius ſeveriſſimum in idololatras imprecatur, qui non acquieverint domui Iahakobi, & ſe ad lucem Iehovæ converterint. Forſterus ita hunc verſum reddit: *Incurvat ſe plebs*, *humiliant ſe optimates*; *ideo illis non ignoſces*.

V. 10. INGREDERE IN PETRAM, &c. Quidam hunc verſum ita reddunt: *Ingredere in rupem*, *& abſconde te in ipſo pulvere*, *propter pavorem Iehovæ*, *& propter decorem excellentiæ eius*. Notant, hinc ordiri graviſſimam comminationem iudiciorum Dei in Iudæos pertinaces, & idola ipſorum: incipere autem hanc interminationem a vehementiſſima apoſtrophe ad populum, cum propheta per ſarcaſmum, ſuperbum & præfidentem populum exagitat certiſſima fiducia iudiciorum Dei; quaſi dicat: Effuge, ſi potes, manum horrendam indignantis Dei, aut terribilem conſpectum eius; ſed non ſuccedet, ut oſtendit ſubiectio ſequentis verſus. INGREDERE IN PETRAM, &c. Quidam ad hunc locum putant alluſionem fieri Luc. XXIII 30. *Tunc incipient dicere montibus*: *Cadite ſuper nos*; *& collibus*: *Operite nos*. Nam in ſumma rerum deſperatione ſolent homines profundiſſimas rupium rimas, & intimas cavernarum latebras petere. IN FOSSA HUMO. Hebr. *in pulvere*, id eſt in effoſſis cavernis ſubterraneis, unde egreſſus eſt pulvis; ut infra v 19. ET A GLORIA MAIESTATIS EIUS. Heb. *& a decore ſuperbiæ*, *excellentiæ*, *celſitudinis*, ſeu *altitudinis eius*. Sic infra verſ. 19. & 21

V. 11. OCULI SUBLIMES HOMINIS HUMILIATI SUNT. Hebr. ex verbo: *Oculi ſub-*

Digitized by Google

ſublimitatis hominis humiliatus eſt. Singulare verbum *humiliatus eſt*, maſculeum eſt: apte referatur more Hebraico ad proximum ſuppoſitum, nempe hominem, id eſt: *homo oculis elatis humiliatus eſt*, vel *oculorum elatorum homo depreſſus eſt*, vel active: *oculos celſitudinis hominis humiliavit*, Deus; tametſi aliqui Hebræorum diſtributive capiant, *oculi*, id eſt quiſque, vel uterque oculorum *humiliatus eſt*. Alii per hypallagem: *Oculorum elatio*, *altitudo*, *tumor*, *humiliata eſt*, vel *humiliabitur*. Nonnulli: *Oculis altitudinis*, ſeu *altus homo deprimetur*, &c. Subiectio, ſuperiorem ſarcaſmum explicans, & conatus hominis vanitatem; ut infra verſ. 17. In die illa; id eſt, tempore illo, quod octo ſequentibus verſibus exponitur: videlicet, cum in homines iudicia exercebit; uſque ad verſ. 18. & in idola ipſa v. 18.

V. 12. Quia dies Domini. Hebr. *Quia dies ipſi* IHUH. Subaudi, aderit. Alii: *Cum dies erit Iehovæ exercituum*. Notant, ſumi hic *diem* pro revelatione rerum, inſpectione, & iudicio, ſive pro perſpicua inſpectione & cognitione cauſæ, ut I. Corinth. III. 13. *Dies enim Domini declarabit*: & cap. IV. 3. *Mihi vero pro minimo eſt ut a vobis iudicer, aut ab humano die*, id eſt iudicio: & cap. V. 5. *In die Domini noſtri Ieſu Chriſti*. Et Philip. II. 16. *Ad gloriam meam in die Chriſti*. Sed aptius eſt: *Quia tempus erit*, vel *cum tempus erit ipſi Iehovæ exercituum*: ut verſu præcedente: nimirum exercendi iudicia ſua in homines contumaces. Super omnem superbum. Hoc, & ſequentia, epitheta ſunt eorum, qui verbo Dei non acquieſcentes, extera ſtudia conquirunt, mundo hærent, & idola anteponunt Deo; quod ſupra exprobraverat propheta a verſu 6. Et humiliabitur. Alii ex Hebræo: *ut demittatur*, *deprimatur*, *deiiciatur*; prout confirmatur infra verſ. 17. Alii nominaliter, ſeu participialiter reddunt: *& humiliatum*, ſcilicet ipſis idolis, ut verſ. 9.

V. 13. Sublimes, et erectas. Heb. *elevatas*, *& levatas*. Alii: 1. *elatas*, *& elevatas*, 2. *celſiſſimas*, *& elatiſſimas*. Sic verſ. 14. Omnes quercus. אלונים *allonim*; (de voce אלון *elon*, diximus abunde in Geneſ. XII. 6. nam *allon*, & *elon*, idem proculdubio ſunt) *quercus*, *ilices*, *robora*; vel *querceta*, *ilicta*, *roboreta*. Hiſpanicus Interpres; *alcornoques*, id eſt *ſuber*: vocis ſono *alnos*, vel *alneta*, quidam exponunt. Alii, *valles*, *planities*. Allegorice ſignificari putant homines quamvis valentiſſimos, munitiſſimos, robuſtiſſimos, &c. ut verſ. 14. & 15. Basan. Fertiliſſima & opulentiſſima regio trans Iordanem, quam deſcripſimus in Num. XXI. 33.

V. 14. Et super omnes montes, &c. Alii: *Et contra omnes montes celſiſſimos*, *& contra omnes colles altiſſimos*.

V. 15. Murum munitum: vel *præciſum*, *collectum*, *incluſum*. Vide de verbi notione in Geneſ. XI. 6.

V. 16. Naves Tharsis. Alii: *naves Oceani*; vide Notas in I. Regum X. 22. & in Pſal. XLVII. 8. id eſt, homines opulentiſſimos, & ornatiſſimos: nam naves Tharſis ſolebant pretioſiſſimas merces advehere: allegoria. Quidam: *naves Tharſicas*, vel *Indicas*, hoc eſt onerarias, fortiſſimas & maximas, longis, ac difficilibus navigationibus idoneas: allegorice, quoſque fortiſſimos ac potentiſſimos. Et super omne quod visu pulchrum est. Varie alii ex Hebr. I. Quidam ſecuti LXX. *& ſuper omnes naves pulcherrimas*, id eſt elegantiſſimas, & ſumma arte conſtructas. Forte *thalamegos*, quæ regibus Alexandrinis plurimæ erant, de quibus Appianus in Proœmio, pag. 6. *Thalamegi auratis puppibus*, *roſtriſque*, *quas ad oſtentationem in bello ipſi reges conſcendebant*, *octingentæ*. Meminit Thalamegi Svetonius in Iulio cap. LII. quam accurate deſcriptam habes apud Athenæum Lib. V. cap. IX. pag. 204. de Thalamegis quoque vide Strabonem Lib. XVII. pag. 800. II. *& ſuper omnia machinamenta pulcherrima*, *& ornatiſſima*. III. Chaldæus: *& ſuper omnia palatia pulchritudinis*. IV. Rabbi Scelomoh: *& ſuper omnia palatia depicta*, ſeu *ſtrata picturis*, pavimenti marmorei. V. *& ſuper omnes picturas deſiderii*, ſeu concupiſcentiæ, id eſt concupiſcibiles. Ita Kimchi, Caietanus, Sanctes, Vatablus, Marinus. VI. Leo Iudas: *& ſuper omnia quæ viſu & ſpectatione deſiderabilia ſunt*. VII. Forſterus, Mercerus, Forerius, Schindlerus: *& ſuper omnia ingenioſe affabrefacta*, ſeu *toreumata*, hoc eſt

tornatas opera, *deſiderii*. VIII. Avenarius: *& ſuper omnia vaſa ingenioſa deſiderii*, vel *& ſuper omnes apparatus induſtrios*, *deſiderabiles*. IX. Reuchlinus, Tremellius, Iunius, Buxtorfius: *& contra omnes imaginationes*, ſeu *imagines deſiderii*, ſeu *deſideratiſſimas*. X. Montanus: *& ſuper omnes proſpecturas deſiderii*. Vide in Levit. XXVI. 2.

V. 17. Et incurvabitur sublimitas hominum. Hebr. *incurvabitur* verbum eſt maſculeum, & *ſublimitas* femineum; proinde alii reddunt: *Tunc deprimetur altitudinis*, ſeu *celſitudinis homo*, ſive *altus homo*. Nonnulli: *& incurvabit celſitudinem hominis*, *& humiliabit altitudinem virorum*.

V. 18. Et idola penitus conterentur. Varie redduntur: I. *& idola*, ſeu *vana penitus concidet*, *perdet*, *deſtruet*, *exterminabit*, Deus. II. *Porro idola in univerſum permutabit*: id eſt, tollet e medio. III. *& idolorum univerſitas immutabitur*, vel *& idolorum univerſitatem immutabit*, ſeu *& idola in univerſum immutabuntur*; id eſt, conferentur de medio, præteribunt. Sic Paulum uſum volunt I. Corinth. VII. 31. *Præterit enim habitus huius mundi*. IV. *idolorumque celſitudo penitus tranſmeabit*; id eſt, mutabitur plane & abolebitur illorum dignitas, in quam falſa hominum opinione erecta ſunt. V. Caietanus: *& idola in univerſum concidetur*; maiori emphaſi, unumquodque ex idolis ſigillatim concidetur. Hunc quidem, & tres verſus ſequentes plerique ad tempora Chaldaicæ devaſtationis, alii ad Chriſti, qui idola ſuſtulit de mundo, referunt. Nonnulli rectius ad tempus, quo Deus exerciturus erit ſua iudicia in Iehudæos apoſtatas, de quibus in præcedentibus. Interpretationes Forerii: *& idola ſicut nox*, quæ in diem tranſit, *immutabuntur*. Eo quod *elilim*, idola, ſint *dii noctis*. Sunt meræ argutiæ, alienæ prorſus ab uſu & notatione vocum Hebraicarum.

V. 19 Et introibunt in speluncas petrarum. Alii: *Cum venient homines in ſpeluncas rupium*, id eſt idololatræ fugientes a iudiciis Dei, abiectis idolis ſuis, ut ſequente verſu exponit, & ante ſarcaſtice fuit imperatum verſ. 10. Et in voragines terrae. מחלות *mechiloth*, חלל *chalal*, *violare*, *vim inferre*; *perfodere*, *perforare*: quaſi dicas, *hiatus*, *apertiones*; *perfoſſiones terræ*; quod his veluti vim patiatur terra ac violetur, eiuſque viſcera & interna in apertum publicentur, ac veluti profanentur. Cum surrexerit percutere terram. Ex Heb. alii: I. *in ſurgendo ipſum ad frangendum terram*. II. *cum ſurrexerit ipſe ut concutiat*, ſeu *conterat terram*. III. *cum ipſe ſurrexerit prævalidare terram*. IV. *ad violentandum terram*, hoc eſt, vim inferendam terræ. V. *ad opprimendum terram*. VI. *cum ſurget ad violenter exagitandum hanc terram*. Sic infra verſ. 21.

V. 20. In die illa, vel *tempore illo*, quo Deus graviſſima iudicia ſua exercebit in Iudæos defectores. Idola argenti sui, et simulacra auri sui; id eſt, quæ viſum hominum ſuperſtitioſum afficiunt dignitate ſua & pretioſitate materiæ. Ego puto ſignanter dici *argenti ſui*, *& auri ſui*, ut demonſtret deos ſuos ipſis ſtare impendio bonorum ſuorum, in quos conflandos aurum ſuum & argentum erogent. Quae fecerat sibi ut adoraret talpas et vespertiliones. Heb. *quos fecerunt ſibi ad adorandum*, ſeu *ſupplicandum*, aut *proſternendum*, *ſe talpis & veſpertilionibus*. Quidam: *quæ fecerunt quiſque ſibi ad incurvandum ſe illis*, *talpis & veſpertilionibus*, id eſt ad incurvandum ſe illis idolis: appoſitive *talpis & veſpertilionibus*, quaſi dicat, Cæcis & luſcioſis, nihil aut perparum videntibus: ironia lepida. Alii, revera Iehudæos talpas & veſpertiliones pro diis adoraſſe, ex hoc Iſaiæ loco exiſtimant: nec mirum imitatos AEgyptios, qui viliſſimas quaſque beſtias pro ſacris habebant: Herodotus Lib. II. Num. LXV. *Quæ vero illic ſunt beſtiæ, eæ omnes pro ſacris habentur*. Et Virgilius VIII. AEneidos:

Omnigenumque deum monſtra:

Facit huc locus Plinii Lib. XXX. cap. III. *Peculiare vanitatis ſit argumentum, quod animalium cunctorum talpas maxime mirantur, tot modis a rerum natura damnatas, cæcitate perpetua, tenebris etiamnum altis defoſſas, ſepultiſque ſimiles; nullis æque credunt extis: nullum religionis capacius iudicant animal: ut ſi quis cor eius recens palpitanſque devoravit, divinationes, & rerum efficiendarum eventus promittant.*

Tal-

TALPAS. להפורפרות *lecheporpheroth*. Plerique Hebræorum ac Noſtrorum diſparant, ac duas voces faciunt: *ad faciendum foveas*, vel *ad eavandum caveas*, ſeu *foſſionem fovearum*, *& ad veſpertiliones*; id eſt, proiiciet homo idola ſua, quæ adorabat, ad foveas, & ad veſpertiliones, id eſt in loca obſcura & lucifuga, ut lucem amplius non videant. Componunt a חפר *chaphar*, *fodere*, & a פרות *pheroth*, pro חפירות *chaphiroth*, Rabbinico, per aphæreſin, id eſt *foveæ*, *foſſæ*, *foſſuræ*. Sed præſtat *chaphorpheroth* unam eſſe dictionem, de qua Forſterus hæc annotat: *Nomen, cuius media & ultima littera geminata eſt, talpæ ſic dictæ, quod terram fodiant & ſeſe oculis hominum ſubducant. Porro geminatio litterarum, ut apud Hebræos non eſt infrequens, ita non fit temere: notat enim animalculi huius in fodiendo non naturam modo, verum etiam aſſiduitatem, & quod rariſſime apud homines conſpiciatur, ſed perpetuo ab eorum oculis ſe ſubducat, & vereatur. Legitur ſemel.* Profert deinde multa Hebraica vocabula geminata. Iſtud ſequuntur Mercerus, Bertramus, Forerius, Avenarius. At Marinus ſuſpicatur *chaphorpheroth*, eſſe *picos martios*, ſic dictos quod roſtro fodiant & pertundant arbores vermiculorum, & culicum cauſa, & ad nidificandum: de quibus vide Ariſtotelem Lib. IX. de Hiſtoria Animalium, cap. IX. vel XIII. Plinium Lib. X. cap. XVIII. & AElianum Lib. I. cap. XLV. Nec futilis eſt coniectura, aſtipulantibus Hebræorum nonnullis, *aves* eſſe: compoſita vox videtur a *chaphar*, *fodere*, & a פרות *pheroth*, *fructus*, *arbores*. ET VESPERTILIONES. עטלפים *ghatallephim*, de qua voce vide in Levit. XI. 19.

V. 21. ET IN CAVERNAS SAXORUM. Alii: 1. *& in cacumina rupium.* 2. *& in promontoria rupium.* 3. *& in ſcopulos petrarum.* 4. *& in prominentias petrarum*; id eſt, in partes rupium longius excurrentes, quæ ſunt velut rami qui egrediuntur e petris: vide in Iudic. XV. 8.

V. 22. QUIESCITE ERGO AB HOMINE, &c. Diverſimode hunc verſum ex Heb. accipiunt. Plerique ab eo ſequens caput ordiuntur, eique annectunt: I. *Deſinite.* ſubaudi, timere, *vobis*, *ab homine*, *cuius anima*, ſive *ſpiraculum* ſeu *flatus in naſo eius*; id eſt, ab hominibus, quorum vita conſiſtit in aſpiratione & reſpiratione, qui ſpiritum vitalem per nares hauriunt; qui ſi comprimatur, protinus extinguuntur; *nam in quo æſtimandus eſt?* vel *quanti enim æſtimandus eſt?* vel *quid enim reputationis* aut æſtimationis eſt ipſe? quaſi dicat, Nihili faciendus eſt. Ac ſi dicat: Deſinite timere homines mortales qui nullarum ſunt virium ſi cum Deo conferantur, & Deum timete. Babylonios & Aſſyrios timetis: quanto magis Deum timere debetis? nam ecce, niſi reſipueritis, ablaturus eſt a Ieruſalem, &c. II *Cavete*, id eſt cavere ſoletis, *vobis ab homine, in cuius naribus eſt ſpiritus*, ſeu *ira*, id eſt per iram ſtomachante: *nihil enim cum delectu operatur*; quanto magis iram Dei declinare debetis. Qui hanc expoſitionem repudiant, haud magnum uſum Hebraiſmi ſe habere manifeſte docent. III Caietanus ſecutus ferme Hebræos: *Deſinite vobis ab homine, cuius anima in naribus eius, quia in quo æſtimatus ipſe?* Id eſt, Deſiſtite fiduciam veſtram in homine mortali collocare, quod is in nulla re ſit reputandus: nullius ſic opis ac præſidii. IV. Tremellius & Iunius: *Abſtinete vos ab ipſo homine.* Tranſitio hoc capite tertio ad locum de iudicio Dei in Iudæos contumaces per dehortationem; quaſi dicat: Deo adhæreſcite, & toti pendete ab eo, non ab hominibus. *Cui halitus eſt in naſo ipſius*; id eſt, qui infirmiſſimus eſt, cuius vita eſt fumus, ac proinde nulla ex parte cum Deo omnipotente comparandus: *nam quanti æſtimandus eſſet?* quaſi dicat, Quid eſt homo? quid eſt homini? aut quid ineſſe poteſt tantum, quod non intereat ex ſe, aut amittatur per voluntatem Dei momento uno? Sic poſita theſi, deinceps tranſit Ieſchahia ad hypotheſin, & Iudæis hoc dictum accommodat toto capite. Alii vero huic ſecundo capiti adiungunt, ac de Chriſto ſingulariter accipiunt. V. Montanus: *Deſinite vobis ab Adam* iſto primo, terreno, eiuſque operibus deſiſtite: *qui ſpiraculum in nare eius*; Genel. II. 7. ſiquidem his verbis ſignificat ſe loqui de primo Adam: *nam in quo reputabitur ipſe?* hoc eſt, quanti enim fiet ille homo, cum altero noviſſimo Adam, ſcilicet Chriſto, collatus? quaſi dicat, Illum abiicite cum actibus ſuis, hunc ſequimini & amplectimini: quod myſterium exequitur egregie

Pau-

Paulus I. Corinth. xv. a verſ. 45. uſque ad 50. VI. Forſterus: *Cavete vobis ab homine, cuius halitus eſt in naſo eius*, id eſt qui ſpirat ac reſpirat more aliorum hominum; quaſi dicat, Eſt verus homo: loquitur autem Filio de Dei incarnato: vel *cuius ſpiritus eſt in facie*, ſeu *ore eius*, id eſt Spiritus Sanctus, Ioan. xx. 22. *quoniam in eo reputandus eſt ille*, vel *quoniam in quo reputandus eſt iſte*, ſive *quoniam in hoc reputabilis eſt*. Loquitur autem de ipſius ſpiritu, propter quem ſit reputatione digniſſimus. Quidam admirative reddunt: *quia in quo*, vel *quanti æſtimandus eſt ille*! quaſi dicat, Immenſum, nam eſt verus Deus. VII. Forerius: *Ceſſate vobis ab illo homine in cuius naribus halitus eſt, quoniam excelſum reputatus eſt*; id eſt, Timete vobis, religioſe cavete ab homine illo Chriſto, qui licet ſpiret more humano, & ſimilem cum aliis vitam ducat; eſt tamen vivum ac verum excelſum, hoc eſt ſacrarium, altare, ſacellum, templum divinitatis, Ioan. II. 19. & Coloſſenſ. II. 9. בנה *banoh*, vel במה *bamah*, *in quo*: & במה *bamah*, eiſdem litteris, ſed aliis punctis, *excelſum*, *ſacellum*, *ſacrarium*, *altare*. Vide Levitic. xxvi. 30. & I. Samuel. IX. 12. atque in primis Commentarium S. Hieronymi huius loci. Quibus hæc interpretatio diſplicet, certe ii ſatis produnt parvum ſe guſtum in Scriptura habere. Ceteræ expoſitiones frigent, aut a nobis adductas non æquant.

MENOCHII.

Verſ. I. VERBUM: revelatio, prophetia. SUPER IUDA, ET IERUSALEM: implendum tempore Meſſiæ, cum ex Iuda naſcetur Chriſtus, Apoſtoli, & Eccleſia nova.

V. 2. ET ERIT. Particula *&*, per Hebraiſmum redundat. IN NOVISSIMIS DIEBUS; tempore ſcilicet Meſſiæ. PRAEPARATUS: erectus, fundatus, munitus, ſtabilitus; hoc enim ſignificat Hebræum נכן, *nachon*. MONS DOMUS DOMINI, id eſt Eccleſia. IN VERTICE MONTIUM: quia Eccleſia dignitate, gloria, doctrina, & ſanctitate non ſolum gentilium, ſed etiam Hebræorum templa, & ſacra ſuperat. FLUENT: ſponte current, Dei gratia iuvante, ut ad perfectam legem poſſint eniti. OMNES GENTES: aliqui ex omnibus gentibus.

V. 3. AD MONTEM DOMINI: ad Chriſtum, & Eccleſiam. AD DOMUM DEI IACOB: ad domum veri Dei, quem Iacob coluit, quæ eſt Eccleſia. DOCEBIT, Deus Iacob, Chriſtus. VIAS SUAS: legem ſuam: per quam ambulabimus illam ſervando. DE SION EXIBIT LEX: non Iudaica, ſed Chriſtiana, lex gratiæ. VERBUM DOMINI, Evangelium: Evangelii prædicatio.

V. 4. IUDICABIT: reget, dominabitur. ARGUET POPULOS, Scribas, Phariſæos, alioſque infideles, & per Apoſtolos Spiritu ſancto plenos, *arguet mundum de peccato*; Io. xvi. 8. CONFLABUNT GLADIOS IN VOMERES: cellantibus diſcordiis, & bellis. NEC EXERCEBUNTUR ULTRA AD PRAELIUM; quaſi dicat: Erit ſumma pax per longum tempus, vel ſemper ſecundum legem Chriſti, qua præcipitur caritas, & mutua dilectio.

V. 5. IN LUMINE DOMINI: in lumine Evangelii.

V. 6. PROIECISTI ENIM POPULUM TUUM, &c. quaſi dicat: Propterea populum invito, ut ad Dominum convertatur, quia tu Domine populum tuum a te deficientem proieciſti, &c. DOMUM IACOB: Iſraelitas. REPLETI SUNT: opibus, & impinguati, & incraſſati recalcitrarunt. Vel repleti ſunt idolis, aut peccatis. AUGURES. Augurii nomine quamlibet magiam, & divinationem intelligit. PUERIS ALIENIS ADHAESERUNT: per pæderaſtiam, & nefarium Sodomiæ crimen.

V. 7. REPLETA EST TERRA ARGENTO, &c. Notat Iudæorum avaritiam, & inſatiabilem cupiditatem divitiarum.

V. 8. REPLETA EST TERRA EQUIS, &c. Vetuerat Deus Hebræorum regibus, & magis populo, ne ſibi equos, & quadrigas multiplicarent, Deut. xvii. 16. & 18.

V. 9. INCURVAVIT SE, idolis. HOMO, plebeius. HUMILIATUS. Idem eſt quod incurvavit ſe, ſcilicet ad adorandum. VIR; ſcilicet primarius, & principes; quaſi dicat: Tam proceres, quam plebs colunt idola, humiliando ſe coram illis. NE ERGO DIMITTAS EIS. In Heb. eſt: *Non ergo dimittam eis*, quaſi Deus hic loquatur. Ex zelo hoc ait Iſaias; quaſi dicat: Perde Domine tam ſceleſtos, ex-

ſcinde

Digitized by Google

ſcindi idololatras. Vel dictum eſt *dimittas*, pro *dimittes*, prophetice.

V. 10. In petram: in ſpeluncam. Foſsa humo: in foſſis latita. A facie timoris Domini: a facie terroris, id eſt terribili Domini. Et a gloria maieſtatis eius: quæ ſcilicet glorioſam ſuam iuſtitiam oſtendet in Iudæos, cum eos perſequetur: & occidet per Chaldæos fortes, pugnaces, & glorioſos milites. Itaque Chaldæi vocantur *timor*, ſive terror, & *gloria Domini* metonymice, quia a Deo miſſi terrorem incutient Iudæis, & in eos glorioſam Dei vindictam exercebunt.

V. 11. Oculi sublimes, id eſt ſuperbia. Humiliati sunt, id eſt humiliabuntur. Hominis, id eſt plebeii, ut ſupra num. 9. Altitudo, elatione, ſuperbia. Virorum: nobilium, & procerum populi.

V. 12. Dies Domini: vindex.

V. 13. Cedros Libani. Superbos, elatos, & potentes deſignat, qui inter alios eminebant ut cedri Libani, aut quercus Baſan, inter humiliores arbores. Basan. Regio uberrima, & lætiſſima paſcuis, in qua quercus proceræ, & ramos late explicantes proveniebant.

V. 14. Et super omnes montes, &c. Allegoria montium nobilium, turrium, murorum munitorum, & navium Tharſis ſignificantur ſuperbi, elati, faſtuoſi, viribus, & divitiis ſuis fidentes; gloria, & dignitate ſpectabiles.

V. 16. Naves Tharsis, id eſt naves maris. Sic Tyrus infra cap. xxiii. 10. vocatur *Filia maris*, ubi in Heb. eſt, *Filia Tharſis*. Omne quod visu pulchrum est: omnes gloria, & dignitate conſpicui.

V. 17. Incurvabitur: deiicietur, humiliabitur.

V. 19. Introibunt in speluncas petrarum: Iudæi timore perterriti, &c. eſt idem quod dictum eſt ſupra num. 10.

V. 20. Proiiciet, &c. amore auri, & argenti non prohibente, nec religione idoli prius culti, adeo timor illos urgebit. Vel ſignificatur vexationem daturam intellectum, & ſerio ad Dominum convertendos Iudæos abiectis idolis. Talpas, et vespertiliones: quos coluerunt Ægyptiorum exemplo, qui viliſſima quæque animalia pro diis habebant, de quo fuſe S. Aug. de Civit. Dei Lib. IV. cap. viii. & xi.

V. 22. Quiescite ergo ab homine, &c. Eſt prophetia de Chriſto, ut ſentit Origenes, Hieronymus, & veteres Rabbini. Frequenter enim propheta ad Chriſtum avolat. Senſus eſt; quaſi dicat: Cum hoc capite vaticinatus ſim Chriſtum erecturum Eccleſiam quaſi montem, & domum Domini, &c. ſerio vos moneo, & præcipio ut quieſcatis a vexando, & occidendo Chriſto, qui homo quidem eſt, ſed etiam Deus ſcelerum vindex. Cuius spiritus in naribus eius. Significatur magnanima ira, indignatio, & vindicta, quam in ſuos hoſtes Chriſtus exercet. Hebræum אף *apò*, *naſum* ſignificat, aut furorem, & excandeſcentiam. Quia excelsus reputatus est ipse: quia reputatus eſt excelſus, & Deus ſublimis, qualis revera eſt.

T I R I N I.

Verſ. 1. Verbum, id eſt res eventura super Iuda tempore meſſis, quando ex Iuda natus fuerit Chriſtus, Apoſtoli, & nova Eccleſia, de qua deinceps agitur: ita Cyrillus.

V. 2. In novissimis diebus. Hebraice pro poſteriori *a* tempore, puta Chriſti, quod vere noviſſimum eſt tempus reſpectu præcedentium ætatum & ſtatuum mundi. Lex enim gratiæ poſterior eſt lege naturæ & Moſaica, & ita ultima, & nulla alia lex ei ſucceſſura eſt. Erit praeparatus, Hebraice, *fundatus*, erectus, munitus, inſtructus, firmatus, ſtabilitus. Hæc enim omnia ſignificat, *nachon b*. Mons domus Domini, id eſt mons Sion, inquiunt Iudæi *c*, in quo templum Salomonis: qui mons tempore Meſſiæ per tres leucas ſurſum attolletur, & montibus Carmelo ac Thabori imponetur. Sed hæ ſunt fabulæ Rabbinorum: *mons* enim hic & *domus Domini* eſt Eccleſia Chriſti, quæ loco altiſſimo & maxime conſpicuo ſita eſt, perinde ac ſi in monte collocata eſſet. Unde LXX. hic loco, *præparatus*, vertunt ἐμφανὴς, id eſt *manifeſtus*: ita Cyrillus, Euſebius & Athanaſius. Et in hunc fere ſenſum delabuntur etiam SS. Hieronymus, Baſilius, & Rupertus, qui per hunc

Digitized by Google

hunc montem Chriſtum intelligunt: nam iuxta regulas Diconii apud S. Auguſtinum, quia unum quid ſunt Chriſtus & Eccleſia, nempe caput & corpus; ideo quidquid de Eccleſia dicitur, etiam convenit Chriſto; & e converſo. In vertice montium; id eſt, ſupra omnes montes, loco celſiore, dignitate altiore, gloria ſublimiore quam ſint omnes montes cultu aliquo ſacro celebres. Nam *Sion* & *Moria*, & ſimiles Iudææ montes typi erant ſolummodo & umbræ Eccleſiæ Chriſti; umbra autem ſubeſt corpori, & typus ſeu idea ſubeſt fabricæ domus, inquit Sanchez. Deinde doctrina Eccleſiæ, & ritus & mores, omni veterum religione, omni philoſophia & ſapientia humana longe ſublimiora ſunt, utpote ſupernaturalia, atque e cælo & a Deo profecta, inquit Cyrillus, Hieronymus & Baſilius. Aliter S. Auguſt. Procopius, & ex his Leo Caſtrius, dicunt Eccleſiam conſtructam ſuper Patriarchas, Prophetas, Apoſtolos & alios illuſtres Sanctos, quos *montes* vocant; ſicut *colles*, minores Sanctos. Anagogice, S. Bernardus *d*, *montem* hunc *in vertice montium* vocat regnum cæleſte. Et fluent ad eum omnes gentes. Quod hoc prodigium! ad montem altiſſimum aſcendent flumina? Utique ad Eccleſiam, montem ſapientiæ & virtutum, præter naturam ſurſum *e*, attrahente gratia cæleſti, ex omnibus orbis nationibus aſcendant ea animi propenſione, contentione atque impetu, quo ſolent flumina e montibus in imas valles defluere.

V. 3. De Sion exibit lex, non vetus, ſed nova; non Iudaica, ſed Chriſtiana, lex gratiæ, lex vitæ, lex ſalutis: et verbum Domini, puta Evangelium & Evangelii prædicatio, de Ierusalem: nempe quando Apoſtoli & alii diſcipuli roborati in Pentecoſte a Spiritu ſancto, ex Ieruſalem & Iudæa proſilient in reliquas orbis plagas, ut præcepto Chriſti obſequantur *f*: *Euntes in* orbem *univerſum*, *docete omnes gentes*.

V. 4. Et iudicabit gentes, ſcilicet *Deus Iacob* (de quo verſ. 3.) Iudicabit, inquam, inſtar iuſti iudicis, vindicis ac principis, decernens cuique quod ſuum eſt, cuique debetur; quaſi dicat: Non ſinet quemque pro placito & libito bella in alios movere, perpetuas lites & odia exercere: ſed ipſe per leges ſuas & vicarios ſuos componet rixas & diſſidia nationum etiam ferociſſimarum, facietque ut in una eademque Eccleſia, ſub unius paſtoris regimine ſumma pace & amicitia conglutinentur: ita fere Tertullianus, & Athanaſius *g*. Nec exercebuntur ultra ad praelium. Id S. Hieronymus & Euſebius reſtringunt ad tempus nativitatis Chriſti, quando Iano per Auguſtum *b* tertium clauſo, tutiſſima toto orbe pax fuit. Sed poteſt univerſaliter extendi ad omne tempus legis gratiæ; non quod nulla futura ſint bella, nec eſſe poſſint inter Chriſtianos, ut voluit Lutherus, Agrippa, Eraſmus, Anabaptiſtæ, & olim Manichæi; nam etiam iuſſu Dei geſſerunt bella Conſtantinus, Heraclius & tot alii pii Imperatores ac reges in novo Teſtamento, perinde ac Ioſue, David, Machabæi in antiquo: ſed quod talia bella, qualia ſolent olim a tyrannis moveri, non ſint movenda a Chriſtianis, nempe ſi Chriſtianæ legi obſequantur, quæ pacem ubique & concordiam inculcat. Ergo prædicit hic Iſaias, bella iniuſta & tyrannica, qualia geſſerunt Nemrod, Salmanaſſar, Sennacherib, & alii monarchæ Aſſyrii, Chaldæi, Perſæ, Græci & Romani: bella, inquam, non iam bella, ſed latrocinia, quibus ex mera ambitione & libidine dominandi invadebantur & ſpoliabantur innocentes, per Chriſtum & Chriſti legem inhibenda & elidenda. Ab his enim abſtinent quicumque veri Chriſtiani ſunt, & Chriſti pacificis legibus parent. Quod ſi ex neceſſitate cogantur alteri bellum ſibi iniuſte moventi reſiſtere, vel armis iniuſte ablata recuperare, non tam bellum quærunt, vel gerunt, quam iuſtitiam adminiſtrant, & pacem ab aliis læſam redintegrant: ita Tertullianus, Origenes, Athanaſius, Irenæus *i*.

V. 5. Domus Iacob, o Iudæi, venite, ambulemus in lumine Domini, recipite Evangelium Meſſiæ. Nemo vero miretur, quod Iudæos, quibus iam pridem illuxit notitia Dei, invitet ad agnoſcendum ſuum Meſſiam, verum & unicum Deum. Quia tu Domine Iudæos eoſdem iuſto iudicio tuo, a facie tua

V. 6. Proiecisti, id eſt abiicere decreviſti, & iam cœpiſti, populum quidem

Digitized by Google

dem TUUM, ſed tibi rebellem. *Proieciſti*, inquam, deſtituendo illos efficaci cæleſti lumine, quo Meſſiam ſuum & Deum verum agnoſcant & ſerviant: & neceſſario auxilio, quo hoſtibus ſuis ſua ſancta diſſipantibus reſiſtant. Cauſæ cur ſic illos deſtituas, ſunt: Prima, QUIA REPLETI SUNT UT OLIM, nempe divitiis, & inde vitiis, maxime idololatria, ut notat Chaldæus. Hoc enim perantiquum eſt peccatum Iudæorum, ut patet ex vitulo aureo quem adoraverunt in Sinai. Secunda, quia AUGURES HABUERUNT. Tertia, quia PUERIS ALIENIS ADHAESERUNT; Hebraice, *adglutinati ſunt*; Symmachus, *applauſerunt*. Notat nefariam pæderaſtiam, cui more vicinarum gentium ita indulgebant, ut eum in finem etiam *alienos pueros*, id eſt peregrinos ſervos & mancipia coemerent; & hoc nomine paſſim in Scripturis *k* reprehenduntur, inquit S. Hieronymus, Rupertus, S. Thomas & Haymo. Et ideo cap. præced. verſ. 10. vocarat eos, *principes Sodomorum & populum Gomorrhæ*. Quarta cauſa eſt:

V. 7. NON EST FINIS THESAURORUM: nempe inſatiabilis habendi cupido, ſine fine, ſine termino. Quinta:

V. 8. & 9. REPLETA EST TERRA EIUS EQUIS, ET INNUMERABILES QUADRIGAE EIUS, contra decretum Dei Deuteron. XVII. 16. &c. Sexta cauſa: *Repleta eſt terra idolis*, coram quibus & plebeius HOMO SE INCURVAVIT, ET VIR primarius quoque HUMILIATUS EST; id eſt, proſtratus iacuit, colens illa & adorans. Loquitur de ſuo tempore: nam poſt reditum ex Babylone, numquam communi conſenſu adoraverunt idola Iudæi, ut prædixit Tobias, & Rabbini apud Galatinum teſtantur *l*. NE ERGO DIMITTAS EIS; id eſt, ne ſinas impunitos abire tam ſceleſtos. Ex zelo hoc dicit Iſaias. Vel dic prophetice loqui, ut idem ſit quod, *non dimittes*. Unde & LXX. vertunt, *non dimittam eis*.

V. 10. INGREDERE IN PETRAM, id eſt in ſpeluncas, quibus plurimis & inacceſſis abundat Iudæa, teſte Ioſepho. Eſt ſarcaſmus, quo pavidis Iudæis tempore excidii Chaldaici graphica hypotypoſi inſultat Propheta; quaſi dicat: Fugite quo vultis, nuſquam effugietis: ita S. Hieronymus.

V. 16. NAVES THARSIS, id eſt maris, ut dixi II. Paral p. IX. 21. Notantur claſſes AEgyptiorum & Tyriorum & aliorum Iudæis obſeſſis opitulari volentium, ſed a Chaldæis fuſæ & depreſſæ, Ierem. III. 6. &c. XLVI. LXVII. &c. ita Cyrillus.

V. 18. IDOLA PENITUS CONTERENTUR. Ita factum reipſa, ut dixi verſ. 8. poſt vaſtationem Chaldaicam. Sed plenius ſub Theodoſio ſeniore Imp. *m* qui publicis edictis idololatriam per totum orbem ſuſtulit.

V. 22. QUIESCITE ERGO AB HOMINE. Rabbini recentiores id exponunt de Nabuchodonoſore; quaſi dicat: Nolite irritare tam ferocem & potentem regem. Sed antiquiores Rabbini, & cum his Origenes, Hieronymus & alii SS. Patres ac Doctores id de Chriſto intelligunt; quaſi dicat: Ceſſate, o Iudæi, a vexando, perſequendo, occidendo Chriſto, quia licet *homo* ſit mitis, humilis & patiens, eſt tamen ſimul EXCELSUS dignitate, maieſtate, potentia, ut omnibus conſtat: eſtque etiam magnanimus, & adverſus ſcelera graviter iraſcitur, indignatur, & furore concitatur. Hoc eſt enim *ſpiritum* ſeu halitum IN NARIBUS *habere*, ut ex aliis Scripturæ *n* locis, immo & ex Poetis *o* probant Lud. Legionenſis, Delrius, Pineda, Raderus, Pintus, a Lapide, & Alvarez.

(a) Gen. XLIX. 1.
(b) Prov. VIII. 27. & pſal. XXIII. 2.
(c) Iudæi apud Galatin. Lib. V. cap. III.
(d) Bern. ſerm. in illud: *Quis aſcendet in montem Domini?*
(e) Ioan. IV. 14.
(f) Matth. XXVIII. 19. & Marci XVI. 15.
(g) Tertull. Lib III. cont. Marcion. c. XXI. Athan. Lib. I. de Incarnat. Verbi.
(h) Chron. cap. XLIV.
(i) Tertull. & Athan. ſup. Orig. Lib. V. contra Celſum. Iren. Lib. IV. c. LXVII.
(k) III. Reg XIV. & XV. & II. Mach. IV. 9. & 12.
(l) Tobias c. ult. verſ. 8. Galatin. Lib. IV. cap. XXIII.
(m) C. Theodoſ. Lib. X. XI. XII. de Paganis.
(n) II. Reg. XXII. 9. Iob XXVII. 3. & cap. XLI. 11. Iob XXXIX. 20. Thren. I. 12.
(o) Theocrit. Idyllio 1. Martial. Lib. VI. Epigram. XLV. Lud. Legion. in Cant. VII. *Naſus tuus*. Delrio Adag. tom. 1. adagio 510. Pineda in prævio Salom. Lib. V. cap. IV. 4. Matt. Raderus in Martial. epigram. XLV. Libri VI.

GORDONI.

Verſ. 1. *uſque ad* 4. ET ERIT IN NOVISSIMIS DIEBUS. Hoc docet, de iis

iis hic agi quæ eventura ſunt naſcente Meſſia, & ſub Apoſtolis in nova Eccleſia. Septuag. *quia erit*; quaſi reddatur ratio eorum quæ dicta ſunt cap. I. verſ. 26. & 27. Inepte negant Iudæi tempus Chriſti eſſe noviſſimum: nam Chriſtus eſt finis legis, & ex triplici tempore, naturæ, legis, & gratiæ, hoc tertium eſt noviſſimum. At quis mons ille præparatus? omitto ſenſum moralem aut ſymbolicum: ſane germanus ſenſus eſt de Eccleſia ex Athanaſio, Euſebio de Præpar. & aliis, Septuag. *mons ἐμφανὴς*, hoc eſt *manifeſtus*. nempe Eccleſia Dei viſibilis eſt: illa Novatorum inviſibilis, fugit lucem: ad hanc confluent vocatæ gentes, ut ſequitur, & de hac Sione lex gratiæ, & de Ieruſalem in Pentecoſte.

V. 4. Et iudicabit gentes. Hoc omnino per Chriſtum fiet, per Apoſtolos & ſucceſſores: immo etiam vindicabit a captivitate diaboli: hinc Ioan. VI. 8. *Arguet mundum de iudicio*, &c. Verum quidem eſt (quod notavi in opere chronologico) in Chriſti adventu quieviſſe orbem ſub uno capite. At quomodo non amplius ad bellum? hoc quidem ſymbolice, varias admittit interpretationes; ſenſus vero litteralis non ſatis videtur explicari per pacem ſub Auguſto, ut docent verba Iſaiæ: intelligi melius poteſt pax perpetua; nempe illa ſpiritualis quam annuntiat Angelus naſcente Chriſto, *pax hominibus bonæ voluntatis*; quam ſcilicet proponit lex Chriſti, & quam fovent patientia, caritas, & vitæ innocentia: nam qui tales ſunt, pacem habent perpetuam cum Deo, cum hominibus, & ſecum in animo. Pax hæc Apoſtolica eſt, ubi non gladio alio quam ſpirituali & verbo certatur: pax denique in gloria erit cæleſti.

V. 6. & deinceps. Proiecisti enim populum tuum. Iſaias verſ. 5. invitat populum ad reditum ad pietatem; omni quidem tempore, ac præſertim exacta captivitate, & ſub Chriſto. Et nunc verſ. 6. terrore incitat, commemorans (per apoſtrophen ad Deum) mala & damna quæ obvenerunt, & obvenient ob peccata. Hinc verſ. 9. concludit, ne dimittas eis: quod dicit, vel ex zelo iuſtitiæ quoad pœnam; vel prophetice, prædicens quod futurum eſt quoad culpam. Ceterum arguit hic augurium, ſuperbiam, avaritiam, obſcœnitatem.

V. 10. Ingredere in petram, &c. Promovet cœptum ſermonem; & ad terrorem maiorem ingeminat futura ſupplicia: nec evadet, inquit, populus excidium, quamvis velit ſe in cavernis abſcondere; ubi verſ. 10. habet ſpeciem ironiæ, aut ſarcaſmum. In hoc diſcurſu dies Domini eſt dies vindictæ per Chaldæos: vel allegorice dies iudicii: per cedros Libani & inſequentia, intelligo ad ſenſum litteræ principes, & opibus eminentes; quod vero eſt verſ. 16. nomen Tharſis interdum pro quovis mari accipitur. Aliqui hic maiores naves intelligunt, ac forte vicinarum provinciarum Tyri & Sidonis: certe claſſis Iudæorum poſt tempora Iſaiæ, vel nulla, vel perexigua fuit: vide III. Reg. x. 22.

V. 22. Quiescite ergo ab homine. Aliqui hunc locum interpretantur de non timendo homine potente, irato, aut excelſo, ad mala & ſcelera hæc compellente; ſed Deum, inquit, timete. Ad hunc ſenſum vertit Chaldæus; & Cæſarem aliqui intelligunt, alii Regem Aſſyriorum, aut AEgypti. Hunc ſenſum dant Mariana & Sa. Verum, non pauci hunc locum exponunt de Chriſto, cum Origene, Hieronymo & veteribus Rabbinis; ut ſic expoſitis malorum & excidii cauſis, recordentur Iudæi magnopere, ut bene ſibi caveant a perſecutione ac vexatione venturi Meſſiæ, ne hinc maxima diuturnioris exilii cauſa naſcatur: ita Sanchez, Cornelius, & Delrio, adagio 139. Placet hic ſenſus: verba apte conſentiunt, & belle conſpirat inſequens caput. Illud de ſpiritu in naribus, clare notat ex phraſi Hebraica iram.

CA-

CAPUT III.

Futura Judæorum ob ſua peccata gravis afflictio ac deſertio, & puerorum atque effeminatorum dominium: peccata ſuperiorum arguit: item ſuperbiam & curioſam laſciviam filiarum Sion in ignominiam vertendam prædicit.

1 ECce enim dominator Dominus exercituum auferet a Ieru-
ſalem, & a Iuda validum & fortem, omne robur panis,
& omne robur aquæ; 2. fortem, & virum bellatorem,
iudicem, & prophetam, & ariolum, & ſenem; 3. Prin-
cipem ſuper quinquaginta, & honorabilem vultu, & con-
ſiliarium, & ſapientem de architectis, & prudentem elo-
quii myſtici. 4 Et dabo pueros principes eorum, & ef-
feminati dominabuntur eis. 5. Et irruet populus, vir ad virum, & unuſquiſque
ad proximum ſuum: tumultuabitur puer contra ſenem, & ignobilis contra
nobilem. 6. Apprehendet enim vir fratrem ſuum domeſticum patris ſui: * Ve-
ſtimentum tibi eſt, princeps eſto noſter, ruina autem hæc ſub manu tua.
7. Reſpondebit in die illa, dicens: Non ſum medicus, & in domo mea non
eſt panis, neque veſtimentum: nolite conſtituere me principem populi. 8. Ruit
enim Ieruſalem, & Iudas concidit: quia lingua eorum & adinventiones eorum
contra Dominum, ut provocarent oculos maieſtatis eius. 9. Agnitio vultus
eorum reſpondit eis: & peccatum ſuum quaſi Sodoma prædicaverunt, nec ab-
ſconderunt: væ animæ eorum, quoniam reddita ſunt eis mala. 10. Dicite iu-
ſto quoniam bene, quoniam fructum adinventionum ſuarum comedet. 11. Væ
impio in malum: retributio enim manuum eius fiet ei: 12. Populum meum exa-
ctores ſui ſpoliaverunt, & mulieres dominatæ ſunt eis. Popule meus, qui te
beatum dicunt, ipſi te decipiunt, & viam greſſuum tuorum diſſipant. 13. Stat
ad iudicandum Dominus, & ſtat ad iudicandos populos. 14. Dominus ad iu-
dicium veniet cum ſenibus populi ſui, & principibus eius: vos enim depaſti eſtis
vineam, & rapina pauperis in domo veſtra. 15. Quare atteritis populum meum,
& facies pauperum commolitis, dicit Dominus Deus exercituum? 16. Et di-
xit Dominus: Pro eo quod elevatæ ſunt filiæ Sion, & ambulaverunt extento
collo, & nutibus oculorum ibant, & plaudebant, * ambulabant pedibus ſuis,
& compoſito gradu incedebant: 17. Decalvabit Dominus verticem filiarum Si-
on, † & Dominus crinem earum nudabit. 18. In die illa auferet Dominus or-
namentum calceamentorum, & lunulas, 19. & torques, & monilia, & armil-
las, & mitras, 20. & diſcriminalia, & periſcelidas, & murenulas, & olfacto-
riola, & inaures, 21. & annulos, & gemmas in fronte pendentes, 22. & mu-
tatoria, & palliola, & linteamina, & acus, 23. & ſpecula, & ſindones, & vit-
tas, & theriſtra. 24. Et erit pro ſuavi odore fœtor, & pro zona funiculus,
& pro criſpanti crine calvitium, & pro faſcia pectorali cilicium. 25. Pulcher-
rimi quoque viri tui gladio cadent, & fortes tui in prælio. 26. Et mœrebunt
atque lugebunt portæ eius, & deſolata in terra ſedebit.

Digitized by Google

Romanae Correctiones.

Verſ. 6. *Veſtimentum tibi eſt*. Non præponas his verbis participium *dicens*.
Verſ. 16. *Ambulabant pedibus ſuis, & compoſito gradu incedebant*. Alii collocant coniunctionem copulativam ante *pedibus ſuis*.

Lectionum Varietas.

Verſ. 17. *Et Dominus crinem earum nudabit*. Pro *crinem*, quidam coniiciunt legendum eſſe *clunem*: in quem ſenſum Pagninus vertit *nates*. Nam de crine, quod plus erat, iam dixerat: *Decalvabit Dominus*, &c. de natibus vero diſcoopertis comminatio eſt infra xx. 4.

C O M M E N T A R I A

M A L D O N A T I.

Verſ. 1. Ecce enim dominator Dominus exercituum. Docet cur potius Deum quam homines timere debeant; quia *ecce dominator*, &c. *auferet ab Ieruſalem & Iuda*; משען ומשענה, *ſuſtentaculum & ſuſtentaculum*, vel, robur & robur, id eſt omne robur, ſcilicet panem & aquam, & viros fortes, ut mox declarat, hoc eſt, immittet magnam famem, & ſtragem. Quod alii de obſidione ſub Nabuchodonoſor, IV. Reg. xxiv. alii de vaſtatione ſub Tito propter Chriſti iniquam mortem factum intelligunt.

V. 2. Et Prophetam & ariolum. קוסם, *coniectorem*, id eſt virum prudentem, qui futura providere poſſit: accipitur enim hic in bonam partem, alioqui non eſſet pœna eum auferre.

V. 3. Principem super quinquaginta. id eſt ducem quinquagenarium. Et honorabilem vultu. נשוא פנים, ad verbum, *ſublatum facie*, id eſt virum magnæ auctoritatis, quem omnes ſuſpiciunt, cuius vultum omnes reverentur. Et sapientem de architectis. Heb. וחכם חרשים, *& ſapientem artificum*, id eſt ſapientiſſimum quemque artificem. Et prudentem eloquii mystici. Hebr. נבון לחש Aliqui vertunt, *oratorem*. Melius meo iudicio Hieronymus, *prudentem eloquii myſtici*; id eſt, qui ſecreta & occulta conſilia coniecturis conſequi poſſit. לחש enim non ſignificat declamare, oratorum more, ſed potius tacite muſſitare, occultare, celare: uno verbo ſignificat, fore ut Deus auferat omnia præſidia ab Ieruſalem & Iuda, & tradat eas in manus hoſtium.

V. 4. Et dabo pueros principes eorum; id eſt, dabo illis pueros principes. Et effeminati. Hebr. ותעל ובים, *parvuli dominabuntur eis*. Sic punit aliquando Deus populum, Eccl. x. 16. *Væ tibi terra, cuius rex puer eſt*.

V. 5. Et corruet populus. Hebr. ונגש, quod alii vertunt, *expilabitur*: alii, *exactorem ſe conſtituet*. Vir ad virum. Hebraiſmus, id eſt alter contra alterum. Tumultuabitur. Heb. ירהבו, *inſolenter agent*. Septuag. προσκόψει τὸ παιδίον, ſententia, quoquo modo verba reddantur, eadem eſt; deſcribitur enim futura ſeditio in Republica, ſublato magiſtratu, a quo in pace continebatur.

V. 6. Apprehendet enim vir, id eſt quiſque fratrem ſuum domeſticum. Heb. בתיאביו, *de domo patris ſui*, id eſt fratrem germanum; quia omnes cognatos Hebræi fratres vocant, ad ſignificandum germanum fratrem addunt, *de domo patris*. Vestimentum tibi est; quaſi dicat, In eo ſtatu res erit, ut quicumque paulo melius veſtitus fuerit, Rex fiat, Ruina autem haec sub manu tua; id eſt, ſuppone manum tuam ruenti Reipublicæ. Hypallage. Septuag. καὶ τὸ βρῶμα τὸ ἐμὸν ὑποσὲ ἔςω; id eſt, ſuſcipe curam alendi mei; quaſi legerint מבשלה, pro, מכשלה, quod videtur convenire cum eo quod ſequitur; alter enim videt non eſſe panem in domo ſua.

V. 7. Respondebitque in die illa. Hebr. ישא, *levabit*, (ſub. manum ſuam) id eſt, iurabit. Nehem. ix. 15. *Sic per quam levaſti manum tuam*, id eſt, iuraſti. Non sum medicus. חבש לא אהיה, *non ero princeps*, aut *gubernator*: ita vocatur

catur princeps a חבש *ligare*, quod legibus populum liget, aut quod tamquam medicus obliget vulnera Reipublicæ. Propterea Hieronymus vertit, *Non ſum medicus*. Septuag. ἀρχηγὸς, ET IN DOMO MEA. ו pro כי, & pro *quia in domo mea non eſt panis, neque veſtimentum*: ſenſus eſt, tantam futuram eſſe calamitatem, ut nemo reperiatur, qui vel rogatus rex eſſe velit.

V. 8. RUIT ENIM IERUSALEM. Verba Prophetæ, quibus cauſam reddit cur nemo reperietur qui rex eſſe velit, ſcilicet quia tota Reſpublica evertitur (utitur enim præteritis pro futuris) quia & verbis & factis Dominum irritaverunt.

V. 9. AGNITIO VULTUS EORUM RESPONDEBIT EIS. Pro reſpondit, id eſt ex ipſo eorum vultu facile cognoſcitur quales ſint; adeo enim ſcelerati ſunt, ut ipſo etiam vultu ſua flagitia profiteantur, ſicut ſtatim declarat: ET PECCATUM SUUM QUASI SODOMA PRAEDICAVERUNT, id eſt *Lætantur cum malefecerint*, Prov. II. 14. VAE ANIMAE EORUM, id eſt vitæ, actum eſt de vita ipſorum, quoniam reddita ſunt, Heb. כי גמלו להם רעה *quia ipſi ſibi reddiderunt*, id eſt meruerunt malum, ſcilicet mortem.

V. 10. DICITE IUSTO QUONIAM BENE. Hebr. יכי שוב *quia bonus eſt*, aut quod bene illi erit, aut ſi bonus fuerit: aut dicite quod bonum, id eſt nuntiate illi fauſta, date bonam ſpem. *Quoniam fructum* מעלליהם *operum ſuorum* COMEDENT, id eſt, non perdent mercedem operum ſuorum: poſuit צדיק ſingularem pro plurali, propterea utitur verbo plurali יאכלו.

V. 11. VAE IMPIO. רע, *malo*, aut *væ malum impio*, id eſt quod impio impendet: RETRIBUTIO ENIM MANUUM EIUS, id eſt ſecundum opera ſua retribuetur ei.

V. 12. POPULUM MEUM, &c. Hebr. עמי נגשיו מעולל, *populi mei exactores parvulus*, ad verbum, ſingulare pro plurali; id eſt, homines imbecilles, qui in eum dominantur, opprimunt eum, ut ſtatim exponit: feminæ, id eſt, impotentes viri ſimiles feminis dominati ſunt eis; quaſi dicat: Adeo miſeri ſunt, ut etiam a pueris & feminis opprimantur. Hæc omnia dicuntur de futura calamitate quaſi præſenti. POPULE MEUS, &c. Hæc referuntur ad falſos Prophetas; quaſi dicat: Si qui tibi felicia vaticinantur, ne credas, ſeducunt enim te, ET VIAM GRESSUUM TUORUM, בלעו, *perdunt*, ideſt rationem vitæ tuæ.

V. 13. STAT AD IUDICANDUM; id eſt, præſto eſt, non multo poſt iudicabit populos.

V. 14. VOS ESTIS. Poſſunt hæc eſſe verba Prophetæ mutata perſona. DOMINUS AD IUDICIUM VENIET CUM SENIBUS, id eſt vobiſcum, o ſenes, QUIA VOS DEPASTI ESTIS, בערתם, *incendiſtis vineam* (ſub. eius:) nam Hebraice non legitur, meam. Poſſunt etiam eſſe verba Dei, ut ſubintelligatur, Dicet Deus ſenibus: Vos incendiſtis vineam (meam) ET RAPINA PAUPERUM IN DOMO VESTRA (eſt): id eſt, locupletaſtis domum veſtram ſpoliis pauperum: aut, ſocii fuiſtis eorum qui pauperes ſpoliaverunt.

V. 15. QUARE, מלכם Hebr. *quid vobis*, (ſub. eſt) id eſt, quid lucri vobis accedit ex eo, cum puniendi ſitis propterea? aut, quid vobis poteſtatis eſt ut atteratis, &c. Quis vobis tantam dedit auctoritatem? aut quis furor vobis eſt? Atterere autem populum, & facies pauperum commolere, aut eſt, ut alii volunt, colaphis cædere, aut ut ego exiſtimo, ita opprimere, ut macilenti ſint & afflicti.

V. 16. PRO EO QUOD ELEVATAE SUNT FILIAE SION. גבהו, *ſuperbæ factæ ſunt*. Superbiam totius populi oſtendit ex ſuperbia mulierum, quas natura humiliores eſſe oportebat. Deſcribit autem particulatim earum ſuperbiam, quod ambulaverint extento collo, &c. ET PEDIBUS. וברגליהם תעכסנה, proprie ſignificat pedes ornatos habuiſſe ſquamatis calceis, aut pedibus crepitando inceſſiſſe, quemadmodum ſi ſquamatos habuiſſent, id eſt muſicum ſonum ambulantes excitaſſe, quod Hieronymus expreſſit dicens, *Compoſito gradu incedebant*. Septuag. καὶ τοῖς ποσὶν ἅμα παίζουσαι.

V. 17. DECALVABIT DOMINUS; id eſt, ita affliget ut ſcabie capillus eis decidat, aut faciet ut captivæ ducantur, & tondeantur, ſicut captivæ ſolent: aut luctus cauſa ſeipſæ tondeant, ut Iudæorum mos erat. Hierem. VII. 29. & Mich. I. 16.

De-

Decalvare & tondere ſuper filios delitiarum ſuarum, quoniam captivi ducti ſunt ex te. ET DOMINUS CRINEM EARUM. פתהן, *cæſariem earum*, ut ait R. Abrah. Alii, *nates earum*, id eſt faciet ut nudæ abripiantur captivæ.

V. 18. ORNAMENTA CALCEAMENTORUM. Heb. העכסים, *crepitaculorum*, aut ſquamarum, ut ſup. verſ. 16. ET LUNULAS. Heb. והשבסים. R. David in Lib. rad. interpretatur veſtes Phrygias oculis diſtinctas. Alii vittas ad modum retis, quibus etiam nunc mulieres caput ornant. ET LUNULAS. Frontem ornabant Hebrææ hemicyclo ad modum novæ lunæ, quod & nunc Africanæ faciunt.

V. 20. OLFACTORIA. Heb. ובתי הנפש, *domos animæ*, Hieronymus interpretatur *olfactoria*, id eſt thecas odorum, nam נפש ſicut & anima Latine ſpirationem ſignificat. Alii *domos animæ*, id eſt pectoralia.

V. 24. ET ERIT PRO SUAVI ODORE FOETOR. Ita præ miſeria & ſordibus contabeſcent, computreſcentque earum corpora, ut tantum fœteant, quantum nunc olent. ET PRO ZONA FUNICULUS. Heb. נקפה Hebræi interpretantur *exciſionem*, aut rupturam, ut R. David & R. Abraham. Sed ſenſus melior eſt, ſi cum Hieron. & Septuag. vertamus, *funiculum*. Significat enim Propheta, ut quemadmodum nunc zonis ſeſe ad venuſtatem elegantibus cingunt, ita funibus aliquando ligentur, ut captivæ ducantur. ET PRO CRISPANTI CRINE. ותחת מעשה מקשה, & *pro opere æquali*, ideſt pro concinna capilli compoſitione calvitium.

V. 25. PULCHERRIMI VIRI TUI. Hebr. כי תחת יפי Hebræi interpretantur, aduſtio pro pulchritudine, id eſt deformitas: adurentur enim ſole cum captivæ ducentur, כי a verbo כוה *adurere*. Alii faciunt dictionem cauſalem, & interpretantur, quia pro pulchritudine, (ſub. erunt hæc omnia.)

V. 26. ET MOEREBUNT ATQUE LUGEBUNT PORTAE EIUS, id eſt tuæ: mutatio perſonæ, ſcilicet portæ civitatis dicuntur lugere quando pauci ſunt qui ingrediantur & egrediantur, ut Threnor. 1. 4. *Viæ Sion lugent eo quod non ſunt qui veniant ad ſolemnitatem*. ET DESOLATA IN TERRA SEDEBIT; id eſt, habitatoribus vacuata ſolo æquabitur.

S A.

Verſ. 1. ET FORTEM. LXX. *& validam*. Heb. quidem eſt femininum.

V. 2. ARIOLUM. Heb. Chald. & LXX. *conjectorem*; ſcilicet ex coniecturis futura prædicentem. SENEM, id eſt longa experientia doctos.

V. 3. PRINCIPEM, ideſt ducem. HONORABILEM VULTU, id eſt auctoritate venerabilem, & gratioſum. PRUDENTEM ELOQUII MYSTICI. Hebr. *dicendi peritum*. Chald. *prudentem in conſilio*. LXX. *prudentem auditorem*.

V. 4. EFFEMINATI. Heb. *parvuli*, ſeu *pueri*. Chald. *infirmi*. LXX. *illuſores*.

V. 6. DOMESTICUM, id eſt de domo, ſeu familia. LXX. *vel domeſticum*. VESTIMENTUM TIBI EST, id eſt bene es veſtitus, ſeu veſtibus abundas. RUINA, id eſt calamitas, ſeu miſeria. Chald. *poteſtas*. SUB MANU TUA; quaſi dicat: Fulci ruentem domum, vel civitatem.

V. 7. NON SUM MEDICUS, id eſt non poſſum mederi tanto malo. Chald. *non ſum ſufficiens, ut ſim princeps*. LXX. *non ero tuus princeps*.

V. 8. RUIT, &c. verba Prophetæ.

V. 9. AGNITIO VULTUS, &c. quaſi dicat: Ex vultu eorum apparet qui ſint. EIS, id eſt contra eos, ſcilicet teſtificans. REDDITA SUNT, &c. LXX. *conſuluerunt*, ſeu *conſultaverunt conſilium malum contra ſe, dicentes: Alligemus iuſtum, quoniam inutilis nobis eſt: igitur fructus operum ſuorum comedent*.

V. 10. QUONIAM BENE. Chald. *quod beatus eſt*.

V. 11. IN MALUM, id eſt lædenti alios. Chald. *quia opera eius mala ſunt*. LXX. coniungunt cum ſequentibus ſic: *Mala ſecundum opera manuum eius accident ei*.

V. 12. EXACTORES, ſcilicet iniqui. VIAM GRESSUUM TUORUM, id eſt vitæ tuæ rationem. DISSIPANT, id eſt perdunt, ſeu depravant, ſcilicet faciunt peccare. LXX. *conturbant*.

V. 13. STAT, ſcilicet paratus. LXX. *conſtituetur*.

V. 14. CUM SENIBUS, &c. ſcilicet iſti præcipue iudicandi: eos enim ſtatim alloquitur.

V 15.

V. 15. Commolitis; ideſt cæditis, ſcilicet colaphis, vel comminuitis. LXX. *confunditis*, ſcilicet pudore.

V. 16. Elevatae, ſcilicet ſuperbia. Filiae: de feminis loquitur. Nutibus oculorum, ſcilicet laſcivis. Chald. *ſtibio linitis oculis*. Plaudebant. Chald. *crinibus circumvolutis*. LXX. *trabebant tunicas*. Composito gradu. Chald. *provocantes*. LXX. *ludentes*.

V. 17. Crinem, id eſt pilos pudendorum. Heb. *pudenda*. LXX. *turpitudinem*; quaſi dicat, Permittet ab hoſtibus violari.

V. 18. Illa, ſcilicet ultionis, ſeu punitionis. Lunulas, ideſt ornamenta lunæ forma. LXX. *tunicas fimbriatas*.

V. 19. Mitras, id eſt vela capitis.

V. 20. Discriminalia, id eſt inſtrumenta quibus capillos diſcriminant: dicuntur etiam *diſcernicula*, a *diſcernendo*, id eſt ſeparando. Periscelidas, id eſt crurum ornamenta. Chald. *pedum armillas*.

V. 22. Mutatoria, id eſt veſtes pretioſas: ſic dictas, quod aliis mutatis ſeu depoſitis induantur celebrioribus diebus, ſeu cum procedendum eſt. Linteamina. LXX. *veſtes per domum*, id eſt ordinarias, ſeu quotidianas; ſcilicet quibus domi utuntur.

V. 23. Sindones: forte ſudariola intelligit. Theristra, id eſt veſtes ſubtiles æſtivas.

V. 24. Fascia pectorali, id eſt linteo, quo feminæ dorſum & pectus tegunt, ut videre eſt Genuæ.

V. 26. Moerebunt, &c. id eſt mœſtitiam indicabunt & luctum; vel exprimment videntibus deſolationem, lacrymas. Desolata, ſcilicet civibus ſpoliata. Sedebit, ſcilicet lugentium more.

E S T I I.

Verſ. 12. Populе meus, qui te beatum dicunt, ipsi te decipiunt, et viam gressuum tuorum dissipant. Qui te beatum dicunt; id eſt, qui tibi proſpera futura nuntiant, & quæ ad felicitatem pertinere videntur humanæ vitæ. Loquitur enim contra Pſeudoprophetas, qui ſolent, ut placerent hominibus, omnia fauſta polliceri. Contra quos Ieremias in Threnis, nec non Ezechiel, & Michæas, ille qui redarguit Pſeudoprophetam Sedechiam. III. Regum XXII. qui aſſumptis cornibus falſo dixerat regi Iſrael: *His ventilabis Syriam, donec atteras eam*; immo fuit Michæas propter reprehenſionem huius falſi prophetæ miſſus in carcerem.

V. 18. In die illa auferet Dominus ornamentum calceamentorum et lunulas, et torques, et monilia, et armillas, et mitras, &c. Enumerat viginti & unum ornamenta veſtitus ac ſupellectilis, ſeu mundi muliebris. Notandum autem Prophetam non reprehendere filias idcirco proprie, quod huiuſmodi ornamenta habuiſſent, iiſve uſæ fuiſſent: nam & Rebecca talia accepit, donata ſibi a ſervo & procuratore Abrahæ Geneſ. XXIV. & Eſther taliter coronata proceſſit ad regem; immo & Iudith vidua poſt ieiunia & orationes, mundum huiuſmodi muliebrem ſumpſit, eoque ſe ornavit, proficiſcens ad Holofernem, Iudith. X. ſed reprehendit hic Iſaias abuſum eorum ornamentorum, quod filiæ Sion iis abuſæ eſſent ad ſuperbiam & laſciviam. Sic enim præcedit ante hæc verba verſ. 16. *Pro eo quod elevatæ ſunt filiæ Sion, & ambulaverunt extento collo, & nutibus oculorum ibant, & plaudebant, ambulabant pedibus ſuis, & compoſito gradu incedebant: Decalvabit Dominus verticem filiarum Sion &c.* Ac mox iſta ſubiungit: *In die illa auferet Dominus ornamentum calceamentorum & lunulas*, &c. Illis ergo aufert iſta, quæ iis fuerant abuſæ.

M A R I A N AE.

Verſ. 1. Auferet, cum venerit ad puniendum. Validum et fortem. Sept. *validum & validum*. Heb. *fulcimentum & ſuſtentaculum*. Sic Chald. Omne robur. Hebr. *omne fulcimentum*. Repetitio eiuſdem vocis vaticinii certitudinem deſignat. Porro *robur*, ſeu *fulcimentum panis & aquæ*, ſignificat fore, ut Deus auferat cibum & potum Ieruſalem & Iudæ, vigeat fames.

V. 2. Ariolum auferam. Chald. & Sept. *coniectorem*, qui ex coniecturis futura prædicit. Ergo hic in bonam partem ſumi debet *arioli* vox.

V. 3.

V. 3. PRINCIPEM SUPER QUINQUAGINTA auferet. Per hunc alios duces intellige, centuriones, tribunos. SAPIENTEM DE ARCHITECTIS, id eſt inter architectos. Hieronymus ipſe in Comment. *ſapientem* legit *architectum*. Sic Septuag. At Hebr. *ſapientem artificum*, id eſt inter artifices. ET PRUDENTEM ELOQUII MYSTICI. Sic vertit Symmachus. Hebraica ſolum ſignificant *intelligentem eloquii*, id eſt eloquentem, oratorem. Ii in Republ. multum poſſunt. Eos omnes auferam.

V. 4. DABO PUEROS PRINCIPES. *Væ tibi terra, cuius Rex puer eſt*: Eccleſiaſtæ x. 16. ET EFFEMINATI. Hebr. *infantes*. Repetitio eſt. Chald. *infirmi*. Septuag. *illuſtres dominabuntur eis*.

V. 5. ET IRRUET POPULUS. Tumultus exiſtent. Sic fit, quando Rex eſt puer. Hebr. *& opprimetur populus*. Sic etiam fit Rege minore. VIR AD VIRUM, ſcilicet irruet. Hebr. *Vir in virum, & quiſque in ſocium ſuum roborabuntur*; ſcilicet ut mutuo ſe opprimant.

V. 6. APPREHENDET ENIM VIR, id eſt regnum ad alios transferetur. DOMESTICUM PATRIS SUI. Hebr. *fratrem ſuum domum patris ſui*, id eſt de domo paterna. VESTIMENTUM, id eſt bene es indutus, aut opibus abundas. RUINA AUTEM HAEC; id eſt, fulci ruentem Rempubl. vitio eorum, qui regunt. Chald. *Poteſtas hæc ſit ſub manu tua*. Ita pro מכשלה *machſelah*, id eſt *ruina*, ut eſt Hebr. legit *manſelah*, id eſt *poteſtatem*, id eſt Regnum occupa, eſto Princeps.

V. 7. RESPONDEBIT IN DIE ILLA. Sic Septuag. & Chald. At Pagn. *iurabit*. Idque ſignificat verbum Hebr. נשא *iſa*, *elevabit*, ſcilicet manum iurantis in morem. NON SUM MEDICUS, ſcilicet ut malis & ruinæ mederi poſſim. Heb. *non ero*, aut *ſum ligans*. Sed quoniam chirurgi vulnera ligant, ideo quidam vertunt, *non ſum medicus*, aut *chirurgus*. Principes etiam ſuis præceptis ſubditos ligant: ideo vertunt alii, *non ero Dominus*, aut *Princeps*: ſic Septuag. & Chald.

V. 8. RUIT ENIM IERUSALEM. Poſſunt eſſe verba Prophetæ, poſſunt & eius qui Principatum recuſat. Ruinam arcere non poſſum, quoniam ex Dei vindicta imminet, contra iniquos irritati.

V. 9. AGNITIO VULTUS EORUM RESPONDIT EIS, id eſt ex facie, qui ſint, cognoſcetur. Præ ſe in vultu ferunt pravitatem. REDDITA SUNT EIS MALA. Hebr. *Quoniam reddiderunt ſibi ipſis mala*, id eſt malorum, quæ patiuntur, & patientur ipſa ſibi ſunt cauſa.

V. 10. DICITE IUSTO. In tot malis iuſti tamen immunes evadunt. ADINVENTIONUM: alii *operum*: ſic etiam verſ. 8. *adinventiones eorum*, id eſt opera: מעל *mahal*, *opera*, & *ſtudia* ſignificat, quæ in bonum & malum ſumi poſſunt: verſ. 8. in malum, hoc verſ. 10. in bonum. At *adinventionis* vox Latina male ſonat ſæpius.

V. 11. VAE IMPIO IN MALUM. Chald. *Væ impiis, quorum opera mala ſunt*. Heb. *væ impio malum*, id eſt malum quod facit, calamitatis illius cauſa erit.

V. 12. POPULUM MEUM: ſic Chald. Septuag. *populus meus*. Poteſt etiam reddi in vocativo. EXACTORES SUI, id eſt Regis miniſtri, aut publicani, qui tributa colligunt. SPOLIAVERUNT: ſic Chald. Septuag. *devorant vos*: alii, *vindemiant vos*. Pagn. *Parvulus* (ſeu *puer*) & *mulieres dominantur in eo*. Voce מעולל *meholel* poteſt ſignificari *parvulus* & *vindemians*, ſeu *ſpolians*: ea variæ interpretationis occaſio. Nobis placet, ut ſignificetur *parvulus*, & notentur mala, quæ Rege puero eveniunt; nimirum Rege parvulo mulieres dominari, matrem, & alias, miniſtros etiam & publicanos. Et fortaſſis ea tempora notat, quæ Ozia Rege evenerunt, cum in Regno ſucceſſit ſedecim annorum: IV. Regum xv. 2. Ideo repetit quod verſ. 4. dixerat de puerorum Principatu. QUI TE BEATUM DICUNT. Hi ſunt aſſentatores, qui probantes & laudantes quæ Rege puero mala contingunt, omnia pervertunt. Id eſt *diſſipare*, ſeu *corrumpere greſſus*, mores, ſcilicet & inſtituta gentis depravare.

V. 13. STAT AD IUDICANDUM DOMINUS. Deus erit horum malorum iudex & vindex: non impune ferent qui ita faciunt.

V. 14. DOMINUS AD IUDICIUM VENIET CUM SENIBUS. Eos præſertim puniet, qui ſua auctoritate deberent mala prohibere. Aut per *ſenes* intellige exa-

ctores

Digitized by Google

ctores, ſeu adulatores, de quibus eſt dictum. Chald. *Dominus veniet ad iudicium cum ſenioribus populi eius, & exactoribus eius*. Depasti estis. Hebr. *incendiſtis*; ſic Septuag. Vineam, id eſt populum prædæ habuiſtis, ac pauperes præſertim.

V. 15. Commolitis pauperes, ſic Heb. at Septuag. *confunditis* contumelia ſcilicet & opprobrio, aut etiam rapinis veſtris, affligitis pauperem.

V. 16. Elevatae sunt filiae Sion, id eſt ſuperbia & faſtu ſe efferunt. Invehitur in feminas & earum ornatum. Nutibus oculorum ibant. Vatablus, *annuunt oculis*; ſcilicet provocantes ad laſciviam. Et plaudebant, ambulabant pedibus suis, id eſt ſe ad numerum movebant quaſi in tripudio. Composito gradu incedebant. Heb. aliter diſtinguuntur, ſic: *Pedibus ſuis tinniebant*. Nempe crepitacula in pedibus gerebant.

V. 17. Crinem earum nudabit. Chald. *gloriam earum auferet*. Septuag. *nudabit turpitudinem*: ſic fere Hebræi. Putant enim vocem פתה *patah*, *pudenda* ſignificare. Ego tamen video Chaldaice hoc cap. v. 24. ea voce ſignificari *crinem*. Itaque ſit repetitio. Decalvabit, ut dixit, & crinem nudabit, ſive deteget, ſcilicet radendo crines. Feminarum præcipuum ornamentum crines.

V. 18. Auferet Dominus ornamentum calceamentorum: ſic Chald. Hebr. *ornamentum crepitaculorum*; ſcilicet quæ erant in calceis. Et lunulas. Ornamentum lunæ forma. In Hebr. inter *ornamentum crepitaculorum*, & *lunulas* eſt aliud ornamentum, ſcilicet *reticula*, quæ ablaturum ſe ait. De aliis nominibus ornamentorum laborare non eſt opus, quoniam Iudæis etiam pleraque earum ignota ſunt.

V. 19. Mitras: vela capitis.

V. 20. Periscelidas, crurum ligamina. Olfactoria: ſic Septuag. & Chald. At Hebr. *domos animæ*. Hebræi intelligunt pectoralia, quoniam tegunt ſedem animæ, id eſt cor.

V. 22. Mutatoria. Veſtes pretioſas, quibus diebus feſtis mutabant veſtes quotidianas.

V. 23. Theristra. *Veſtes ſubtiles, æſtivas*. Id ſignificat vox Hebr. הרדידים *hardidim*, a radice רדד *radad*, id eſt *extendere*: Septuag. διαφανῆ Λακωνικὰ dixere: quæ erant veſtes diaphanæ, quibus membra figurabantur, & quibus Lacaonicæ mulieres utebantur. De qua veſte Pollux περὶ χιτῶνος χιτῶ.

V. 24. Pro suavi odore foetor. Hebr. *pro aromate fœtor*.

V. 25. Pulcherrimi quoque viri tui: ſic Chald. Hebr. *viri tui*, ſeu *mortales tui gladio cadent*. Septuag. *Et filius tuus pulcherrimus, quem diligis, gladio cadet*. Et fortes tui in praelio. Hebr. *fortitudo tua in bello*, ſcilicet cadet. Sept. *& fortes veſtri gladio cadent, & humiliabuntur*. Hic eſt modus, quo auferet ornamenta feminis, occidendo earum maritos, quia lugubres veſtes induent.

V. 26. Lugebunt portae eius, ſcilicet Ieroſolymæ. Ad portas forum erat, & civium conventus; quæ lugebunt ob paucitatem civium eo convenientium, ut in Threnis viæ Sion lugent. Et desolata. Hebr. *munda*, id eſt *ſola*, ut Septuag. evacuata civibus, & habitatoribus in terra ſedebit.

MALVENDAE.

Verſ. 1. Auferet. Alii: *amoturus eſt*, &c. Docet propheta iudicium Dei longe lateque Iudæam totam pervaſurum, ſummos, infimos, viros & mulieres, bona, & corpora; viros quidem uſque ad verſ. 17. mulieres vero inde ad finem uſque: poſtquam de bonis & rerum omnium poſſeſſione ac uſu actum eſt hoc verſu. Hæc autem iudicia non uno tantum certo tempore effecta ſunt, cum ea iam inde a ſuis temporibus cœpiſſe propheta docuerit, ſupra cap. 1. 5. & ſequentibus: ſed ad tempora omnia conſequentia pertinent; quibus omnia hæc mala, mutationeſque Iudæi perpeſſi ſunt, uſque ad plenum reiectionis tempus ob interfectum Chriſtum. Validum et fortem. משען ומשענה *maſchghen umaſchghenah*, duo nomina Hebraica, alterum femineum, eiuſdem radicis, & ſignificationis: quæ varie alii reddunt: 1. *fulcimentum & fulcimentum*. 2. *baculum & baculum*. 3. *ſcipionem & ſcipionem*. 4. *fulcrum & fulcrum*. 5. *ſuſtentaculum & ſuſtentaculum*. 6. *ful-*

6. *fulcimentum*, & *fulcimentum*, ficto vocabulo ſemineo, id eſt omnis generis fulcimenta. 7. *fulcientem virum*, & *fulcientem ſeminam*. 8. *ſcipionem*, & *bacillum*; id eſt, quidquid pertinet ad vitam hominum ſuſtentandam, & magnum & parvum: metaphora. 9. *ſuſtentatorem*, & *ſuſtentatricem*, alieniſſime. Intelligunt omne columen, robur, vigorem. OMNE ROBUR PANIS, ET OMNE ROBUR AQUAE. Eadem vox *maſchghen*, quæ ſuperiore verſu: id eſt, omnem cibum & potum, quibus vita hominum ſuſtentari poteſt: ſynecdoche.

V. 2. IUDICEM: id eſt, gubernatorem, magiſtratum: ſynecdoche. ET ARIOLUM. Heb. & *divinum*. Exponunt, id eſt præſcium futurorum, hoc eſt eos, qui ſumma prudentia prævident rerum eventus. Alii: *coniectorem*, id eſt prudentem, qui ex circumſtantiis cauſas diiudicat. Quidam reddunt, *ſagacemque*. Vide Proverbior. XVI. ET SENEM: iudicio, ac non ætate tantum, quomodo pueri poſtea ſunt accipiendi verſ. 4. & 15. Nonnulli *ſenatorem* reddunt.

V. 3. HONORABILEM VULTU. Heb. *levatum facierum*, ſeu *elevatum*, prælatum faciebus. Vide in II. Regum v. 1. & in Iob XXII. 8. id eſt, qui aliis honore & dignitate pæfertur. Alii: *ſpectabilem vultu & conſpicuum*. Nonnulli: id eſt eos, qui valent auctoritate, & gratia, ſuntque in pretio apud populum, quos populus honore proſequitur. Hiſpanicus Interpres: *enſalcado de fazes*, ſeu *hombre de reſpecto*. ET SAPIENTEM DE ARCHITECTIS. Heb. & *ſapientem fabrorum*, vel & *peritum artificem*. Sive, & *peritum inter fabros*. Quidam non recte exponunt: & *acutum acutiſſimorum*; id eſt, maxime ingenioſum ad excogitanda omnia inſtrumenta bellica. Alii: & *ſapientem ingenioſorum*, quos vulgo vocamus *Ingenieros*. Nonnulli: & *eximium quemque inter architectos*. Hiſpanicus: *y excellente artifice*. ET PRUDENTEM ELOQUII MYSTICI. Varia ex Heb. I Caietanus: & *intelligentem ſemiprolata*; id eſt, vigentem ingenio ad penetrandum ſemidicta. II. Sanctes: & *induſtrium oratorem*. Et in Theſauro. III. & *intelligentem muſſitationis*, id eſt locutionis occultæ, ænigmatis, conſilii ſecreti. Id quoque ſequitur Mercerus, & Marinus. IV. Forſterus & Forerius: & *intelligentem oratoriæ*. V. Leo Iudas: & *oratorem*. VI. Vatablus, Tremellius, Iunius, Schindlerus: & *intelligentem eloquentiæ*. VII. Vatablus, Montanus: *peritum eloquii*. VIII. Iſidorus Clarius: *peritum incantationis*. IX. Buxtorfius: & *intelligentem locutionis*, *elocutionis*, *pronuntiationis*. X. Avenarius: & *intelligentem orationis*. Intelligi volunt homines eloquentes, & facundos oratores, qui cum primis uſui ſunt reipublicæ: unde Demoſthenes eos *canes cuſtodes regis* eſſe dicebat.

V. 4. ET EFFEMINATI DOMINABUNTUR EIS. תעלולים *thagbalulim*, abſtractum faciunt: *ludicra*, *luſiones*, *pueritiæ*, *infantiæ*, *infantilitates*, *puerilitates*, *puerilia*; id eſt, pueri, infantes, *puellæ*, ad maius ſententiæ incrementum, *dominabuntur in eis*. Et non ad ætatem, ſed ad mores & ingenium eſt referendum; quaſi dicat: Qui neque ingenio, neque ratione, neque conſiliis, aut prudentia pollent, ſed pueriliter & ludicre in omnibus negotiis & rerum adminiſtratione agunt, ac ſe gerunt, ut Eccleſiaſtæ x. 16. de rege puero dicitur. Alii: & *facinora*, ſeu *ludificationes*, pro *facinoroſi*, *ludificatores*, *illuſores*, metonymice per auxeſin, *dominabuntur in eos*. Deſcribitur hoc verſu ineptorum regum ac principum inſtitutio efficiens ataxiam, verſu ſequente.

V. 5. ET IRRUET POPULUS. Verbum ex Niphal נגש niggas, cum *ſcin* ſiniſtro omnia iſta complectitur: *Et affligetur*, *conſtringetur*, *arctabitur*, proprie, *angariabitur populus*: vide in I. Samuel. XIII. 5. & in Exod. III. 7. Varie alii: I. & *expilabitur populus*. II. active, & *opprimet*, *vexabit*, *violenter aget populus*. III. *Fietque exactor populus*; id eſt, plebeii ipſi vindicabunt ſibi poteſtatem, & dominium, auctoritatemque exactoris, id eſt principis; quaſi dicat: Fiet confuſio, & perturbatio in republica, cum quivis e plebe ſibi vim magiſtratus & principis vindicabit. TUMULTUABITUR. Heb. pluraliter, *intumeſcent*, *invaleſcent*, *ſuperbient*, *inſoleſcent*.

V. 6. APPREHENDET ENIM VIR FRATREM SUUM, DOMESTICUM PATRIS SUI. Quidam reddunt: *Si prehendat quis fratrem ſuum e domo paterna ſua*, *dicens*, &c.

Digitized by Google

&c. ut pendeat tota huius verſus ſententia in verſum ſequentem. Interminatur hoc & ſequente verſu anarchiam in populum; id eſt, Si prehendat quis *fratrem ſuum*, &c. ad quem ex lege deferendus erat principatus, Deuter. XVII 15. & qui eodem iure tenebatur fratres ſuos vindicare, multo magis in publicis calamitatibus ſi facultate inſtructus eſſet, quam in privatis, quarum præceptum habetur Levitici XXVI. VESTIMENTUM TIBI EST: vel *veſtis*, ſeu *pallium eſt tibi*; hoc eſt, ampliore facultate, ac opibus inſtructus es. Hiſpaniſmus: *ropa tienes*, id eſt adſunt tibi facultates. PRINCEPS ESTO NOSTER. Heb. *extremarius*, *dux*, *ductor*, *capitaneus*, *gubernator*, *præfectus eris nobis*. Vide ſupra cap. I. 20. Sic verſu ſequente. RUINA AUTEM HAEC SUB MANU TUA. מכשלה *macſchelah*, *impactio*, *offenſio*, *offendiculum*, *ſcandalum*, *labefactio*, *labefactatio*, *caſus*, *ruina*, *lapſus*, *decidentia*, *deiectio*, *illiſio*, Exponunt: I. *ruinaque hæc ſub manu tua erit*, ut ſit hypallage; pro, ſitque manus tua ſub hac ruina, id eſt ſuſtenta patriam iam ruinam minantem, ſuppone manum reipublicæ labenti; ſuſtine, fulci eam manu tua. II. *labefactatio iſta ſit ſub manu tua*; id eſt, manu tua ac poteſtate, auctoritateque compone hanc ſeditionem, qua alter in alterum impingit, & labefactatur ſtatus ac tranquillitas reipublicæ. III. *ut ruina iſta ſub manu tua ſit*; id eſt, ut manum admoveas ad labem reipublicæ noſtræ curandam, & inſtaurandam: & metaphora a ſtructoribus, qui collectis ruderibus faciunt opus redivivum. Hiſpanicus Interpres: *Sea en tu mano eſta perdicion*; id eſt, *toma a tu cargo eſta republica tan perdida*.

V. 7. RESPONDEBIT. Heb. *Levabit*, aut *aſſumet*, vel ſermonem, quod Noſter intellexit, ut ſolet plerumque in Scriptura dici *Levare ſermonem*, ſeu *parabolam*, pro proponere, uſurpare, edere: vide Forſterum pag. 524. & Mercerum column. 1688. vel nomen Dei, vel manus ſuas: id eſt iurabit: ut ſolet ſæpe in Scriptura dici, *Levare nomen Iehovæh*, vel manus ſuas, pro iurare. Forſterus annotat, hic *Levare* abſolute poſitum, intelligi pro levare ſuper os, aut labia, hoc eſt eloqui, proloqui, edicere. Idem obſervat, *Levare* abſolute poſitum, ut hic, idem eſſe quod iurare, quod levetur nomen Dei; vel quod in iuramento manus attollantur in ſublime: quam phraſim uſurpare etiam ſuos Germanos affirmat. Aliqui exponunt: *Iurabit*, id eſt eiurabit magiſtratum adducta imbecillitate, & tenuitate ſua; quaſi dicat: Neminem invenient Iudæi, qui defenſionem ipſorum in ſe velit recipere: ita a Deo abiecti, ab exteris preſſi, & a ſeipſis confecti erunt mutuis inter ſe diſſidiis & ſeditionibus. NON SUM MEDICUS. Heb. *Non ero ſuperalligans*. Quidam: *Non ero dominus*, *rector*, *gubernator*; quod reges ſoleant populum legibus obligare ac coercere. Alii: *Non ero obligans*, aut *ſuperimponens* pharmaca, aut emplaſtra: *non ero curator*, *medicus*, *aut chirurgus*. Sic ſumitur id verbum Iob V. 18. Hoſee VI. 2. metaphora a re medica, ſeu chirurgica, nam medici ſeu chirurgi ſolent vulnera alligare, & emplaſtra ſuperimponere; quaſi dicat, Non potero curare aut ſanare vulnera veſtra. ET IN DOMO MEA NON EST PANIS, NEQUE VESTIMENTUM; quaſi dicat, Ne meis quidem domeſticis difficultatibus poſſum conſulere, quanto minus ſuſcipere veſtras.

V. 8. RUIT ENIM IERUSALEM, &c. Heb. *Quia impegit*, *offendit*, *collapſa*, *deiecta*, *illiſa eſt Ieruſalaim*. Caietanus: *Quia impegit*, *lapſa eſt Ieruſalaim ad inſtar ceſpitantis*. Atque hic mors Caietanum intercepit, natum annos 66. 4. Idus Auguſti, in die S. Laurentii, anno Salutis 1534. Cui etſi linguarum atque humanarum litterarum maiora præſidia defuerint; adeo tamen bonitate intellectus, & ſolido ingenii acumine excelluit, ut vix ullum recentiorum Interpretum eo audeas comparare. Quidam reddunt: *Cum corruerint Ieruſchalaima* &c. id eſt, cum ſtatus publicus ſemel labefactatus fuerit: prout factum eſt in primis inde a temporibus Tzidkiiæ regis. QUIA LINGUA EORUM, &c. AEtiologia a blaſphemiis Iudæorum & peccatis in Deum: qua tranſitus comparatur ad confirmationem denuntiati illius iudicii. ET ADINVENTIONES EORUM. מעללים, *magbalalim*, *cogitationes*, *adinventiones*, *conſilia*, *conatus*, *ſtudia*, *molimina*, *exercitia*, *opera*, *actiones*; *mores*, *facinora*, *ludificationes*: vide in Deut. XXVIII. 20. Hic in malum: infra verſ. 10. in bonum. UT

PROVOCARENT OCULOS MAIESTATIS EIUS. Alii ex Heb. I. *ad mutandum oculos gloriæ eius*. II. *ad irritandum*, *amaricandum*, *exacerbandum oculos gloriæ eius*. III. *ad lædendum oculos claritatis ipſius*. Heb. *oculos gravitatis eius*, ſeu *gloriæ*, *honoris*, *ſplendoris*, *claritatis*, *excellentiæ*, *dignitatis*. Exponunt, id eſt oculos glorioſiſſimos, ſplendidiſſimos, clariſſimos &c. ipſius. Alii: *gloriæ eius*, id eſt Dei illius, qui & in ſe ipſo glorioſus eſt, & glorificandus a nobis, atque adeo ſe in improbis glorificarurus.

V. 9. AGNITIO VULTIS EORUM RESPONDIT EIS. הכרת *baccarat*, quidam reducunt a נכר *nachar*, *agnovit*: alii, ab הכר *hachar*, de quo diximus in Iob XIX. 3. Hinc varie reddunt: I. *Agnitio*, *notitia*, *apertio*, *manifeſtatio*, *facies eorum*, id eſt impudentia, quod Latini dicunt, *perfricta fronte*, vel *frontem perfricare*: nam qui pudefiunt, faciem operiunt; impudentes vero faciem denudatam oſtentant, & perfrictam frontem: *reſpondebit contra eos*, id eſt eos arguet, convincet. II. *Diſcretio*, *habitus*, *diſpoſitio faciei eorum reſpondebit contra eos*, id eſt prodet, manifeſtabit eos; quaſi dicat, Ex vultu eorum coniicere licebit quales ſint: qui novit vultum ſceleratorum hominum, facile legit in facie eorum illos eſſe improbos: ex vultu eorum facile deprehenditur improbitas illorum. III. *Aſperitas*, *aggravatio*, *obfirmatio*, *obduratio vultus eorum teſtatur contra ipſos*. Confirmatio iuſti illius iudicii Dei, quod propheta denuntiavit, a Iudæorum obduratione in peccatis: quorum proinde damnationem ſtatam eſſe docet, primum a naturali iudicio, & conſenſu omnium, Bonis bene eſſe oportere, & malis male, tribus verſibus: deinde a iuſtitia Dei iam iam adverſus populum diſceprantis opere & verbo, verſ. 13. & tribus ſequentibus. IV. *Superbia*, *arrogantia vultus eorum teſtificabitur contra eos*. PECCATUM SUUM QUASI SODOMA PRAEDICAVERUNT. Alii: *& peccatum ſuum ſicut Sedom enuntiant*, id eſt palam, pertinaciſſime, & impudentiſſime, ut de Sedomitis dicitur Geneſ. XIII. 13. & XIX. 5. VAE ANIMAE EORUM, QUONIAM REDDITA SUNT EIS MALA. Alii: I. *Væ animæ eorum*, *quoniam rependent eis malum*; id eſt, paſſive more Hebraico, rependentur eis mala; vel creant ſibi calamitatem; quaſi dicat, O infelices, qui ſibi ipſis accerſunt calamitatem! II. *Væ animo ipſorum*, *quia afficiunt ſeipſos malo*; quaſi dicat: Non poſſunt iſtis non evenire mala, qui in mala ultro proiecti ſunt, & ſibi fabricantur mala.

V. 10. DICITE IUSTO, QUONIAM BENE. Varie ex Heb. explanant: I. cum ſequentibus nectunt: *Dicite iuſto*, *cum fuerit bonus*, *quod fructum operum ſuorum comedent*, quique iuſtorum. II. *Dicite iuſto*, *quod bene agat*; *ſiquidem fructum*, &c. III. *Dicite iuſto*, *quod bene ei ſit*, quod felix ſit. IV. *Dicite iuſto*, *quod bonum*; hoc eſt, prædicate quod iuſtum eſſe ſit bonum, id eſt amabile, volupe, iucundum, utile, gratum, nam hoc proprie טוב *tob*, ſignificat. V. *Dicite iuſto*, *bene eſſe*. Amplificatio proxime præcedentis ſententiæ a contrario, qua Ieſchaiah reprehendit ſecuritatem Iudæorum, ſecunda omnia ſibi pollicentium: Ne dicatis (inquit) vobis bene fore qui iniuſti eſtis; nihil ad vos pertinent promiſſiones iuſtis factæ, ſed eas potius iuſto concedite. Vide Deuteron. XXIX. 18. & ſequenti. VI. poſſis reddere: *Dicite iuſtum*, *quod bonus ſit*, quia iuſtitia ipſa eſt vera bonitas. VII. Forſterus exponit: *Dicite*, *prædicate*, *laudibus evehite iuſtum*, *quandoquidem bonus eſt*. QUONIAM FRUCTUM ADINVENTIONUM SUARUM COMEDET. Heb. pluraliter maiori ſenſu, *comedent*, ſinguli iuſti. Alii: *nam fructu ſtudiorum*, *actionum*, *operum*, *ſuorum fruentur*.

V. 11. VAE IMPIO IN MALUM. Heb. *Væ improbo malo*, id eſt qui malus eſt; vel *malo*, id eſt lædenti alios. Alii particulam כי *ci*, ex ſuperiore verſu repetunt: *Væ improbo*, *quod malum ſit*, videlicet improbum eſſe. Nonnulli diſtinguunt: *Væ*, *improbo male eſt*. Exponuntque: *Væ*, exclamatio pathetica denuntiantis graviſſimas calamitates, exitiumque iniuſto populo: *improbo male eſt*, utcumque ſibi de rebus præſentibus gratuletur. RETRIBUTIO ENIM MANUUM EIUS FIET EI. Alii ex Heb. I. *nam retributio manuum ipſius conficietur ipſi*. II. *quoniam ſecundum opera manuum ſuarum rependetur ei*.

V. 12. EXACTORES SUI. נוגשים *nogheſchim*, *adactores*, *exactores*, *angariatores*, *coarctatores*, *oppreſſores*. Vide in Exod. III. 7. In-

7. Intelligunt principes & magiſtratus tam politicos quam eccleſiaſticos, qui ſe verterant in violentiſſimos tyrannos. SPOLIAVERUNT. Forſterus hæc annotat: Participium præſens מעולל *megbolel*, quo pluraliter admodum feſtiviter Ieſaias uſus eſt: *Populi mei exactores ſunt racemator*, ſeu *racematores*, *qui ſcilicet pauperi contra ius naturæ & ſcriptum, ſua auferunt, ſpoliant populum uſque ad ultimum quadrantem; per fas nefaſque populi bona diripiunt: & ut propheta paulo ante verſ.* 4. *non* עוללים *gbolelim*, ſed תעלולים *thagbalulim*, *dicere; ita hic quoque alluſione quadam facta, ponere hoc verbum voluit, ut tecte impoſturas & avaritiam magiſtratuum ſui temporis perſtringeret, qui etiam ultimos racemos pauperibus eriperent*. Eadem habent Mercerus & Forerius: qui fere ſemper Forſterum tranſcribunt. Alii reddunt: *Populi mei exactores eius*, quiſque eorum, *incommodat*, *dehoneſtat*, *deturpat*, *defraudat*, *iniuria afficit*. Vide notionem verbi in Levit. XIX. 10. Avenarius reddit: *Populum meum exactores eius abrumpunt*, *decerpunt*, id eſt racemando ſpoliant. At Sanctes, Vatablus, Clarius, Forerius, Marinus, Schindlerus, Buxtorfius, exponunt: *Populi mei exactores eius*, id eſt quiſque exactorum eius, *parvulus*, *puer*, *puerilis*, *infans*, eſt: qui ſenſus recte congruit cum ſequente membro. Montanus explicat: Magiſtratus *populi mei*, *omnes in exactores mutati*, quiſque eorum *iuveniliter*, *temere*, *pro impetu & libidine*, *agit puerum incommodantem & petulantem* in populum. Tremellius, & Iunius: *Populum meum opprimentium quiſque*, *eſt parvulus*, conſilio iudicioque, ut ſupra verſ. 5. quaſi dicat, Non magis ſapiens, conſilio, iudicio, & adminiſtratione valens, quam parvulus: aut ſuarum cupiditatum potens, quam mulier, ſequente membro. Introducit propheta hoc verſu Deum exponentem populo ſuo indigniſſimam adminiſtrationem publicam, civilem, & eccleſiaſticam, ſingularemque depravationem omnium. ET MULIERES DOMINATAE SUNT EIS. Id eſt, homines non magis conſilio, prudentia, mente, adminiſtratione valentes, quam ſoleant mulieres: cum alioqui ſciamus & fuiſſe imperia mulierum probata, ut Zenobiæ, Pulcheriæ, &c. QUI BEATUM TE DICUNT, IPSI TE DECIPIUNT. Forſterus: *& qui beatum prædicant te, illi ſeducunt. Licet alii exiſtiment prophetam feciſſe antitheſin, & ſic interpretantur: Rectores tui ſunt ſeductores. Etſi ſciam prophetas gaudere talibus alluſionibus ex antitheſi ſumptis, bonamque gignat ſententiam, ſi pro rectoribus ſeu directoribus interpreteris; tamen prior expoſitio magis arridet, eo quod loquatur de falſis prophetis, qui populum de peccatis non arguunt, nec ad pœnitentiam hortantur, quin potius adulantur & ſecurum faciunt, quod propter cultus ſuos & ſacrificia beati ſint atque felices, nec ulla eos maneat calamitas*. Habes ſimilem huic locum infra cap. IX. 16. Tremellius, & Iunius: *qui ducunt te*, *ſeducunt*, id eſt ſacerdotes, & Levitæ, quorum officium eſſet ducere te in lege, & luce Iehovæ, ut Deuteron. XVII. 8. & XXXIII. 10. ET VIAM GRESSUUM TUORUM DISSIPANT. Heb. *& viam ſemitarum tuarum, ſeu itinerum tuorum abſorpſerunt*; vel *deglutiverunt*, *præcipitaverunt*, *devoraverunt*, *abſumpſerunt*, *perdiderunt*. Tremellius, & Iunius: *& viam itinerum tuorum tegunt*; id eſt, celant te doctrinam legis, in qua tibi eundum eſſet, neque recedendum dextrorſum aut ſiniſtrorſum, Deuteron. V. 32. ſic accipitur hoc verbum Numeror. IV. 20. Ego metaphoram ductam puto ab eluvionibus, & terræ motibus, qui plerumque vias abſorbent, atque hauriunt. Hiſpanicus: *y iuercen la carrera de tus caminos*.

V. 13. STAT AD IUDICANDUM DOMINUS, &c. Heb. *Stans ad litigandum*, *diſceptandum*, *contendendum*, &c. Quidam: *Conſiſtit*, ſeu *ſiſtit ſe ad litigandum Iehova*, *qui conſiſtit ad iudicandos populos*. Deſcriptio Dei comparentis ad conteſtationem Iudæorum, ſumpta a re forenſi: Iudex, inquit, totius terræ, ut vocat Abraham Geneſ. XVIII. 25. iam præſto eſt ut contendat cum populo.

V. 14. CUM SENIBUS POPULI SUI. Alii: *contra ſeniores populi ſui*; id eſt, officio & dignitate ſenatores, quamvis re ipſa cum pueris & mulieribus comparandi, ut dixerat V. 4. VOS ENIM DEPASTI ESTIS VINEAM. Quidam: *at vos depaviſtis hanc vineam*. Dei conteſtantis verba per paralepſin; quaſi dicat: Veſtrum erat ſeniorum & verorum principum munere perſungi (de quo Exodi XVIII. & Deuter. I.) non autem puero-

rum

Digitized by Google

rum modo aut mulierum inſoleſcere. At vos depaviſtis, &c. Continet autem hæc conteſtatio crimina duo, vim factam alienis bonis, & iniuriam perſonis, ſequente verſu.

V. 15. Quare atteritis populum meum? Heb. *Quid vobis contundetis?* Alii: *Quid vobis eſt*; aut *accidit*, *quod contundiſtis*, vel *quorſum contudiſtis populum meum?*

V. 16. Et dixit Dominus. Alii: *Præterea ait Iehova*, &c. Secundus locus iudiciorum Dei contra mulieres, ut diximus ſupra verſ. 1. in quo exponitur primum cauſa, hoc verſu mollities ſcilicet effeminatiſſima, quæ indicium eſt infiniti luxus, ut oſtenditur Deuteron. xxviii. 56. deinde proponuntur iudicia trium generum: quod delitias ſuas amittent, verſibus ſeptem ſequentibus: quod malis graviſſimis, duriſſimiſque afficientur verſ. 24. & quod ſui erigendi facultatem nullam neque viri, neque mulieres deinceps conſequentur, tribus ultimis verſibus. Pro eo quod elevatae sunt filiae Sion. Alii: I. *Quandoquidem ſuperbiunt*, vel *faſtuoſæ ſunt filiæ Sionis*. II. *Propterea quia elatæ ſunt filiæ Tzilonis*. III. *Eo quod altæ ſunt filiæ Tziionis*, id eſt elatæ animo, quod ſequentibus figuris oſtenditur. Extento collo. Hebr. *extentæ gutture*, vel *extento gutture*, id eſt exerto, ut erectis cervicibus oſtentent frontem. Et nutibus oculorum. Participium Pihel רשקטות *meſakkeroth*, plerique exemplaria cum *Scin* ſiniſtro ſcribunt. Kimchius exponit: *acuentes oculos*, *annuentes*, *nictantes oculis*; & ut erat Hiſpanus, ait, & in vernaculo *guignantes*. Hinc Doctores Hebræorum dicunt, Mulierem non factam eſſe ex oculo, ne ſit שקרנית *ſakranith*, ideſt *nictans*, & circumſpiciens. Forſterus: *& fallentes*, ſeu *fallaces oculis*. *Nec te moveat*, inquit, *quod Scin ſiniſtrum ſcriptum eſt*; *quia aut oſcitantia ſcribarum accidit*, *aut propheta ſtudio voluit mutare vocem*, *ut ſignificaret teneritudinem & mollitiem feminarum in erudiendis oculis*. Diſplicet iſtud Mercero: ſed non Marino, nec mihi. Leo Iudas utramque lectionem coniunxit: *ac fallaci oculorum nutu*; id eſt, quæ circumſpiciunt & pro caſibus oculorum nutibus alios in ſui amorem pelliciunt, ac decipiunt. Quidam: *vagantibuſque oculis*; Hiſpanicus Interpres: *y los ojos deſcompueſtos*. Poſſis exponere *& ipſæ fallentes oculos* aliorum; quæ inducta ſibi falſa pulchritudinis ſpecie, alios fallunt dum pro vera fucatam venuſtatem venditant. Alii: *& mutantes oculis*; id eſt, ſuis nictationibus laſciviam ſuam facientes palam. Reuchlinus: *geſticulationes*, *figmenta*, ſeu *effictiones oculorum*, interpretantur. Ibant, et plaudebant. Hebr. ſunt duo infinitiva, *ambulare* & *plaudere*; vel *ambulando & plaudendo*, *ambulabant*. Secundum infinitivum תטפף *taphoph*, ſemel hic tantum in Scriptura, ac diverſimode interpretantur: I. Reuchlinus: *ibant & plaudebant*, id eſt, geſticulatione alliciebant. II. Sanctes ex Kimchio: *eundo & plaudendo ibunt*, pro ibant; ideſt, more parvulorum plaudendo ſaltandoque ibant, impudenter ſcilicet & petulanter laſcivientes, nulla gravitatis matronalis habita ratione, nullum pudorem habentes: vel *eundo & tympanizando ibant*, aut *ſuperbe paſſibus æqualibus incedendo*, ſeu *tripudiando ibant*, ut *taphoph* cum *Tet*, ſit idem quod תפוף *thaphoph*, cum *Thau*: ſive *tripudiabant inceſſum ſuum faſtuoſe componentes & paſſibus æqualibus temperantes*. III. Forſterus: *incedendo & palpando inambulabant*. *Chaldæus ita vertit*; *cum applauſu ſuo ambulabant*. *Atque in hoc conveniunt inter Interpretes*, *quod geſtum ſignificet corporis mulierum feſtive incedentium*: *& dicunt affinitatem habere cum verbo taphaph*, *quod pulſare*, *plaudere ſignificat*; *ac videtur ſatis commode redditum verbo plaudendi ſeu palpandi*, *quod fit pedum ſeu longioris veſtitus in terram*, *feſtiva*, *eleganti*, *& blanda ſupplauſione*. Eadem ad verbum Mercerus, & Forerius; qui addit: *Vel eſt ſermo de ſonitu*, *quem excitant veſtes pretioſæ ex ſerico*, *unde nos taphetach*, *ſeu taffetan*, *a ſono*: *& congruit vox Hebræa cum ſono tophtoph*. IV. Vatablus: *ambulando*, *& tripudiando iverunt*: id eſt more puerorum in publico ac propatulo ſaltitare ſolent. V. Leo Iudas: *incedendo molliter & fracte eunt*. VI. Marinus: *incedendo*, *& pubertatem imitando ibant*. *Verbum taphaph eſt fictitium a* טף *taph*, *parvulo*, *infante*, *ſatis eleganter*, *id eſt*, *more infantium ivit*: *molliter vel inconſidera-*

Digitized by Google

deratè, *ſcilicet*: Far viſta di non potere ſoſtentarſi in piedi nell' andare; farſi dar mano, come ſi foſſe fanciullo: Overo, come più ad altri piace, andare inconſideratamente come fanno i fanciulli. VII. Avenarius: *eundo & ſupplodendo ambulabunt*: *taphaph*; *ſupploſit inceſſu*, *ſonitum edidit ambulando*, *qui ex impulſu reſultat*, *crepitavit pedibus*; *unde crepitus pedum*, *Ciceroni in Topicis*: *ſignificat repercuſſionem crepidarum*; ſeu crepitum, a quo crepida Latinis dicta videtur, quamvis Græce a baſi dicatur. Hiſpanice dicent: *el cruxil de Chapin*, *o Chinela*. VIII. Montanus: *ambulare & infantire*, *ambulabant*. Molli, inquit, & brevi atque frequenti pedum motu infantium greſſum imitantur: id enim ad venuſtatem & gratiam facere exiſtimant; adeo omnibus in rebus, actionibus, moribus ad procacitatem ſeſe effingunt, exercentque: idque magnis magiſtris, exempliſque ediſcunt, matribus ipſis, a quibus a teneris, ut aiunt, unguiculis, nihil aliud diligentius edocentur, quam formæ & geſtuum curam gerere. IX. Tremellius, & Iunius: *eundo & parvulas agendo incedunt*, vel *indeſinenter minutis paſſibus incedunt*; id eſt, minutim & numeroſe paſſus conſerunt, ut nutare potius ſumma terra quam ambulare videantur. X. Buxtorfius: *eundo & parvulando* [ut ſic dicam) *incedunt*; id eſt, greſſibus ſuis parvulas agendo, ingreſſu molli, minutis paſſibus inſtar parvulorum utendo. Et ſic Aben Ezra reiectis aliorum interpretationibus, *incedentes inceſſu parvulorum*, exponit. XI. Schindlerus: *eundo & laſciviendo incedent*; id eſt, per plateam more puerorum, ſine pudore ſaltando, garriendo & leviter ſe gerendo laſciviunt, geſtu corporis laſciviam oſtendentes.

Et pedibus suis composito gradu incedebant. Relativum *ſuis*, Heb. maſculeum, feminis hic tribuitur non ſine cauſa; forte ut innuat, feminas Ieroſolymitanas uſas eiuſmodi laſciviis nedum permiſſu, ſed voluntate etiam virorum, patruum, ac fratrum, qui omnes hiſce vanitatibus applauderent. Verbum futuri Pihel pluralis feminei תעכסנה *teghaccaſnah*, effictum eſt a nomine plurali עכסים *ghacbaſim*, de quo infra verſ. 18. & iuxta varias ſignificationes, quas eidem nomini tribuunt, ſic quoque huic verbo. I. Reuchlinus: *& in pedibus ſuis ornabantur periſphyriis*, id eſt *talaribus*. II. Sanctes: *& in pedibus ſuis ornabantur ornamentis ſquamarum* inſtar factis, vel *& in pedibus ſuis calceamenta habebant ſquamata*. Non ſatis percepit, quo ſignificatu utantur Hebr. voce *kiſchkiſch*, nempe non pro ſquama, ſed pro crepitaculo, ut verſ. 18. videbimus. III. Vatablus: *& pedibus ſuis ſtrepitum crepitaculorum excitant*. Gallice dicunt: *Elles battent les ſonetes*; vel *& in pedibus ſuis calceamenta habebant cum crepitaculis*. Hiſpanice *caſcaveles*, quod Rabbini vocant קשקש *KiſchKiſch*, a ſono. Taxat, inquit, impudentiam mulierum, quæ ſaltando more puerorum & puellarum itabant per fora & plateas percutiendo tympana, aut cruribus ſuis crepitacula excitantes. IV. Forſterus: *& in pedibus ſuis corrigias*, vel *ligaturas ponebant*. V. Forerius: *& pedes ſuos laqueolis vinciebant*. VI. Marinus: *& in pedibus ſuis crepitacula agitabant*, quod Italice dicunt *bonagliare*, *fare la moreſca*. VII. Mercerus ex Kimchio: *reſonant & perſtrepunt crepitaculis*, *quæ ſuis pedibus alligarunt*, quæ dicuntur *ghacbaſim*. VIII. Avenarius, *& in pedibus ſuis conſtringent*, ornatum, ſeu talaria, aut periſcelides. IX. Schindlerus & Montanus: *& in pedibus ſuis tinniebant*, vel *tinnitum facient*, per monilia calceamentis affixa. X. Buxtorfius: *& pedibus ſuis compedabant*, vel *compeditæ incedunt*, vel *periſcelidibus ornatæ gradiuntur*, hoc eſt quibus affixæ erant aureæ catenulæ ad moderandos paſſus. XI. Tremellius, & Iunius: *pedibuſque ſuis compeditas agunt*; id eſt, leges numerorum, & greſſuum modulos obſervant, ut in ſaltationibus cinædi faciunt, quaſi compedes ſemper obtinerent, quibus ad modificandos aſturconum, & tolutariorum greſſus utuntur veterinarii, donec modulis aſſuefacti ſint: prout hodie videmus fieri, cum muli aut equi tolutim incedere docentur. Rabbi Scelomoh, & quidam Hebræorum in Germania, teſte Reuchlino, neſcio unde עכס *ghecbes*, *venenum* interpretantur: & verbum hic pro *venenum adbibere* animis iuvenum, exponunt, dum

eos

Digitized by Google

eos pedum impudicis geſticulationibus accendunt.

V. 17. DECALVABIT DOMINUS VERTICEM FILIARUM SION. Varie alii ex Heb. I. *Et ſcabie*, vel *lepra inficiet verticem*, &c. II. *Et diſtringet*, id eſt deglubet, decalvabit. Nos *ſuppurabit* diximus: nam verbum effictum eſt ex nomine שפחת *ſaphachath*, de quo vide in Levit. XIII. 2. Aliene quidam & imperite: *humiliabit, deprimet verticem*, &c. III. *Idcirco ſcabie afficiet Dominus verticem filiarum Tziionis*, quem ſuperbe extollunt, & ornant molliſſime. IV. Apte reddes: *Et depilabit, pelada afficiet Dominus verticem*, &c. dignum ſupplicium mulierum, quarum decoris gloria præcipua in capillis, nec ulla maior cura aut ornatus, I. Corinth. XI. 15. CRINEM EARUM NUDABIT. פות *poth*, quidam a פנה *panah*, deducunt: *angulum capitis earum nudabit*, id eſt crinem ſeu comam. Valentine dicimus *les polſeres*, id eſt capillos ſeu cincinnos criſpos, qui magis propendent ab angulis capitis, id eſt temporibus, quos nunc *rizos* vocant, in quibus feminæ magis exultant: quos Iehovah denudabit, id eſt depilabit, vel effluere ac decidere faciet. Alii a פתת *pathath*: *fruſtum, fragmentum, particulam, portiunculam, bucellam earum effundere faciet*. Turpem rem honeſte ſignificavit: partem ſeu bucellam earum, os uteri appellat: ſic Hiſpanice, *ſus parſes* appellamus. Ait feminas Ieroſolymitanas perpetuo vulvæ defluvio laboraturas, quo fœdo morbo & illis crura inficientur, ut non amplius motibus ad illecebram compoſitis exerceri queant; & ineptæ conceptui, viriſque odibiles & importunæ reddentur! Alii, vel radicem per ſe faciunt, vel a פתה *phathah*, *allicere* deducunt, quod ea parte mire alliciantur homines; *verendum, pudendum mulieris, cunnum* interpretantur; conſonat vox Italica *potta*, quæ eſt ipſiſſima Hebraica. Nonnulli, *cardinem feminam*, ſeu *cardinem vulvæ* exponant. Aliqui: *nates, podicem, anum, culum, earum nudabit*; id eſt, efficiet ut nudæ in captivitatem abducantur, obſcœnis corporis partibus omnium oculis & deriſui expoſitis: quod ſupplicium feminæ omnium graviſſimum reputant. Et ſane non dubito, Noſtrum non aliud nomine *crinis* indicaſſe, quam muliebre pudendum, quo loquendi genere etiam Hiſpani utuntur. Tremellius & Iunius: *pudendum earum nudabit*, ac non tantum pedes, quos ſuis modulis, & ſua arte diſſimulabant incedentes. Non capio cur Forſterus pag. 625. exponere voluerit: *faſcias earum nudavit*; niſi forte ceſtum reſpiciat.

V. 18. CALCEAMENTORUM. עכסים *ghachaſim*, plurale nominis עכס *gheches*, quod nomen a verbo tranſpoſito עכס *ghacas*, *provocavit, irritavit*, quidam deducunt, quod moleſtiam adferat. Forſterus: I. GHACHASIM, *compedes, quas ornatus cauſa mulieres pedibus adhibent, ut ſint illecebræ & irritamenta libidinis, viris ac iuvenibus. Græci verterunt, periſphyria*. Eadem totidem verbis pene Forerius: *Quamquam meo iudicio*, inquit Mercerus, *ad Dominum potius refert: quod obſcœnis pedum geſtibus Deum irritent, & impudico inceſſu*. II. Reuchlinus: GHACHASIM, *monilia calceamentorum, variegata & ſquamata, ac ornamenta pedum, quæ Iulius Pollux Lib. V. Nominarii ſui, cap. XVI. appellat periſphyria*. Quæ plerique *talaria* interpretantur. Virgilius IV. AEneidos de Mercurio:

--- *& primum pedibus talaria nectit*
Aurea, &c.

nempe faſcias ſeu ligamenta, quibus malleoli pedum cinguntur & circumligantur. III. Sanctes, Vatablus: *ornamentorum pedum inſtar ſquamarum*, vel *ſquamatorum*. Cum Hebræi vocem *ghachaſim*, per verbum קשקש *KiſKes*, exponerent, exiſtimavit Pagninus eos id verbum in ſignificatione pure Hebraica *ſquamarum* accepiſſe: cum tamen ipſi potius per onomatopæiam verbum *KisKes* effinxerint, id eſt, *tinnuit, reſonuit*, nimirum a ſono: & ipſi hic *ghachaſim* magis *tintinnabula* ſeu *crepitacula*, quæ Hiſpanice voce conſona, *caſcaveles* vocamus, interpretentur: vide Comm. in Proverb. VII. 22. IV. Vatablus & Montanus: *crepidarum*, quas Hiſpanice vocamus *plantuſios*, vel *chinelas*, aut *chapines*: quibus forſan appendebant parvula tintinnabula, aut campanulas, ſeu crepitacula, aut caſcaveles, quibus in ſaltatione uterentur. V. Avenarius, Tremellius, Iunius, Buxtorfius: *periſcelidum*. Quid

ſint

ſint periſcelides, infra verſ. 20. dicemus. Notant Hebræi his periscelidibus aſſutas fuiſſe catenulas aureas ad moderandos greſſus feminarum, quas geſtare in ſabbatis non licebat, quod eſſet ornamentum paulo profanius: vide Buxtorfium in Lexico. Tremellius, & Iunius exponunt: *Tempore illo amovebit Dominus ornamentum iſtud periſcelidum*, de quo ſupra verſ. 17. id eſt ornamentorum crurulium, quibus ad pedes alligaris diſcebant modificare greſſus, ut diximus v. 17. Nos aptius *compedum* diximus: nam hunc etiam Romanis feminis olim fuiſſe pedum ornatum, Plinius Lib. XXXIII. cap. XII. ita prodit: *Argentum ſuccedit ex re, aliquando & auro, luxu feminarum plebis, compedes ſibi ex eo facientium, quas induere aureas mos triſtior (tritior) vetat*. Eas aureas feminis equeſtris ordinis fuiſſe, ſuperius cap. III. dixerat.

שבסים *ſchibiſim*. Huic voci nulla in Noſtro reſpondere videtur, unde prætermiſſam exiſtimant. De qua Forſterus: *Quidam autumant idem ſignificare quod* שבצים *ſchebitzim, propter litterarum, quam inter ſe habent, affinitatem: & fuit genus ornamenti habens appellationem a circumcirculatione, circumconcluſione. Aliqui* fibulas, *alii* vittas. LXX. κοσύμβους id eſt, ſuccinctoria, *vel* veſtes fimbriatas, *tranſtulerunt. Ego rotulas vertam, ſeu circulos, Ieſaiæ* III. *& circumconcluſiones*. Eadem Forerius & Mercerus. Sane Leo Iudas & Avenarius, *fibulas* reddunt, nempe ornamentum inſtar circuli, quo aliquid fibilatur & includitur. Vatablus, Buxtorfius, & Montanus, *vela reticulata & ocellata*, quibus capita tegebant, & crines colubebant, *reticula*. Sanctes, *vittas inſtar retis*. Et in Theſauro: *Veſtes Phrygionicas*, ſeu *acu-pictas oculatas*, quod ſequitur Marinus. At Tremellius, & Iunius: *ocellataque opera*, ut ſunt reticula, & quæcumque raro textu confecta ſunt, ut ſint vitrea atque translucida impudicarum ornamenta, ut ne adulteris quidem plus ſui in cubiculo, quam in publico oſtendant, quemadmodum loquitur Seneca. Schindlerus vertit *ocellatas veſtes*, quæ tibiis applicantur. ET LUNULAS. שהרונים *ſabaronim*, vide in Iudic. VIII. 21. hic aiunt eſſe ornamenta in modum bullarum ſeu lunularum, quæ ex collo appenſa ferebant. Hiſpani vocant, *patenas*. Alii, fibulas calceorum in modum lunularum ex ebore, ſeu auro, aut pretioſa alia materia, quæ inſigne nobilitatis erant: nam apud Romanos, qui nobilitate generis aliis præſtare videbantur, lunulas in calceis geſtabant, uti ſcribit Romanarum 76. Et vetus Iuvenalis Scholiaſtes ad Satyram VII. verſum:

—— nobilis & generoſus

Appoſitam nigræ lunam ſubtexit alutæ.

Patricius Senator eſt, Luna nam aſſuta calceis diſcernuntur patritii a novitiis. Vide Iſidorum Lib. XIX. Originum, cap. XXXIV. Cœlium Rhodiginum Lectionum Antiquar. Lib. XX. cap. XXVII. & XXVIII. Ioannem Roſinum Lib. V. Antiquitatum Romanarum, cap. XXXVI. & Thomam Dempſterum in Paralipomenis eius Capitis, Hadrianum Iunium Adagiorum Centur. III.

V. 19. ET TORQUES. נשפות *netiphoth*, de qua voce vide in Iudic. VIII. 26. Hiſpanicus Interpres, *buxetas*. ET MONILIA, שרות *ſcheroth*, plerique idem eſſe volunt quod geminatum שרשרות, *ſcharſcheroth*, Exod. XXVIII. 4. unde *catenas* ſeu *catenulas* exponunt. Alii putant eſſe Chaldaicum a שיר *ſchir*, & *torques* ſeu *armillas* interpretantur. Nonnulli, *monilia hamata*, ſeu *hamis ſimilia*. Quidam, *catenas tortuoſas* reddunt. Fortaſſe erit quod Hiſpanice vocant, *entorchados*. Tremellius, & Iunius: *catellaſque*, pendentes de collo, aut pro cingulis impoſitas. Non alibi legitur. ET ARMILLAS. רעלות *reghaloth*. Semel hic tantum in Scriptura ponitur, de qua voce Sanctes in Theſauro: *Ornamenti genus. Rabbi David in Libro Radicum ſcribit, quod quidam dicunt eſſe inſtrumenta, quæ vulgo dicuntur* Tambores. *Alii dicunt eſſe* mulierum velamina quibus præter oculos totam faciem operiebant, *& inferne erant ligata; quæ dicunt Arabice vocari* gheratz. *Rabbi Abraham ſcribit, quod erat* ornamentum maxillarum. *Rabbi Scelomoh quod erat ſpecies* chlamydum, *aut* velaminum, *quibus ſe operiebant. Nihil certi haberi poteſt de hoc ornamenti genere: in qualibet enim provincia feminæ propria habent ornamenta*. Forſterus: *Significat ornamentum muliebre: & recte ſignificare arbitror mitram, quæ* bra-

bracteis aureis tremit. Unde reddit : *& tremulas*, ut etiam Forerius, & Marinus. At Avenarius: *& vittas habentes tremulas*. Vatablus: *& mitras*. De *mitra* ſubiicio locum Servii opportunum, in illud AEneidos IV.

Mæonia mentum mitra, &c.

Mitra, *hoc eſt, incurvo pileo; de quo pendebat etiam baccarum tegimen. Sane quibus effeminatio crimini dabatur, etiam mitra eis adſcribebatur: multa enim lectio mitras proprie meretricum eſſe docet*. Vide Turnebum Lib. IV. Adverſariorum, cap. XIV. & Lib. XXIX. cap. XXV. & Bayſium de Re veſtiaria. Sed ad inſtitutum. Buxtorſius: REGHALOTH, *bracteolæ, quæ collaribus, vittis, ac peplis muliebribus addi ſolent; ſic dictæ quod ſemper tremulæ appareant*. Hiſpanice vocamus, *lenteivelas*, a figura lentium, vel argenteria; Valentine, *bolletes*, vel *bollateria*. Synecdochice *peplum velamen*, quo faciem velant, & bracteolis ornatum eſſe ſolet: tenue etiam ac facile mobile ac tremulum. Id etiam amplectitur Marinus. Schindlerus reddit: *& pepla, quæ bracteis aureis tremunt*. Montanus *& velamina*, ſeu *velatoria*; capitis velum, quo facies velatur, interdum occultandi, interdum pulveris aut caloris vitandi cauſa. Tremellius, & Iunius reddunt : *& bracteolas*, ſive *roramenta* auri & argenti, ut Capitolinus vocat in AElio Vero, id eſt, tenuia velut foliorum ſegmenta ex auro vel argento, quæ veſtibus ita appenduntur, ut quaſi ſtellæ in oculis micent continuo motu: unde nomen apud Hebræos habent. Quamvis in Capitolino non *roramenta*, ſed *ramenta* legendum, Caſaubonus, Salmaſius, & alii annotarunt. At eas auri bracteolas ſeu ramenta, ab Anaſtaſio Bibliothecario in vita Silveſtri dici *trimmam auri*, & in vita Leonis, *aurum trimmæ*, idem Salmaſius annotavit: vide Iulium Cæſarem Bulengerum Lib. II. de Donariis Pontificum, cap. LXVII. ET MITRAS. פארים *pheerim*, proprie, *decores*, *ornatus*, *decora*, *ornamenta*. Fere omnes capitis ornamenta intelligunt, ut *pileos*, *petaſos*, *galeros*, *tiaras*. De *tiara*, & ut differret a *mitra*, plura reperies apud Briſſonium Lib. I. Perſicorum, pag. 38. & ſequentibus, & Lib. III. pag. 309. & ſequentibus, & Bulengerum Lib. I. de Veſtibus Pontificum, &c. cap. V. Sane ex locis Ezech. XXIV. 23. & cap. XLIV. 18. conſtat, capitis ornatum fuiſſe. Exodi vero XXXIX. 26. iungitur hæc vox cum pileis, ſeu galeris: & plane videtur eſſe ornamentum additum pileo, vel mitræ, aut tiaræ, ſeu tiara pulcherrima, ornatiſſima, qualis Perſis *recta* dicebatur, qua ſolis regibus uti fas erat: ut hic etiam ſubaudienda videatur vox *pileorum*, vel pro *tiaris* accipienda.

V. 20. ET DISCRIMINALIA. Si voces Latinæ ordine Hebræis reſpondent, quod tamen dubito; Noſter *diſcriminalia* dixit, quod Hebr. eſt צעדות *tzeghadoth*, vox proculdubio dicta ab incedendo. Forſterus, Mercerus, Marinus, & Forerius, *fimbrias* exponunt, aiuntque eſſe ornamenta crurium, ſeu circumferentias in parte inferiore veſtium circa crura, quæ in inceſſu propelluntur, vel quæ inceſſum pompaticum reddunt. Aben-Ezra, Tremellius, & Iunius: *armillas*. Leo Iudas, Avenarius, Schindlerus: *tibialia*, *cruralia*. Forte quæ Hiſpanice dicimus, *medias*, quas ex ſerico textas & auro iam feminæ maximo luxu deferunt. Sanctes, Vatablus, Montanus, Buxtorſius: *periſcelidas*; quaſi dicat, Circumcruralia. Horatius Lib. I. epiſt. XVIII.

Nota refert meretricis acumina, ſæpe catellam,
Sæpe periſcelidem raptam ſibi flentis.

Ubi Porphyrio: *Periſcelis ornamentum pedum circa crura*. Aiunt eſſe quam vulgo *iarreteras*, aut *ligas*, aut *ſenogilles* appellant. Ac dici non poteſt quanto ſumptu & ornatu hæc in Hiſpania conſtent petulantibus feminis. Sane cum multis eruditis facile crediderim, *tzeghadoth* eſſe crurum ornamenta, cum אצעדות *etzghadoth*, ſint brachiorum, Numer. XXXI. 50. & II. Samuel. I. 10. Porro *diſcriminale*, Latinis dicitur *acus*, *quæ capillos mulierum ante frontem dividit*. S. Hieronymus Apologia in Rufinum. *Fecerunt hoc & Fulvia in Ciceronem, & Herodias in Ioannem: quia veritatem non poterant audire, linguam veriloquam diſcriminali acu confoderunt*. Hanc Nonius cap. I. ſ. 155. ex Lucillio, *diſcerniculum* vocat: ut etiam cap. IV. ſ. 128 & M. Varro Lib. IV.

IV. de lingua Latina cap. XXIX. *Acum crinalem* Apuleius.

Et perisceLidas. Hanc vocem putant plerique in Noſtro reſpondere Hebraicæ *tzeghadoth* præcedenti, ſed ſi voces Latinæ eodem ordine, quo Hebraicæ, ſunt poſitæ, potius reſpondet voci קשרים *Kiſchevurim*, non abludente notione Hebraica, nam *Kiſcheburim*, a *ligando* dicuntur, & *periſcelidas* Hiſpanice *ligas* vocamus, quod crura ligent. Ceterum aperta eſt ſignificatio *Kiſcheburim*, *ligamenta*, *ligamina*, *ligacula*, *alligamenta*, *ligaturæ*. Aiunt eſſe ornamenta, quibus virgines & ſponſæ ſeſe ornant, & pro tœniis commode accipi poſſe; unde reddunt: *& tænias*, ſcilicet *ſtrictiores*. Alii volunt eſſe ornamenta capitis aut colli, ut *torques*, vel *murenulas*. Nec deſunt, qui *veſtes ſtrictas* exponant. Nonnulli, *redimicula* vertunt. Virgilius IX. AEneidos:

—— *& habent redimicula mitræ*.

Videtur eſſe ornatus molliorum & delicatiorum feminarum. Ego non dubito eſſe, quæ Hiſpani vocant *lazos*, *cintas*, *flores de cintas*; quibus noſtro tempore elegantiores feminæ mire ſuperbiunt. Legitur tantum hic, & Ier. 11. 32. & *tænias*, cum aliis nos reddidimus. Virgil. V. AEneidos:

Puniceis ibant evincti tempora tæniis.

Ubi Servius: Puniceis tænis, *vittis roſeis*. *Tænis autem*, *modo vittis*: *alias vittarum extremitates dicit*, *ut VII. AEneid.*

—— *fit longæ tænia vittæ*.

Et murenulas. Aut huic voci nulla reſpondet in Hebræo: aut vocem בתי *bathe*, accepit Noſter pro *murenulis*, ſeparatam a נפש *nepheſch*: aut verſu 18. שבסים *ſchebiſim*, expoſuit *lunulas*, & שהרונים *ſchabaronim*, *torques*: ſeu traiecit has duas voces; & inde Latina nomina Hebraicis ordine reſpondent; ut hic *murenulæ* reſpondeant voci קשרים *Kiſcheburim*, de qua paulo ante. Ordo vocum Hebraicarum per ſuos verſus diſtinctiſſimus eſt: collatio Latinarum cum Hebraicis obſcurior.

Et olfactoriola, *bathe nephesch*, *domos*, ſeu *domunculas animæ*, Kimchius, Sanctes, Vatablus: *& pectoralia*. Erant, inquiunt, *monilia quædam dependentia a collo inter ubera ſuper pectus*: *ita dicta quod muniant locum animæ*; *id eſt cor*. Leo Iudas, *faſciculos redolentes*. Vatablus: *Quidam vittas ſericas*, *quibus mulieres alligant capillos capiti*, *interpretantur*. Forſterus: *& domos animæ*, id eſt capſulas ſpirationis, in quibus bene ſpirantia & refocillantia incluſa erant. Vel, *& domunculas animæ*, id eſt fragrantiæ: ita quoque Mercerus. Forerius: *& capſulas odoris*. *Id eſt capſulas fragrantiæ*, *ſuaviter ſpirantes*, *in quibus bene ſpirantia incluſa erant*. *Solent autem nobiles mulieres & delicatæ inter ornamenta habere quædam minutula vaſcula aurea*, *quæ ſecum deferunt inter ubera pendentia*, *quæ odoriferis rebus implentur*. *Forte non tam eſt genus ornamenti*, *quam quibus inter ornandum ſe utuntur*. Marinus: *& domos animæ*, id eſt ornamenta quædam odorifera, quibus refocillatur anima. Avenarius: *& domunculas ſpiramenti*, id eſt bullas, ſeu *& domicilia reſpirationis*. Tremellius, & Iunius: *& domos animæ*, ſeu *bucculaſque*, id eſt ſuperba illa aulicarum inſtrumenta, quibus os ſuum contegunt velut paſtomidibus: eſt enim os meatus, animæ, ſive anhelitus cuius obex propterea Hebræis *domus animæ* appellatur. Fortaſſe eſt, quod Hiſpanice dicimus, *reboços*. Montanus exponit: *domos animæ*, id eſt ornamenta aurea argenteave inter mamillas pendentia, quibus cura, amor, cupiditas, aut ſimilis affectus indicatur ex conſuetudine. Forte quod vulgo nuper appellatur *firmezas*. Et inaures: לחשים *lechaſchim*, inquit Forſterus, *inaures*, *ornamenta aurium*, *quibus ſignificare voluerunt oratoriam ad aures permulcendas accommodandam eſſe*, *vel quod feminæ illis contra imprecationum & incantamentorum præſtigia aures non modo ornarint*, *ſed etiam præmunierint*. Eadem Forerius, Mercerus, Marinus. Avenarius: *& ſuſurrationes*, id eſt inaures ſuſurrantes. Aben-Ezra ſcribit fuiſſe characteres auro vel modo argento ſcriptos, modo forma, vel incantationis. Tremellius, Iunius, Buxtorfius: *& amuleta*. *Hebræa vox ab incantando & excantando dicitur*: *quod cum ea criminatione convenit*, *qua propheta uſus eſt ſupra cap.* 11. 6. quapropter *amuleta* viſum eſt reddere. *Inaures*, paſſim reddunt, ſic dictas quod carminibus afficiantur.

℣. 21. Et gemmas in fronte pen-

DENTES. Hebr. *& monilia naſi*, vel *faciei*. De voce נזם *nezem*, quam hic *gemmas* Noſter expoſuit, vide in Gen. XXIV. 22. *naſi* autem vel *faciei* dixit, quod a fronte in faciem ſeu in naſum propenderent, ut Noſter etiam intellexit, & faciem magnopere decorarent. Tremellius, & Iunius: *monilia naſo impendentia*, id eſt fronti impoſita, cuiuſmodi fere baccata geſtari ſolent. Leo Iudas: *frontales infulas*. Vatablus: *ornamenta narium*, more orientalium feminarum. Compertum eſt, Indos & Indas orientales & occidentales Novi orbis perforatis naſis, ac etiam labiis gemmas inſerere ſolitos, ornatus cauſa.

V. 22. ET MUTATORIA. מחלצות *machalatzoth*, inquit Forſterus, *extracta, id eſt veſtes extractæ, & pretioſæ ſeu feſtivæ, & delectæ a communi & vulgari uſu, ut ſunt Latinis dicta paludamenta: quidam*, mutatoria; *alii*, feſtiva *vertevunt*; unde reddit: *extracta*, id eſt *paludamenta*, cuiuſmodi fuit illud Agrippinæ, de quo Plinius Lib. XXXIII. cap. III. *Nos vidimus Agrippinam Claudii principis, edente eo navalis prælii ſpectaculum, aſſidentem ei, indutam paludamento, auro textili, ſine alia materie*. Eadem quæ Forſterus, habent Forerius, Marinus, & Mercerus, qui addit: *Sed ego mutatoria ſimpliciter intelligo, ſeu nova veſtimenta: ſic dicta quod cum iſta ſumerentur, alia exuerentur*. Marinus: *lumbaria*. Avenarius: *induſia, lumbaria, ſuppara, veſtes laxas tegentes lumbos*. Leo Iudas: *ſuppara*. De *ſupparo*, vide Feſtum, & Animadverſiones Scaligeri in eum, ac Nonium cap. XIV. §. 20. Schindlerus: *Induſia, veſtes, quarum aliæ exuuntur, aliæ induuntur*. Buxtorfius: *Mutatorias veſtes, veſtimenta feſtiva & ſplendida, quorum diebus ſacris ac feſtis uſus eſt*. Tremellius, & Iunius: *ſyntheſes veſtium*; id eſt, multiplicem mundum muliebrem veſtimentorum, ad varietatem & mutationem frequentem. Hiſpanice dicimus *guarda ropa*. De *ſyntheſi* plura te docebunt Turnebus Lib. XXIII. Adverſariorum, cap. XIX. & Lib. XXVII. cap. XVIII. Bayſius, & Carolus Stephanus de Re veſtiaria, Brodæus Lib. VI. Miſcellaneorum, cap. VII. Henricus Stephanus in Theſauro Tomo III. colum. 1514. Fungerus, in Etymologico. Nos *extractiones* veſtium diximus: vide in Iudic. XIV. 19. & II. Samuel. II. 21. & placet multum vertere *ſyntheſes*: quamvis Sanctes, Vatablus, & plures alii cum Noſtro *mutatorias veſtes* interpretentur. ET PALLIOLA. מעטפות *maghataphoth*, exponunt *operimenta, tegumenta, pallia, vela velamina, amicula*. Hiſpanicus Interpres, *los manteos*, vel *mantehuelos* exponit. Nonnulli Hebræorum, *tapetia*; alii *feminalia*, reddunt: nomen a tegendo, & operiendo dicitur.

ET LINTEAMINA. מטפחות *mitphachoth*, de hac voce vide quæ annotavimus in Ruth III. 15. Hic *linteamina, vela, pepla* plerique exponunt. Montanus inquit: *Velaminis genus eſſe conſtat magnum, quo caput & totum corpus amicitur, qualis Latinis palla fuit*. Forte illud genus veſtis fuerit, quod Hiſpanæ feminæ bombycinum pretioſum aliis veſtibus ſuperinducunt, cum in publicum prodeunt, vulgo *manto*. Nec aliene quidam Hebræorum *chirothecas* reddunt, quod nomen a palma manus deducatur, & hæ ſint ornamenta manuum. Sed id loco Ruth non congruit. Hiſpanicus Interpres: *las eſcoſias*. Nos cum aliis *ventralia* diximus, ut in Ruth: & mirum quam pulchra & elegantia eiuſmodi ventralia feminæ noſtræ Valentinæ geſtent, quæ ipſæ appellant *avantaler*, aut *devantales*. Quidam, *ſuppara*. ET ACUS. חריטים *charitim*. Mirum quam varie exponunt: I. cum Noſtro Reuchlinus, Sanctes in Theſauro, Vatablus, Marinus, Leo Iudas, Forſterus, *acus*. Mercerus: *Acus autem vulgo intelligunt fibulas veſtium muliebrium: intelligendum potius videtur inſtrumentum, quo utuntur mulieres ad ornandos & diſcernendos capillos, ſeu etiam criſpandos, quod & diſcriminale, & diſcerniculum vocant Latini: immo & acum. In Iſaia apparet eſſe ex ornamentis muliebribus*. Et ſane Hiſpanæ feminæ ſolent deferre huiuſmodi acus maiores, ſeu ſtylos ex auro, capillis in fronte immiſſos, ornatus cauſa, unde eos paſſim extrahunt ad componendum capillitium. Forerius: *Quale ornamentum fuerit, ignoramus: forte pro inſtrumentis illis accipitur, quibus mulieres utuntur ad diſcriminandos, concinnandos, vel etiam criſpan-*

ſpan-

Digitized by Google

ſpandos crines, *quæ calamiſtros vocant* Latini: vide Marinum. Aliud Latinis eſt *calamiſtrum*, & aliud *diſcerniculum*. Plerique vulgares *acus* intelligunt, Hiſpanice *alfileres*, in quibus ad ornatum mulierum magnum momentum eſt. II. *crumenas*, *marſupia*, *ſacculos*, *peras*. Kimchius, Sanctes, Vatablus, Montanus, e II. Reg. v. 23. & ſolent feminæ inter alia ornamenta, pretioſas crumenas a latere pendentes geſtare. III. Avenarius: *infulas frontales*, *laminas*, *membranulas*, *chartulas*. Forte quod vulgo vocant *apretadores*, vel quas appellant *cartillas*, *illuminaciones*. IV. Buxtorfius *loculos*. Forſan quos Hiſpanice vocamus *ſcriptorios*, *arclumeſas*, *contadores*, in quibus pretioſa quæque ſui cultus & mundi nobiliores feminæ reponere & collocare ſolent. V. Tremellius, & Iunius: *aciaria*, ſive ut Græci vocant, *raphidothecas*, quibus acus & aciculæ infigi aut includi ſolent. VI. Nos nomen *charitim* voce conſona *chartas* reddimus: quæ notio huic loco optime congruit: *& chartas*; & puto ſignificare chartacea illa pectoralia ex membrana ſeu papyro glutino compacta, quæ inſtar thoracis aheni feminæ ſibi pectoribus applicant, ut recto ac tereti corpore incedant non ſine tormento: quorum uſus frequentiſſimus nunc in Hiſpania.

V. 23. Et speculα. גליונים *gbilionim*, fere conſentiunt eſſe *ſpecula*. Sic dicta quod evolvant, & revelent obiecta, alioqui nos latentia. De luxu ſpeculorum multa Seneca Lib. I. Naturalium Quæſtionum, cap. xvii. & Plinius Lib. XXXIII. cap. ix. Marinus mavult iſta *vela tenuiſſima* exponi, ſic dicta quod celare carnem nequeant: quod recte convenit laſciviæ veterum feminarum, de quibus Seneca VII. de Beneficiis, cap. ix. *Video ſericas veſtes*, *ſi veſtes vocandæ ſunt*, *in quibus nihil eſt*, *quo defendi aut corpus*, *aut denique pudor poſſit*: *quibus ſumptis*, *mulier parum liquido nudam ſe non eſſe iurabit*: *ut matronæ noſtræ*, *ne adulteris quidem plus ſui in cubiculo*, *quam in publico oſtendant*. Et Epiſtola xc. *Telas*, *quibus veſtis nihil celatura conficitur*, *in qua non dico nullum corpori auxilium*, *ſed nullum pudori eſt*. Poſſis apte reddere: *convolutiones*, *volumina*, id eſt illa peplorum ac velorum involucra, & criſpaturas, quibus feminæ cultius comptæ paſſim utuntur. Et sindones. סדינים *ſedinim*, vide de hac voce in Iudic. xiv. 12. Tremellius, & Iunius: *& ſindones*, id eſt ſuppara e lino AEgyptiaco: quamobrem etiam *Tyriæ ſindones* veteribus poetis dictæ ſunt. Hiſpanicus Interpres: los *paſiizuelos*. Montanus, *Sudaria*. Et vittas. צניפות *tzeniphoth*, plurimi *cidares*, *mitras* interpretantur: idem quod מצנפות *mitznephoth*, de quo vide in Exod. xxviii. iv. Nonnulli: *vittas*. Alii: *calyptras*, id eſt quævis capitum mulierum ornamenta. Hiſpanicus Interpres, *las tocas*. Montanus: *redimicula arte contexta*, *aut acupicta capiti addita*. Et theristra. רדידים *redidim*, vide de hac voce in Canticor. v. 7. Quidam hic *veſtimenta ſubtilia æſtiva* interpretantur: alii: *carbaſa*. Virgilius VIII. AEneidos:

— *Eum tenuis glauco velabat amictu*
Carbaſus. —

Vide Nonium, cap. xiv. § xxviii. Forte fuerit, quam Latini dicunt *ricam*, aut *ricinum*, de quibus vide Feſtum, & Nonium cap. xiv. §. xv. & xvi.

V. 24. Et erit pro suavi odore foetor. Alii ex Hebræo: I. *Evenietque ut pro aromate putredo ſit*, vel *diſſolutio*, aut *liquefactio*; ſubaudi, carnis earum: quaſi dicat, Putreſcent tandem corpora earum, neque aromatibus afferentur a putredine II. *Eritque pro muſco tabes*. III. *Et erit*, *pro odoramentis fœtida putredo erit*. IV. *Eritque loco aromatis*, id eſt unguentorum, & odoramentorum quibus diffluunt, *ut exiſtat tabes*: cum loco mollis unguenti corpora eorum infeſtans, tum aerem fœtore corrumpens odoramentorum loco. Et pro zona funiculus. Alii ex Heb. I. *& pro cingulo exciſio*, vel *confractio*, *ruptura*; id eſt, in ea parte veſtis in qua eſt zona, erit ruptura: ac ſi dicat, Veſtes earum uſque ad nates præcidentur ab hoſtibus in ignominiam; vel *percuſſura*, id eſt caro percuſſa, ut non poſſint ſe accingere ſuper eam. II. *& pro cinctura ſciſſura*, illa quæ familiaris erat Hebræis in luctu, quando veſtes diſcindebant. III. *& pro cinctura defluxio*, qua veſtes defluent. IV. *& loco cinguli*, *diſſolutio*, nimirum cinguli, ita ut laceræ ſint melieres, nudæ, atque turpes. Et pro crispanti crine, calvitium. Varie alii

alii ex Heb. I. *& pro crinium diſpoſitione æquali calvitium*, id eſt pro cincinnis, ſeu crinibus arte & induſtria compoſitis. II. *& pro factura criſpitiei*, ſeu *criſpitudinis*, *calvitium*. III. *& pro opere calamiſtri*, *calvitium*, vel depilabuntur; nam calamiſtris crines cirrabant, annulabant, criſpabant, vibrabant: huiuſce operis artifices Latinis *cinerarii*, & *ciniflones* dicuntur. IV. *& loco operis continentis*, ſeu *pexi*, id eſt ita pexi ut continens eſſe videatur, *calvitium*, id eſt deformitas ſumma: quia coma mulieri eſt gloriæ, I. Corinthior. XI. 15. quaſi dicat: Tam graves erunt ærumnæ & calamitates publicæ privatæque; ut puellæ comam ſibi avellant præ luctu, & ultro gloriam ſuam, & ornamentum a ſe abiiciant. Olim quoque decalvationem, ſeu capitis abraſionem fuiſſe ignominioſam pœnam, nimis eſt pervagatum: vide Notas in Nehemiæ XIII. 25. De ſignificatione vocis מקשה, vide in Exod. XXV. 18. V. *pro facta criſpitudine*, *calvitium*. VI. *pro opere preſſionis*, id eſt quo premuntur capilli, *calvitium*.

Et pro fascia pectorali, cilicium. Hebr. פתיגיל *phethighil*, quam auditis aliorum interpretationibus, operoſius perveſtigare par eſt. Reuchlinus: *Faſcia pectoralis*, ſeu *ſtola muliebris*. Sanctes: *Faſcia pectoralis. Rabbi David in libro Radicum ſcribit genus eſſe veſtis, quam induebant ad gloriam, & decorem, quæ vocatur* Alghilala. Suſpicor voluiſſe exprimere vocem Hiſpanicam, *degala*, aut *galana*. *Et ſunt, qui exponunt* cingulum, quo ſe accingebant mulieres, quod vocant *Iazila*. *Rabbi Abraham*, pro veſte tenui ac ſubtili, atque arte Phrygionica acupicta, *quæ ponebatur ſuper omnes veſtes*. *Rabbi David in Commentariis pro* cingulo ſerico *lato*. Eadem omnino Vatablus, qui addit: *Veſtem, inquam, brevem, quæ ſuperiorem tantum partem corporis tegebat, nempe uſque ad partem inferne proximam pectori, qua etiam reginæ videntur olim fuiſſe ornatæ: ut etiam nunc reginæ Francorum*. Forſan eſt, quam Hiſpani vocant *mantellina*. Forſterus cum retuliſſet eadem pene quæ Sanctes ac Vatablus, addit: *Ego, ſi divinare liceret, dicerem ex* פתיל *pathil*, *eſſe factum, quod faſciam ſignificat ex multiplicibus filis contextam, & vocari a Latinis clavum latum, ut ſit contrarium cincturæ ſacci, id eſt vili alicui cingulo, ſeu cinctorio: & pro lato clavo cinctorium ſacci, id eſt cinctorium vile*. Hanc divinationem Forſteri ipſiuſmet verbis parum ingenue ſibi Forerius tribuit: nec potuit ſane ipſe divinare, quod a Forſtero didicerat. Meliori fide Mercerus tranſcribens verba Forſteri, *Quidam*, inquit, *divinant*, *fieri ex pathil, quod diximus ſignificare faſciam ex multiplicibus filis contextam, &c.* Marinus: *Nec ſatis certum eſt quid proprie ſignificet, quamvis ex coniectura loci videatur eſſe quoddam indumenti vel cinguli genus, quo utebantur mulieres ad decorem. Noſtri faſciam pectoralem interpretati ſunt. Ego nihil certi, quod proferam, adhuc habeo: fortaſſis componitur ex* פתה *pathath*, *&* גיל *ghil*, *quaſi gaudium ſimplicis*. Forerius: *Vel eſt dictio compoſita ex nomine prædicto patil, & ex verbo duplicato* גלגל *ghilghal, quod volvere ſignificat, quaſi circumvolvens faſcia, ut optime redditum ſit ab Hieronymo faſcia pectoralis, quam Latini ſtrophium dicunt: hanc enim virgines non ſemel ad ubera circumvolvunt, ac circumcingunt, quæ eſt ex delicata materia, lino, vel ſerico, opponiturque cilicio*. Avenarius: *Pethighil, faſcia exultationis, cuius uſus eſt in diebus lætitiæ & ſolemnitatum. Componitur ex pathil, faſcia, & ghil, exultavit: atque ex duobus Lamed fit unum per contractionem, ut ſyllabarum numerus excreſcat. Rabbi Scelomoh dicit eſſe compoſitum ex* פות *poth, cardo, &* גלה *galah, revelavit: ſed ſignificatio minus huc convenit*. Pomarius ſatis habuit recitare ſententias Kimchi, & Aben-Ezræ. Schindlerus, *Cinctorium* ſimpliciter exponit. Alfonſus Zamorenſis, Leo Iudas, Montanus cum Noſtro, *faſciam pectoralem*. Buxtorfius habet: *Phethighil, toga, mulieribus exterior: veſtis tenuis ac ſubtilis Phrygionica, quæ ponebatur ſuper omnes veſtes, ſcribit Aben-Ezra. Rabbi Scelomoh cum Talmudicis ſemicinctium, ſeu ventrale exponit*. Tremellius, & Iunius hic reddunt, & exponunt: *& loco ſegmentatæ cycladis, cinctus cilicii. Hanc interpretationem ipſa nominis Hebraici notatio nobis ſubminiſtrat. Eſt enim compoſitum ex nomine fruſtrum ſive ſegmentum ſignificante, & altero ſignificante orbem ſive rotunditatem: quamobrem intelligimus hac voce illa*

mu-

mulierum luxurioſarum ornamenta, quæ cum induenda ſunt, a capite primum inſeruntur, & demiſſa inde ſupra femora ita conſtringuntur in ſpeciem cinguli, ut tota cyclas, id eſt ſegmentatus ille orbis ad imos uſque talos dependeat ex anguſto, latus, & ima ſui parte velut quoddam tintinnabulum ſpatium ampliſſimum circumſcribens: quod genus veſtimentorum novum non eſſe, ex Græcis auctoribus conſtat; nam barathron, ſive berethron Ariſtophanes in Theſmophoriazuſis appellavit. Hanc veſtem nos Hiſpani *vaſquina*, ſeu *verdugado* vocamus. Conemur & nos: fortaſſe fuerit *ceſtus*, cingulum varium pulcherrimumque, quod antiquis cenſebatur ad amorum & gratiarum illecebras efficax, quo Venus ſibi Martem conciliavit apud Homerum: unde dicitur & *Ceſtus Veneris*, & *Ceſtus Iunonis*. Martialis Lib. VI. Epigrammate XIII.

A te Iuno petat ceſton, & ipſa Venus.
& Lib. XIV. Diſtycho 206.

Ceſton de Veneris ſinu calentem.
Vide Angelum Politianum Miſcellaneorum, cap. XI. Sic dictum a *phathah*, *allicere*, & *galal*, *circumvolvere*; vel ſit compoſitum a *pot*, *pudendo muliebri*, de quo ſupra verſ. 17. & *circumvolvere*, ut indicet cingulum illud, ſeu zonam virginalem, qua virgines pudenda conſtringebant, quamque vir in lecto ſolvebat, de qua vide Feſtum in *Cingulo*, & in *Cinxiæ Iunonis*, & e recentioribus Roſinum Lib. X. Romanarum Antiquit. cap. XXXVII. & Dempſterum in Paralipomenis eius capitis,

V. 25. PULCHERRIMI QUOQUE. Omiſit dictionem תחת *tachath*, *pro*, & poſtremam vocem huius verſus יפי *jophi*, in initium ſequentis verſus reiecit, & plurali ſyntactico legit: יפוי *jophe*, *pulcherrimi virorum tuorum*. Hebræa ſic habent: *aduſtio pro pulchritudine*. כי *ci*, *aduſtionem* reddunt, a verbo כוה *cuvah*. Alii pro cauſali accipiunt, & ſequenti verſui iungunt: *quia pro pulchritudine, viri tui in gladio cadent*; vel ſubaudiunt, *quia* omnia iſta hoc verſu prædicta, nempe tabes, deciſio, calvitium, ſaccus, illis evenient *pro pulchritudine*, ſeu *vice pulchritudinis*, vel eo quod pulchritudinis & elegantiæ ſtudioſiores erant. Sed rectius eſt: *aduſtio pro pulchritudine*. Quidam: *uſtio loco pulchritudinis*; id eſt, pro eo quod colebant faciem ſuam venuſtatis cauſa, & a ſolis cælique iniuriis ſtudioſe defendebant, trahentur & rapientur foras ab hoſtibus, retectæque ſoli exponentur atque torreſcent. *Iophi*, *forma*, *formoſitas*, *pulchritudo*, *venuſtas*, *elegantia*. VIRI TUI GLADIO CADENT. Pronomen *tui* eſt femineum, & ad Tziionem refertur: ſecundum iudiciorum Dei genus, ut obſervatum eſt ſupra in verſ. 19. per apoſtrophen ad Tziionem. ET FORTES TUI IN PRAELIO. Heb. *etiam potentes tui*, bello.

V. 26. ET MOEREBUNT. Quidam reddunt: *Et afficientur*, ſeu *impellentur gravi cauſa & neceſſitate ad luctum*, vel *& dolebunt*. Poſſis reddere: *Et natabunt in luctu*, ut abundantiam luctus & mœroris oſtendat. Sic infra cap. XIX. 8. ET LUGEBUNT PORTAE EIUS: infrequentia ſcilicet populi; nam tum erunt pauci intrantes & exeuntes, vel deſtituentur publicis conventibus populi & iudiciis: nam iſta in portis urbium apud Iudæos peragebantur. ET DESOLATA. Hebr. *& evacuata erit*, ſcilicet civibus & habitatoribus. Quidam: *& vacua in terra ſedebit*. Plerique Hebræorum huic verſui annectunt verſum 1. ſequentis capitis, aptiſſimo ſane ſenſu, quod ſententia coniuncta eſſe videatur; unde quidam reddunt: *Quamobrem mærentibus & lugentibus portis illius*; id eſt finibus omnibus Iudeæ: ſynecdoche; *cum expurgata*, ideſt exhauſta incolis & bonis, diruiaque ædificiis, quomodo affecta terra lugere dicitur; per proſopopœiam; *deſidebit in terra*, nimirum Tziion lugens calamitatem ſuam; proſopopœticôs, ab uſu lugentium, qui ſolebant in terra ſedere atque recumbere, ut II. Samuel. XII. 16. Iob I. 20. & II. 13, *Prehendent ſeptem mulieres*, &c.

MENOCHII.

Verſ. I. ECCE ENIM, &c. Prophetat excidium Iudæorum per Titum, & Veſpaſianum, ob occiſum ab eis Chriſtum; ita tamen, ut pleraque quæ hic dicit, adaptare ſibi poſſent Iudæi, qui erant tempore Iſaiæ, & hæc ab illo audiebant. VALIDUM, ET FORTEM: omne præſidium virorum fortium. ROBUR PA-

NIS

NIS, ET ROBUR AQUAE: omnem commeatum intelligit, quo vita humana ſuſtentatur, & robuſta redditur.

V. 2. IUDICEM, magiſtratum, principem. ARIOLUM; in bonam partem accipitur, ut ſignificet ſagacem coniectorem, qui ex obſervatione præterita cauſarum, effectuum, & ſignorum de futuris, & arcanis coniectat.

V. 3. SUPER QUINQUAGINTA:, qui quinquaginta militibus præeſt. HONORABILEM VULTU: virum magnæ auctoritatis, quem alii honorent, cuius præſentiam revereantur. CONSILIARIUM; qui in conſilio valeat & prudentia. SAPIENTEM DE ARCHITECTIS: architectum ſapientem, & peritum, cuius in obſidionibus, & bello magnus eſt uſus. PRUDENTEM ELOQUII MYSTICI: eum qui pollet facundia, gratia, & perſuadendi efficacitate. Vocat eloquium myſticum, quia myſtice, id eſt arcane, & latenter in animam irrepit, & eam flectit. Theodotio vertit, *prudentem incantatorem*.

V. 4. ET DABO PUEROS PRINCIPES: quod magnum Reip. malum eſt, iuxta illud Eccleſ. x. 16. *Væ tibi terra, cuius Rex puer eſt*. EFFEMINATI. Notat libidinem, & pæderaſtiam Principum tam Iudæorum, quam Romanorum. LXX habent *ἐμπαῖκται*, id eſt *illuſores*, qui ſcilicet corporibus illudunt, & illis ad libidinem abutuntur: idem ſignificat vox Hebraica קולל *bolel*.

V. 5. ET IRRUET, &c. ut fieri ſolet in ſeditione, & populari tumultu.

V. 6. VIR, id eſt quiſque. DOMESTICUM PATRIS SUI: ex familia patris ſui. VESTIMENTUM TIBI EST, &c. Oſtendit inopiam virorum idoneorum ad regendam Rempubl. qui enim paulo cultior, aut ditior erit, vocabitur ad regimen capeſſendum. RUINA HAEC SUB MANU TUA. Eſt hypallage; quaſi dicat, Suppone manum tuam, ſuſtine remp. inclinatam ad ruinam.

V. 7. NON SUM MEDICUS. Hebraice eſt חבש *thobes*, id eſt, *alligans*, ſcilicet vulnera, quod eſt eius partis medicinæ, quæ chirurgica dicitur; quaſi dicat, Non poſſum tanto Reip. vulneri facere medicinam. IN DOMO MEA NON EST PANIS; &c. panis, quem in populum famelicum diſtribuam, & veſtimenta, quibus tegam illius nuditatem; quaſi dicat, Non habeo unde populi neceſſitatibus provideam.

V. 8. RUIT IERUSALEM, &c. Verba ſunt non excuſantis ſe a principatu, ſed prophetæ; quaſi dicat: Ideo nemo volet ſuſcipere regimen Iudæ, & Ieruſalem, quia ipſa ruet, exſcindetur. LINGUA EORUM: maledica, & blaſphema in Chriſtum. ADINVENTIONES: cogitata, conſilia, machinationes, opera.

V. 9. AGNITIO VULTUS EORUM RESPONDIT EIS; quaſi dicat: Ex intuitu vultus eorum apparet qui ſint, nam in facie eorum eminet arrogantia, faſtus, laſcivia. RESPONDIT EIS, id eſt contra eos teſtificans. PECCATUM PRAEDICAVERUNT; quod eſt ſummæ impudentiæ. ANIMAE EORUM: illis. REDDITA SUNT EIS MALA; hoc eſt, reddentur, & rependentur pro ſceleribus.

V. 10. DICITE IUSTO; quaſi dicat, Contra vero dicite iuſtis, quod bene illis erit: & fructus benefactorum colligent. FRUCTUM ADINVENTIONUM: conſiliorum, & operum ſuorum bonorum.

V. 11. VAE IMPIO IN MALUM, in malitiam omnem effuſo. In Hebræo vero eſt, *Væ impio malo*, vel *maligno*. MANUUM, id eſt operum, quæ manibus fiunt. EXACTORES: principes, & magiſtratus avaros, & rapaces intelligit. MULIERES DOMINATAE SUNT EIS; ſcilicet principibus, & magiſtratibus, quæ cum ſint impotentes, avaræ, inſipientes, & in perturbationibus vehementes, maritos ſuos in omne nefas tranſverſos agunt. Poſſumus etiam interpretari de viris mulieroſis, & effeminatis. Sic ille dicebat apud Virgil. AEneid. IX.

O vere Phrygiæ, neque enim Phryges.

QUI TE BEATUM DICUNT. Sacerdotes, & ſcribæ, qui ob dona, & oblationes templo, ſibique factas dicunt te beatum, & miſerias, & peccata tua quibus teneris, non retegunt, nec reprehendunt. Vide Ezech. XIII. 18. *Væ qui conſuunt pulvillos*, &c. VIAM GRESSUUM TUORUM: vitæ tuæ rationem, ſtatum, ſalutem, & felicitatem tuam privatam, & publicam evertunt.

V. 13. AD IUDICANDUM, id eſt ad puniendum, & exſcindendum, per Romanos.

V. 14. CUM SENIBUS, id eſt contra ſenes, ſive ſenatores populi; eos pu-

nien-

Digitized by Google

niendo, &c. Alii exponunt; quaſi dicat, *Cum ſenibus*, id eſt cum Patriarchis, Prophetis, & Apoſtolis Dominus veniet ad iudicandum populos. Vos depasti estis vineam. Vos Scribæ & Phariſæi, qui debebatis eſſe cuſtodes vineæ, id eſt ſynagogæ, ſive populi mei, eam depaſti eſtis, ſpoliando eam bonis ſuis.

V. 15. Atteritis: ſenſim abſumitis. Commolitis. Vatabl. vertit, *colaphis cæditis*; alii *contunditis*. LXX. *confunditis*; quaſi dicat, Ignominia, verbis aſperis, quin & colaphis afficitis, & affligitis pauperes. Paſſus eſt hoc Chriſtus, & eius Apoſtoli, qui Actorum IV. 41. *Ibant gaudentes a conſpectu concilii, quoniam digni habiti ſunt pro nomine Ieſu contumeliam pati*.

V. 16. Et dixit Dominus, &c. Aliam dat excidii cauſam, ſcilicet procacem, & ſuperbum ornatum feminarum. Elevatae sunt. Heb. *ſuperbierunt*, vitium inſitum ſexui illi, quod creſcit accedente cultu, & ornatu corporis. Aliqui explicant etiam de cothurnis, quibus adiiciunt propemodum ad ſtaturam ſuam cubitum unum. Sic Arias Montanus, Cornel. a Lapide, & Alvarez. Extento collo: qui ſuperborum habitus eſt. Nutibus oculorum ibant: oblique oculos in iuvenes, & amaſios convertendo, & petulanter illis adnictando. Plaudebant. LXX. habent, *inceſſu pedum ſimul trahentes tunicas*, & plauſum hunc detractarum veſtium ſtrepitu intelligunt. Alii verbum Hebræum טפף *thaphaph* idem putant eſſe, quod *tympanizare*, & ad tympanum, quod Hebraice dicitur תוף *toph* compoſite pedes movere. Sic Virgilius dixit: *Pars pedibus plaudunt choreas*, &c. Significat etiam טפף apud Rabbinos, paſſibus æqualibus incedere. Italice dicimus *Andare con il paſſo miſurato*, quod etiam affectant mulieres cum ornatæ ſunt, & veſtibus bene cultæ; & ſequentibus verbis explicari videtur, *compoſito gradu incedebant*.

V. 17. Decalvabit: raſura, & decalvatio erat habitus debellatorum, & ſervorum. Dominus ergo auferet capitis aſcititia ornamenta, & etiam naturalia, capillum ſcilicet, ut ſervis fieri ſolet. Crinem earum nudabit, id eſt pubem. LXX. τὸ ἀσχήμωμα αὐτῶν, *ignominiam earum*. In textu tamen Gæco Vaticano eſt σχῆμα αὐτῶν, *figuram earum*. Pagninus, & Vatablus ex Hebræo verterunt, *nates earum*. Sic infra cap. xx. 4. dicitur: *Minabit Rex captivitatem Ægypti*; &c. *diſcalceatam, diſcoopertis natibus, ad ignominiam Ægypti*.

V. 18. Lunulas: monilia corniculata inſtar lunæ.

V. 19. Armillas: ſunt brachialia, ſive circuli, & catenulæ ornantes brachia. Mitras: ſunt vela, vel faſciæ byſſinæ capitis, gemmis & bracteolis aureis, tremulisque collucentes.

V. 20. Discriminalia: inſtrumenta ad diſcernendos, & ſegregandos capillos, & ad eos torquendos, & criſpandos, puta calamiſtra. Sanchez putat diſcriminalia eſſe vittas, faſcias, ſive tænias, quibus mulieres capillos in cirros & plocamos colligunt, colligant, & diſcriminant. Periscelidas: ſunt faſciæ tibiarum. Murenulas: ſunt ornamenta muliebria, ſic dicta, quod in murenæ piſcis ſimilitudinem aurum duceretur, & maculis, aut punctis variegaretur. Olfactoriola: ſunt myrothecia, ſive pyxides perforatæ, & ocellatæ, quæ odores ſuos, & ſuaves halitus, per foramina ſua exſpirant.

V. 22. Mutatoria; veſtes pretioſiores, quæ non quotidie teruntur, ſed aſſumuntur diebus celebrioribus, ſeu cum procedendum eſt. Palliola: palliolis etiamnum nobiles matronæ utuntur præſertim in itineribus. Linteamina. LXX. *veſtes per domum*; ſcilicet quotidianas, quarum uſus domi eſt. Alii explicant de velis candidis, & pellucidis, quibus utuntur mulieres. Acus: intelligit acus crinales aureas, vel argenteas, quas in capite ad ſpeciem geſtabant.

V. 23. Sindones: linea velamina, vel pepla extima delicatiſſima, & ſubtiliſſima. Vittas. D. Hieronym. tænias interpretatur; alii redimicula acupicta, capiti addita. Ita Arias. Forerius vertit *cidares*. Eſt autem cidaris ſive tiara, pileolus capitis rotundus. Theristra: ſunt veſtes æſtivæ, ſic dictæ, quod ἐν θέρει, id eſt tempore caloris earum uſus ſit.

V. 26. Lugebunt portae: portæ, in quibus forum, & prætoria, & maxima frequentia civium eſſe ſolet, iam deſolatæ mœrere, & lugere videbuntur. Desolata in terra sedebit. Eſt proſo-

popœia; loquitur enim de Ieruſalem quaſi de matrona afflicta, & propter mœrorem humi ſedente. Sic Thren. 1. 1. dicitur: *Quomodo ſedet ſola civitas*, &c.

TIRINI.

Verſ. 1. AUFERET DOMINUS VALIDUM ET FORTEM. Hebraice, *validum & validam*, id eſt omnes qui ſuo robore ſuſtentare Rempublicam poſſint, omne firmamentum, omne præſidium. Solet enim Scriptura per maſculinum & femininum genus, univerſitatem rei deſignare *a*: ita Sanchez & a Lapide. OMNE ROBUR *b* PANIS ET AQUAE, id eſt omnem commeatum, omne alimentum, omne refrigerium, adeo ut fame & ſiti pereant. Hoc ſecundum eſt munimen & robur rerum publicarum, nempe copia annonæ; qua Iudæi privandi dicuntur. Tertium ſequitur.

V. 2. Auferet IUDICEM, qui lites decidat & ſopiat. Quartum: ET PROPHETAM, qui ſub tempus excidii Romani pene nullus Iudæis fuit. Quintum: ET ARIOLUM, id eſt coniectorem, vel prognoſticum, ſeu naturali arte, ſeu dæmoniaca; quaſi dicat: Deſtituet Deus Iudæos omni genere prophetiæ, tam naturalis, quam ſupernaturalis; tam dæmoniacæ, quam divinæ. Sextum: ET SENEM, id eſt prudentem & expertum virum. Septimum:

V. 3. PRINCIPEM SUPER QUINQUAGINTA: qui apud Iudæos Pentacontarchus dicebatur. Octavum: ET HONORABILEM VULTU, qui ſua maturitate & gravitate aliis præſit. Nonum: ET CONSILIARIUM. Decimum: SAPIENTEM DE ARCHITECTIS, id eſt prudentem, peritum architectum, qui machinis conſtruendis, caſtris metandis, urbibus tutandis præſit. Undecimum: PRUDENTEM ELOQUII MYSTICI, ſeu ſpiritualis, id eſt qui polleat facundia & efficacia perſuadendi quæ recta, quæ utilia, quæ neceſſaria. Unde Theodotion vertit, *prudentem incantatorem*; Aquila, *prudentem ſuſurratorem*: ita S. Hieronymus.

V. 4. ET DABO PUEROS PRINCIPES EORUM: pueros non tam ætate, quam moribus, imprudentia, ſtultitia, imbelles, laſcivos, temerarios. Quæ certa eſt Reip. ruina, ut patuit in Roboamo. III. Regum XII. 8. Tales pueri fuerunt Manaſſes, Ioakim, Sedecias: & poſt natum Chriſtum, ſtulti principes ſacerdotum ac populi, ac nominatim factioſi illi Zelotæ, qui perpetuis ſeditionibus ac cædibus magis urbem perdiderunt, quam Romani, teſte Ioſepho *c*.

V. 5. ET IRRUET VIR AD VIRUM, &c. ut fit in ſeditione, quam Ioſephus graphice depingit ſub Tito.

V. 6. APPREHENDET VIR FRATREM SUUM; id eſt, ſinguli dicent ad ſingulos honeſtius veſtitos: VESTIMENTUM TIBI EST pulchrum, & toga ſplendida: ergo opes habes, & annona abundas; ſis PRINCEPS NOSTER: RUINA HAEC SUB MANU TUA. Eſt hypallage, pro, *manus tua ſit ſub hac ruina*; id eſt, ſuſtenta & fulci Rempublicam alioqui labantem ac deſperatam. At ille recuſabit, dicens:

V. 7. NON SUM MEDICUS. Hebraice, *non ſum chirurgus*; quaſi dicat: Non poſſum mederi tanto malo; vulnus hoc & morbus meam artem excedit: ita Cyrillus.

V. 8. LINGUA EORUM maledica & blaſphema, ET ADINVENTIONES; id eſt, ſtudia, machinationes & opera prava irritarunt Deum. Quod ſi aliunde non conſtaret, certe ex vultu illorum proderetur: nam

V. 9. AGNITIO VULTUS EORUM RESPONDIT EIS. Hebraiſmo abſtractum ponitur pro concreto: *agnitio vultus*, id eſt peccata agnita in vultu, *reſpondent eis*, id eſt, luculentum teſtimonium *d* dant manifeſtæ nequitiæ ipſorum: in vultu videre eſt & legere procacitatem, laſciviam, faſtum: facies clamat *e* eos turgere ſuperbia, ira, odio, libidine. Id de feminis clare explicat v. 16. Sed hic de viris quoque idem affirmat: & mox clarius explicat. PECCATUM SUUM NON ABSCONDERUNT, ut ſolent pudibundi vel meticuloſi; ſed perfricta fronte palam quaſi rem laudabilem & gloria dignam ubique deprædicaverunt, uti olim fecit SODOMA: non tamen involvet Deus iiſdem pœnis iuſtos & iniuſtos.

V. 10. IUSTO DICITE, ſeu pro certo addicite, QUONIAM BENE illi erit, tum in hac vita, tum maxime in futura. QUONIAM FRUCTUM iucundiſſimum & ſuaviſſimum ADINVENTIONUM, id eſt ſtudiorum & operum, SUARUM COMEDET, & fruetur æternum.

V. 12.

Digitized by Google

V. 12. EXACTORES non erant ſoli publicani, ſed & ipſi principes avari, crudeles & rapaces, qui POPULUM SPOLIAVERUNT, Hebraice, *racemarunt*, id eſt uſque ad ultimum obolum ſpoliaverunt. Racematio enim eſt collectio reliquarum uvarum, quæ peracta vindemia hinc inde remanſerunt. ET MULIERES DOMINATAE SUNT EIS, id eſt mulieroſi principes, ſeu effeminati, de quibus verſ. 4. Vel, ſi mavis, mulieres propriæ dictæ, nempe uxores principum, quæ maritis mulieroſis dominari ſolent: ut conſtat de Iezabele, Athalia, Herodiade, & illis Romanis, de quibus Cato: *Mulieres regunt nos, nos ſenatum, ſenatus Romam, Roma orbem*. Quod intolerabile malum eſt, tum ob iudicii defectum, tum ob impotentiam animi, & luxum, aliaque vitia, quibus ut plurimum mulieres præ viris obnoxiæ ſunt: ita Sasbout. VIAM GRESSUUM TUORUM DISSIPANT, id eſt corrumpunt, pervertunt; quaſi dicat: Qui deberent tibi per ſeriam pœnitentiam commonſtrare viam ad ſalutem tum temporalem, tum æternam, ſeducunt te: omnem metum imminentis tibi pœnæ adimunt, ut ſecurus obdormias in peccatis, & ex improviſo obruaris ab hoſte. *Dicunt, Pax, pax, & non erat pax f*. Ego vos non ſic infatuabo; ſed quod verum eſt, dicam, & prædicam:

V. 13. & 14. STAT pœnis & flagellis armatus DOMINUS AD IUDICANDUM & vindicandum iniuriam ſibi per vos illatam. Stat, inquam, ſuccinctus iam, & ad portas veſtras: per Chaldæos, per Romanos AD IUDICIUM VENIT, etiam CUM SENIBUS POPULI SUI, id eſt contra ſenes, ſeu ſenatores & magiſtratus omnes populi Iudaici, quos non minus ad pœnam depoſcet, quam viliſſimos de plebe.

V. 15. FACIES PAUPERUM COMMOLITIS, id eſt inedia & macie g & multiplici iniuria extenuatis; LXX. *confunditis, colaphis cæditis*: quod tum in alios pauperes, tum ſpeciatim in Apoſtolos quadrat Lucæ IV. 41.

V. 16. FILIAE SION ſunt uxores & filiæ principum Iudæorum, quas ad eamdem pœnam cum maritis dandam Propheta hic vocat, utpote ſcelerum eorumdem ſocias, vel potius auctores: nam ut pretioſis monilibus ſeſe ornare poſſent, maritos ſuos ad pauperes expilandos adigebant. ELEVATAE SUNT ſupra ſtatum ſuum, ſupra ſtaturam, ſupra decorum, nempe non ſolo animo ſuperbo, ſed & pedibus plus æquo erectis per ſubiectos cothurnos, quibus proceriores, & quaſi reginæ quædam aut deæ terreſtres apparerent. EXTENTO COLLO inſtar gruum, vel cycnorum. ET NUTIBUS OCULORUM IBANT, obliquando oculos in vicinos iuvenes & amaſios ſuos *inſtar baſiliſcorum*, inquit S. Baſilius. Vide S. Chryſoſt. & Hier. *b* Chaldæus vertit, *ſtibio linitis oculis*, & crinibus circumvolutis ibant. ET PLAUDEBANT PEDIBUS: molli & fracto inceſſu ac ſupploſione, inſtar tripudiantium. Sic Virgilius: *Pars pedibus plaudunt choreas*. Sanchez putat, margaritarum in calceis colliſione, ut inſinuatur v. 18. plauſum & ſonitum edidiſſe, ut ſolitas facere docet Plinius *i*. Poſſet & de ſonitu exponi quem veſtibus ſuis byſſinis inter ſe colliſis, & ad pavimentum alliſis ſtudio edebant. Huc uſque vitia mulierum. Iam ſequitur pœna.

V. 17. DECALVABIT DOMINUS VERTICEM ſpoliando illas præcipuo ſuo ornamento, puta capillitio, ut ait ex Apuleio S. Ambroſius *k*. Decalvabit, inquam, primo, alopecia, tinea, lepra vel aliis morbis; ſecundo, raſura Chaldæorum, & Romanorum qui debellatos decalvabant, & ſic ſervos & ancillas faciebant. Ita de Scipionibus dicebatur:

Sub quorum titulis Africa tonſa iacet.

Tertio, ſervili labore & onerum geſtatione quam ſubire mancipia cogentur, de qua Ezech. XXIX. 18. ubi milites Nabuchodonoſoris comportantes onera ad expugnationem Tyri, dicuntur habuiſſe caput omne decalvatum & humeros depilatos.

V. 18. LUNULAE monilia erant corniculata inſtar lunæ; & nunc in capite, quaſi diademata, nunc in collo, nunc pro pectore geſtabantur.

V. 19. De *mitris* dixi Iudith X. 3.

V. 20. DISCRIMINALIA, inquit Sanchez, ſunt faſciæ & teniæ, quæ capillos in cirros & plocamos diſcriminant, & diſcriminatos ſuſtentant, & attollunt quaſi in turrim, ut loquitur Nazianzenus. Et *diſcriminalia* vocantur, quia his ingenuæ & nobiles puellæ a vulgaribus diſcriminabantur. PERISCELIDES, quaſi περὶ σκέλος, id eſt circa tibiam, ſunt crurum orna-

menta, vel caligæ ornatiores. De *murenulis* dixi Cant. I. 10. Olfactoriola ſunt myrothecæ, ſive pyxides ocellatæ, quæ ſuaves halitus per foramina ſua exſpirant.

V. 22. Mutatoria ſunt veſtes pretioſiores, quæ raro & ad ſolam pompam induuntur. LXX. vertunt *περιπόρφυρα*, ſeu prætextas purpura veſtes, quæ Romanis *laticlaviæ* vocabantur. Linteamina erant vela candida & pellucida, quibus pectus, vel alias quoque corporis partes laſcive oſtentabant in conviviis & tripudiis, more Laconico, inquit Baſilius & LXX. Acus crinales ex auro, ut plurimum, non tam criſpabant capillos, quam diſcriminabant, & ne rurſum diffluerent, aſtringebant & fibulabant: ita S. Hier. & Iſidorus *l*.

V. 23. Sindones erant linea velamina vel pepla ſubtiliſſima: de quibus Proverb. ultimo. Has ſindones indicant LXX. fuiſſe tinctas purpureo *m* coccineo & violaceo colore, quod erat impudicarum mulierum: quæ ſicut in aliis, ſic in hoc quoque volebant pontificalem habitum ſuperbe ac ſacrilege imitari, inquit S. Baſilius. Theristra pallia erant æſtiva, ſic dicta, quod *ἐν θέρει*, id eſt in æſtate geſtarentur, & vel totum corpus, vel ſaltem caput concinne tegebant: ita Forerius. De nimio veſtium luxu & mundo muliebri acerrime queruntur Tertull. Cyprianus *n*, Hieronymus, Baſilius, Ambroſ. Chryſoſt. Auguſt. & Nazianzenus.

(a) In Prolegom. de idiotiſmis Heb. n. 51.
(b) Ibid. n. 36.
(c) Ioſeph. Lib. V. & VI. Belli.
(d) Ierem. xiv. 7. Oſee v. 5.
(e) Ierem. iii. 3.
(f) Ierem. vi. 14. & Thren. ii. 14.
(g) Amos viii. 4.
(h) Chryſoſt. homil. xxvii. in Matth. Hieron. in Vita S. Hilarionis.
(i) Plin. Lib. IX. cap. xxxv.
(k) Apul. Lib. II. de Aſino. Ambr. Lib. VI. Hexam. c. ix.
(l) Iſidor. Lib. XIX. cap. xxxi.
(m) Exod. xxv. 4.
(n) Tertull. de Habitu mulierum, & de cultu feminarum. Cypr. de Diſciplina & habitu virginum.

GORDONI.

Verſ. 1. Ecce enim dominator Dominus. Eſt hæc excidii prædictio, & ſane futuri per Titum, ut interpretantur Patres antiqui, Hieronym. Cyril. Baſil. & alii; nam tam hæc Patrum interpretatio, quam quæ ſequuntur capite iv. & v. docent prophetiam iſtam pertinere ad Chriſtum & Chriſti Eccleſiam, uti ex illis locis conſtabit. At quid illud, robur panis et aquae? commeatum intelligit, ut ſit fames ingens, qualis erat ſub Tito quando matres devorabant filios: vox *robur panis* Hebraiſmum habet.

V. 2. & 4. Hoc etiam deſignat excidium ſub Tito, quo ſcilicet tempore non erant Prophetæ: nam Ieſus ille qui ex Ioſepho Væ inclamabat, non erat Propheta. Quod vero hic eſt, verſ. 4. *de principibus pueris*, omnes intelligunt pueros non ætate, ſed ſtultitia & moribus: nec deſunt qui per principes pueros, Titum & Romanæ iuventutis florem intelligunt. Ceterum quam bene quæ hic dicuntur Tito conveniant, facile colliget lector ex Ioſepho huius excidii deſcriptore, Lib. VII. de Bello: de eodem, nos anno Chriſti lxxii.

V. 10. Dicite iusto quoniam bene, &c. In ipſa narratione malorum quæ obvenient impiis, inſeritur hoc epiphonema cum antitheſi de bonis & felicitate iuſtorum; ſtatimque redit ad impios. Adinventio hic in bonam partem accipitur, & verſ. 8. in malam.

V. 16. & 17. Et dixit Dominus; &c. Hæc tertia pars capitis eſt, ubi a principibus & viris aliis tranſit ad mulieres, quæ ut comptæ apparerent, effecerunt ut mariti pauperum bona raperent: nutibus ibant, hoc eſt oculis provocabant ad laſciviam. Sequitur pœna, crinem nudabit, et decalvabit: puto eſſe repetitionem; niſi velis eſſe, detegere & mox radere; tamen Septuag. non crinem, ſed turpitudinem habent, *τὸ αἰσχύνωμα*. Aliqui פתחן *pathen*, vertunt *pudenda*.

V. 18. Ornamenta ſunt hæc mulierum: lunulæ ſunt monilia inſtar lunæ corniculatæ: mitræ ſunt capitis faſciæ byſſinæ: diſcriminalia, vel diſcernicula, inſtrumenta quæ diſcriminant capillos: periſcelides crurum ornamenta, vel potius armillæ tibiarum, ut ſonat *σκέλος*; murenulæ, vide Cant. verſ. 10. olfactoriola ſunt myrothecæ, aut perforatæ pixides quæ exſpirant

Digitized by Google

pirant odores: mutatoria, veſtes pretioſæ quæ mutatis aliis ſumuntur: linteamina, vela candida: tali velo totum corpus tectum oſtendebatur laſcive in tripudiis & conviviis. Acus, ſcilicet crinales; ſindones, velamina ſunt ſeu pepla extima & colorata. Theriſtra veſtes æſtivæ ſubtiles: lege quæ verſ. 24. ad finem capitis dicuntur; eſt enim locus notandus contra mulierum ornatum, quem citatis Patribus illuſtrat Cornelius.

Ex Eiusdem Auctario.

Verſ. 5. Et irruet. Ita nempe contingit in ſeditione, & rebus plene deſperatis.

Verſ. 6. Vestimentum. Deſignatur inopia virorum qui regant, & ſe malis opponant. Ruina sub manu tua. Suppone manum cadenti regno, & Reipublicæ.

Verſ. 7. Neſcio tam gravi morbo Reipublicæ ſuccurrere.

CAPUT IV.

Septem mulieres unum maritum appetent: germen Domini exaltabitur: & reliquiæ Iſrael ablutis earum ſordibus ſalvæ erunt, magnaque ſecuritate & felicitate afficientur.

1 ET apprehendent ſeptem mulieres virum unum in die il-
la, dicentes: Panem noſtrum comedemus, & veſtimen-
tis noſtris operiemur: tantummodo invocetur nomen tu-
um ſuper nos, aufer opprobrium noſtrum. 2. In die il-
la, erit germen Domini in magnificentia & gloria, &
fructus terræ ſublimis, & exultatio his, qui ſalvati fue-
rint de Iſrael. 3. Et erit: Omnis qui relictus fuerit in
in Sion, & reſiduus in Ieruſalem, ſanctus vocabitur, omnis qui ſcriptus eſt in vi-
ta in Ieruſalem. 4. Si abluerit Dominus ſordes filiarum Sion, & ſanguinem
Ieruſalem laverit de medio eius, in ſpiritu iudicii, & ſpiritu ardoris. 5. Et
creabit Dominus ſuper omnem locum Montis Sion, & ubi invocatus eſt, nu-
bem per diem, & fumum & ſplendorem ignis flammantis in nocte: ſuper
omnem enim gloriam protectio. 6. Et tabernaculum erit in umbraculum diei
ab æſtu, & in ſecuritatem, & abſconſionem a turbine, & a pluvia.

COMMENTARIA

MALDONATI.

Verſ. 1. Et apprehendent septem mulieres, id eſt multæ, numerus certus pro incerto. In die illa; id eſt, cum ceciderint viri gladio, & fortes in prælio, ut dixit cap. III verſ. 25. Panem nostrum; id eſt, cum viri ſoleant uxoribus victum ac veſtitum dare, nos neutrum exigimus: aut, nos utrumque tibi ſuppeditabimus. Tantum petimus ut invocetur super nos nomen tuum; id eſt, ut dicaris vir noſter, aut, ut auctoritate tua defendas nos. Aufer opprobrium. אסף, *collige*, id eſt tolle opprobrium noſtrum; id eſt, propulſa a nobis iniuriam, quam patimur ab hoſtibus. Aut opprobrium vocat cœlibatum & ſterilitatem; id eſt, tantum volumus prolem ex te ſuſcipere.

V. 2. In die illa. Non ſignificatur idem prorſus tempus, ſed quod poſt ventu-

turum eſt; quaſi dicat, Poſt calamitoſum illud tempus, veniet aliud tranquillum. Erit germen Domini, id eſt Chriſtus, quem germen Domini vocat propter divinitatem, & fructum terræ propter humanitatem. Erit, inquam, in decore, in magnificentia, in gloria, Iis qui salvati fuerint. Hebr. לפליהש ישראל, *evaſioni Iſrael*, id eſt reliquiis. *Reliquiæ ſalvæ erunt Chriſtum recipientes*: Iſai. x. 22. & Rom. ix. 27.

V. 3. Sanctus vocabitur, id eſt Chriſtianus. Sic enim omnes Chriſtiani vocabantur. Omnis qui scriptus est, לחיים, *inter vivos*, id eſt in libro vitæ, omnis prædeſtinatus ex Iſrael.

V. 4. Si abluerit; id eſt, cum abluerit ſordem filiarum Sion, & דמי, *ſanguinem*, id eſt homicidia (ponit autem homicidia pro omnibus peccatis) id eſt, cum expiaverit omnia Iſraelitarum peccata, (ponit enim mulieres pro toto populo.) In spiritu iudicii et spiritu ardoris; id eſt, alios metu pœnæ, alios amore & caritate ad ſe adducens. Spiritus ſignificat affectum hoc loco, quaſi dicat, Alios ira, alios caritate: ut Pſal. xvii. 16. *Ab increpatione tua, Domine, ab inſpiratione ſpiritus iræ tuæ.*

V. 5. Et creabit Dominus, id eſt excitabit, conſtituet. Super omnem locum montis Sion, id eſt Iuda. Myſt. ſuper omnem Eccleſiam Catholicam. Et ubi invocatus est. Heb. על מקראיה, *ſuper convocationes*, aut concilia eius; id eſt, ſuper omnem locum ubi Chriſtiani convenient. Nubem per diem et fumum. Alludit ad nubem & flammam ignis, qua olim Deus Hebræos ex AEgypto deduxit: Exod. xiii. 21. aut ad eam qua tegebat montem Sina, cum Moſi legem daret: Exod. xxiv. 15. aut ad nubem, quæ die, & ad ignem, qui nocte tabernaculum operiebat: Num. ix. 15. 16. prædicitque fore, ut eodem modo Deus Eccleſiam Chriſtianorum protegat, ſcilicet nube Baptiſmi, & igne Spiritus ſancti: I. Cor. x. 2.

V. 6. Et tabernaculum; id eſt, Eccleſia in umbraculum dici ab æſtu; id eſt, erit aſylum adverſus omnes dæmonum impugnationes.

S A.

Verſ. 1. Septem, id eſt plurimæ. Mulieres, ſcilicet viduæ. Invocetur. LXX. *vocetur*; quaſi dicat: Eſto vir noſter, dicamurque uxores tuæ. Significatur tot perituros Deo puniente, ut viduæ multæ vix ſint inventuræ virum unum, cui earum aliqua nubere poſſit. Opprobrium, ſcilicet ſterilitatis, aut cælibatus.

V. 2. Die, id eſt tempore; ſcilicet poſt punitionem ſequetur proſperitas ſpiritualis per Chriſtum. Germen Domini, &c. Chald. *Chriſtus Domini in gaudium, & gloriam*. Fructus, ſcilicet Chriſtus: repetitio eſt. Terrae: ſic dictum, *Terra noſtra dabit fructum ſuum*: Pſal. lxxxiv.

V. 3. Sion. *Sion & Ieruſalem* nomine Eccleſia intelligitur. Omnis qui; pro, nempe omnis qui. In vita, id eſt in Libro vitæ. LXX. *in vitam*. Chald. *ad vitam æternam*.

V. 4. Si abluerit; pro, cum abluerit. LXX. *quia abluet*. Filiarum, id eſt congregationis. Sanguinem, id eſt homicidia, per quæ reliqua peccata intelliguntur. Iudicii, ſcilicet puniendo, vel in ipſis, vel in Chriſto, per cuius paſſionem iuſtificamur, adiuncta tamen etiam noſtra cooperatione. Ardoris, id eſt caritatis & divinæ & noſtræ. Auguſtinus XX. Civit. cap. xxv. ad Purgatorium refert.

V. 5. Et creabit Dominus. LXX. *& veniet* (ſcilicet Dominus) *& erit*. Montis Sion, id eſt Eccleſiæ. Nubem per diem; quaſi dicat: Faciet cum Chriſtianis ſpiritualiter, quod olim fecit cum Iudæis corporaliter. Et fumum; quaſi dicat, Denſam nubem. Chald. *& caliginem*. Gloriam, id eſt glorioſos viros, ſcilicet ſanctos; vel ſuper omnem gloriam, id eſt glorioſiſſima, ſcilicet protectio divina erit.

E S T I I.

Verſ. 1. Et apprehendent septem mulieres virum unum in die illa dicentes: Panem nostrum comedemus, et vestimentis nostris operiemur. Tantummodo invocetur nomen.

NOMEN TUUM SUPER NOS, AUFER OPPROBRIUM NOSTRUM. Secundum litteram refertur ad captivitatem Babylonicam, & exciſam tunc Ieroſolymam, atque etiam ad excidium poſtea factum per Romanos. Et ſignificatur tantam tunc futuram virorum cædem, ut ſeptem mulieres, id eſt multæ mulieres vix unum maritum invenire poſſint; ſic enim præceſſit in fine capitis præcedentis: *Pulcherrimi quoque viri tui gladio cadent, & fortes tui in prœlio. Et mœrebunt, atque lugebunt portæ eius, & deſolata in terra ſedebit*, ſcilicet Ieruſalem. Quod ergo dicunt: *Tantummodo invocetur nomen tuum ſuper nos, aufer opprobrium noſtrum*, ſenſus eſt: Hoc tantum petimus, ut dicaris noſter maritus, & nos tuæ uxores; nam ita fiet, ut auferatur opprobrium noſtrum: ſcilicet probroſum erat in illo populo mulierem manere innuptam, & non facere ſemen in Iſrael, Deut. VII. Ceterum ex hoc loco diſcimus, phraſi ſcripturæ, invocari alicuius nomen ſuper alium, nihil aliud eſſe quam appellari addito nomine alterius. Ita Iacob Geneſ. XLVIII. de Manaſſe & Ephraim: *Invocetur nomen meum ſuper eos*, id eſt vocentur filii Iacob. Sic Eccli. XXXVI. *Plebi ſuper quam invocatum eſt nomen tuum*, id eſt quæ vocatur plebs tua, populus Dei.

Myſtice autem hæc prophetia ad multiplicationem eccleſiarum novi teſtamenti ſub ſeptenario numero pertinet, & ſignificatur quod omnes apprehendent virum unum, Chriſtum ſcilicet; & quod ſuper omnes invocabitur nomen Chriſti; id eſt, quod omnes appellabuntur eccleſiæ Chriſti, non Arii, aut Sabellii, non Lutheri, aut Calvini, &c.

MARIANAE.

Verſ. I. APPREHENDENT SEPTEM MULIERES, id eſt multæ. VIRUM UNUM, ut ſcilicet illi nubant. Occiſis viris, conſequens erat, ut viduæ multæ & innuptæ manerent. PANEM NOSTRUM. Non petimus ut nos alas, quod faciunt alii mariti. INVOCETUR NOMEN TUUM; id eſt, vocemur uxores tuæ, tu maritus noſter. OPPROBRIUM NOSTRUM cœlibatus & ſterilitatis aufer. *Maledicta ſterilis, quæ non facit ſemen in Iſrael*: Deut. VII. ſic Hieronymus citat ex Vulgata certe antiqua. Modo verſ. 14. *Non erit apud te ſterilis*.

V. 2. ERIT GERMEN DOMINI. Poſt tempeſtatem ſerenum ſequetur. Dux erit, qui luctum vertat in gaudium. Quod de Chriſto intelligimus. Chald. *Erit Chriſtus Domini in gaudium & gloriam*. IN MAGNIFICENTIA ET GLORIA. Magnificum germen & glorioſum. FRUCTUS TERRAE SUBLIMIS. Reperirio.

V. 3. QUI RELICTUS FUERIT IN SION. Per *Sion* & *Ieruſalem* Eccleſiam intellige, in qua ex Iudæis non multi fuerunt. Sed ii tamen *ſancti* vocabuntur, a Chriſto ſanctificati. QUI SCRIPTUS EST IN VITA, ſive ad vitam, id eſt, prædeſtinati, quorum nomina ſunt in Libro vitæ. Vel in *vita ſcriptus*; id eſt qui e cæde illa vivus evaſerit, is *ſanctus* vocabitur, & per Chriſtum, & mutatis moribus.

V. 4. SI ABLUERIT; pro, cum abluerit, ſcilicet per Baptiſmum ſordes. FILIARUM SION, id eſt congregationis Sion, tribus Iudæ & Beniamin. SANGUINEM IERUSALEM LAVERIT, id eſt homicidia, per quæ reliqua peccata intelliguntur. IN SPIRITU IUDICII; id eſt, non omnes promiſcue, ſed qui digni erunt, ii ſervabuntur. ET SPIRITU ARDORIS, id eſt caritatis, qua Deus ſuos amat. Auguſtinus Lib. XX. de Civit. cap. XXV. hoc ad purgatorium ignem refert.

V. 5. NUBEM PER DIEM; id eſt, proteget Deus tunc ſuos, non ſecus atque olim in eremo per nubem & ignem. FUMUM. Sic vocat nubem denſam & ignitam, quæ per noctem lucebat filiis Iſrael in deſerto. Per quæ divina protectio hoc loco intelligatur. SUPER OMNEM ENIM GLORIAM PROTECTIO; id eſt, maior omni gloria erit ea protectio, glorioſiſſima erit & admirabilis.

V. 6. ET TABERNACULUM ERIT; id eſt, ea protectio erit inſtar tabernaculi, quod reget ab æſtu diurno per diem; nam interdiu æſtus urget. ET IN SECURITATEM. Hebr. & *in tegmen*, quo ſe recipiant & ſe abſcondant a pluvia, ſcilicet noctu & per diem, quocumque tempore. Id ſignificat abſoluta propoſitio: *Erit in abſconſionem a turbine & pluvia*.

MAL-

MALVENDAE.

Verſ. I. ET APPREHENDENT SEPTEM MULIERES VIRUM UNUM, &c. Quidam: *Prehendent ſeptem mulieres virum eumdem tempore illo*; id eſt tanta erit penuria virorum, tanta deſolatio mulierum, ut ne unus quidem vir in ſeptenas ſeminas inveniri poſſit. Amplificatur autem hæc deſolatio tribus conditionibus iniquiſſimis: una, quod mulieres ambituræ ſint & prehenſuræ virum; quod ex lege naturæ contra fieri debuit: altera, quod victum & res neceſſarias ipſi oblaturæ, quod proprie virorum officium eſt: tertia, quod plures contra ius, morem, & ingenium in virum unum conſenſuræ. Congruit id recte cum præcedentibus: *Homines tui in gladio corruent*; erunt igitur pauci viri, & multæ mulieres. SEPTEM MULIERES: id eſt multæ, numerus finitus pro infinito: & ſeptenarius paſſim eſt numerus univerſitatis. TANTUMMODO INVOCETUR NOMEN TUUM SUPER NOS. Alii: *tantummodo vocemur de nomine tuo*; id eſt, duc nos, maritus eſto nobis, dicamur uxores tuæ. AUFER OPPROBRIUM NOSTRUM. Hebr. *collige probrum noſtrum*. Poſſis exponere: *ſana probrum noſtrum*, id eſt ſterilitatem: ſic ſumitur id verbum II. Reg. v. 3. & 6. quaſi dicat, Fac ut liberos ſuſcipiamus ex te: nam probroſa olim erat atecnia, id eſt orbitas.

V. 2. IN DIE ILLA: ſive *tempore illo*. Notant eſſe iam hic concluſionem elegantiſſimam totius concionis, quæ cœpta eſt inde a cap. II. continentem duo promiſſionum genera: unum de iuſtitia, ſanctificatione, redemptione, & gloria quam Eccleſia percipit in Chriſto, uſque ad verſ. 5. alterum de æterna fide & defenſione eius, duobus ſequentibus. Tempus autem illud intelligunt, quo Chriſtus iudicia ante denuntiata effecit, & ſuo adventu populum ſuum purgavit, infra verſ. 4. GERMEN DOMINI, ſeu *germen Iehovæ*. Aliqui exponunt, Id eſt Chriſtus Filius Iehovæ, & verus Iehova, infra cap. v. qui intermortuo regno Dei propemodum, excitatus eſt a Deo Patre & ſubmiſſus, velut germen e radice repullulans. Alii vero pro Eccleſia repullulante accipiunt ex reliquiis Iſraelis; hoc ſenſu: Eccleſia ex reliquiis Iſraelis collecta erit ornatiſſima. Alii pro donis ſpiritualibus quæ Iehova in Eccleſiam profundit. Sed cum proprium apud prophetam nomen Eccleſiæ ſit Iſrael, aut reliquiæ Iſraelis, hoc verſu & ſequente; præterea gratiæ ſive dona Dei evidentiſſimis verbis exprimantur; deinde hoc proprium ſit attributum Chriſti, quod deinceps procedente tempore copioſius expoſuit idem propheta infra cap. XI. cuius ſummam hoc caput continet; interpretationem hanc, inquiunt, aliis prætulimus: denique ipſa quoque verborum conſecutio ſimplicius ita conſtruitur, quam ſi dixeris: *Erit germen Iehovæ reliquiis Iſraelis*; id eſt, germinabunt a Iehova reliquiæ Iſraelis: dona vero nuſquam ſic appellantur, ſed Chriſtus ipſe hanc appellationem, & cognatas obtinet, infra cap. XI. Ierem. XXIII. & XXXIII. Zachar. III. & VI. GERMEN IEHOVAEH. *Creſcentia*, *ſuccreſcentia*, *germen*, *ſurculus*; quo nomine Chriſtus æternus Dei Filius paſſim in prophetis vocatur, quod unicum Patris ab æterno ſit germen, & unicum matris virginis in tempore ſit germen, & quod ex tenuibus initiis ad ſummum uſque excreverit eius regnum in terris: vide Galatinum Lib. III. cap. XVI. IN MAGNIFICENTIA. De voce צבי *tzebi*, vide in II. Samuel. I. 19. Quidam hic: *in decorem*, *in iucunditatem*, *in gloriam*: id eſt decentiſſimum, iucundiſſimum, & glorioſiſſimum. Nos diximus: *in nobilitatem*, id eſt nobiliſſimum ac præſtantiſſimum. ET GLORIA: vel *honore*; hoc eſt, inclytum, honoratiſſimum. ET FRUCTUS TERRAE. Quidam: *& fructus ipſe terræ*; epitheton Chriſti, qui ex radice pene mortua ſuboleſcens, cum ſurculo comparatur, qui e terra naſcitur, quod infra cap. XI. copioſius exponitur. IIS, QUI SALVATI FUERINT DE ISRAEL. Hebr. *evaſioni Iſraelis*, id eſt iis, qui evaſerint, Iſraelitis. Quidam: *ſuperſtitibus Iſraelis*, id eſt Eccleſiæ, quæ ex oppreſſione peccati, mortis, & ſatanæ ſalva evaſit.

V. 3. ET ERIT: OMNIS QUI RELICTUS, &c. Alii hunc verſum ex Hebr. reddunt: I. *Et fiet, ut qui reliquus fuerit in Tziione*, id eſt qui infidelitate non fuerit

fuerit interfectus aut abductus a Satana; *& qui reſiduus manſerit Ieruſalaimis*, *Sanctus vocetur*, vel *imponatur ei nomen Sanctus*, nam ſanguine Chriſti purificabitur: *omnis ſcilicet, qui Ieroſolymis inter vivos ſcriptus fuerit*; vel *in vitam aſcriptus fuerit*; id eſt, qui præordinatus ad vitam æternam ex decreto Dei, ut loquitur Lucas Actor. XIII. 48. ſit de Eccleſia, & numero credentium in ipſum. II. *Erit enim, ut qui relictus fuerit Tziione, & reſiduus Ieruſchalaimis, ſanctus dicatur, quiſquis aſcriptus fuerit vitæ Ieruſchalaimis.* Expoſitio rationum, quibus Chriſtus gloriam collaturus eſt in Eccleſiam ſuam. Sunt autem duæ, iuſtitia & ſanctitas, quam Eccleſiæ contulit ad vitam æternam, hoc verſu: & remiſſio peccatorum, atque abolitio, verſu ſequente.

V. 4. SI ABLUERIT DOMINUS SORDES FILIARUM SION, &c. Alii: *Cum*, vel *Poſtquam abluerit*, ſeu *laverit Dominus excrementum filiarum Tziionis, & cædes Ieruſchalaimorum abluerit de medio ipſorum*; id eſt, malum ex Eccleſia ſuſtulerit, cum paleam exurendo igne inextinguibili, tum ſuorum peccata ventilando atque perpurgando Spiritu Sancto, & igne: ut Ioannes prædicabat Matth. III. & alibi. ET SANGUINEM IERUSALEM LAVERIT DE MEDIO EIUS. Verbum דוח *duach*, in Hiphil proprie reddunt, *impulerit*, *depulerit*, *propulerit*, *diſpulerit*, ut vi & impetu eiecturum peccata ſignificet: metaphorice, *abluerit*; lavando enim diſpelluntur ſordes. Quidam reddunt: *lavando eiecerit*, *expiaverit*. IN SPIRITU IUDICII, ET IN SPIRITU ARDORIS. Poſtrema vox Hebr. eſt infinitivus pro gerundio, ſeu nomine: *& in ſpiritu accendendi*, ſeu *accenſionis*, vel *in ſpiritu depaſcendi*, ſeu *depaſtionis*. Alii: *exciſionis*, *conſumptionis*, *eiectionis*. Exponunt, *In ſpiritu iudicii*, ſeu diſcretionis, quo ſcilicet ſeparabit granum a paleis, triticum a zizaniis; *& in ſpiritu aduſtionis*, quo exuret & paleas & zizania igne inextinguibili: vel *in ſpiritu iudicii*, id eſt iuſtitiæ & ſanctificationis, iuſtificando, & ſanctificando ſuos fideles: *& in ſpiritu accenſionis*, cum in die Pentecoſtes Spiritus ſanctus in igneis linguis apparuit. Aliqui reddunt: *ſpiritu iudicii*, *& ſpiritu ſublationis*, id eſt ſpiritu divino ſuo, qui unus omnia ſcrutatur ac diiudicat, I. Corinth. II. 10. ac proinde ſolus iuſtiſſimo iudicio omne malum tollet e populo Dei: quamobrem ignis in Scripturis appellatur ab officio ſuo. Nec deſunt, qui exponant: *in ſpiritu incendii*, id eſt caritatis. Nonnulli *in ſpiritu iudicii & eiectionis*, ut ſit illud Ioan. XII. 31. *Nunc iudicium eſt mundi, nunc princeps huius mundi eiicietur foras.*

V. 5. ET CREABIT DOMINUS, &c. Notant deſcribi hoc & ſequente verſu alterum genus gloriæ, nimirum fidem & defenſionem æternam, quam obtinemus in Chriſto, ne umquam de vita, cui æterno prædeſtinationis decrero aſcripti ſumus, decidamus: ſed ſine metu de manu inimicorum noſtrorum liberati ſerviamus ipſi cum ſanctitate & iuſtitia in ipſius conſpectu cunctos dies vitæ noſtræ, Lucæ I. 74. SUPER OMNEM LOCUM MONTIS SION. Alii: I. *ſuper omnem habitationem montis Tziionis*. II. *ſuper unumquodque habitaculum montis Tziionis*. III. *ſuper totam ſedem montis Tziionis*. Proprie: *ſuper omnem*, ſeu *totam firmam ſedem, baſim, machinam, certam ſtationem montis Tziionis*, id eſt Eccleſiam, quæ eſt columna & firmamentum veritatis. I. Timoht III. 15. Aliqui exponunt: *ſuper omnem*; *paratum, idoneum, diſpoſitum*, per fidem & pœnitentiam. ET UBI INVOCATUS EST. Hebr. *& ſuper convocationes eius*. Alii: I. *& ſuper loca convocationis eius*, id eſt loca, in quæ convocantur homines ad colendum Deum. II. *& ſuper conſilia, conventus, cœtus eius*, id eſt particulares Eccleſias ab univerſali dimanantes, eiuſque membra, vel ſingulos cœtus eccleſiaſticos, qui omnes ad Tziionem ſpiritualem pertinent. NUBEM PER DIEM, &c. Alii ex Hebr. *nubem interdiu fumumque, & ſplendorem: ignemque flammantem noctu*. Allegoria, inquiunt, reſpiciens ad ſignum illud aſpectabile præſentiæ Dei, quod præivit Iſraelitis proficiſcentibus ex AEgypto, Exod. XIII. 21. pro eo quod eſt, Dux erit & defenſor Eccleſiarum ſingularum, quæ undequaque confluent ad cæleſtem Ieruſalem; quaſi dicat: Deus non minus aderit Chriſtianis cum Chriſtus advenerit, quam olim adfuit Iſraelitis, cum illos a ſervitute AEgyptiaca liberatos deduxit in terram pro-

miſſam. SUPER OMNEM ENIM GLORIAM PROTECTIO. Varie hunc locum ex Hebr. accipiunt. I. *quia ſuper omnem gloriam erit protectio*. Gloriam pro viris glorioſis accipit. Super omnem locum, inquit, in quo fuerint viri glorioſi & ſancti in Chriſtum credentes, erit divina protectio. II. *nam ſuper totam gloriam erit protectio*, id eſt, ſuper omnem decorem, excellentiam, ornatum, præſtantiam præſtitutam Eccleſiis, ſupra verſ. 2. erit divina protectio. Senſus eſt: Proteget in Eccleſiis ſuis glorioſum ornatum ſuum, & dona ſua propter nomen ſuum conſervabit. Alludit ad tegmina, quibus totum opus tabernaculi conteſtum erat, quod exponit ſequente verſu. III. poſſis exponere: *& ſuper omnem gloriam erit thalamus*, ſeu *nymphæum*; id eſt, omnem gloriam ſuperabit thalamus Chriſti ſeu cubiculum nuptiale eius, in quo nuptias cum ſponſa ſua celebrat. Vide de voce חפה *chuppah*, in Pſal. XVIII. 6.

V. 6. ET TABERNACULUM ERIT IN UMBRACULUM, &c. Alii hunc verſum ex Hebr. diverſimode reddunt: I. *Et tegumentum erit in umbram per diem ab æſtu, & in protectionem & in latibulum ab imbre, & a pluvia*. II. *Eritque tabernaculum in umbram interdiu ab æſtu, & in ſuffugium ac receptum a nimbo & pluvia*. III. *Cuius protectionis tugurium erit umbraculo interdiu ab æſtu; & receptui atque latibulo ab inundatione & a pluvia*. Id eſt, quemadmodum tabernaculum olim circumtectum erat ab omnibus cæli iniuriis; ita unaquæque Eccleſia (prout tabernaculum eſt, & templum ſanctum Domino) plane circummunietur adverſus omnia mala, ſtudio, providentiaque Dei. AB AESTU. Hebr. proprie: *a ſiccitate*. Sed metonymice ponitur effectus pro cauſa, ſcilicet *æſtu*, quod ſiccitas ab æſtu cauſetur. A TURBINE: vel *ab inundatione*, *defluxu rapido*, *& repentino*, *a cataracta*. De voce זרם *zerem*, vide in Iob XXIV. 8.

MENOCHII.

Verſ. 1. APPREHENDENT SEPTEM MULIERES, &c. Sententia eſt, In excidio Ieruſalem tanta erit virorum paucitas, ut ſeptem, id eſt multæ mulieres vix unum virum, cui nubant, inventuræ, & de eo certaturæ ſint. PANEM NOSTRUM COMEDEMUS: expenſis noſtris vivemus. INVOCETUR NOMEN TUUM SUPER NOS, id eſt noſter maritus eſto. Dicitur invocari nomen mariti ſuper uxorem, quia nomen maritorum aſſumunt uxores: ſic enim apud Hebræos vocatur Maria Cleophæ, Maria Iacobi, &c. Sic etiam Martia redire volens ad Catonem maritum ait, apud Lucanum Lib. II.

> *Da tantum nomen inane*
> *Connubii: liceat tumulo ſcripſiſſe, Catonis*
> *Martia*.

OPPROBRIUM; ſcilicet ſterilitatis, aut cœlibatus.

V. 2. IN DIE ILLA: cum hæc a Romanis Iudæi patientur. ERIT GERMEN DOMINI IN MAGNIFICENTIA. Chriſtus Dominus glorioſus erit, & ſublimis, quia per eius Apoſtolos Eccleſia propagabitur. Vocat Chriſtum germen Iudææ, quia Iudæa quaſi arbor exciſa, per Chriſtum repullulare, & refloreſcere cœpit. FRUCTUS TERRAE, ſcilicet Chriſtus: eſt repetitio. Sic Pſal. LXXXIV. dictum eſt, *Terra noſtra dabit fructum ſuum*. ET EXULTATIO; quaſi dicat: Magna erit lætitia Iſraelitis, qui Chriſtum quaſi Meſſiam ſuum recipient, & ab eo iuſtificabuntur, & ſalvabuntur. HIS QUI SALVATI FUERINT DE ISRAEL, id eſt qui gentis ſuæ cladem evaſerint.

V. 3. QUI RELICTUS FUERIT IN SION. Per Sion, & Ieruſalem, Eccleſiam intelligit, quæ eſt Sion ſpiritualis; quaſi dicat: Qui cladi & excidio Iudæorum ſuperſtes relictus fuerit in Sion, non tam carnali, quam ſpirituali, hoc eſt, qui a ſynagoga tranſit ad Eccleſiam Chriſti, eique fuerit aſcriptus. SANCTUS VOCABITUR: omnes enim Chriſtiani a D. Paulo, & aliis vocantur ſancti, quia vocantur ad ſanctitatem, & quia baptiſmo, & gratia Chriſti ſunt ſanctificati. OMNIS QUI SCRIPTUS EST IN VITA, &c. Omnes Chriſtiani aliquo ſenſu ſcripti ſunt in libro vitæ, quaſi cives futuri cæleſtis Ieruſalem; ſcripti, inquam, inchoate, quia ordinantur ad vitam æternam, a qua tamen multi ſuo vitio excidunt. Complete autem ſcripti ſunt, qui in ſanctitate per-

perſeveraturi, & morituri a Deo præviſi ſunt.

V. 4. SI ABLUERIT, id eſt cum abluerit. SORDES, ET SANGUINEM; ſcilicet peccata. IN SPIRITU IUDICII. Spiritus ſanctus appellatur ſpiritus iudicii, quia facit ut noſtra videamus, iudicemus, & damnemus peccata; communis enim ſententia docet his verbis pœnitentiam promitti. SPIRITU ARDORIS. Idem Spiritus ſanctus eſt ſpiritus ardoris, quia nos ardore ſuæ caritatis accendit.

V. 5. ET CREABIT DOMINUS. LXX. habent, *& veniet*, ſcilicet Dominus. MONTIS SION: Eccleſiæ. ET UBI INVOCATUS EST. Forerius vertit, *& ſuper omnes conventus ipſius*, quod in idem recidit; nam in Eccleſiæ conventibus Dominus invocatur. NUBEM PER DIEM, &c. Alludit ad columnam nubis per diem, & ignis per noctem, quæ deduxit Iſraelitas per deſertum; quaſi dicat, Faciet cum Eccleſia Chriſtianorum ſpiritualiter, quod olim fecit cum Iudæis corporaliter. SUPER OMNEM GLORIAM, &c. id eſt, ſuper omnes viros gloria ſanctitatis inclitos erit protectio divina, & ſuper omnem Eccleſiam. Alludit ad tabernaculum Moſaicum, & arcam teſtamenti, quæ erat gloria Iſrael, & cui maxime incubabat columna nubis, indeque ſe ſpargebat circumquaque per omnia caſtra, ea obumbrans, & ab æſtu protegens.

V. 6. ABSCONSIONEM A TURBINE, ET PLUVIA: qui enim ſub divina protectione latent, a procellis, & tempeſtatibus violentis tuti ſunt; quare David canebat Pſal. XXVI. 5. *Quoniam abſcondit me in tabernaculo ſuo, in die malorum protexit me in abſcondito tabernaculi ſui.*

TIRINI.

Verſ. 1. SEPTEM, id eſt multæ, MULIERES certatim APPREHENDENT, & contentioſe ambient VIRUM UNUM, quaſi vi, vel ſaltem precibus importunis conſenſum extorquentes. Tanta erit raritas virorum ex fame, ex tabe, ex cæde ſuperſtitum: ita S. Hieronymus & Cyrillus. PANEM NOSTRUM COMEDEMUS; quaſi dicat: Ne prætextu inopiæ nos repellas a te, quod tam multas alere non poſſis; nos ipſæ nos alemus & veſtiemus: TANTUMMODO INVOCETUR NOMEN TUUM SUPER NOS; id eſt, tantum vocemur & ſimus uxores tuæ, ut *auferatur* a nobis OPPROBRIUM ſterilitatis, quod magni faciebant in lege veteri. Id S. Baſilius allegorice adaptat Synagogæ; & S. Cyrillus tropologice, animabus fidelium, quæ non temporalis lucri, ſed ſpiritualis fecunditatis cauſa nuptias ambiunt Chriſti ſponſi ſui.

V. 2. ERIT GERMEN DOMINI IN MAGNIFICENTIA; id eſt, reliquiæ Iudæorum a ſtrage Babylonica ſuperſtitum, rurſus germinabunt, & ad priſtinam ubertatem ac gloriam evehentur, tempore Eſdræ & Zorobabel, inquit Gloſſa, S. Thomas, & plurimi Iudæorum cum noſtro Sanchez & Hieronymo Prado *a*: & favet Iſaias cap. XI. 11. Sed SS. Patres paſſim & Interpretes, adeoque & Rabbini, id præcipue Evangelico temporiſi adaptant, puta vel Eccleſiæ Chriſti, ut volunt Sasbout & Forerius: vel, ut alii, ipſi Chriſto, qui paſſim in Scriptura *germen b Domini* vocatur. Senſus ergo eſt: Eo tempore quo Iudæa miſerrime vaſtabitur per Romanos, Chriſtus Dominus antea per Iudæos depreſſus, immo exciſus, maxima gloria & magnificentia extolletur, non in ſola Iudæa, ſed & per reliquum etiam orbem.

V. 3. OMNIS QUI RELICTUS FUERIT IN SION, tum corporali, poſt reditum e Babylone; tum ſpirituali, quæ eſt Eccleſia Chriſti; id eſt, omnis Chriſtianus, ſeu qui ex Synagoga tranſierit ad Eccleſiam Chriſti SCRIPTUS IN VITA, id eſt in catalogo viventium; ſeu quicumque in vivis tum ſupererit, ut felix & beatus palam cenſebitur, ita etiam paſſim SANCTUS VOCABITUR: & erit revera ſanctificatus, & ſummo cælorum Domino conſecratus, non ſola vocatione ad ſanctitatem, ſed etiam reali infuſione ſanctitatis & gratiæ: itemque Sacramentis Chriſti. Porro multos tales e Synagoga, & nominatim e Ieroſolyma converſos ad Chriſtum, divino monitu ſubtractos fuiſſe cladi & excidio Ieroſolymorum, tempore Veſpaſiani & Titi, & florentiſſimam exinceps Eccleſiam conflaſſe, fuſe ex variis auctoribus demonſtrat Baronius.

Digitized by Google

V. 4. SI tamen prius ABLUERIT DOMINUS SORDES; quaſi dicat: Triumphum iſtum Eccleſiæ præcedere debet expiatio ſordium & ſcelerum a Iudæis tanto tempore accumulatorum, ac præ omnibus, expiatio ſanguinis Agni immaculati, & Meſſiæ tam ſœde per ipſos profuſi: ita S. Hieronymus: & etiam ſanguinis tot Prophetarum; ut Cyrillus. Expiatio, inquam, IN SPIRITU IUDICII ET [c] ARDORIS; id eſt, per iuſtam & ſeveram punitionem, puta incendium urbis & templi, quo incendio a ſcoria ſua expurgati ſunt Iudæi: ita Sanchez.

V. 5. & 6. SUPER OMNEM LOCUM MONTIS SION; id eſt, ubicumque fuerint Sionitæ, ſeu Iudæi, laudantes & invocantes Deum. Loquitur non de ſolis reductis e Babylone, ut vult Sanchez; ſed etiam de reſiduis a clade Romana, de quibus verſ. 3. id eſt, ſuper omnem Eccleſiam fidelium, CREABIT DOMINUS NUBEM PER DIEM, ſeu *fumum*; Chaldæus, *caliginem*, id eſt caliginoſam nubem, ET SPLENDOREM IGNIS FLAMMANTIS IN NOCTE; quaſi dicat: Deus ſpeciali & extraordinario auxilio ſuo proteget omnes, diriget, & ad patriam cæleſtem perducet tum per proſpera diei, tum per adverſa noctis vitæ huius; ſicut olim Hebræos typice deduxit per columnam ignis & nubis in terram promiſſam, Exodi XIII. & XIV. ita S. Hieronym. Baſil. Cyrillus, Theodoretus, & Procopius. SUPER OMNEM ENIM GLORIAM *erit* hæc Dei PROTECTIO; id eſt, multo glorioſior & efficacior erit hæc per Deum obumbratio & protectio Eccleſiæ ſuæ, quam quævis alia præcedens, ſeu qua columna texit exercitum Hebræorum [d], ſeu qua gloria Domini texit tabernaculum, vel montem Sinai [e] Nam illæ omnes non erant niſi typi & figuræ huius ſpiritualis obumbrationis & protectionis, quam mox clarius explicat, cum dicit fore TABERNACULUM IN UMBRACULUM [f] DIEI AB AESTU, &c. id eſt, deſervituram in omni adverſitate, labore & moleſtia; pro certo levamine, & fido tecto, & tuto aſylo: ita Gabriel Alvarez ex S. Hieron. & Cyrillo.

(a) Hieron. Pradus in Ezech. XIII. 9.
(b) Iſa. XI. 1. Ier. XXIII. 5. Zach. VI. 12 in Heb.
(c) Iſaiæ I. 7. & 23. Malach. III. &c.
(d) Exodi XXIII. & XXIV.
(e) Exodi XXIV. 15. &c.
(f) Pſal. XXVI. 5. Eccli. XXXIV. 19. &c.

GORDONI.

Verſ. 1. ET APPREHENDENT SEPTEM MULIERES. En ex ſtrage quam dixi multas mulieres poſt virum unum clamantes, ut ſint illi uxores: & cetera quæ hic clara ſunt, deprecantur opprobrium ſterilitatis.

V. 2. IN DIE ILLA. Poſt tenebras lux erit, & proſtrato perſecutore veniet germen Domini in gaudio magno, his qui reſidui erunt ex clade, & ſancti erunt, ſcriptique in libro vitæ, ſi tamen ſordes eorum abluerit Dominus. Sunt qui hoc referunt ad reſiduos poſt captivitatem Babylonicam ſolutam, quos ſequitur Sanchez: puto tamen ex ampliore probandoque Interpretum conſenſu, referri hoc totum debere ad Chriſtum, eiuſque Eccleſiam, ubi reſidui poſt cladem ſub Tito invenerunt, abluti & grati Chriſto, unde eſſent in vita ſcripti, & ſalvarentur. Et cur non ſancti Chriſtiani ex vocatione & Baptiſmo? ac conſummati in ſanctitate accedente perſeverantia? hi ſunt quos promovet Spiritus in iudicio, & ardore in pœnitentia, & dilectione.

V. 5. ET CREABIT DOMINUS. Hæret citatus Sanchez in reditu a captivitate Babylonica: recte hæc intelliguntur de Chriſto & Eccleſia. Alludit autem hic Iſaias ad ea quæ acciderunt redeuntibus Iſraelitis ex AEgypto; de quibus ſatis dixi ad Lib. Exod. cap. XIII. & XIV. ſic itaque Deus ſpirituali modo ſe geret in ſua Eccleſia cum Chriſtianis. Late vero ſe diffundet hæc gratia & magna gloria huius Eccleſiæ.

EX EIUSDEM AUCTARIO.

V. 1. PANEM NOSTRUM. Noſtris vivemus expenſis. INVOCETUR. Solent paſſim uxores nomine viri deſignari: ſic Maria Cleophæ.

V. 2. IN DIE ILLA. Tempore excidii ſub Romanis, & clade Iudæorum germen erit Eccleſiæ illuſtre per Apoſtolos & diſcipulos Chriſti; & fructus uberrimus: ſic triſtia lætis miſcebantur.

V. 3. QUI SCRIPTUS EST IN VITA. Complete & perſeveravit in finem, erit in ſanctis & electis Dei. Scriptura docet requiri perſeverantiam, & poſſe hominem excidere a gratia.

V. 5. CREABIT NUBEM. In monte Sion, & Eccleſia (ut olim in deſerto) erit Chriſtianis dux, lumen, & cetera, quæ clara ſunt.

C A-

CAPUT V.

Sub figura vineæ ſterilis in direptionem traditæ prophetat iudicium & deſertionem Iudæorum, ipſorumque peccata deſcribuntur: avaritia in coadunandis poſſeſſionibus: ebrietas & contemptus ſcientiæ Dei: inferni dilatatio: humiliatio ſuperborum, & exaltatio Dei: felicitas quoque iuſtorum, & væ diverſis peccatorum generibus denuntiatur: & ſignum in nationibus elevandum contra Iudæos.

1. Cantabo [a] dilecto meo canticum patruelis mei vineæ ſuæ:
Vinea facta eſt dilecto meo in cornu filio olei. 2. Et
ſepivit eam, & lapides elegit ex illa, & plantavit eam
electam, & ædificavit turrim in medio eius, & torcular
extruxit in ea: & expectavit ut faceret uvas, & fecit la-
bruſcas. 3. Nunc ergo habitatores Ieruſalem, & viri Iuda,
iudicate inter me & vineam meam. 4. Quid eſt quod de-
bui ultra facere vineæ meæ, & non feci ei? an quod expectavi ut faceret
uvas, & fecit labruſcas? 5. Et nunc oſtendam vobis quid ego faciam vineæ
meæ: auferam ſepem eius, & erit in direptionem: diruam maceriam eius, &
erit in conculcationem. 6. Et ponam eam deſertam: non putabitur, & non
fodietur: * & aſcendent vepres & ſpinæ: & nubibus mandabo ne pluant ſu-
per eam imbrem. 7. Vinea enim Domini exercituum, domus Iſrael eſt: &
vir Iuda, germen eius delectabile: & expectavi ut faceret iudicium, & ecce iniquitas;
& iuſtitiam, & ecce clamor. 8 Væ qui coniungitis domum ad domum, & agrum
agro copulatis uſque ad terminum loci: numquid habitabitis vos ſoli in medio terræ?
9. *In auribus meis ſunt hæc, dicit Dominus exercituum: Niſi domus multæ
deſertæ fuerint, grandes & pulchræ, abſque habitatore. 10. Decem enim iu-
gera vinearum facient lagunculam unam, & triginta modii ſementis facient
modios tres. 11. Væ qui conſurgitis mane ad ebrietatem ſectandam, & po-
tandum uſque ad veſperam, ut vino æſtuetis. 12. Cithara, & lyra, &
tympanum, & tibia, & vinum in conviviis veſtris: & opus Domini non re-
ſpicitis, nec opera manuum eius conſideratis: 13. Propterea captivus du-
ctus eſt populus meus, quia non habuit ſcientiam, & nobiles eius in-
terierunt fame, & multitudo eius ſiti exaruit. 14. Propterea dilatavit infernus
animam ſuam, & aperuit os ſuum abſque ullo termino: & deſcendent fortes
eius, & populus eius, & ſublimes glorioſique eius, ad eum. 15. Et incurva-
bitur homo, & humiliabitur vir, & oculi ſublimium deprimentur. 16. Et
exaltabitur Dominus exercituum in iudicio, & Deus ſanctus ſanctificabitur in
iuſtitia. 17. Et paſcentur agni iuxta ordinem ſuum, & deſerta in ubertatem
verſa advenæ comedent. 18. Væ qui trahitis iniquitatem in funiculis vanita-
tis, & quaſi vinculum plauſtri peccatum. 19. Qui dicitis: Feſtinet, & cito
veniat opus eius, ut videamus: & appropiet, & veniat conſilium ſancti Iſrael,
& ſciemus illud. 20. Væ qui dicitis malum bonum, & bonum malum: po-
nentes tenebras lucem, & lucem tenebras: ponentes amarum in dulce, &
dulce in amarum. 21. [b] Væ qui ſapientes eſtis in oculis veſtris, & coram
vobiſ-

vobiſmetipſis prudentes. 22. Væ qui potentes eſtis ad bibendum vinum, & vi-
ri fortes ad miſcendam ebrietatem. 23. Qui iuſtificatis impium pro muneri-
bus, & iuſtitiam iuſti auſertis ab eo. 24. Propter hoc, ſicut devorat ſtipulam
lingua ignis, & calor flammæ exurit; ſic radix eorum quaſi favilla erit, &
germen eorum ut pulvis aſcendet. Abiecerunt enim legem Domini exercituum,
& eloquium ſancti Iſrael blaſphemaverunt. 25. Ideo iratus eſt furor Domini
in populum ſuum, & extendit manum ſuam ſuper eum, & percuſſit eum: & con-
turbati ſunt montes, & facta ſunt morticina eorum, quaſi ſtercus in medio platearum.
In his omnibus non eſt averſus furor eius, ſed adhuc manus eius extenta.
26. Et elevabit ſignum in nationibus procul, & ſibilabit ad eum de finibus
terræ: & ecce feſtinus velociter veniet. 27. Non eſt deficiens, neque laborans
in eo: non dormitabit, neque dormiet, neque ſolvetur cingulum renum eius,
nec rumpetur corrigia calceamenti eius. 28. Sagittæ eius acutæ, & omnes ar-
cus eius extenti. Ungulæ equorum eius ut ſilex, & rotæ eius quaſi impetus
tempeſtatis. 29. Rugitus eius ut leonis, rugiet ut catuli leonum: & frendet,
& tenebit prædam: & amplexabitur, & non erit qui eruat. 30. Et ſonabit
ſuper eum in die illa ſicut ſonitus maris: aſpiciemus in terram, & ecce tene-
bræ tribulationis, & lux obtenebrata eſt in caligine eius.

(a) Ier. 11. 23. Matt. xxi. 33. (b) Prov. iii. 7. Rom. xii. 16.

B R U G E N S I S

Romana Correctio.

Verſ. 6. *Et aſcendent vepres & ſpinæ*. Non addas *ſuper eam*, ſed intelligas.

Notatio.

Verſ. 9. *In auribus meis ſunt hæc*, *dicit* (*ait* 1 MS.) *Dominus exercituum*. Hebraice non eſt verbum *dicit*; tantum באזני יהוה צבאות *In auribus meis Adonai Sabaoth*. Quidam ſubaudiunt *dicit*: ſic enim Pagninus vertit, *In auribus meis ſunt, dicit Dominus exercituum*. Porro Hieronymus tranſtulit: *In auribus meis ſunt hæc Domini exercituum*. „ Pro eo, inquit, quod „ nos iuxta Hebraicum vertimus, *In au-* „ *ribus meis ſunt hæc Domini exercituum*, „ ideſt, verba quæ locutus eſt Dominus „ adhuc reſonant in auribus meis; LXX. „ tranſtulerunt: ἠκούσθη (a) γὰρ εἰς τὰ ὦτα „ κυρίου σαβαὼθ ταῦτα, ideſt, *Audita ſunt* „ *hæc in auribus Domini Sabaoth*: non quod „ Propheta verba Domini audierit, ſed in „ auribus Domini audita ſint, quæ prophe- „ ta dicturus eſt: cum conſequentius ſit „ intelligere, audiſſe prophetam quæ Do- „ minus ſit locutus. Dominus autem locu- „ tus eſt, quod poſt captivitatem domus „ magnæ atque pulcherrimæ deſertæ futu- „ ræ ſint non habentes habitationem. (*b*)“ Hæc Hieronymus, quibus ſuam ipſe indicat, explanat, probatque interpretationem. Hoc autem quo Hieronymus interpretatus eſt modo, *In auribus meis ſunt hæc Domini exercituum*, (*c*) legunt antiqui Epanorthotæ codices. Habent ſimiliter antiqui & probati noſtri Brugenſis, Lobienſis, Leodienſis, P, O, L, cum aliis octo, quibus volunt expoſitores Haymo Halberſtattenſis, & Hugo Carenſis. Pariſienſes ex ſuis veteribus exemplaribus Di. o. l. Ge. o l. u. p. hunc ad modum correxerunt. Ante hos eumdem ad modum Dominicani in Francia caſtigarunt. Quare dubium eſſe non poteſt, quin vera ea ſit noſtræ editionis lectio.

(a) Hieronymus non transfert.
(b) Poſſet de Iudæorum quæ præcedunt iniquis ſtudiis intelligi, 72. translatio. quo modo Cyrillus intelligit.
(c) *Domini exercituum*. Hæc ſunt Pl. m.

COM-

C O M M E N T A R I A.

M A L D O N A T I.

Verſ. 1. CANTABO. Heb. אשירה נא, *Agedum canam*, DILECTO MEO, id eſt pro dilecto; quaſi dicat, Suſcipiam perſonam dilecti mei, id eſt Dei, inquit Propheta, ET CANTABO CANTICUM PATRUELIS MEI. H. דודי *dilecti mei*. VINEAE SUAE. H. לכרמו, *de vinea eius*; id eſt, quod poſſit ille canere lamentans de vinea ſua. VINEA FACTA EST, id eſt plantata a dilecto meo. IN CORNU FILIO OLEI, id eſt in monte pinguiſſimo, & olei feraciſſimo: *cornu* vocat montem propter altitudinem. *Filium olei*, Hebraica phraſi, id eſt olei feracem. Poſſunt autem hæc verba eſſe initium Cantici, aut cauſa tantum præcedentium, ut quia dixerat de vinea eius, reddat cauſam: vinea enim plantata eſt a dilecto meo. Per montem vero intelligit Sion, & ex eo totam terram, quam Iudæis tradiderat.

V. 2. ET LAPIDES ELEGIT EX ILLA. H. ויסקלהו, *& lapidavit illam*, id eſt cinxit lapidea materia, ut interpretatur R. Ioſeph: aut *elapidavit eam*, id eſt purgavit eam a lapidibus, ut R. David, & R. Abraham. ET PLANTAVIT VINEAM ELECTAM. H. שורק, *electa*, vel laudata, ut in potentia verbi *plantavit*, intelligatur nomen verbale, *planta*, id eſt plantavit optimis & lectiſſimis plantis, ut Hierem. II. 21. *Ego autem plantavi te vineam electam omne ſemen verum*. Similis parabola de bono ſemine in agro ſeminato a patrefamilias, Matth. XIII. 24. Sunt qui dicunt שורק, eſſe genus vitis quæ racemis careat, quales multæ ſunt in Italia. Ita R. Aben Guiath. ET EXPECTAVIT UT FACERET UVAS. Hoc enim expectandum erat a vinea tam diligenter plantata & culta. ET FECIT LABRUSCAS, id eſt agreſtes & acerbas uvas ſimiles labruſcis. Eſt autem labruſca vitis ſilveſtris minutis, raris, & acerbis uvis: ut Poeta dixit,

> *Silveſtris raris ſparſit labruſca racemis.*

Inde dicta, ut placet Servio, quod in agrorum labris, id eſt marginibus naſcatur, ſponte ſcilicet & ſine cultura. Itaque ſenſus huius loci eſt, vineam cum diligentiſſime culta fuiſſet, tam malos fructus tuliſſe, quam ſi numquam fuiſſet culta, id eſt Iudæos accepta lege, non melius vixiſſe quam Gentiles ſine lege.

V. 3. NUNC ERGO. Verba Dei mutata perſona: loquitur etiam de ſecunda perſona per tertiam: nam viri Ieruſalem & Iuda erant ipſa vinea, vultque eos ipſos, qui rei erant, eſſe Iudices.

V. 4. QUID EST. מהלעשות עוד לכמי, *quid faciendum erat amplius vineæ meæ, quod non fecerim*. AN QUOD EXPECTAVI. H. מרוע, *quare expectavi*, id eſt quid ergo cauſæ habuit, ut meam expectationem falleret, cumque expectarem ut faceret uvas, fecerit labruſcas.

V. 3. AUFERAM. חסר, Infinitivus pro futuro: ſicut ſtatim פרץ, *diruere*, pro *diruam*. Minatur Deus ſe traditurum Iudæos in direptionem omnibus gentibus, quod iam factum videmus.

V. 6. ET PONAM EAN DESERTAM. בתה, *deſolatam*, id eſt, relinquam curam quam hactenus illius habui. NON PUTABITUR, NEQUE FODIETUR; id eſt, non coletur, quia non erit Propheta, neque Sacerdos, qui legem doceat. ET ASCENDENT SUPER EAM VEPRES ET SPINAE, id eſt omnia genera vitiorum & falſorum dogmatum. ET NUBIBUS MANDABO; id eſt, non dabo illi rorem gratiæ meæ, quem hactenus ſolebam dare.

V. 7. VINEA AUTEM DOMINI EXERCITUUM. H. כי, *quia*. Reddit enim cauſam cur deſerturus ſit vineam ſuam, quia ſcilicet domus Iſrael eſt, id eſt gens innumeris ab eo beneficiis cumulata; nam ſi alia gens eſſet, quam minus ſibi devinxiſſet, non desereret. ET VIRI IUDA, GERMEN DELECTABILE. H. שעשועיו *delectationum eius*. Non eſt, ut aliqui putant, repetitio: ſed totam gentem vocat vineam, ſingulos autem homines plantas delectationum eius (vineæ,) id eſt, propter quos ea delectabatur Deus, eamque amabat: aut, quibus debebat illa Deum delectare, ex quibus plantis

debe.

Digitized by Google

debebat ſuavem Deo fructum ferre. ET EXPECTAVI UT FACERET IUDICIUM, ET ECCE INIQUITAS. משפח, *plaga*, aut lepra, id eſt, loco iudicii quo debebant alios ab iniuriis vindicare, iniuriis afficiebant. ET IUSTITIAM, ET ECCE CLAMOR, (oppreſſorum ab eis) elegans eſt in verbis Hebraicis *παρανομασία* inter משפט & משפח, אדקה, & אעקה quæ neque Græcis neque Latinis exprimi poteſt.

V. 8. VAE QUI CONIUNGITIS DOMUM, &c. id eſt, qui avaritiæ ſtudetis. USQUE AD TERMINUM LOCI. H. עד אפש מקם, ad verbum, *uſque ad non locum*, id eſt, donec nihil loci aliis relinquatis. Sept. *ἵνα τοῦ πλησίου ἀφέλωνταί τι*. NUMQUID HABITABITIS VOS SOLI. H. והשבתם, *& collocati eſtis vos ſoli in medio terræ*, id eſt, ſoli occupatis, aut occupare vultis totam terram.

V. 9. IN AURIBUS MEIS. H. באזני יהוה צבאות, *in auribus Domini exercituum*. (ſub. hæc omnia ſunt) Septuag. *ἠκούσθη γὰρ εἰς τὰ ὦτα κυρίου σαβαώθ*; ut ſint verba Prophetæ dicentis, Hæc omnia a Deo ſciri. Chald. *Dixit Propheta auribus meis audivi* (ea) *Domino Sabaoth*; (ſub. hoc eſſe ab eo decretum quod ſequitur.) Lectio Hieronymi magis placet, qui באזני videtur legiſſe, *in auribus meis*, באזני, *in auribus Domini*; quaſi dicat Propheta, Deum ſibi ad aurem dixiſſe quæ ſequuntur: ſicut dicitur Dominus revelaſſe auriculam Samuelis, I. Reg. IX. 15. & Ionathas aurem Davidis, I. Reg. XX. 13. & Deus II. Reg. VII. 27. atque hunc ſenſum reddidit Chaldæus aliis verbis. NISI DOMUS MULTAE. Forma iurandi, Iob I. 12. *Niſi in faciem benedixerit tibi*. Iurat Deus ſe eorum domos & palatia deſtructurum, quæ per avaritiam conſtruxerant, ut in quo quiſque peccat, in eo puniatur: ſicut ſtatim minatur ſterilitatem vini & frumenti.

V. 10. DECEM ENIM IUGERA VINEARUM FACIENT. H. בת אחת, *bathum unum*, id eſt minimam vini menſurarum reddent. Eſt enim bathus minima menſura liquidorum, decima nimirum pars Chori: Ezech. XLV. 11. ET TRIGINTA MODII SEMENTIS. H. וזרע חומר, *& ſemen Chomer* יעשה איפה *faciet Ephi*, id eſt minimam menſuram: eſt enim Ephi aridorum menſura decima pars Chori: Ezech. XLV. 11. unde Sept. verterunt; *καὶ ὁ σπείρων ἀρτάβας ἓξ ποιήσει μέτρα τρία*. Et Hieron. *Triginta modii ſementis facient modios tres*: non poſſum divinare, niſi penitus diverſum habuerint exemplar: nulla enim eſt verborum ſimilitudo, niſi ſi Ephi modios tres continere exiſtimarunt: nam & Chaldæus ita interpretatur.

V. 11. VAE QUI CONSURGITIS. H. tertia perſona, *væ qui conſurgunt mane ad ebrietatem*, &c. ET POTANDUM. H. מאחרי בנשף יין ידליקם, *qui commorantur in tenebris ut vinum incendat eos*; id eſt, qui pernoctant potantes donec vino incaleſcant.

V. 12. CITHARA, &c. משתיהם, *in conviviis eorum*. ET OPUS DOMINI. יביטו *non reſpiciunt*, ומעשה ידיו *& opus manuum eius*. לא ראו, *non vident*; id eſt, adeo occupati ſunt in delitiis ſuis, ut non recordentur Dei, neque beneficiorum eius.

V. 13. PROPTEREA CAPTIVUS DUCTUS EST. Heb. Præteritum pro futuro, *captivus ducetur*. מבלי דעת, id eſt *propter ſtultitiam ſuam*: peccata ita vocat. ET NOBILES EIUS. H. וכבודו, *& gloria eius*, id eſt, viri nobiles & glorioſi eius. מתי רעב *viri famis* (ſub. erunt.) ET MULTITUDO EIUS, id eſt, vulgus, homines populares. SITI EXARUIT: pro fut. exareſcet.

V. 14. PROPTEREA DILATAVIT INFERNUS ANIMAM SUAM, id eſt appetitum ſuum; quaſi dicat: Tanta erit morientium multitudo, ut vix infernus capere poſſit, niſi & os & appetitum ſuum dilatet: dilatavit, pro dilatabit, Heb. ABSQUE ULLO TERMINO; ſine modo & fine. ET DESCENDENT FORTES EIUS. H. וירד הדרה, *& deſcendet gloria eius*, id eſt viri eius gloria & nobilitate præſtantes. ET POPULUS EIUS, id eſt homines plebei; quaſi dicat, Omnes morientur, & nobiles & ignobiles. ET SUBLIMES. H. ושאונה, *& turba*, vel *multitudo eius*, quaſi dicat, nobiles, cives & pauperes. GLORIOSIQUE EIUS. ועלז בה, *& lætus in ea*; id eſt, quicumque in ea delitiis deditus fuit. *Eius* relativum eſt fine antecedente, conſuetudine Hebræorum; intelligitur autem Ieruſalem & Iuda, de qua Propheta loquitur.

V. 15. ET INCURVABITUR HOMO, &c. id eſt, omnes deprimentur homines & viri,

viri, id eſt ignobiles pariter ac nobiles. Et oculi sublimium, id eſt; ſuperbi: in oculis maxime cernitur ſuperbia.

V. 16. Et exaltabitur Dominus, &c. id eſt, apparebit cum ſuperbos iudicabit, neminem excelſum eſſe & glorioſum præter ipſum. Et Deus sanctus sanctificabitur; id eſt, eius ſanctitas cognoſcetur ex iuſtitia, quam exercebit erga impios.

V. 17. Et pascentur agni iuxta ordinem suum, id eſt, ſicut antea ſolebant. Et deserta in ubertatem versa. Hebr. וחרבות מחים, *& deſerta pinguium*, id eſt agris pinguibus a captivis deſertis advenæ fruentur: aut, quæ pingues, id eſt divites reliquerunt, advenæ comedent. Significat futuram pacem inter gentes, quæ in locum Ieroſolymitanorum ſucceſſuræ erant, quod vel de primo, vel de ſecundo excidio intelligi poteſt.

V. 18. Vae qui trahitis; aut *qui trahunt*, משׁכי, iniquitatem in funiculis vanitatis, id eſt iniquitatis: pro eodem enim accipit עון & שוא. Senſus eſt: Væ qui nectunt iniquitatem iniquitati, & qui peccata peccatis copulant. Et quasi vinculum. Hebr. וכעבות, *& quaſi funibus*, aut *catenis plauſtri* (ſub. trahunt) peccatum: eumdem habet ſenſum. Aut, væ qui quaſi vi trahunt peccatum, id eſt qui peccatum provocant, qui quærunt peccandi occaſiones.

V. 19. Qui dicitis; aut qui dicunt, האומרים, ut inf. verſ. 20. & intelligitur, הוי, *Væ qui dicunt*, Festinet, et cito veniat opus eius, id eſt Prophetæ; quod Propheta minatur, nobis eventurum; cum enim evenerit credemus ei, non ante. Relativum ponitur ſine antecedente Hebræorum more. Et veniat consilium Sancti Israel, id eſt, Dei: illud ſcilicet conſilium quod Propheta dixit ſup. verſ. 9. auribus ſuis ex Deo audiviſſe de exitio Ieroſolymorum.

V. 20. Vae qui dicunt malum bonum; id eſt, quia adeo ſunt peccatis obcæcati, ut neſciant diſcernere inter bonum & malum; quemadmodum ſi quis tam graviter ægrotaret, ut non dignoſceret dulce ab amaro: aut, bonum malum dicunt, qui non ſolum male agunt, ſed etiam gloriantur rebus malis, qualis hodie eſt maxima pars hominum.

V. 21. Vae qui sapientes estis. Hebr. חכמים בעיניהם, *qui ſapientes ſunt in oculis ſuis*, id eſt qui ſibi ſapientes videntur. ונגד פניהם נבונים, *& coram facie ſua prudentes*, id eſt qui ſe prudentes putant, cuiuſmodi ſunt hæretici, & aulici.

V. 22. Vae qui potentes estis. Heb. *qui potentes ſunt*, per tertiam perſonam, ut ſuperiora. Ad bibendum vinum, id eſt qui ſe fortes ac potentes putant ſi alios bibendo ſuperent.

V. 23. Qui iustificatis. Hebr. *qui iuſtificant impium propter munus*; id eſt, qui in iudicio pronunciat impium iuſtum eſſe. Hoc ſenſu aliquando uſurpatur iuſtificandi verbum: qua ſignificatione inepte abutuntur hæretici cum de noſtra iuſtificatione agunt. Et iustitiam iusti. Heb. צדיקים *iuſtorum*, auferunt ab eo: ſingulare, pro plurali, id eſt ab unoquoque eorum.

V. 24. Propter hoc sicut devorat stipulam lingua ignis; id eſt, flamma, quæ propter ſimilitudinem lingua dicitur, quia & rubra eſt, & in acumen deſinit ut Act. II. 3. Et calor flammae. Hebr. וחשׁשׁ להבה ירפה, *& quiſquilias flamma ceſſare facit*, id eſt conſumit: pro eodem ſumitur חשׁשׁ *quiſquiliæ*, & קשׁ *ſtipula*, & אכל *vorare*, & הרפה *conſumere*. Sic radix eorum quasi, מק, *putredo* erit: radicem eorum vocat patresfamilias, ex quibus tamquam ex radicibus liberi procreantur, quam radicem dicit futuram eſſe putridam, ut ſignificet fore ut totum eorum genus concidat, ſicut concidit arbor ſimul atque radices computruerunt. Et germen eorum: germen vocat filios, omneſque poſteros. Sicut pulvis ascendet, id eſt vento abripietur, & evaneſcet.

V. 25. Et conturbati sunt montes. Hebr. ירגזו, *contremuerunt*. Et facta sunt morticina eorum. ותהי נבלתם כסוחה, *& erit cadaver eorum exciſum in medio platearum*: ſingul. pro plurali, id eſt, proiicientur eorum cadavera in medias plateas. In his omnibus. בכל זאת, *propter hæc omnia*. Non est aversus, præt. pro fut. id eſt, non ſedabitur ira Dei: sed adhuc manus eius erit ex-

TENTA, id eſt adhuc intentabit maiora mala.

V. 26. ET ELEVABIT SIGNUM IN NATIONIBUS PROCUL. Id eſt commovebit remotas gentes contra Iudæos quaſi ſublato ſigno bellico, ut Pſal. CIV. 25. ET SIBILABIT AD EUM: ſing. pro plur. id eſt, ad eas gentes, aut ad unamquamque earum quæ ſunt in extremis terris, id eſt advocabit illas: ſibilo enim ſolemus alios vocare. In Deo autem ſibilus eſt occulta inſpiratio, qua homines in quamcumque vult partem movet, ſive in bonam agendo, ſive in malam permittendo. ET ECCE FESTINUS (unuſquiſque eorum, quos vocaverit) VELOCITER VENIET, id eſt ſumma velocitate: hanc enim vim habent duæ dictiones idem ſignificantes. Prædicit autem Propheta aut Babyloniorum, aut Romanorum adventus contra Ieruſalem.

V. 27. NON EST (erit) DEFICIENS, id eſt laſſus: NEQUE LABORANS, Hebr. *offendens*, *cadens* IN EO: ſingulare pro plurali, id eſt, in illis gentibus, quæ contra Iudæos excitabuntur. NON DORMITABIT. Significat tanta alacritate atque celeritate venturos hoſtes contra Iudæos, ut nemo eorum laborem itineris ſentiat, nemo dormiat, nemo ſe cingulo militari aut calceis exuat, propterea nemo rumpet corrigiam calcei.

V. 28. SAGITTAE EIUS. Hebr. אשר, *cuius ſagittæ* ACUTAE (erunt) altero relativo redundante, ET OMNES ARCUS EIUS (gentis) EXTENTI; id eſt, venient omnino parati ad bellum acutis ſagittis & intentis arcubus. UNGULAE EQUORUM EIUS UT SILEX. Hebr. נחשׁבו *reputabuntur*. Significat gentis feritatem, quæ equis utatur ſine ſoleis ferreis. ET ROTAE EIUS, id eſt currus: ſynecdoche, QUASI IMPETUS. Heb. כסופה, *quaſi turbo aut tempeſtas*, ſcilicet propter celeritatem & ſonitum.

V. 29. RUGITUS EIUS (gentis) UT LEONIS. Deſcribit hoſtium immanitatem. ET AMPLEXABITUR. Heb. יפליט, *ſervabit*; id eſt, ſalva reducet domum ſpolia, ita ut nemo ex eius manibus poſſit eripere.

V. 30. ET SONABIT. Heb. וינהום, *&* *frendet* (gens illa) ut verſu ſuperiori. SUPER EUM. עלין, *contra eum*, ſcilicet populum Iudæorum: relativum Heb ſine antecedente. ASPICIEMUS IN TERRAM. Hebr. נבט, *aſpiciet* (populus Iudæorum) *ut quærat conſolationem*, aut auxilium, aut potius perfugium aliquod. ET ECCE TENEBRAE TRIBULATIONIS; id eſt, non inveniet ullum locum tutum; per metaphoram vocat tenebras tribulationis, id eſt luctuoſam & triſtem faciem rerum. ET LUX OBTENEBRATA EST IN CALIGINE EIUS. Hebr. בעריפיה, *in cælis eius*; id eſt, in tota regione illius tam calamitoſa erunt omnia, ut lux ipſa obſcurata eſſe videatur. R. Abraham interpretatur, *In deſtructionibus eius*, id eſt propter deſtructiones eius. Veroſimile eſt D. Hieron. legiſſe ערפלה, *in caligine eius*: nam ערפל, caliginem ſignificat: & ſenſus eſt melior, quaſi dicat, propter caliginem eius ipſam lucem ſolis obſcuratam eſſe.

S A.

Verſ. 1. CANTICUM, ſcilicet mœſtum. PATRUELIS. Chald. & LXX. *dilecti*; quaſi dicat, Canticum ipſius, ſeu de ipſo, nempe de vinea ſua, ut ſtatim additur. VINEAE SUAE; pro, de vinea ſua. CORNU, id eſt colle excelſo. Chald. *monte excelſo*. FILIO OLEI, id eſt pingui. Chald. *in terra pingui*. LXX. *in loco pingui*.

V. 2. ELEGIT; pro, eiecit; quaſi dicat, Purgavit eam lapidibus; vel, *lapidum materia cinxit*, ut LXX. interpretantur. ELECTAM, id eſt electis vitibus. TURRIM. Chald. *ſanctuarium*. TORCULAR. Chald. *altare*. UVAS. Chald. *opera bona*. LABRUSCAS. Chald. *opera iniqua*.

V. 4. AN QUOD. Heb. *cur*; quaſi dicat, Dignumne fuit?

V. 5. SEPEM EIUS. Chald. *maieſtatem meam*. MACERIAM. Chald. *domum ſanctuarii*.

V. 6. NUBIBUS. Chald. *Prophetis*. PLUANT SUPER EAM IMBREM. Chald. *prophetizent ſuper eos prophetiam*.

V. 7. GERMEN EIUS DELECTABILE. Chald. *plantatio lætitiæ eius*, id eſt ei iucunda. LXX. *novella plantatio dilecta*. IUDICIUM, id eſt quod iuſtum eſt. CLAMOR, ſcilicet oppreſſorum; vel, quaſi dicat, Clamant ad me iniuſtitiæ. Chald. *multiplicant peccata*.

V. 8.

Digitized by Google

V. 8. Terminum, id eſt finem; quaſi dicat, Sic ut omnia occupetis.

V. 9. Nisi..... fuerint, &c. ſcilicet ne mihi poſthac credatis, aut quid ſimile; quaſi dicat, Omnino erunt. Hebraiſmus eſt frequentiſſimus in Scriptura; Latini dicunt, *Diſperеam*, *niſi*, &c.

V. 10. Lagunculam. Heb. *batum*: minima eſt liquidorum menſura: ſignificatur ergo magna penuria vini & frumenti. Triginta modii. Hebr. *Chomer*. Chald. *corus*. Modios tres. Hebr. *epha*. Chald. *tria ſata*.

V. 12. Opus Domini, id eſt quod Deus fieri præcipit, vel pauperes. Chald. *Legem Domini*, ſcilicet fuit Dei manu ſcripta. Manuum. Chald. *potentiæ*; quaſi dicat: Non cogitatis quantus Deus ſit, & quam timendus, quod eius opera demonſtrant.

V. 13. Ductus est; pro, ducetur: ſic infra, præterita pro futuris. Scientiam, id eſt Dei cognitionem. LXX. *quia non cognoverunt Dominum*.

V. 14. Infernus, id eſt ſepulcrum, vel locus ſupplicii; quaſi dicat, Plurimi morientur, vel condemnabuntur. Animam, id eſt capacitatem, ſeu ſeipſum. Termino, id eſt fine; quaſi dicat, Indeſinenter, ſeu ſupra modum. LXX. *ſine intermiſſione*.

V. 16. Iudicio, ſcilicet a ſe facto. Sanctificabitur, id eſt ſanctus apparebit. LXX. *glorificabitur*. In iustitia, ſcilicet quam exercebit.

V. 17. Agni. Chald. *iuſti*. Ordinem; quaſi dicat, Quiſque loco ſuo, ſeu iuxta vocationem ſuam. Et deserta, &c. Chald. *& ſubſtantias impiorum iuſti poſſidebunt*.

V. 18. In funiculis vanitatis, id eſt modis illicitis. LXX. *quaſi funiculo longo*. Vinculum; pro, vinculo. Plaustri; quaſi dicat, Valido, tali enim iugum ligatur. Chald. totum locum ſic vertit: *Væ qui incipiunt paulatim peccata augentque, ut creſcant, & fortia fiant ut vinculum plauſtri*.

V. 19. Opus eius, id eſt quod minatur, vel promittit. Sancti, id eſt Dei, cuius ſanctitatem Iſrael colit.

V. 20. Malum bonum, &c. Auguſt. Enchir. cap. xix. de rebus ipſis loquitur, inquit, non de hominibus.

V. 22. Miscendam, id eſt propinandam, vel infundendam, ſcilicet in vas: utrumque enim ſignificat etiam miſcere. Vide Prov. ix. Ebrietatem, id eſt id quod inebriat. Hebr. & LXX. *ſiceram*.

V. 23. Aufertis, ſcilicet condemnando.

V. 24. Lingua, id eſt flamma, quæ linguæ ſimilis. Calor flammae. Heb. *paleam flamma*. Chald. *manipulum flamma*. Pulvis. Chald. *favilla*. Ascendet. id eſt evaneſcet. Eloquium, id eſt præcepta. Blasphemaverunt, Heb. *contempſerunt*. Chald. *abominati ſunt*. LXX. *exacerbaverunt*.

V. 25. Conturbati sunt. Chald. *commoti ſunt*; quaſi dicat, Tremuerunt.

V. 26. Signum, id eſt vexillum. Nationibus, id eſt gentibus, ſcilicet Babyloniis. Sibilabit, id eſt convocabit, Chald. *clamabit*. De finibus; quaſi dicat, A longe (diſtat enim procul a Ieruſalem Babylonia) eos adducet.

V. 27. Laborans, id eſt defatigatus. Heb. & Chald. *corruens*. In eo, ſcilicet exercitu, ſeu populo.

V. 29. Leonis, ſcilicet conſpecta præda.

V. 30. Sonabit, ſcilicet Deus, vel exercitus ille. Eum, ſcilicet populum Iudæorum. Eius; pro, ſua.

E S T I I.

Verſ. 1. Cantabo dilecto meo canticum patruelis mei vineae suae. In primis obſerva illud, *vineæ ſuæ* eſſe dativi caſus: id enim manifeſtum eſt, tum ex Hebræo, tum ex Græco. Itaque hic intelligendum *cantandum*, vel aliquid ſimile. Ceterum *dilectum ſuum*, & rurſum *patruelem ſuum* vocat Propheta Chriſtum; non tantum, quia ex eodem populo, nempe Iudaico Chriſtus erat naſciturus, ſed etiam quia ex eadem ſtirpe: erat enim Propheta Iſaias ex tribu Iuda, & regio ſanguini per matrimonium commixtus. Unde recte Chriſtum patruelem, id eſt conſanguineum ſuum (aliis, gentilem ſuum) vocat. Senſus igitur eſt: Lubet canere in gratiam Chriſti dilecti mei Canticum eiuſdem Chriſti patruelis mei, id eſt conſanguinei ſecundum carnem, *canticum vineæ ſuæ*, quod videlicet Chri-

ſtus, ubi in carnem venerit, cantabit vineæ ſuæ populo Iudaico. Sane cecinit hoc carmen Chriſtus Matth. XXI. quando parabolam propoſuit de patreſamilias, qui plantavit vineam, & locavit eam agricolis. At dicet aliquis: Non ibi vinea culpatur, ſed agricolæ non adferentes domino ſuo fructum ex vinea. Reſp. In parabolæ ratione idem eſt, ſive vinea fructum facere dicatur, ſive vineæ cultores fructum ex vinea domino adferre: utroque enim modo ſignificatur populus Iudaicus a Domino honoratus & excultus, & fructum tamen minime adferens. Habetur eadem Parabola etiam Marci XII. & Lucæ XX. & multa ibi conveniunt cum his quæ hic habentur.

V. 4. QUID EST QUOD ULTRA DEBUI FACERE VINEAE MEAE, ET NON FECI EI? Deus vineæ ſuæ, ſi proprie loquendum eſt, nihil debet; ſed loquitur hic humano more, & parabolice, aſſumens ſimilitudinem vineæ & cultoris. Cultoris enim officium eſt adhibere culturam externam, quanta opus eſt, ut vitis fructum ferat. Ita Deus egit in illo populo: magna beneficia præſtitit, elegit eum ex omnibus populis, & ab illis ſeparavit; quaſi ſepem circumdans legem dedit & ſacerdotium; propheras miſit, Doctores dedit; & tamen vinea fructum non fecit. Nota autem quod non dicit: Pluviam dedi in tempore, ſolis ardores prohibui, fecunditatem præſtiti; hæc enim non exiguntur a cultore vineæ, cui ſe Deus comparat. Unde non recte ſumunt ex hoc loco argumentum, qui docent Deum omnibus hominibus dare ſufficientia ſalutis auxilia: non enim gratia Dei ſuſpenditur ex hominum acceptatione, ut non ſit gratia & prædeſtinatio hominis mere gratuita. Vide Ambr. Lib. VII. in Lucæ XX. ubi exponens hunc locum tantum intelligit adminicula externa, ut legem, Prophetas, &c. Adde, quod hic peculiariter ſermo eſt de populo Iſraelitico; unde non ſequitur, ſi illi ſingularia illa præſidia data ſunt a Deo, ergo omnibus hominibus data eſſe: immo potius contrarium ſequitur; non omnibus data eſſe.

V. 13. PROPTEREA CAPTIVUS DUCTUS EST POPULUS MEUS, QUIA NON HABUIT SCIENTIAM. Nota, Deus ſcientiam requirit, nec ſolum in præfectis, ſed etiam in populo, nempe pro populi conditione, ut videlicet de Deo, religione, moribus ſciat quæ ipſi ad bene vivendum ſunt neceſſaria. Neque debet paſtoribus ſatis eſſe populum habere catholicum etſi eumdem: debent enim hoc quoque agere, ut eumdem erudiant, & utcunque intelligentem faciant eorum quæ credit. Unde etiam patet illud Apoſtolicum, *Scientia inflat*, non crude accipiendum, ſed intelligendum de ſcientia quæ adverſus caritatem ſe erigit: unde connectit illa Apoſtolus I. Cor. VIII. *Scientia inflat, caritas vero ædificat*. Et patet hic intellectus, quia immediate præcedit in hoc ipſo capite: *Et opus Domini non reſpicitis, nec opera manuum eius conſideratis*. Culpatur ergo populus quod non habuerit ſcientiam, id eſt quod non conſideravit, ut debebat, opera Domini.

M A R I A N AE.

Verſ. 1. CANTICUM. Carmen lugubre. PATRUELIS MEI. Patrueles ſunt ex duobus fratribus nati. Et quidem דוד *dod*, & *patruum* ſignificat I. Reg. X. 15. ſic Aquila hoc loco vertit *πατράδελφον*, id eſt *patruum*. Chald. & Sept. *dilecti mei*. Sane Chriſtum, de quo loquitur, quomodo Iſaiæ patruus aut patruelis vocatur, non ſatis aſſequor, niſi forte indicare voluit, ipſum de genere regio eſſe, ut & Chriſtus. Sic Canticum patrui ſeu patruelis, perinde erit ac Canticum cognati. VINEAE SUAE; pro, de vinea ſua: ea eſt populus Iſrael. VINEA FACTA EST DILECTO MEO IN CORNU, id eſt in colle, qui eminet ut cornu. *Bacchus amat colles*. FILIO OLEI, id eſt pingui, aut in quo ſunt oliveta, facta eſt vinea dilecto.

V. 2. LAPIDES ELEGIT, id eſt elapidavit, lapidibus purgavit. ELECTAM: ſic Sept. alii, *electa plantavit & pulchra*, ſcilicet vite, pro vitibus. AEDIFICAVIT TURRIM, quo ſe cuſtodes reciperent. LABRUSCAS, uvæ ſunt vitis ſilveſtris; nempe uvas ענבים רעים ut Hebr. Schol. *uvæ malæ*.

V. 4. QUID EST QUOD. Hebr. *Quid ultra facere potui?* quaſi dicat, Nihil prætermiſi. Quid erit de illa vinea?

V. 5. AUFERAM SEPEM EIUS. Vox Heb.

Heb. ſignificat *ſepem ex ſpinis*. ERIT IN DIREPTIONEM: ſic Chald. & Sept. id eſt, qui voluerit fructum, rapiet. Alii, *ad incendendum*, id בער *baher* ſignificat, id eſt cedent vites in alimentum ignis. Alii, *ad paſcendum*, id eſt greges in ea paſcentur. DIRUAM MACERIAM: ex lapidibus conſtat. Pars vineæ ſpinis ſepta erat, pars maceria.

V. 6. ASCENDENT VEPRES ET SPINAE. Varia genera ſpinarum, iis tota replebitur. NUBIBUS MANDABO NE PLUANT. Heb. *mandabo a pluendo*, id eſt *ne pluant*: ſic Septuag.

V. 7. EXPECTAVI. Sic. Septuag. at Hebr. *expectavit*; ſcilicet Deus, priori modo loquitur Deus, poſteriori Propheta. IUDICIUM, id eſt ut ſublevaret pauperes, faceret quod iuſtum eſt. ECCE INIQUITAS. Sic Septuag. alii *lepra*, ſeu *plaga*. Sed per *plagam* pravitatem intellige. Poſſet *rapina* dici, a verbo ספה *ſapoah*, quod *congregare* ſignificat, & convenit cum v. 23. *Qui iuſtificatis impium pro muneribus*. CLAMOR EORUM, quos opprimitis. In Hebræo eſt duplex paronomaſia eleganter poſita, quod notavit Hieronymus & David Kimchi; Latinus ſermo non exprimit.

V. 8. VAE QUI CONIUNGITIS. Hæ ſunt oppreſſiones populi, propter quas clamant. USQUE AD TERMINUM LOCI. Hebr. *uſque ad nihil loci*, id eſt ut locus nullus aliis relinquatur, quod poſſideant.

V. 9. IN AURIBUS MEIS SUNT HAEC, ſcilicet clamores pauperum. NISI ... FUERINT, ſupplendum aliquid; ſcilicet ne mihi credite, niſi hæc evenerint. Omnino ita fiet: Diſpeream niſi ita fuerit.

V. 10. DECEM ENIM. Hebraice totus verſus ſic redditur: *Decem enim iugera vineæ* (pro vinearum) *facient unum bathum, & ſementis corus faciet epha*. Reddit cauſam, cur domus deſertæ manebunt, nempe, propter ſterilitatem. *Iugerum* ſic vocatur, quod uno iugo boum in die exarari poſſit: Plin. Lib. XVIII. cap. III. Idem de ſuo iugero *zemed* dicunt Hebræi. Et quidem iugerum agri pinguis quatuor modios tritici poſtulat. Colum. Lib. II. cap. IX. Ego tres potius putabam, quantum ſex celemines noſtri. Ad hæc *bathus*, pro qua Hieronym. *lagunculam* dixit, & *ephi* pares menſuræ ſunt: Ezech. XLV. 11. Hoc diſcrepant, quod *bathus* menſura liquidorum eſt, *ephi* aridorum. Capiunt ſextarios Romanos 48. modios tres, capiuntque decimam cori, ex eodem Ezech. Sic corus modios triginta capit. Quare Hieronymus pro coro *modios triginta* poſuit, & pro ephi *modios tres*. Ita *decem iugera vineæ*, id eſt quantum caperet triginta tritici modios, faciet *bathum*, id eſt modios tres vini: & corus, id eſt triginta modii ſementis. *Ephi*, id eſt tres modios tritici. Chald. *tria ſata*, id eſt tres modios.

V. 11. AD EBRIETATEM SECTANDAM, ſurgitis mane. Hebr. *ut ſectentur ſiceram*. Sic Septuag. Chald. *vinum vetus*, pro *ſicera* dixit. Sed quoniam *ſicera* ſignificat omne quod inebriat, præter vinum, bene ſumitur pro ebrietate. Sic Pagn. POTANDUM USQUE AD VESPERAM. Hebr. *crepuſculum*, ſcilicet veſpertinum. UT VINO AESTUETIS. Hebr. *vinum accendet eos*, id eſt donec vinum eos accendat. Invehitur in eos, qui ignari calamitatis, quæ inſtat, ducebant in lætitia dies.

V. 12. LYRA. Heb. *nablum*, nempe, quod inflato utre ſonat, *Gayta*. *Nebel* Heb. *uter* eſt. ET OPUS DOMINI NON RESPICITIS, præceptum, legem. OPERA MANUUM EIUS, id eſt potentiam, maieſtatem non conſideratis.

V. 13. CAPTIVUS DUCTUS EST; pro, ducetur populus. SCIENTIAM, cognitionem Dei non habuit. NOBILES EIUS INTERIERUNT FAME. Heb. *& gloria eius* (id eſt homines gloriæ, quod Hieronymus dixit, *nobiles*) *viri famis*, id eſt famelici erant. ET MULTITUDO EIUS SITI EXARUIT; quaſi dicat: Divitibus cibus defuit, plebi aqua etiam.

V. 14. DILATAVIT INFERNUS. Alii, *ſepulcrum*. ANIMAM SUAM, id eſt deſiderium ſuum, ingluviem ſuam. Sepulcrum omnes devorat, neque umquam expletur, tunc maxime id contigit ob multitudinem pereuntium. ABSQUE ULLO TERMINO. Chald. *ſine fine*. Heb. *præter ſtatutum*, id eſt ſine termino. ET DESCENDENT FORTES EIUS. Heb. *deſcendet gloria eius*, ſcilicet urbis, id eſt nobiles, fortes. ET POPULUS EIUS. Heb. *multitudo eius*, plebeii. ET SUBLIMES GLORIOSIQUE

EIUS, AD EUM. Heb. *fremitus eius* (id eſt turba, ignobiles) *& lætus in ea*, ſcilicet urbe qui felices ſunt, omnes peribunt, deſcendent in ſepulcrum.

V. 16. IN IUDICIO quod fecit, vindicata pravitate, exaltabitur Deus. SANCTIFICABITUR IN IUSTITIA. Sanctus eſſe cognoſcetur ob iuſtitiam, quam exercuit Deus. Repetitio.

V. 17. IUXTA ORDINEM SUUM. More priſtino gregibus pleni erunt agri. ET DESERTA IN UBERTATEM VERSA. Hebraica multis modis vertuntur. Heb. Schol. *Et deſerta pingues advenæ comedent*. *Pingues*, id eſt divites & fortes. Regionem habitatoribus vaſtam occupabunt advenæ, & bonis pereuntium fruentur, qui præ ceteris viribus valebunt. Senſus: Cum agri pleni gregibus erunt, & deſerta ubertate plena, tunc advenæ omnia occupabunt.

V. 18. QUI TRAHITIS INIQUITATEM, id eſt committitis. IN FUNICULIS VANITATIS: ſic Chald. Pagn. *in funibus mendacii*, id eſt mendacio illecti, & decepti. *Errant* omnes *qui operantur malum*: Prov. XIV. 22. Rationes & argumenta, quibus ducuntur, funes vocat. ET QUASI VINCULUM PLAUSTRI PECCATUM. Ex funiculis prioribus fit vinculum ſeu funis plauſtri, id eſt valida conſuetudo, quam rumpere ſit difficile. Chald. ſic locum vertit: *Væ, qui incipiunt paulatim peccata, augentque ut creſcant, & fortia fiant, ut vinculum plauſtri*.

V. 19. VENIAT OPUS EIUS, id eſt quæ mala minaris? Id dicebat populus. Non credebant verbis Prophetæ.

V. 20. VAE QUI DICITIS MALUM BONUM. De rebus intellige, non de hominibus: Auguſtinus in Enchir. cap. XIX. aut potius de utriſque, rebus & hominibus. Par enim culpa eſt in hominibus & rebus, pervertere iudicium, commutare nomina.

V. 22. AD MISCENDAM: fortes eſtis, vel propinandam. EBRIETATEM. Heb. *ſiceram*. Ita Septuag. Chald. *vinum vetus*. de quo plura verſ. 11. Væ vobis.

V. 23. PRO MUNERIBUS. Chald. *Qui iuſtificant impium, eo quod recipiunt ab eo mammonam iniquitatis*. Sic per *mammonam iniquitatis* intelligit dona, quibus corrumpuntur Iudices. AUFERTIS AB EO, condemnantes eum. Aufertis iuſtitiam iuſti. Væ vobis.

V. 24. PROPTER HOC, id eſt propter ea peccata quæ retulit, ſuperbiam, ebrietatem, rapinas. SICUT DEVORAT STIPULAM LINGUA IGNIS, id eſt flamma, quæ linguæ ſimilis eſt. ET CALOR FLAMMAE. Heb. *& paleam minutam flamma debilitat*, conſumit. RADIX EORUM QUASI FAVILLA ERIT. Hebr. *ſicut putredo*. ET GERMEN. Alii *flos* vertunt. Chald. *pecunia rapinæ eorum*. Ita *germen* ſumit pro lucro, proventu. UT PULVIS ASCENDET, id eſt evaneſcet fumi inſtar, quod rapuerunt. BLASPHEMAVERUNT. Hebr. *contempſerunt*. Chald. *abominati ſunt Dei eloquium*. Ea eſt cauſa ærumnæ.

V. 25. CONTURBATI SUNT MONTES. Heb. *contremuerunt*, ſcilicet ob iram Dei & ſupplicia. Hyperbole. IN MEDIO PLATEARUM erunt cadavera, non erit qui ſepeliat mortuos, ob multitudinem; intra urbem computreſcent.

V. 26. ELEVABIT SIGNUM, vexillum. IN NATIONIBUS. Heb. *ad gentes*, *a longe*, id eſt quæ procul Ieroſolyma diſtant; ii ſunt Babylonii, quos ad ſigna & bellum vocavit Deus. ET SIBILABIT AD EUM; pro, *ad eos*, ſic Septuag. ſibilus procul auditur. Ergo a locis remotis convocabit eos. FESTINUS VELOCITER VENIET; pro, venient abſque impedimento, cito, & leves ii vocati.

V. 27. NON EST DEFICIENS. Hebr. *non eſt laſſus, neque impingens inter eos*. Omnes alacres venient ſine moleſtia ulla, non dormient præ cupiditate, diebus noctes iungent, ac ne veſtes quidem exuent: id ſignificat, NEQUE SOLVETUR CINGULUM RENUM EIUS, NEC RUMPETUR CORRIGIA CALCEAMENTI EIUS, id eſt eorum.

V. 29. AMPLEXABITUR, rapiet prædam.

V. 30. ET SONABIT. Sic Chald. at Hebr. *fremet*. SUPER EUM, contra populum Iſraeliticum. Relativum ſine antecedenti. SICUT SONITUS MARIS. Chald. *ſicut fremitus* aut *tumultus populi*. Verum legi debet ימא, ut eſt in Venetis Bibliis magnis, non עמא ut eſt in Regiis, id eſt *maris*, non *populi*. ASPICIEMUS IN TERRAM; id eſt, omnia anguſtia plena erunt, terra & cæli. LUX OBTENEBRATA EST IN CALIGINE EIUS. Heb. *lux* (id eſt ſol) *obtenebrata eſt* (obtenebrabitur)

Digitized by Google

tur) *in cælis eius* . Aven Ezra explicat *in deſtructionibus eius*, id eſt quando urbs illa diruetur. Atque eo Hieronymus reſpexit, & alii, cum dixerunt : *Lux obtenebrata eſt in caligine eius* . Summa , nuſquam præſidium erit, aut reſpiratio .

MALVENDAE.

Verſ. 1. CANTABO . Hebr. *Cantabo* , *euge* , *eia* , *iam* , *nunc* , vel *quæſo* , *obſecro* : ſic infra verſ. 3. 5. DILECTO MEO. *Caro* , *amato* , *dilecto* , *amatori* , *amico meo* . CANTICUM . Videtur Iſaias compoſuiſſe canticum iſtud ad imitationem Moſis Exod. xv. & Deuter. xxxii. non quidem certa lege & ratione verorum carminum , quæ poſtea in uſu fuit, ſed tinnula quadam rythmi conſonantia ; quales olim apud veteres uſurpabantur verſus inconditi, ac rudes, ante exortam artificioſam poeticen , de quibus Ennius Annali I.

ſcripſere alii Rem
Verſibus , quos olim Fauni vateſque canebant ,
Cum neque Muſarum ſcopulos quiſquam ſuperarat ,
Nec dicti ſtudioſus erat.

M. Varro Lib. VI. de Lingua Latina , cap. III.

Verſibus , quos olim Fauni , Vateſque canebant .

Fauni , *dei Latinorum , ita ut Faunus & Fauna ſint in verſibus , quos vocant ſaturnios* . Vide Scaligerum in hunc locum . Vide quoque de his verſibus Ennii Ciceronem de Claris Oratoribus , & de Perfecto Oratore. Virgilius II. Georgicorum :

Verſibus incomptis ludunt .

Ubi Servius : *Id eſt carminibus ſaturnio metro compoſitis , quod ad rythmum ſolum vulgares componere conſueverunt* . Quintilianus Lib. IX. cap. iv. *Ante enim carmen ortum eſt , quam obſervatio carminis ; indeque illud* :

Verſibus , quos olim Fauni vateſque canebant .

Feſtus in Saturno dies feſtus : *Verſus quoque antiquiſſimi , quibus Faunus fata hominibus ceciniſſe videtur , ſaturnii appellantur , quibus & a Nævio bellum Punicum ſcriptum eſt , & a multis aliis plura compoſita ſunt* . Atque eiuſmodi rythmicis carminibus videntur quoque uſi ſacri vates Moſes, Iob, David, Salomon, Iſaias, &c. Vide Notas in Exod. xv. 1. PATRUELIS MEI. דודי *dodi* , poteſt eſſe, *patrui mei* , vel *patruelis mei* , vel *dilecti* ; *cari* , *adamati* , ſeu *amatoris mei*. Haud aliene exiſtimant nonnulli Iſaiæ fuiſſe patruum aliquem, vel patruelem, nobilem & inſignem, cui hæc parœmia, ſeu parabola, aut allegoria vineæ, quam hic ponit, frequens in ore fuerit . Sed plures Chriſtum intelligunt ; qui ſenſus rectior videtur : unde locum varie ex Heb. convertunt . I. *Cantabo nunc dilecto meo* , Chriſto , *canticum dilecti mei* , id eſt eius , antecedens pro relativo : *de vinea ſua* . II. *Cantabo nunc propter dilectum meum canticum dilecti mei propter vineam eius* . III. *Cantabo , eia , dilecto meo canticum patrui mei de vinea ipſius*. IV. *Age canam dilecto meo cantilenam patruo meo vineæ eius* . V. *Cantabo dilecto meo canticum , amatori , inquam , meo propter vineam ſuam* ; id eſt, cantabo in honorem amatoris mei , inquam , mei, quam infeliciter amaverit vineam ſuam. Olim enim res maximas carminibus complectebantur, ut perpetua illorum ſervaretur memoria . VI. *Accinam nunc dilecto meo canticum dilecti mei* ; id eſt, canam Chriſto ſponſo Eccleſiæ, cuius amicus & adminiſter ſum , canticum ipſius, id eſt quod ipſe cantaturus eſt ; *de vinea ipſius*. Summa totius argumenti allegorica . IN CORNU FILIO OLEI . Nonnulli Hebræorum nomen proprium loci eſſe putant קרן בן שמן *keren ben ſchemen*. Alii epithetum terræ Iudeæ eſſe volunt , quod inſtar cornu eſſet edita , alta , ſublimis, elevata , utpote fere montoſa : & eſſet fertilis, pinguis, ferax. Nonnulli ſingulariter Ieroſolymam ſic dictam exiſtimant, ob regnum & ſacerdotium, quæ in ea erant, quod cornu regnum ſignificet, & oleum ſacerdotium : quod utrique & reges & ſacerdotes ſacro oleo inungerentur. Recentiores varie reddunt : I. *in colle loco pingui*. II. *in loco ſublimi , & valde pingui*. III. *in cornu pinguedinis* . IV. *in angulo terræ pinguiſſimæ* . Habet enim Palæſtina, ſi ſitum ſpectes, cornu ſeu cuſpidis ſimilitudinem ; multo enim longior, quam lata eſt. V. *in edito ac fe-*

racif-

raciſſimo loco; quod terra Iudææ magna ex parte montoſa eſſet, ac lacte & melle diffluerer. VI. *in cornu filio olei*, id eſt oleoſo, & pingui; vel *in clivo uberrimo.* VII. Hiſpanicus Interpres: *en un recueſto lugar fertili*. Chaldæus: *in monte excelſo*, *& in terra pingui*.

V. 2. ET SEPIVIT EAM. Verbum עזק *gbazaK*, nullibi alibi reperitur in Scriptura. Hebræi exponunt: *& fodit eam*, id eſt coluit. Alii, *munivit*, *circummunivit*, maceria vel ſepi, *circumvallavit*. Putant Interpretem Matthæi XXI. 33. vertiſſe: *& ſepem ei circumpoſuit*. ET LAPIDES ELEGIT EX ILLA. Alii: *collegit*. סקל *ſikkel*, in Pihel conſtructum cum præpoſitione *Mem*, proprie eſt, *lapides removit*, *abſtulit*, *elapidavit eam*. Verum cum hæc conſtructio hic non ſit, ſed infra cap. LXII. 10. nonnulli malunt reddere: *& lapidavit eam*; id eſt, lapidibus circumſepſit, circummunivit, ut ſolent vineis ſepes ex lapidibus circumponi. Atqui more Hebraico videntur duo verba pro uno conſtrui: *Et circummunivit eam*, *& lapidavit eam*; id eſt, circummunivit eam lapidibus. ET PLANTAVIT EAM ELECTAM. Diverſimode alii ex Heb. I. *& plantavit eam vite ſelectiſſima*, *optima*, *laudatiſſima*, ſeu *plantis vitis optimæ*. II. *& plantavit eam ſurculo*, ſeu *palmite pulchro*. III. *conſeruitque eam vitibus generoſis*, ſeu *nobiliſſimis*. De voce שורק *ſoreK*, vide in Geneſ. XLIX. 11. ET FECIT LABRUSCAS. באשים *beuſchim*, proprie *fœtores*, id eſt uvas fœtidas, putridas, putidas, inſuaves. Alii, *omphacas*. Hiſpanice, *agrazer*. Noſter apte *labruſcas* dixit. Virgilius Ecloga V.

Silveſtris raris ſparſit labruſca racemis.

Ubi Servius: *Labruſca vitis agreſtis: quæ quia in terræ marginibus naſcitur*, *labruſca dicitur a labris extremitatibus agrorum*, *vel quod ſapore acerbo labia lædat*. Hiſpanicus Interpres: *uvas monteſinas*. Aliqui Hebræorum ſecuti LXX. *ſpinas*. Sic infra verſ. 4. Notant hoc verſu contineri narrationem facti duplicis, nimirum curæ, quam adhibuit Chriſtus in informanda, ſarrianda, augenda, & perficienda vetere Eccleſia; & indignitatis, qua Eccleſia vetus provocavit Chriſtum.

V. 3. HABITATORES IERUSALEM, ET VIRI IUDA. Heb. maiori ſenſu: *habitator Ieruſalaim*, *& vir Iehudæ*, id eſt ſinguli habitatorum & virorum. Ex argumento ſuperioris parabolæ adigit eos hoc verſu, & ſequente, ad damnandum factum ipſorum, & probandum ſuum: qua ratione Nathan apud Davidem uſus eſt II. Samuel. XII. IUDICATE INTER ME, ET VINEAM MEAM. Quaſi dicat: Appello conſcientiam veſtram, vos ipſi cognoſcite, & bona fide ſtatuite, per utrum ſteterit quominus fructum dignum conditione ſua protulerit; ſi vel tantillum merito a me deſiderabitur, ego præſtabo: ſed cum partibus meis plene perfunctus ſim, quid ſupereſt niſi ut vinea in culpa dicatur eſſe? AUFERAM SEPEM EIUS. Heb. infinitivus: *amovere*, *tollere*; vel, *amove*, *tolle*, quod hæc formula loquendi indignationem quamdam præſeferat: ſic ſtatim, *rumpe*. Plerique tamen infinitum pro futuro accipiunt: *amovebo*. Alii infinitum more Hebraico & Latino abſolute poſitum volunt: ſic enim Livius, & alii paſſim per infinitivos loquuntur. De voce משוכה *meſucchah*, quam *ſepem* hic Noſter vertit, vide in Proverb. XV. 19. Quidam hic vertunt: *auferri*, ſeu *removere faciam ſpinetum eius*, vel *ſepem eius ſpineam*. Solent enim ſupra macerias & ſepimenta vinearum ſpinæ poni, ne fures tranſcendant. Alii verſum ita reddunt: *Iam itaque notum faciam*, *quæſo*, *vobis*, *quid facturus ſim vineæ meæ*, *amovendo ſepem eius*, *ut ſit depaſtioni*; *dirrumpendo maceriam eius*, *ut ſit conculcationi*. Expoſitio ſententiæ aut iudicii allegorica, pro eo quod eſt: Abiiciam ſtudium, nudabo præſidio, bonis, & ornamentis meis, exponamque omnibus iniuriis. ET ERIT IN DIREPTIONEM. Heb. *& erit ad depaſcendum*, vel *in depaſtionem*; id eſt, depaſcentur eam homines, vel animalia. Non tam recte alii: *& erit ad conflagrandum*, vel *ut exuratur*.

V. 6. ET PONAM EAM DESERTAM. Alii *vaſtam*, *deſolatam*; vel *in deſolationem*, *vaſtitatem*. Quidam: *vaſtitatem profundam*, ſeu *vaſtitatem in loco profundo & aquoſo*. Nonnulli: *concavitatem*, *vacuitatem*, vel *vacuum*. Nec deſunt qui *effoſſionem*, qualis eſt quæ poſt evulſas arbores, aut plantas manet; vel cuiuſmodi in torrentibus poſt delapſas aquas apparent, infra cap. VII. 19. Ego conſo-

na

Digitized by Google

na voce *barathram* dixi. Feſtus: *Barathrum Græci appellant locum præcipitem, unde emergi non poſſit, dictum ab eo quod eſt βαθὺς*; vel *βαρὺς*, ut Scaliger legendum cenſet: vide Servium in III. AEneidos, & late Suidam. ET NON FODIETUR. Heb. *& non congregabitur*, *contrahetur*, *coacervabitur*. Aiunt verbum עדר *ghadar*, in Niphal, eſſe inſtrumento aliquo terram contrahi in unum cumulum, ut fit circa vites, ad quas terra ſarculo contrahitur, & ut etiam fit arando, ubi terra in aream congeritur: & certe huiuſmodi tumuli in vineis formam habent gregis hinc inde gregatim paſcentis; nam id verbum factum videtur a nomine עדר *gheder*, *grex*. Aliqui hic reddunt, *& non ſarrietur*, vel *reſarrietur*, *ſarculabitur*, *paſtinabitur*: ſic infra cap. VII. 25. ET ASCENDENT ſuper eam VEPRES. Heb. *& aſcendet*, id eſt aſſurget, ſuccreſcet, *vepris*. שמיר *ſchamir*, aiunt eſſe nomen collectivum, *ſenticetum*, *vepricetum*, ſeu *vepretum*; ſic dictum, quod ſuis aculeis ſervet, retineatque homines aut pecudes, prout eſt de rubo, aut vepribus in AEſopi Apologo, de vulpe & rubo; & in altero de veſpertilione, & rubo, & mergo: aut ſane ſata detineat ac ſuffocet.

V. 7. GERMEN EIUS DELECTABILE. Alii ex Heb. I. *plantatio delectationum eius*. II. *plantatio lætitiarum*, ſeu *voluptatum eius*, id eſt planta gratiſſima. III. *planta deliciarum eius*. IV. *plantula eius delicata*. V. Forſterus: *plantatio amabilium*, ſeu *blandiorum amplexuum*, aut *baſiorum eius*. Ipſe legit, שעשעשיו *ſchagbaſchuſchaiu*, abiecta ſecunda littera *Ghain*, & triplicata littera *Scin*, quæ triplicatio ſenſum augere videtur; quaſi dicat, Plantula quam ipſe Deus ardentiſſime amplexus eſt, ac ſuaviſſimis baſiis dignatus: ſed quot quot videre licuit exemplaria שעשועיו *ſchagbaſchughaiu*, cum *Ghin* habent. Equidem pluralis numerus ſententiam auget. UT FACERET IUDICIUM: id eſt, ius ſuum unicuique tribuerent. Aliqui: *& quamvis expectaverit officium*; id eſt, ut miſſa nativa ſua conditione (quæ ſterilis eſt, & malarum dumtaxat rerum ferax) facerent officium ſuum. ET ECCE INIQUITAS. משפח *miſphach*, idem omnino eſt quod ספחת *ſephachath*, & מספחת *miſphachath*, Levit. XIII. 2. & 6. hic recte vertes, *adiectio*, *aggregatio* humoris putridi, *ſuppuratio*, *abſceſſus*, *apoſtema*. Aliis eſt, *ſcabies*, *lepra*, *pelada*, vel *ſcabies capitis* quam medici *achorem* vocant, Hiſpanice, *tinna*. Nonnullis, *vulnus*; quaſi dicat, Omnia ſunt corrupta, perdita, depravata, canceroſa. Quidam Hebræorum: *& ecce aggregatio*, *adiectio*, nempe cumulatio peccati ad peccatum. Avenarius exponit: *& ecce eſt diſtrictio*, hoc diſtringunt, ſpoliant, deglubunt alios. Leo Iudas: *& ecce conciliabulum*, quo coeunt in perniciem inſontium. Tremellius, & Iunius, & Buxtorfius: *ecce inhærentia*, *contumacia*, *pertinacia*, nimirum in vetere homine, & corruptione naturæ, quæ amplificatur demonſtrandi particula. Forerius qui vertit *humiliatio*, & id nomen ab ancillando, humiliando, & deprimendo deduxit; noluit animum advertere aut oculos, ſcribi ſemper cum *Scin* ſiniſtro vel *Samech*, & nomen & verbum, ut ſupra cap. III. 17. ET IUSTITIAM, ET ECCE CLAMOR. Videlicet afflictorum, & oppreſſorum ab illis: vel clamor, & antecedentia ſcelera cauſæ clamoris: metalepſis, ut Geneſ. XVIII. 20. Obſervant Hebræi pulchram paronomaſiam, qua uſus eſt elegantiſſimus propheta in duplici xynoride quatuor harum vocum, משפט *miſchphat*, & משפח *miſphach*, *iudicium* & *ſuppuratio*: & צדקה *tzedakah*, & צעקה *tzeghaKah*, *iuſtitia*, & *clamor*.

V. 8. QUI CONIUNGITIS DOMUM AD DOMUM &c. Varie alii hunc verſum ex Heb. efferunt: I. *Væ pertingere facientibus domum in domum, agrum in agrum appropinquare facient uſque ad defectum loci*; *& conſtituemini ſoli vos in interiori terræ*. II. *Væ iis qui coniungunt domum domui, agrum agro continuant* vi aut fraude, *adeo ut non ſit locus* pauperi: *& putatis quod habitabitis vos ſoli in medio terræ*. III. *Væ qui pertingere faciunt domum ad domum, agrum ad agrum appropinquare faciunt, donec nihil loci ſuperſit*, quod non occupent: *& habitatores conſtituamini ſoli vos in medio terræ*. IV. *Væ coniungentibus domum domui, agrum agro admoventibus, donec nihil amplius ſit loci*, *& efficiamini habitatores vos ſoli in media hac terra*; quaſi dicat: Quorum avaritia adeo eſt inſatiabilis, ut ne tunc quidem

ſatis habituri ſint; cum nihil amplius ſupererit acquirendum, & totam terram ſoli omnibus expulſis poſſederint arbitratu ſuo. Hunc locum adducti diſtinctionibus Hebraicis ſic interpretantur: Illud, *in media hac terra*, exponunt, Cuius poſſeſſiones neque vendendæ, neque acquirendæ erant lege mancipii, Levit. XXV. 25. & Numer. XXXVI. 7. hoc enim indicium eſt publici ſtatus depravatiſſimi, ut II. Regum XXI.

V. 9. IN AURIBUS MEIS SUNT HAEC, DICIT DOMINUS EXERCITUUM. Heb. *In auribus meis Iehovah Tzebaoth*. Quidam: *Me audiente Iehova exercituum dixit*: *Ne vivam, niſi domus multæ deſolationi ſint*, &c. Hactenus peccatum: ſequitur conveniens pœna, iuramento Dei confirmata, ac proinde inevitabilis; quam ſe non ex opinione tantum, aut communibus minis comprehenſis lege cognoviſſe; docet propheta, ſed ex ſingulari revelatione Dei, prout manifeſtum eſt ex ſingulari illi denuntiatione, quæ ponitur ſub finem capitis. Sunt autem duo denuntiationis membra, ut in exprobratione verſu præcedente: unum in prædia urbana, hoc verſu; alterum in ruſtica, verſu ſequente. Subaudiunt autem verbum *dixit*, nam eſt ellipſis frequens, ut infra cap. XLVII. 4. & I. Reg. XX. 34. NISI DOMUS MULTAE, &c. Heb. *Si non*. Formula frequens iurandi, ſeu imprecandi apoſiopetica, quæ vel ira vel religione reticetur, ac ſi dicam: *Non vivam, diſperеam, male mihi ſit*, aut aliquid eiuſmodi, ut Pſalm. LXXXVIII. 36. & XCIV. 11.

V. 10. LAGUNCULAM UNAM. Hebr. *batum unum*: de *bato* menſura liquidorum, vide in I. Reg. VII. 26. ET TRIGINTA MODII SEMENTIS. Heb. *& ſemen Chomer*, vel *ſementis cori*. De חומר *chomer*, vel *coro*, vide in Levit. XXVII. 16. FACIENT MODIOS TRES. Heb. *facient epha*. De *epha* vide in Exod. XVI. 36. Magnam vini & tritici penuriam prædicit.

V. 11. VAE QUI CONSURGITIS MANE AD EBRIETATEM, &c. Alii hunc verſum ex Hebr. reddunt: I. *Væ maturantibus in mane*, vel *iis, qui ſummo mane ſurgunt, ut inebriativa ſectentur; & qui immorantur uſque ad crepuſculum, donec vinum æſtuare faciat eos*; id eſt, donec incaluerint vino. II. *Væ manicantibus diluculo, temetum ſectantur, poſtea in crepuſculo veſpertino vinum inflammat eos*. מאחרי *meachare*, non faciunt participium Pihel, forma ſyntactica, *poſterioritates*; cum hic nulla ſit ſyntaxis; ſed dividunt in duas dictiones, *de poſt*, quod Hiſpanice dicimus *deſpues*. III. *Væ qui mane ſurgunt ut ſequantur ſiceram, protrahentes, vel moram facientibus in crepuſculum uſque, donec vinum inflammat eos*. IV. *Væ iis, qui mane ſe accingunt, ut ſectentur ſiceram, prorogantes id ad crepuſculum uſque, vino eos incendente*. V. *Væ ſurgentibus ſummo mane, ut potum inebriantem ſectentur, prorogantibus ad crepuſculum uſque, ut vinum incendat ipſos*. Si crepuſculum matutinum accipimus, plenior erit ſenſus, ut indicet eos ab uno mane ad alterum mane perpotaſſe, hoc eſt totum diem noctemque potando conſumpſiſſe, quod a luxu veterum non eſt alienum. Apte hic Hebræi exponunt: vinum perſequetur, inſectabitur eos; quaſi dicat: Ipſi ſectantur vinum, & vinum inſectatur eos ac corruere facit.

V. 12. ET OPUS DOMINI NON RESPICITIS, &c. Alii ex Heb. *opus autem Iehova non intuentur, & factum manuum eius non conſiderant*; id eſt, nihil reſpiciunt, nihil audiunt, nihil denique ſapiunt niſi luxum ſuum, & ad nihil eorum, quæ facit Deus, animum aut ſenſus advertunt: vide Hamos VI. 6. & ſequentibus. Quidam exponunt: Et quæ Ihuh in eos effecturus ſit propter eorum ſcelera, non animadvertunt.

V. 13. PROPTEREA CAPTIVUS DUCTUS EST POPULUS MEUS. Heb. *Idcirco revelatus eſt populus meus*, id eſt detectus, & expoſitus ignominiæ. Alii: *migravit, exulavit, ductus eſt in captivitatem*, vel devolutus eſt, evolutus ſedibus, ſtatu, fortunis. Quidam exponunt: *Idcirco migrat populus meus*; id eſt, pergunt Iudæi ſummi & infimi cum eiſdem calamitatibus conflictari, quæ cœperunt Ioaſchi & Amatziæ temporibus, ut ipſe oſtenderat ſupra cap. I. 5. & ſequentibus, & repetit infra verſ. 25. ſunt autem calamitates iſtæ exilii, mortis, & abiectionis omnimodæ, his tribus verſibus. QUIA NON HABUIT SCIENTIAM. Heb. *ex non ſcientia*, vel *abſque ſcientia*,

ſeu

ſeu *cognitione*, id eſt per dementiam & imprudentiam ſuam. Alii: *quod expers ſit ſcientiæ*, id eſt nulla præditus cognitione aut animadverſione factorum Dei, ſed brutus eſt, ut loquitur David Pſal. xci. 7. Aliqui *abſque ſcientia* accipiunt, pro eo quod eſt, inopinato, inſperato, nihil minus cogitans. ET NOBILES EIUS. Hebr. *gravitas eius*, vel *& homines gravitatis*, *gloriæ*, *honoris*, *dignitatis eius*; id eſt, quique graviſſimi, inclyti, honoratiſſimi, clariſſimi, ſplendidiſſimi eius. INTERIERUNT FAME. Heb. *viri homines*, proprie, *mortales famis*. Quidam reddunt: *& honoratiſſimi eius homines ſunt famelici*, nimirum pro eo, quod cibo & potu luxurioſiſſime abuſi ſunt. SITI EXARUIT. צחה *tziche*, plerique cum Noſtro præteritum Pihel faciunt: alii nomen conſtructum: *arens*, *arida*, *nitida*, *limpida*, *ſicca*, *candida ſitis*, vel *ſiti*.

V. 14. PROPTEREA DILATAVIT INFERNUS ANIMAM SUAM. Quidam: *Idcirco dilatat ſepulcrum ſeipſum*; quaſi dicat, Multi morientur, multos hauriet ſepulcrum: proſopopæia, qua inſatiabilem conditionem ſepulcri comparat cum luxu Iudæorum inſatiabili. ANIMAM SUAM. Aliqui exponunt, *Concupiſcentiam*, *appetitum*, *ingluviem*, *voracitatem ſuam*: ut infra cap. LVI. 11. Nam infernum ſeu ſepulcrum Hebræis dici ab inſatiabilitate, notum eſt. ET APERUIT OS SUUM ABSQUE ULLO TERMINO. Alii ex Hebr. I. *& dilatavit os ſuum præter ſtatum*, ſeu *morem*. II. *& diſtendit os ſuum abſque ſtatuto*, vel *ſine modo*, ſeu *ultra præſcriptum*. III. *& ore ſuo præter modum dehiſcit*. IV. *& diſtendit os ſuum ad non modum*, ſeu *in immenſum*. ET DESCENDENT FORTES EIUS, &c. Poſterius hoc hemiſtychium varie ex Heb. reddunt: I. *& deſcendet decorus eius*, id eſt quiſque e nobilibus & inclytis eius: *& multitudo eius*, *& turba eius*, hoc eſt vulgus & plebs: *& exultans*, ſeu *lætans*, aut *gaudens in ea*, id eſt quotquot in ea divitiis & voluptatibus ſunt dediti. II. *& deſcendet ſplendor eius*, *& turba eius*, *& ſtrepitus eius*, *& exultabit in eo*; id eſt, nobiles & ignobiles Iudææ, & totus ille ſtrepitus tripudiantium in conviviis deſcendet in infernum ſeu ſepulcrum, & in eo tripudiabit & choreas aget. Ironia gravis. Hebr. *in ea*. Sed שאול *ſcheol*, *infernus*, plerumque eſt femineum, III. *ut illo*, ſcilicet in infernum, *deſcendat ſplendor eius*, *& multitudo eius*, id eſt nobiles & plebeii terræ ſanctæ: *& opulentia eius*, *& qui in hit lætantur*. IV. *ut deſcendat decor illius*, *& multitudo illius*, id eſt ſummi & infimi, patritii & plebeii: hypallage; ſic enim accipiendum eſſe oſtendit præcedens verſus: *cum tumultuatione ſua*, id eſt ſtrepitu ſuo, qui commeſſationibus & perdito luxu perſonare ſolet: *& qui exultat in illa*, videlicet urbe & regione tota. ET SUBLIMES. שאון *ſchaon*, aiunt proprie eſſe *ruinam*, *irruptionem*, *intritum*, *præcipitium*; & per metalepſim, *ſonitum*, *fragorem*, *tumultum*, *ſtrepitum*, *fremitum*, *ſonum*, qui ubi profunditas eſt & præcipitium, ruinam ſubſequitur. Congruit huic loco, ut indicet eum fragorem, qui ex ruina illa & præcipitio punitorum in infernum reſultat. Nonnulli *concuſſionem*, *tumultum*, ſeu *tumultuationem* reddunt, id eſt vulgus, quod facile concutiatur ac tumultuetur. GLORIOSIQUE. עלז *ghalez*, vel eſt verbum, *& exultabit*, *tripudiabit*, *gaudio geſtiet*: vel nomen, *& exultabundus*, *exultans*, *tripudians*.

V. 15. ET INCURVABITUR HOMO, &c. Alii hunc verſum ex Hebr. reddunt: I. *Hoc pacto incurvatur homo*, *deprimitur vir*, *& oculi ſublimium concidunt*. II. *Ita deprimitur homo plebeius*, *& demittitur vir præſtans*, *oculique celſorum deprimuntur*; id eſt, his iudiciis domantur improbi quicumque ſint, hoc verſu: Dei gloria aſſeritur, verſu ſequente; & piis proſpicitur, verſ. 17.

V. 16. ET EXALTABITUR DOMINUS, &c. Alii: I. *Iehova autem exercituum altus ſit in iudicio*, vel *exaltabitur ob iudicium*, quod in improbos exercuit: *& Deus ſanctus ſacroſanctus ſit*, ſeu *apparet in iuſtitia*, vel *ob iuſtitiam*, quod ſcilicet iuſtiſſime puniat contumaces. II. *Et exaltatur Iehova exercituum iudicio ſuo*, *& Deus fortis ſanctiſſimus ſanctificatur iuſtitia*.

V. 17. ET PASCENTUR AGNI IUXTA ORDINEM SUUM, &c. Hunc verſum diverſimode alii ex Hebr. explanant. I. *Et paſcentur agni iuxta morem ſuum*, *& in deſertis terræ pingues agni incolentes comedent*;

medent; id eſt, deſolabuntur domus adeo, ut in illis paſcant agni ut ſolent in paſcuis. II. *Et paſcentur agni iuxta ductum ſuum*, ſive *ducatum*, id eſt iuxta locum ad quem ducuntur & congregantur, hoc eſt iuxta caulam ſeu ovile: ac *deſolationes pinguium advenæ comedent*, vel *deſolatis medullatorum advenæ fruentur*, ſeu *& deſerta pinguium*, id eſt impiorum, qui voluptatibus delitiiſque vacant, *pauperes, qui venient ad habitandum in illis, comedent ea*; quaſi dicat: Tum pauperes, qui patria ſua & agris pulſi fuerunt, revertentur, & fruentur fructibus agrorum derelictorum a divitibus, qui tum in captivitatem abducti fuerint. Pingues & medullatos vocat divites. Quidam exponunt: *& deſerta medullatorum advenæ comedent*; quaſi dicat, Pinguium paſcuorum. III. *Tum paſcentur agni iuxta demenſum ſuum, & arietes palantes ſolitudines detondebunt*. IV. *Et paſcentur agni*, id eſt pii innocentes, *iuxta verbum ipſorum*, hoc eſt, prout voluerint & optaverint in paſcuis uberrimis a Domino, Ioann. x. 9. *& gladii medullata ruminantia comedent*; id eſt, ventres autem illos pingues, qui ab alio propheta vocantur vaccæ pingues, homines vino & crapulæ deditos gladii devorabunt & abſument. At præterquam quod alienum & remotum eſt חרבות *chorebotb*, pro *gladiis* ſumi, non eſt ſatis apta conſtructio *chorebotb*, *gladii comedent*, cum *gladii* ſit femineum, & *comedent* maſculeum. Sicut nec quod addunt: *& ſiccitates comedent*, *conſument medullantia*, *pinguia*, *ruminantia*; id eſt, animalia pinguia, quæ ruminant, ſiccitate aſſumentur: nam conſtructio non congruit. V. *Et paſcent agnos*, vel *paſcentur agni*, *iuxta ordinem eorum*, *& ſiccitates medullantium advenæ comedent*. VI. *Ut paſcant agni pro more ſuo*, id eſt pii, qui agnis in Scriptura paſſim comparantur: *vaſtitatibus pinguium advenæ fruantur*, id eſt pii reſtituti in poſſeſſionem terræ, quam improbi occupaverant, & inimici exhauſerant, ut ſupra cap. I. 7. dixit propheta. Aliæ expoſitiones frigent.

V. 18. Vae qui trahitis, &c. Alii: I. *Væ trahentibus*, vel *iis qui trahunt ad ſe iniquitatem funibus mendacii*, *& veluti perplexo fune plauſtri trahunt peccatum*; id eſt, qui rationibus illicitis, aut præſentibus, aut illecebris, addunt peccata peccatis quaſi ea condenſantes, complicantes, conſtipantes, ac ſeſe in illis obſtinant. II. *Væ, qui trahunt iniquitatem funibus temeritatis*, *& veluti catena trahit plauſtrum*, *peccatum trahunt*. Contra rationem punctorum regimen vocis עבות *gbabotb*, *catena*, tollunt, & *iniquitatem* ac *peccatum*, pro pœna, non culpa accipiunt, ut alibi ſolent; ſenſumque eſſe volunt: Væ vobis, qui damnationem veſtram adverſum voſmetipſos trahitis, & magna vi nitimini ut ad vos accedat, velut qui plauſtrum onuſtum funibus trahunt: trahitis autem perditionem veſtram funibus temeritatis, id eſt veſtra temeritate, audacia, protervia. III. *Væ iis*, *qui iniquitatem funibus vanis*, *& peccatum veluti vectibus plauſtri protendunt*. IV. *Væ trahentibus iniquitatem*, *& veluti denſo fune plauſtri peccatum*; id eſt, nihil agitantibus niſi malum omni ſtudio ſuo. Deſcribit hoc verſu, & ſequente, malitiam & obfirmationem Iudæorum, hoc eſt ſtudium accumulandi peccata, quo utuntur hi qui ludificantur Deum.

V. 19. Qui dicitis: Festinet, et cito veniat, &c. Alii hunc verſum dilucidius ex Heb. reddunt: *Dicentibus*, *Feſtinet*, *acceleret opus ſuum*, *& appropinquans adveniat conſilium ſancti Iſraelitarum*, *ut experiamur*. Verba ludificantium Deum, & irriſorum, qui in ſuis ipſorum cupiditatibus incedunt, ut vocantur II. Petri III. 3. *Opus ſuum*, *& conſilium*, id eſt ſententia, decretum, & vindicta Dei in improbis.

V. 21. Vae qui sapientes estis in oculis vestris. Heb. *Væ ſapientibus in oculis ſuis*; id eſt, iudicio ſuo qui ſibi ſapientes eſſe videntur: ſic Proverbior. III. 7.

V. 22. Vae qui potentes estis, &c. Hunc verſum alii ex Heb. I. *Væ potentibus ad bibendum vinum*, *& hominibus roboris*, ſeu *robuſtis ad miſcendum inebriativa*; quaſi dicat, Qui ſummam ſtrenuitatem eſſe putant in compotationibus, & in illis gloriantur. II. *Væ qui gigantes ſunt ad hauriendum vinum*, *& viri ſtrenui ad miſcendum ſiceram*. III. *Væ*

va-

valentibus potare vinum, *& ſtrenuis ad miſcendum potum inebriativum*, vel *inebriantem*.

V. 23. QUI IUSTIFICATIS IMPIUM PRO MUNERIBUS, &c. Noſtra translatio hunc verſum verbatim ex Heb. reddidit: (*Iuſtificantes, improbi calce muneris*: *& iuſtitiam iuſtorum diſcedere facient de ab eo*.) Alii varie: I. *Qui iuſtificant impium*; id eſt, qui pronuntiant ac declarant impium eſſe iuſtum, qui dicunt cauſam impii eſſe iuſtam: *iuſtitiam autem iuſtorum auferunt ab eis*. II. *Iuſtificantibus impium mercede muneris*, *& iuſtitiam iuſtorum amovebunt ab eo*, id eſt ab unoquoque eorum. III. *Abſolventibus improbum propter munus*, *& iuſtitiam iuſtorum abiudicantibus ab unoquoque eorum*; id eſt, iuſtas cauſas evertentibus. PRO MUNERIBUS. Hebr. *calce muneris*. Alii: *præmio*, *mercede*, *emolumento muneris*. Alii: *fine muneris*, id eſt intuitu, intentione muneris: vide in Proverbior. XXII. 4. Mihi vox *calcis*, ſeu *calcanei*, aptiſſima huic loco videtur, quod munus ſit veluti calx, qui iudicium calcat, peſſundat, evertit.

*V.*24. PROPTER HOC, SICUT DEVORAT STIPULAM LINGUA IGNIS, &c. Hunc verſum diverſimode ex Heb. convertunt: I. *Propterea*, *ſicut exedit*, *abſumpſit ſtipulam lingua ignis*, id eſt flamma, quod ea ſpeciem linguæ præ ſe fert, nam rubet & in acutiem tendit; *& quiſquilias flamma debilitat*: *ſic radix eorum veluti putredo erit*, *& germen eorum velut pulvis aſcendet*: *ſpreverunt enim legem Iehovæ exercituum*, *& eloquium ſancti Iſraelis contempſerunt*. II. *Quapropter*, *ſicut lingua ignis ſtipulam devorat*, *& culmus flamma reſidet*; vel *quiſquilia*, aut *palea vi flammæ flacceſſit*, vel *abſumitur*: *ſic radix eorum putreſit*, *& flos eorum ut pulvis evaneſcet*, hoc eſt florentiſſimi quique eorum: *quoniam repudiarunt legem Domini exercituum*, *& verbum ſancti Iſraelis contumelioſe blaſphemarunt*. III. *Propterea*, *ſicut abſumit quiſquilias lingua ignis*, *& ſtramen flamma diſſolvit*; *radix eorum quaſi putredo erit*, *& germen eorum quaſi pulvis aſcendet*: *quia reiecerunt inſtitutionem Iehovæ exercituum*, *& ſermonem ſancti Iſraelis execrati ſunt*. IV. *Idcirco ut abſumit ſtipulam lingua ignis*, id eſt extrema flamma in ſpeciem linguæ ſeipſam protendens: metaphora: *& torridum gramen flamma deficit*; quaſi dicat: Contumaces iſti, qui ſibi tam graves viſi ſunt ad exuendam pietatem & humanitatem, erunt aptiſſimi incendio, atque leviſſimi, ut nullo negotio iudiciis Dei conſumantur: *radici iſtorum quaſi tabes inerit*, *& flos iſtorum ut pulviſculus abibit*; id eſt, ab imo ad ſummum diſperdentur, extirpabuntur, conſumentur radicitus: *quia contemnunt doctrinam Iehovæ exercituum*, *& ſermonem ſancti Iſraelitarum ſpernunt*. Quod quidam reddunt: *Et quiſquilias flamma debilitat*, vel *& ſtramen flamma diſſolvit*, conſtructio Hebr. non ſatis congruit, nam *flamma* eſt femineum, & *diſſolvit* maſculeum; niſi ſubaudiatur e præcedente membro *lingua flammæ*, nam *lingua* interdum eſt maſculeum; aptius reddetur: *& quiſquilia*, ſeu *ſtramen flamma diſſolvetur*, ut flamma ſit ablativus: ſiquidem *quiſquilia* eſt maſculeum, & verbum intranſitive recte accipitur. חשש *chaſchaſch*, aiunt eſſe *ſtramen*, *ſtuppam*, *fomitem*, *ſtipulam*, *paleam*, *quiſquiliam*, *glumam*, *gramen torridum*, *cremium*, aut aliam ſimilem materiam aridam, & ſiccam; ſic dictam a חוש *chuſc*, *feſtinare*, quod celeriter ignem concipiat, & feſtinanter abſumatur.

V. 25. IDEO IRATUS EST FUROR DOMINI IN POPULUM SUUM. Quidam: *Propterea accenſus eſt ira Iehovah in populum ſuum*. Singularis explicatio & accommodatio iudiciorum Dei adverſus Iudæos, cum eorum quæ prius fuerant perpeſſi, ut Ioaſchi, & Amatziæ temporibus, de quibus ſupra cap. I. in verſ. 7. diximus, & hoc verſu agitur: tum eorum, quæ impoſterum erant perpeſſuri ab Aſſyriis, Chaldæis, finitimiſque aliis gentibus, verſu ſequente. PERCUSSIT EUM, ET PERTURBATI SUNT MONTES. Alii: *percuſſit eum adeo*, *ut commoti fuiſſent & ipſi montes*; id eſt, graviſſime percuſſit, & tantis malis affecit, ut ipſi montes fuiſſent ſurſum deorſum abituri, ſi Deus in eos tantam indignationem deonerare voluiſſet: ſic per comparationem durities pluſquam ſaxea populo exprobratur. ET FACTA SUNT MORTICINA EORUM QUASI STERCUS IN MEDIO PLATEA-

TEA-

TEARUM. Heb. *& fuit cadaver eorum*, collective, pro cadavera eorum, *quaſi ſtercus*. בסוחה *caſſuchah*, quidam unam dictionem faciunt: *& fuit cadaver eorum exciſum*; id eſt, *& fuerunt cadavera eorum exciſa*, lacera, confecta plagis & vulneribus iacuerunt in plateis. Nonnulli exponunt: *fuitque cadaver iſtorum ſucciſum in mediis plateis*, tam bellis exteris quam civilibus: quia exteris Ieruſchalaima bis capta ſunt, primum a Syris II. Paralipom. XXIV. 23. deinde a Ioaſcho rege Iſraelitarum II. Reg. XIV. & II. Palip. XXV. civilibus vero occiſi ſunt reges ipſi, & occiſores multati. Alii duas voces eſſe putant: *& fuit cadaver eorum tamquam purgamentum*, *cœnum*, *ſtercus*. SED ADHUC MANUS EIUS EXTENTA: vel ad feriendum; vel vexillo ſublato accerſens hoſtes, & iudicia ſua exequens.

V. 26. ET ELEVABIT SIGNUM IN NATIONIBUS, &c. Quidam hunc verſum ex Hebr. reddunt: *Nam cum attollens vexillum ad gentes e longinquo*, *& ſibilans advocaverit ad ſe ab extremo terræ*, nempe Syros, Aſſyrios, AEgyptios, & Chaldæos; quos excitavit Deus ut perficerent iudicium ipſius, tamquam datis ſignis militaribus: *ecce cito velox adveniet exercitus*.

V. 27. NON EST DEFICIENS, NEQUE LABORANS IN EO, &c. Alii ex Heb. I. *Nullus erit feſſus*, *nullusque impingens in eo*: exaggeratio interminationis per deſcriptionem exercitus cuiuſque, qui in Iudæam erat irrupturus, primum a conſtitutione militum, armorum, equorum, & omnium ad militiam pertinentium, duobus verſibus; deinde ab opere ipſorum, effectisque, duobus reliquis: *non dormitabit*, *neque dormiet*; id eſt, non aget ſegniter, ſed ipſas potius noctes in obſidione occupabit, ut Ierem. VI. 5. *etiam non ſolvetur zona lumborum eius*, *neque avelletur corrigia calceamentorum eius*; id eſt, indeſinenter in armis erit, & ſine impedimento in expeditione perget. II. *Non eſt laſſus*, *neque impingens*, ſeu *corruens* vel *deficiens*, ſubaudi, præ laſſitudine, *inter eos*; quaſi dicat: Nemo eorum fatigabitur de via, adeo alacres venient: *nullus ſoporolentus* aut *ſomniculoſus*: *balteum renum ſuorum nullus aperit*, *neque ſolvit corrigiam calceamenti ſui*: vel *neque ſolvetur cingulum lumborum eius*, ſubaudi, militis, *neque abrumpetur corrigia calceamentorum eius*. Ac ſi dicat: Perpetuo miles erit accinctus, etiam cum dormiet; neque exuet calceos, ſomni longioris cauſa, ne cum mora illos poſtea induere cogatur. Hoc dicendi genere utitur, quod ſæpe abrumpamus anſulas calceorum cum illos exuimus. Exprimit ſtudium & diligentiam, quibus præditi venient externi hoſtes ut oppugnent Ieruſalem.

V. 28. ET OMNES ARCUS EIUS EXTENTI. Alii: *tenſi*, *calceati*, *adducti*, proprie *viati*, id eſt directi, intenti in hoſtem, ut in ſcopum. UNGULAE EQUORUM EIUS UT SILEX. Alii: *ſicut petra*, ſcilicet anguſta & acuta. Nonnulli: *ſimiles rupi*, id eſt infractæ atque duriſſimæ, quæ nullo itinere aut curſu atterantur. ET ROTAE EIUS QUASI IMPETUS TEMPESTATIS. Quidam ex Hebr. *& rotæ curruum eius ſimiles turbini*, id eſt velociſſimæ, ocyores Euro; ut Virgilius:

—— *volat vi fervidus axis*.

V. 29. RUGITUS EIUS UT LEONIS. Hebr. *ut leonis cordati*, *animoſioris*, *animoſioris*: vide in Geneſ. XLIX, 9. altera pars deſcriptionis, exponens mala quæ efficiat exercitus: nimirum quod ſola voce conſternabit, fremitu ſuperabit, vi depopulabitur & deportabit prædam, denique omnem ſui eripiendi facultatem oppreſſis adimet. ET AMPLEXABITUR, ET NON ERIT QUI ERUAT. Alii ex Hebr. I. *& abducet*; *nec erit qui ei eripiat*. II. *ſalvamque apportabit*, *& nemo eripiet*; id eſt, prædam raptam ſalvam domum apportabit, nulluſque de manu eius eripiet.

V. 30. ET SONABIT SUPER EUM. Heb. *Et fremet*, *rugiet*, *ſuper eum*, vel *adverſus illum*, nimirum qui ſe aut populum eripere conatus fuerit e manu Chaldæorum: prout factum eſt in poſteris Ioſchiiæ, & iis, qui Godoliam interfecerunt, ut in AEgyptum transfugerent, II. Reg. tribus ultimis capitibus, & II. Paralip. ultimo, & Ierem. XLI. & ſequentibus. IN DIE ILLA, ſeu *in tempore illo*: quoties rebellionem molietur. SICUT SONITUS MARIS: vel *quaſi fremitu maris*, id eſt graviſſimo & horrendo, prout

prout ſequentia verba exponunt, allegorice. Aspiciemus in terram, et ecce tenebrae tribulationis, &c. Hanc partem varie alii ex Hebr. elucidant: I. *& aſpiciet* populus ipſe *in terram*; hoc eſt, circumferet oculos per terram, ut videat ſi qui ſint qui veniant ad ferendam opem; vel aſpiciet in terram, ut ſolent triſtes & mœſti oculos defigere in terram: *& ecce tenebræ, anguſtia, & lux obtenebreſcet in cælis eius*, ſubaudi, terræ ſanctæ. Relativum *eius* eſt ſemineum, id eſt in ea parte cæli ſub qua ſita eſt terra ſancta. II. *& aſpiciet*, ſeu *aſpicietur in terram*; ſolent enim Hebræis tertiæ perſonæ activæ futuri imperſonaliter ſumi; *& ecce tenebræ, anguſtia, & lux obſcurabitur in influentiis ſuis*. III *Intuebimur tunc terram, & en tenebras & anguſtiam, & lux obtenebreſcet in cælis eius, terræ Iudææ*. IV. *Cumque intuebitur in hanc terram, ecce tenebras, tenebras anguſtiæ ſimul ac colluſtraverit, contenebrantes* ſeu *effundentes ſe in ruinis eius*, in quibus iſtæ tenebræ diu perduraturæ ſunt. Allegoria, qua propheta vires hoſtium, effectaque depingit elegantiſſime, quibus Iudæi quaſi in perpetuas tenebras detrudentur. Tanta, inquit, eorum potentia futura eſt, ut non ſolum fremitu conſternaturus ſit, verum etiam ſolo velut aſpectu perditurus & obruturus graviſſimis calamitatibus (quæ cum tenebris in Scriptura pluſimum comparantur) univerſam Iudæorum gentem. Cum ergo intuebitur, id eſt, ferme ad ſolum aſpectum eius, inhorreſcet terra tenebris, ut ſequens repetitio docet exegetice. In caligine eius. עריפים *gharipbim*, nonnulli Hebræorum exponunt, *cælos*, ſic dictos ab influendo in hæc inferiora. Alii: *ſtillationes, influentias, ſtillatoria, ſtillatores*. Aliqui: *deſtructiones*, *ruinas*. Qui reddunt: *& lux obtenebrata fuit in cælis*, vel *in ruinis eius*, intelligunt, id eſt terræ Iudææ. Qui vero: *in ſtillationibus* ſeu *influentiis eius*, vel *ſuis*, ſcilicet lucis, quaſi non deſtillatura ſit lux e cælis, ſciant diſcrepantiam generis eſſe in affixo; nam eſt femineum, & lux maſculeum. Nos ex genuina verbi notione apte diximus: *in decervicationibus eius*; quod tunc terra Iudæa quaſi decervicata & iugulata iacebit, tot iugulatis, & abſciſſis cervicibus. Vide de ſignificatione verbi ערף *gharaph*, in Deuteronom. xxxii. 2.

MENOCHII.

Verſ. 1. Cantabo, &c. Queritur de Synagoga quaſi de vinea, quæ rite exculta pro uvis dedit labruſcas vitiorum. Senſus verſiculi eſt; quaſi dicat: Lubet dicere, lubet canere, immo præcinere meo dilecto, & patrueli, ſive cognato, quem unice diligo, ſcilicet Chriſto, carmen ipſiuſmet Chriſti, quod ipſe cantabit vineæ ſuæ, id eſt populo Iudaico, dicens Matth. xxi. *Homo erat paterfamilias, qui plantavit vineam*, &c. Canticum patruelis, &c. Ponitur more Hebræo antecedens loco relativi; nam citra Hebraiſmum dicere debuiſſet: Cantabo dilecto meo Chriſto canticum, quod ipſe canet de vinea ſua, &c. Porro *canticum* non proprie, & preſſe ſumitur, ſed latius pro ſententia memorabili, quæ in animo late ſedere debeat, & ore frequenter uſurpari. Vel canticum dicitur hæc parabola, quod eſſet clare, & diſtincte proponenda a Chriſto, ut iam non eſſet tergiverſationi locus, nec poſſent Iudæi inficiari ſe officii ſui admonitos fuiſſe. Sic Italice dicimus, *Gliela cantata chiara*. Patruelis. Vocat Iſaias Chriſtum patruelem, ſive cognatum ſuum, eo quod ex eadem gente Iudaica eſſet naſciturus. In cornu, id eſt *in colle*, ut vertit Pagninus; nam *Bacchus amat colles*. Chald. *in monte excelſo*. Filio olei, id eſt fertili, & pingui, itaque LXX. vertunt, *in cornu*, *in loco pingui*. Frequenter Iudæa celebratur in ſacris litteris, quod ſit regio fluens lacte, & melle.

V. 2. Sepivit, &c. Sepes ſuit lex divina, & divina protectio, & cuſtodia Angelorum. Elegit: exemit, lapidibus purgavit. Hoc factum, cum eiecit Chananæos, & lapidea ipſorum idola. Concinit David Pſalm. lxxix. 9. *Vineam de Ægypto tranſtuliſti, eieciſti gentes*, &c. Plantavit eam electam, id eſt electis vitibus: tales vites fuerunt ſancti Patriarchæ, & Prophetæ. Turrim; quam aliqui regiam dignitatem interpretan-

Digitized by Google

tantur, alii ſacram Scripturam, alii doctores, & paſtores, qui quaſi in ſpecula conſtituti vineam a furibus cuſtodiunt. TORCULAR: videtur ſignificari altare, quo victimarum ſanguis exprimebatur. LABRUSCAS, id eſt agreſtes uvas, & inſuaves, quales ſunt labruſcarum fructus. Significatur idololatria, & alia Hebræorum vitia.

V. 3. VIRI IUDA IUDICATE. Non alia ratione melius cauſæ æquitas oſtendi poteſt, quam ſi actor ipſi reo (quod hic Dominus facit) ſententiam ferendi poteſtatem faciat.

V. 4. AN QUOD EXPECTAVI, &c. quaſi dicat: An fortaſſe in hoc peccavi, quod de vinea tam diligenter culta bene ſperavi?

V. 5. IN DIREPTIONEM: hoſtibus populi, ac præſertim Romanis, qui eam diripient, diſſipabunt, conculcabunt.

V. 6. NON PUTABITUR: non compeſcet Deus, nec reſecabit luxuriantem populi malitiam. NON FODIETUR: non ſuffodier, non tanget, aut compunget peccantem populum concionatorum clamor, aut conſcientiæ aculeus. VEPRES, ET SPINAE: quibus omnis generis peccata, & abuſus ſignificantur. NUBIBUS MANDABO NE PLUANT, &c. Pluvia eſt cæleſtis doctrina, qua vinea non rigabitur.

V. 7. VINEA ENIM, &c. Hæc eſt apodoſis, explicatio, & applicatio parabolæ; quaſi dicat, Vinea hæc eſt populus Iſrael. VIR IUDA: regnum Iuda comprehendens duas tribus, Iuda ſcilicet, & Beniamin. GERMEN EIUS: intelligit Regnum Iuda, quod ab Iſraele pullulavit, & præciſum eſt, nolens ſequi alias decem tribus degeneres, & idolorum cultrices. DELECTABILE. In Hebræo eſt, *delitiarum*; ſuas enim delitias Dominus habuiſſet in regno Iuda, niſi etiam ipſum ad idola, & vitia defeciſſet. IUDICIUM, id eſt id quod iuſtum eſt. CLAMOR, ſcilicet oppreſſorum; vel quaſi dicat, Clamant ad me iniuſtitiæ.

V. 8. VAE, &c. Iam oſtendit in quo ſit poſita iniquitas, & iniuſtitia, de qua loquitur. CONIUNGITIS DOMUM AD DOMUM: vicinos per iniuriam ſubmoventes. USQUE AD TERMINUM LOCI: uſque ad finem campi, vel urbis.

V. 9. IN AURIBUS MEIS SUNT HAEC: id eſt, clamant ad me, & aures meas feriunt hæc ſcelera. NISI DOMUS, &c. *Niſi*, apud Hebræos eſt vox iuramenti execratorii, in quo ſubaudiendum eſt, Non habeat Deus, aut verax eſſe non credar. DOMUS GRANDES, ET PULCHRAE. Nimia in ædificando magnificentia damnatur, quæ fere naſcitur ex ſuperbia, & ad eamdem augendam facit. Significatur etiam maxima urbis ſolitudo, cum ſcilicet ne palatia quidem, in quibus commodiſſime agitur, habitatores habebunt.

V. 10. DECEM IUGERA. Iugerum eſt ſpatium illud terræ, quod uno die boves arando poſſunt invertere. LAGUNCULAM UNAM. In Hebræo eſt *Batum*, quæ parva quædam eſt liquidorum menſura; ſignificatur ergo maxima vini penuria.

V. 11. QUI CONSURGITIS MANE, &c. Damnat ebrietatem, eamque intempeſtivam, id eſt matutinam; nam ut ait Apoſtolus I ad Theſſ. v. *Qui ebrii ſunt, nocte ebrii ſunt*. UT VINO AESTUETIS; id eſt, adeo vino ingurgitatis vos, ut æſtuetis; eſt enim vinum facultate calidum. LXX. vertunt, *vinum enim ſuccendet*, vel *comburet eos*, ſcilicet flammis, & incendio vaporum, & ſpirituum, & etiam immoderatorum affectuum.

V. 12. OPUS DOMINI NON RESPICITIS; id eſt, id quod Dominus fieri præcipit, vel pauperes, quos Deus fecit, & vos negligitis. Vel potius opus Domini eſt creatio, gubernatio, & redemptio, aut etiam ſceleſtorum punitio, quæ illis imminet.

V. 13. CAPTIVUS DUCTUS EST, id eſt, ducetur: ſolent enim Prophetæ quæ certiſſime futura prævident, per præteritum efferre, quod rei infallibilem eventum indicat. NON HABUIT SCIENTIAM: quia ex vitiis enumeratis in mentis cæcitatem incurrit. LXX. habent, *Quia non cognoverunt Dominum*. ET NOBILES EIUS, &c. id eſt, nobiles æque ac plebeii, fame, & ſiti perierunt.

V. 14. INFERNUS, ſepulcrum, vel locus damnatorum. ANIMAM SUAM: ſeipſum, ſinum, & capacitatem ſuam. FORTES, id eſt potentes, & proceres.

V. 15. INCURVABITUR HOMO, ET HUMILIABITUR VIR; id eſt, omnes nobiles, & ignobiles ſine diſcrimine punientur,

tur; & humiliabuntur, & in infernum deſcendent.

V. 17. ET PASCENTUR AGNI. Chriſti Eccleſiam intelligit, & eius alumnos novellos, qui lætis fidei, Evangelii, ſacramentorum, &c. paſcuis inerrabunt. IUXTA ORDINEM SUUM. Vox Hebræa verti poteſt, *iuxta caulas ſuas*, ut vertit D. Hieronymus Michææ II. 12. ADVENAE: gentes, quæ Chriſtianam fidem admittent.

V. 18. TRAHITIS VANITATEM. *Trabit iniquitatem ut funiculum*, inquit S. Iſidorus II. Sent. c. 23. *qui tardat converti ad Deum: trahere enim iniquitatem, eſt moram facere iniquitati, unde & Pſalmus: Prolongaverunt iniquitatem ſibi*. Vel ſenſus eſt: Sicut boves loris aſſueti, plauſtrum aſſidue trahunt, ſic ambitioſi, cupidi, ebrioſi, &c. aſſidue trahunt funem, & plauſtrum peccatorum. Vel certe, quia ducimus quæ ſponte, aut facile ſequuntur; trahimus vero quæ obluctantur, & reſiſtunt: trahere iniquitatem erit ſtudio, & affectu occaſiones peccandi conquirere, & quaſi magno labore convehere, quod ad malitiam, non ad ignorantiam, aut fragilitatem pertinet. Alii per iniquitatem intelligunt pœnam iniquitatis. IN FUNICULIS VANITATIS. Peccatores trahunt culpam peccati, aut pœnam in funiculis vanitatis, quia propter res vaniſſimas gravia ſcelera contrahunt.

V. 19. FESTINET, ET CITO VENIAT OPUS EIUS. Vox Iudæorum irridentium verba Prophetæ; quaſi dicant: Veniant quæ minaris, nihil timemus, non moramur verba tua. CONSILIUM: quod tanta præmeditatione indiget, in quo per tot annos dominus deliberare videtur. SANCTI ISRAEL, id eſt Dei, cuius ſanctitatem Iſrael colit. SCIEMUS ILLUD; quaſi dicant: Cupimus tandem videre quale futurum ſit hoc conſilium, & quid facturus ſit Dominus.

V. 20. QUI DICITIS MALUM BONUM, &c. ſignificatur iudiciorum, & morum perverſitas, cum ſcilicet homines depravati peccatis de rebus male iudicant, & quæ bona ſunt, mala pronunciant, & e contra.

V. 21. IN OCULIS VESTRIS: veſtro iudicio, opinione, & conſilio humano, & politico, quo vos potius regitis, quam lege divina.

V. 22. POTENTES AD BIBENDUM: qui ſtrenui potatores eſtis. AD MISCENDAM EBRIETATEM. Hebraice eſt, *ad miſcendam* id eſt infundendam *ſiceram*. Sicera eſt quidquid inebriandi vim habet: Græci μέθυσμα dixerunt, quaſi *inebriamentum*, aut *inebriativum*.

V. 23. IUSTIFICATIS, abſolvitis. IUSTITIAM IUSTI, &c iuſti ius violatis.

V. 24. LINGUA IGNIS: flamma ignis, quæ linguæ figuram præfert. SIC RADIX, &c. ſic totus Iudæorum populus radicitus cum ſuis familiis, & ſtirpibus internecione peribit. UT PULVIS ASCENDET: in pulveres, & cineres ſolutum. ELOQUIUM SANCTI ISRAEL: Legem Dei, vel Evangelium, ut exponit S. Cyrillus. BLASPHEMAVERUNT. Hebr. *contempſerunt*.

V. 25. CONTURBATI SUNT MONTES. *Nos hyperbolice dictum putamus*, inquit D. Hieronymus, *quod magnitudine malorum imminentium etiam montes commoveantur*, &c. MORTICINA: cadavera. IN HIS OMNIBUS, &c. quaſi dicat, Nec tamen adhuc his omnibus Iudæorum malis placatus eſt Dominus; ſed adhuc manus eius extenta eſt, & elevata ad feriendum.

V. 26. ELEVABIT SIGNUM IN NATIONIBUS: vexillum quaſi dux eriget ad cogendos milites ex omnibus gentibus contra Iudæos. SIBILABIT; quaſi dicat, Convocabit minimo ſigno, maximaque facilitate. AD EUM: exercitum ſcilicet Romanorum.

V. 27. NON EST DEFICIENS, &c. Eſt hypotypoſis, qua graphice depingit vires, celeritatem, aviditatem, fortitudinem, & feritatem exercitus Romanorum contra Iudæos. NEQUE SOLVETUR CINGULUM, &c. quaſi dicat: Veſtiti, calceati, armati cubabunt, & ſomnum capient. NEC RUMPETUR CORRIGIA, &c. Significatur eos bene armis, & veſtibus militaribus inſtructos.

V. 28. UT SILEX, id eſt duriſſimæ, & ſolidiſſimæ. ROTAE EIUS; ſcilicet quadrigarum.

V. 30. SONABIT: magno ſonitu, & impetu irruet Romanorum exercitus. ET LUX OBTENEBRATA EST: quaſi dicat: Præ ma-

magnitudine vaſtitatis, & tribulationis, etiam lux ipſa miſeris, & attonitis Iudæis, obſcura ut nox eſſe videbitur.

T I R I N I.

Verſ. 1. CANTABO DILECTO MEO, nempe Meſſiæ, CANTICUM PATRUELIS MEI, LXX. *dilecti mei*; quaſi dicat: Lubet canere in gratiam dilecti mei Meſſiæ, qui idem eſt patruelis, id eſt ſynecdochice cognatus meus, utpote ex eadem mecum gente Iudaica, & familia Davidica naſciturus. Lubet, inquam, præcinere illi carmen quod ipſemet canet aliquando VINEAE SUAE, id eſt populo ſuo Iudaico: Matth. XXI. *Homo erat paterfamilias, qui plantavit vineam*, &c. nam totidem verbis ait hic Iſaias: VINEA FACTA EST, ſeu a Patre cæleſti plantata eſt, DILECTO MEO Meſſiæ, IN CORNU, id eſt in loco alto, potenti, magnifico, nempe in Iudæa, cuius ſitus ſpeciem habet cornu. Pagninus vertit, *in colle*, quia Iudæa loco alto & excelſo ſita erat; Syriace eſt, *in angulo loci*; Arabice, *in extremitate terræ*: Iudæa enim erat in angulo & extremo Syriæ & Aſiæ. Et quidem plantata eſt hæc vinea in *cornu* FILIO OLEI, id eſt *pinguiſſimo* & fertiliſſimo *loco*, ut vertunt LXX. & Chaldæus, perinde ac ſi natus eſſet ex oleo; quaſi dicat: Plantata eſt loco quidem ſublimi & montoſo, non tamen ſterili, ſed valde fertili & pingui, fluente lacte & melle & oleo & vino; ut videatur eſſe *Amaltheæ a cornu*: ita S. Hieron. & Baſilius: qui addit, Adamum (ut habet antiquiſſima traditio) excluſum paradiſo, Iudæam occupaſſe, ut omnium terrarum fertiliſſimam: unde *Pentapolis*, quæ fuit pars Iudææ, comparatur *paradiſo Dei*, Gen. XIII. 10. Quod ſi verum eſt, facile conſtare poteſt altera communis SS. Patrum traditio, cranium Adæ ſepultum fuiſſe in monte Calvariæ, ubi Chriſtus crucifixus eſt.

V. 2. SEPIVIT EAM: non ſolis materialibus mutis, ut vult S. Hieronymus; ſed etiam metaphoricis, puta legibus & præceptis tum ſacris, tum politicis, inquit S. Irenæus, Auctor imperfecti *b*, Theophylactus & Euthymius: item cæleſtibus & divinis mutis, nempe cuſtodia Dei & angelorum: ita Origenes *c*, Hieronymus, & Ambroſius, & alibi Iſaias *d*. ET LAPIDES ELEGIT EX ILLA & abſtulit: nempe idola, & ſcelera, & alia religioſi cultus impedimenta; ut ſolent ex loco lapidoſo lapides colligi, & auferri, ut in eo vites ſerantur. ET PLANTAVIT EAM ELECTAM; id eſt, conſevit eam vitibus nobiliſſimis ac præſtantiſſimis: Hebraice enim eſt *ſorec*, quod Hebræi dicunt eſſe genus vitis optimæ, quæ vix acinos habeat, forte ex regione *Sorec*, ubi *Samſon* Dalilam adamavit, Iudic. XVI. 4. ita Sanchez & a Lapide. AEDIFICAVIT TURRIM, de qua *e* alibi, id eſt templum & cultum Dei, inquit Chaldæus, & Origenes, cum Theophylacto, Euthymio, *f* Hieronymo & Beda. TORCULAR erat altare, ut iidem exponunt. Simul omnia iuncta ſignificant in genere Deum de omnibus neceſſariis abunde proſpexiſſe ſuæ Synagogæ. Sed degener vinea pro uvis ſuavibus FECIT LABRUSCAS, id eſt agreſtes, acerbas, *imperfectas uvas labruſcæ*, ſeu vitis agreſtis, teſte Dioſcoride & Plinio *g*. Hebraice eſt, *fætentes*, apud Aquilam, *putres*; apud LXX. *ſpinas*.

V. 7. ET ECCE CLAMOR: nempe pauperum iniuſte oppreſſorum, ut Oſorius exponit: vel ut Sanchez, peccatorum in cælum vindictam clamantium: vel denique ipſorummet impiorum *h*, qui vi & clamoſis minis innocentes pauperculos, inſtar latronum dum viatores aggrediuntur, exterrent, obruunt & ſpoliant: ita S. Hieron. & Cyrillus, qui putant Iſaiam hic alludere ad clamorem Iudæorum contra Chriſtum, *Crucifige, crucifige eum*. Sed audi etiam alias labruſcas.

V. 8. *Avaritiam*: *verſ.* 11. *Crapulam & luxum*: *verſ.* 18. *Concatenationem* mille ſcelerum & *obſtinationem*, &c. Et ſingulis ſceleribus appingit decretas cælitus pœnas: v. g. avaritiæ pœnam ſpoliationis & ſterilitatis.

V. 9. NISI DOMUS MULTAE DESERTAE FUERINT: ſupple, *non habear Deus*, vel *non ſim verax*: eſt enim iurantis, ut alibi dixi *i*.

V. 10. DECEM IUGERA VINEARUM FACIENT LAGUNCULAM; quaſi dicat: Non ſolæ domus in ſolitudinem redigentur, ſed & agri protſus ſterileſcent, ita ut ex

decem

Digitized by Google

decem vinearum iugeris tam paucas colligatis uvas, ut ex iis vix una vini lagena exprimi poſſit: & ex copioſa triginta modiorum ſemente vix tres modios *k*, id eſt decimam ſementis partem in meſſe colligatis. Digna ſane & congrua merces avaritiæ & iniuſtitiæ.

V. 12. OPUS DOMINI NON RESPICITIS; id eſt, quid Deus moliatur, quid coquat, nempe ultionem & pœnam vobis inſligendam non attenditis. Patet ex verſ. 19. ſeqq. ita Forerius & Sanchez. Sed Cornelius a Lapide & Alvarez per *opus Domini* intelligunt omnes creaturas *l*, & præ omnibus opus redemptionis *m* per Chriſtum.

V. 13. CAPTIVUS DUCTUS EST; pro, captivus ducetur. INTERIERUNT, pro interibunt, &c. enallage Hebræis uſitatiſſima. QUIA NON HABUIT SCIENTIAM, qua expenderet opera Domini, de quibus verſ. 12. Iuſta pœna, ut capti mente, capiantur & ab hoſte.

V. 14. PROPTEREA DILATAVIT INFERNUS ANIMAM SUAM, id eſt ſeipſum, inquit a Lapide. Vel *animam*, id eſt os ſuum, ut vult Sanchez; quaſi dicat: Illi dilatant os ſuum ad cibum & potum maxima copia abſorbendum; ſed infernus rictum quoque ſuum dilatabit ad illos abſorbendos. Poteſt autem infernus accipi tam pro loco damnatorum, quam pro ſepulcro. Et putat Sanchez ſermonem eſſe de communi Iudæorum *n* ſepulcro, quod erat in valle *Cedron*, in ea parte quæ *Gehenna*, ſeu *Topheth* dicebatur, de quo dixi alio *o* loco.

V. 15. INCURVABITUR mole & pondere pœnarum HOMO ET VIR, id eſt plebeii & patricii, inquit Haymo, id eſt omnes. Et ita iuſtus vindex Deus

V. 16. EXALTABITUR & laudabitur ab omnibus IN hoc ſuo IUDICIO, iuſtaque vindicta, ET SANCTIFICABITUR; id eſt, ſanctus eſſe declarabitur IN hac ſua IUSTITIA, ſeu iuſtæ pœnæ inflictione. Porro peracta tam celebri punitione,

V. 17. PASCENTUR AGNI IUXTA ORDINEM SUUM. Pagninus & Vatablus, *iuxta morem ſuum*; id eſt, pauperes & pupilli, qui tamquam manſueti agni ante a potentioribus excluſi erant ſuis paſcuis, iam cæſis vel captis tyrannis, rurſus libere ut ante paſcentur in pratis ſuis: Nabuzardan enim reliquit de pauperibus terræ vinitores & agricolas, IV. Reg. ult. verſ. 12. ET DESERTA; id eſt, poſſeſſiones a ſuis heris desertæ non erunt amplius ſteriles, ut verſ. 10. ſed in *ubertatem* priſtinam *verſæ* copioſiſſimam proferent meſſem & vindemiam; non tamen heris ſuis, ſed extraneis: nam ADVENAE eam COMEDENT, id eſt Chaldæi & Romani, inquit Sanchez: vel etiam pauperes aliunde adventantes, quos mox agnos vocabat: & Allegorice, deſignant iuſtos Gentiles, qui lætis Eccleſiæ, Evangelii & Sacramentorum paſcuis fruiti ſunt, poſtquam Iudæi ſe ſuo vitio ex iis expelli paſſi ſunt.

V. 18. VAE QUI TRAHITIS INIQUITATEM, ſeu ſcelera omnis generis, IN FUNICULIS VANITATIS, id eſt longo fune, ſed vano prorſus & inutili. Et ſicut plauſtrum a bobus trahitur vinculo vel loro, ſic vos trahitis peccatum omnigenum in vos. Peccatum enim, niſi cito deleatur, illex eſt alterius peccati, ut pulchre S. Auguſtin. *p*, Baſilius, Greg. *q* Malunt tamen Cyrillus & Sanchez per *iniquitatem* hic & PECCATUM, metonymice accipere pœnam & ſupplicium, quæ a peccatoribus quaſi plauſtra mercibus ipſis dignis plena attrahuntur. Et favet ſequens

V. 19. DICITIS, inſultando mihi: FESTINET, ET CITO VENIAT OPUS EIUS, UT VIDEAMUS; id eſt, veniat ira Dei, veniat calamitas quam toties minaris: adſit cito Nabuchodonoſor, adſit Titus: experientur quid & nos poſſimus: egregii ſcilicet thraſones & gigantes.

V. 22. FORTES non ad bella gerenda; ſed AD MISCENDAM EBRIETATEM. Hebraice, *ad miſcendam ſiceram*, id eſt ad varios liquores inebriantes ſimul commiſcendos *r*, ut citius & acrius feriant cerebrum.

V. 24. PROPTER HOC RADIX EORUM ET GERMEN, id eſt tota planta, tota arbor, id eſt tota ſynagoga Iudæorum excidio & internecioni dabitur. Et tam horrenda edetur ſtrages, ut

V. 25. CONTURBATI SINT MONTES. Hyperbole eſt, & proſopopœia, inquit S. Hieronymus. Et tamen IN HIS OMNIBUS, ſeu poſt has omnes pœnas Iudæis inflictas, NON EST AVERSUS, nec ſatiatus FUROR Dei: SED manet ADHUC MANUS

EIUS EXTENTA; quia etiamnum punit in dies impios Iudæos cæcitate, exilio & aliis pœnis, & *uſque in finem perſeverabit deſolatio*, Danielis IX. 27. Sed unde tam prompti hoſtes ad obruendos & exſcindendos Iudæos? Reſpondeo: Ipſemet Deus

V. 26. ELEVABIT SIGNUM, id eſt quaſi dux belli iubebit erigi ſignum militare etiam IN NATIONIBUS PROCUL ſitis. ET SIBILABIT, id eſt ſibilo evocabit, AD EUM, ſeu contra populum Iudaicum, nationes quaſcumque volet, DE FINIBUS TERRAE. Sic cap. VII. 18. *Sibilabit muſcæ* AEgyptiæ, *& api* Aſſyriæ. Alludit ad fiſtulam paſtoritiam, ad ſibilum navalem: vel, ut Cyrillus, ad ſibilum apiariorum, qui apes ad flores & paſtum ſibilo educunt ac reducunt.

V. 27. NON EST DEFICIENS, id eſt laſſus, NEC LABORANS, ſeu hærens in itinere; quaſi dicat: Evocati vel minimo ſibilo nullas nectent moras, nulla prætexent impedimenta, celerrime advolabunt. Pulcherrima mox hypotypoſi deſcribit vires, ferocitatem, aviditatem, ſtudium, diligentiam Chaldæorum & Romanorum. NEQUE SOLVETUR CINGULUM RENUM EIUS, NEC RUMPETUR CORRIGIA, &c. id eſt, veſtiri, calceati, armati cubabunt, ne vel tantillum exuendis armis vel veſtibus immorentur.

V. 30. ASPICIEMUS IN TERRAM; quaſi dicat: Quocumque Iudæi ſe verterint, nil niſi triſte & calamitoſum occurret; nihil alicunde ſolatii, nihil opis, nihil conſilii. Si oculos in terram mittamus, ECCE TENEBRAE TRIBULATIONIS, id eſt triſtis ubique afflictio. Si ad *cælum* (ut eſt in Hebræo) oculos attollamus, tanta eſt *eius caligo* miſeris, ut *in* ea, ſeu per eam, ipſa quoque LUX *obtenebretur*, id eſt obſcurari videatur & in noctem converti: ita Gabriel Alvarez.

(a) Iob. ult. 14.
(b) Iren. Lib. IV. c. lxx. Auctor. &c. in Matt. XXI. 33.
(c) Orig. hom. XIX. in Ioan.
(d) Iſaiæ XXVI. 1. Zach. II. 5, Pſal. XXXIII. 8.
(e) II. Par. XXVI. 10.
(f) Origen. Theophyl. Euth. ſup.
(g) Dioſcor. Lib. V. cap. V. Plin. Lib. XVI. cap. XXVII.
(h) Ierem. XII. 8.
(i) Proleg. de Idiotiſmis Heb. n. 13.
(k) Proleg. de menſuris
(l) Pſal. XCI. 5. & 6.
(m) Habacuc V. 2. Prolegom. de Idiotiſm. n. 44
(n) II. Reg. XIII. 6.
(o) Ibid. verſ. 10.
(p) Auguſt. Lib. VIII. Confeſſ. cap. V. & tract. X. in Ioannem.
(q) Gregor. XXXIII. Moral. cap. XII.
(r) Iſaiæ XXIX. 10. & *Pſal.* lxxiv. 9.

GORDONI.

Verſ. 1. *&* 2. CANTABO, &c. Rhythmo lugubri hic utitur Iſaias & mœſto, אשירה *aſwira*, *cantabo*, rad. שיר. Senſus hic eſt, Cantabo dilecto meo Chriſto canticum quod erit ipſius canticum ad vineam ſuam, vel quod ipſe canet vineæ ſuæ & Synagogæ quando veniet. At quomodo Chriſtum vocat dilectum, ſeu cognatum & patruelem? Sane inter Chriſtum & homines magna cognatio eſt per aſſumptam humanitatem; & merito Iſaias cognatum vocat, dilectum etiam, & patruelem (Aquila τὸ, דוד *dod*, vertit, *πατρώδελφος*, *patruum*) quia unice erat dilectus, quia naſciturus ex ſanguine regio, ex quo erat Iſaias; & quia דוד Hebraicum ad hæc omnia ſe extendit, & hunc ſenſum bene expreſſit Pintus, quem ſequitur Cornelius. Alii tamen interpretantur vere eſſe canticum: Amaſiæ regis (patruelis Iſaiæ) de ſua vel amici vinea, quod Iſaias applicat Synagogæ. VINEA FACTA EST, &c. IN CORNU, hoc eſt in colle qui eminet in cornu. Bacchus amat colles. FILIO OLEI, hoc eſt pingui, aut in quo ſunt oliveta. Hebræi, בן *ben*, ad alia etiam quam ad homines referunt. LAPIDES ELEGIT EX ILLA: quando ſolum lapidoſum eſt, eruuntur & auferuntur lapides: cetera nota ſunt, docentque optime proſpectum fuiſſe Synagogæ a Deo.

V. 3. NUNC ERGO, &c. Exprobrationem aggreditur; nullum vinitoris omiſſum officium; nullus tamen fructus: immo pro fructu dedit vinea labruſcas, uvas ex ſylveſtri vite; ergo deſolabitur, verſ. 7. Interim ex data optione hæc nota libertatem.

V. 8. 9. *&* 10. Altera pars capitis, ubi prædicit Iudæorum damna: decem vinearum iugera, vix unam vini lagenam dabunt, & triginta modiorum ſeminis, vix tres

Digitized by Google

tres dabunt modios: cetera mala inſequuntur.

V. 11. *& deinceps*. VAE QUI CONSURGITIS MANE. Inter has Iudæorum labruſcas ſunt hæc, ebrietas, verſ. 11. Dei oblivio, verſ. 12. & 13. ubi adverte eſſe præteritum (*ductus eſt*) pro futuro.

V. 14. Per infernum, ſepulcrum intelligunt aliqui interpretes, & gehennam commune Iudæorum ſepulcrum in ea clade, tam nobilium, quam aliorum: hic infernus hos devorabit, nec ſatiabitur.

V. 16. *&* 17. In hac vindicta humiliabitur homo, & exaltabitur Deus; & agni, ſeu pauperes vexati a potentatibus, potientur bonis divitum; quod certe accidit IV. Reg. cap. xxv. quando Nabuzardan pauperibus terras conceſſit colendas: nec deſunt qui illud AGNI PASCENTUR explicent, comedentur pauperes & innocentes etiam Chriſtiani, ab hoſtibus Babyloniis & Romanis tyrannice eos perſequentibus.

V. 18. VAE QUI TRAHITIS INIQUITATEM. Iſaias reliquas perſequitur labruſcas, & væ illis etiam dicit verſ. 19. qui non credebant ventura quæ prædicuntur hic: irridebant enim dicentes, VENIAT, &c.

V. 24. PROPTER HOC, &c. En iam ſpeciatim mala inferenda a Romanis, propter hic commemorata peccata, ebrietatem, ſuperbiam, & rapinas. LINGUA IGNIS, flammam deſignat quæ ſimilitudinem profert linguæ.

V. 26. En everſionem inferendam a Romano exercitu, e finibus terræ convocato, & ex variis conflato gentibus. Aliqui conſtanter hæc bella & minas de Babyloniis interpretantur.

Ex EIUSDEM AUCTARIO.

Verſ. 7. Eſt redditio & ſenſus parabolæ; vineæ huius detrimenta, peccata, inquam, Iudæorum proponit Propheta, verſ. 8.

Verſ. 9. NISI DOMUS; hoc eſt, ita erit: ſolita iurandi formula, aut graviter affirmandi apud Iudæos.

Verſ. 10. LAGUNCULA, exigua liquidorum menſura. Hæc omnia deſignant ſterilitatem, & mala imminentia Iudæis.

Verſ. 18. Impii trahunt ſibi iniquitatem magno conatu, ſicut boves trahunt funem & plauſtrum.

Verſ. 25. MORTICINIUM, cadavera.

Verſ. 26. *&* 27. Deſcriptio venientium hoſtium (Romanorum) in Iudæos.

Digitized by Google

CAPUT VI.

Iſaias viſa Domini maieſtate condemnat ſe quod tacuerit, ſed mundatis labiis ſuis offert ſe ad prædicandum: prædicitur excæcandus populus uſque ad deſolationem civitatum Iudæ, & eius quæ derelicta erat futura conſolatio.

1. IN anno, quo mortuus eſt rex Ozias, vidi Dominum
ſedentem * ſuper ſolium excelſum & elevatum: & ea quæ
ſub ipſo erant, replebant templum. 2. Seraphim ſtabant
ſuper illud: ſex alæ uni, & ſex alæ alteri: duabus vela-
bant pedes eius, & duabus volabant. 3. Et clamabant
alter ad alterum, & dicebant: (*a*) † Sanctus, ſanctus,
ſanctus, Dominus Deus exercituum, plena eſt omnis ter-
ra gloria eius. 4. Et commota ſunt ſuperliminaria cardinum a voce clamantis,
& domus repleta eſt fumo. 5. Et dixi: Væ mihi, quia tacui, quia vir pol-
lutus labiis ego ſum, & in medio populi polluta labia habentis ego habito,
& regem Dominum exercituum vidi oculis meis. 6. Et volavit ad me unus
de Seraphim, & in manu eius calculus, quem forcipe tulerat de altari. 7. Et
tetigit os meum, & dixit: * Ecce tetigit hoc labia tua, & auferetur iniqui-
tas tua, & peccatum tuum mundabitur. 8. Et audivi vocem Domini dicen-
tis: Quem mittam? & quis ibit nobis? Et dixi: Ecce ego, mitte me. 9. Et
dixit: Vade, & dices populo huic: (*b*) Audite audientes, & nolite intellige-
re: & videte viſionem, & nolite cognoſcere. 10. Excæca cor populi huius,
& aures eius aggrava: & oculos eius claude: ne forte videat oculis ſuis, &
auribus ſuis audiat, & corde ſuo intelligat, & convertatur, & ſanem eum. 11.
Et dixi: Uſquequo Domine? Et dixit: Donec deſolentur civitates abſque ha-
bitatore, & domus ſine homine, & terra relinquetur deſerta. 12. Et longe fa-
ciet Dominus homines, & multiplicabitur quæ derelicta fuerat in medio ter-
ræ. 13. Et adhuc in ea decimatio, & convertetur, & erit in oſtenſionem ſi-
cut terebinthus, & ſicut quercus, quæ expandit ramos ſuos: ſemen ſanctum
erit id, quod ſteterit in ea.

(a) Apoc. iv. 8. (b) Matt. xiii. 14. Marc. iv. 12. Luc. viii. 10. Ioan. xii. 40. Act. xxi. 26. Rom. xi. 8.

BRUGENSIS

Romanae Correctiones.

Verſ. 1. *Super ſolium excelſum & elevatum.* Quod ſequitur in multis libris, *& plena erat domus* ſive *terra a maieſtate eius*, ſuperfluit omnium iudicio. Lege Notationes noſtras.

Verſ. 7. *Ecce tetigit hoc labia tua.* Non eſt mutanda tertia perſona *tetigit* in primam *tetigi*.

Lectionum Varietas.

Verſ. 3. *Sanctus, ſanctus, ſanctus Dominus exercituum.* Vetus noſter Corrector annotat iuxta antiquos & Hebræum, non interponi ibi

ibi *Deus:* quod nec Græcus habet vel io Sixtina editione.

NOTATIO.

Verſ. 1. ET *plena erat* (10 MS. G.) *domus a maieſtate eius, & ea quæ ſub ipſo* (eo MS.) *erant replebant* (*implebant* MS. antiquiora. Hieron.) *templum*. Priorem partem, *Et plena erat domus a maieſtate eius* ſpectatiora exemplaria Hieronymi, & Haymonis commentariis ſuffragantibus, auferunt decem noſtra, quinque Pariſienſium, correcta Lyrani, antiqua Dominicanorum. Ludunenſes, & complures alii quibuſdam haud legi notant. Nec mirum: eſt enim altera ex Hebræo interpretatio noſtræ adiecta. Quod eſt Hebraice וְשׁוּלָיו מְלֵאִים אֶת־הַהֵיכָל Hieronymus quidem Interpres noſter Theodotioni & Symmacho ſimiliter tranſtulit: *Et ea quæ ſub eo erant implebant templum*; LXX. vero interpretati ſunt, καὶ πλήρης ὁ οἶκος τῆς δόξης αὐτοῦ, *& plena domus gloria*, ſeu *maieſtate eius*. Merito igitur prætermittendam Dominicani, atque Epanorthotes docent: recteque Hentenius textu expulit. Neque enim commiſcendæ ſunt variæ interpretationes. Quidam codices eorum qui utramque lectionem iungunt, legunt: *Et plena erat terra*, ſeu *omnis terra maieſtate eius*, id quod acceptum crediderim ex reſponſorio, quod Eccleſia primum canit in officio matutino Dominicæ primæ Novembris, & ſolemnitatis omnibus ſanctis ſacræ. Ionathæ Chaldæi paraphraſis perſimilis eſt ſeptuaginta duorum verſioni, וּמִזִּיו יְקָרֵהּ אִתְמְלִי הֵיכְלָא *& de ſplendore gloriæ eius replebatur templum*. Alii plerique reddunt: *Et fimbriæ eius, vel inferiores veſtis partes replebant templum*.

COMMENTARIA.

MALDONATI.

Verſ. 1. VIDI DOMINUM SEDENTEM. Hac de cauſa, ut Hebræi tradunt, interfectus eſt Iſaias a Iudæis, quod ſe Dominum vidiſſe affirmaverit. At neque ſignificat ſe vidiſſe oculis, neque eius eſſentiam, ſed mente, & aliquam tantum ſimilitudinem: nam *Deum nemo vidit umquam*: Ioan. I. 18. ET EA QUAE SUB IPSO ERANT, Heb. שׁוּלָיו, *fimbriæ eius* REPLEBANT TEMPLUM, id eſt ima pars veſtimenti eius. Indicat Deum implere omnia, eumque vidiſſe in cælo ſedentem: hoc enim eſt SUPER SOLIUM EXCELSUM ET ELEVATUM: eius autem fimbrias templum, id eſt totam terram impleviſſe: ſicut alibi, *Cælum mihi ſedes eſt, & terra ſcabellum pedum meorum*: Iſai. LXVI. 1. & Act. VII 49. Cum dicit ſe Deum vidiſſe non quovis modo, ſed ſedentem, ſignificat eum fuiſſe paratum ad iudicandos & puniendos homines. Dum dicit, *ſuper ſolium excelſum*, & eius fimbrias templum impleviſſe, oſtendit ſupremam eius in omnem mundum poteſtatem.

V. 2. ET SERAPHIM STABANT SUPER ILLUD. Heb. מִמַּעַל לוֹ, *deſuper illi*; aut *deiuxta illi*, ad verbum, id eſt aſſiſtebant illi (Deo, aut ſolio.) Sunt autem Seraphim ardentes Angeli; quos dum ſe Propheta iuxta Deum vidiſſe dicit, eius iram deſignat. SEX ALAE UNI. Heb. *Senæ cuique alæ* (erant.) Similis viſio Apocal. IV. 8. DUABUS VELABANT. Heb. Singularis eſt numerus. יְכַסֶּה פָנָיו, *velabant*, (unuſquiſque Seraphim) *faciem eius* (Dei) aut faciem ſuam. Si referamus ad Deum, allegoria erit: neque faciem Dei, id eſt quæ mundi conditionem anteceſſerant, neque pedes, id eſt quæ poſt finem mundi futura ſunt, ab hominibus cognoſci poſſe; ſed tantum quæ intermedio facta ſunt tempore, ut Orig. interpretatur. Si autem ad ipſum Seraphim referatur, ſignificatur Seraphim texiſſe faciem ſuam, non audentes Deum iratum intueri. ET PEDES (ſuos) id eſt, actiones ſuas, iudicium Dei reformidantes, *Quia & in Angelis ſuis reperit pravitatem*: Iob. IV. 14.

V 3. ET CLAMABANT, &c. PLENA EST OMNIS TERRA. Heb מְלֹא כָל הָאָרֶץ, *plenitudo omnis terræ eſt gloria* eius, id eſt replet omnem terram; quaſi dicat: Nihil eſt in terra, quod non eius gloriam oſtendat, ſicut &, *Cæli enarrant gloriam Dei*: Pſal. XVIII. 1.

V. 4. ET COMMOTA SUNT SUPERLIMINARIA. Heb. אַמּוֹת הַסִּפִּים, *ſuperliminaria* po-

Digitized by Google

poſtium, aut *teſtudines ſuperliminarium*, ut ait R. David & Chald. per templum vero totam terram intelligit, cuius fundamenta Angeli clamantis voce commota eſſe dicit, ut intelligamus quid homininines facturi ſint Deo clamante.

V. 5. Vae mihi quia tacui. Heb. כי נדמיתי, *quia perii*, actum eſt de me. Eodem ſenſu vertit noſter Interpres *Tacui*: quia tacere, aut ſiſere apud Hebræos perire ſignificat, cum paſſive accipitur; quaſi dicat, in oblivionem venire. Quia vir pollutus labiis, id eſt peccator; nemo enim eſt qui aliquando verbo non offendat. Et Regem Dominum exercituum vidi oculis meis. Heb. ראו עיני, *viderunt oculi mei*. Alludit ad popularem Iudæorum opinionem, Quicumque Deum vidiſſet, eum continuo mori, quia Deus dixerat, *Non videbit me homo, & vivet*: Exod. xxxiii. 20. quod & de Angelo intelligebatur: Iudicum vi. 22. & xiii. 22. Quod autem dicit Iſaias ſe oculis Deum vidiſſe, non ita intelligendum, quaſi oculis corporis viderit, ſed quod tam claram animo ſimilitudinem conſpexerit, ut oculis ſibi videre videretur.

V. 6. Et volavit ad me, &c. et in manu eius calculus, Heb. רצפה, *carbo, pruna*, quem forcipe tulerat de altari, ſcilicet quod mente in cælo viderat, ſimile altari holocauſti templi, in quo ſemper ignis conſervabatur.

V. 7. Ecce tetigit hoc labia tua, et auferetur; vel ut auferatur a te iniquitas tua, et peccatum tuum יכפר, *expietur*. Ignis purgandi vim habet, ideo tactu ignis ſignificatur expiatio peccatorum. Myſtice vero altare crux eſt, carbo ignitus humana natura Chriſti, ut Cyrillus & Damaſcenus exponunt; Seraphim, miniſter, ſacerdos, forceps, poteſtas adminiſtrandi ſacramenta, quæ applicata ſacrificio Chriſti in cruce peccata remittit, præcedente peccatorum confeſſione, propterea tetigit labia.

V. 8. Quis ibit nobis. Hebraiſmus, pro, quis iuſſu noſtro ibit. Utitur autem plurali, quia tres perſonæ divinæ loquuntur, ut Gen. i. *Faciamus hominem*.

V. 9. Audite audientes. Heb. *Audite audiendo, & non intelligetis, & videte videntes, & non cognoſcetis*. Imperativa Heb. pro futuris, ut vertit Chriſtus, Matth. xiii. 14. & Paul. Act. xviii. 26. Non enim imperat Deus Iudæis, ut non intelligant, qui ideo Prophetam mittebat ut intelligerent; ſed prædicit eorum in Chriſtum incredulitatem, ut eam potius admoniti fugiant: volebat enim omnes ſalvos fieri: I. Tim. ii. 4.

V. 10. Excaeca. Heb. השמן, *impingua*; id eſt, hebeta, craſſum effice, ut verterunt Septuag. ἐπαχύνθη γὰρ ἡ καρδία τοῦ λαοῦ τούτου, & Chriſtus Math. xiii. 14. & Paul. Act. xxviii. 27. Et oculos eius claude. Heb. השע, *proprie fac deficere*, id eſt caligare. Et sanem eos. Heb. ורפא לו, *& ſanet eum Chriſtus*, aut medicus, id eſt ego, ut de ſe loquatur per tertiam perſonam. Septuag. καὶ ἰάσομαι αὐτούς: ita & Chriſtus Matth. xiii. 14. & D. Paul. Act. xxviii. 27. Verba ſunt Dei ad Prophetam, quem iubet excæcare populum, id eſt futuram eius cæcitatem prænunciare. Itaque inepte Hæretici hoc loco abutuntur, ut probent Deum non ſolum permittendo, ſed etiam efficiendo indurare. Neque enim Deus hic excæcare dicitur, ſed Propheta; & ſi diceretur, eodem modo excæcare intelligeretur, quo Propheta. Cum autem dicit, Ne forte videat oculis, &c. non ſignificatur cauſa ex parte Dei, ſed ex parte ipſorum; quaſi dicat, Denuntia illis fore, ut ſtudio nolint intelligere, ne convertantur & ſanem eos, ut Pſal. xxxi. 4. *Noluit intelligere ut bene ageret*. Deus enim omnes vult ad ſe converti atque ſanari.

V. 11. Et dixi: Usquequo Domine. Subintelliguntur quæ præceſſerunt. Uſquequo annuntiabo duraturam eorum cæcitatem, aut, Quatenus dicam eos eſſe puniendos? Donec desolentur. Heb. שאו, *deſolatæ ſint*, præter. pro fut. deſolatæ fuerint. Et terra relinquetur. Heb. תשאה שממה, *deſolatione deſolata fuerit*, id eſt omnino vaſtata.

V. 12. Et longe faciet Dominus homines. Heb. אדם *hominem*: ſing. pro plur. id eſt, donec in remota loca pepulerit in captivitatem aut exilium. Loquitur Deus de ſe per tertiam perſonam, ſignificatque Iudæorum diſperſionem, quam hodie oculis cernimus: quod adeo obcæcati fuerint, ut Chriſtum non receperint,

Digitized by Google

perint, id eſt ſolem non videiint. Et multiplicabitur. Heb. רבה העזובה, *& multiplicabit derelicta in medio terræ*: intelligunt aliqui, dies ſuos; id eſt, donec Iuda & Ieruſalem longo tempore fuerit deſerta in medio terræ, id eſt in exilio inter gentes, & in remotis terris. Alii, quod magis probo, *donec multa fuerit derelictio in medio terræ*; id eſt, donec completum ſit longum tempus captivitatis: aut, donec multi eorum in exilio derelicti fuerint, id eſt mortui.

V. 13. Et adhuc in ea decimatio. Aliqui interpretantur: *Adhuc decem reges ſuccedent, & regnante decimo in captivitatem ducetur*, ſcilicet Iuda & Ieruſalem, quod factum eſt ſub Sedechia, qui decimus fuit a Ioatham filio Oziæ: IV. Reg. xv. Fortaſſe melius: *Adhuc erit decimatio*; id eſt, non omnes excæcabuntur, non omnes diſpergentur; ſed decima pars ſalva erit, ut loquatur de tempore Chriſti, de quo Apoſtoli hanc Prophetiam interpretati ſunt: Matth. xiii. 14. Marc. iv. 12. Luc. viii. 10. Ioan. xii. 40. Act. xxviii. 27. Rom. xi. 8. quo tempore reliquiæ ſalvæ factæ ſunt, quaſi decimatio quædam quæ Deo conſecrata eſt: Iſa. x. 22. & Rom. xi. 5. Et convertetur, et erit in ostensionem. Heb. לבער, *in conſumptionem*, aut devorationem. Septuag. ϗ πάλιν ἔςαι εἰς προνομὴν; id eſt, poſtquam ſemel in captivitate fuerit, iterum in captivitatem ducetur ſub Tito. Ego ſic interpretor: cum decima pars, id eſt reliquiæ per electionem gratiæ ſalvæ factæ fuerint, reliqui peribunt: Hieron. In ostensionem; id eſt, illa decima pars quæ ſalva erit, quaſi digito oſtendetur, glorioſa erit. Quamquam non eſt Hieronymus qui ita vertit, ſed vetus Interpres: nam Hieronymus in Commentariis, *In deprædationem* legit; putatque ſenſum eſſe, fore ut decima pars, quæ ſuperſtes fuerit in vaſtatione Titi, poſtea ſub Adriano aboleatur. Sicut terebinthus et quercus in direptionem ſunt omnibus. Alii: *Sicut terebinthus & quercus*, אשר בש לבת, *quæ ſunt in proiectione*, id eſt hiemali tempore quo frondes proiiciuntur; retinent tamen internum ſuccum, atque virorem, unde poſtea refloreſcunt: ita Iudæi cum adeo fuerint afflicti, ut mortui eſſe videantur, retinebunt vigorem aliquem; unde germen ſanctum, id eſt poſteritas Iudæorum. At quercus & fagus (ſic enim vertendum arbitror) non amittunt in hieme frondes; quare alium ſenſum eſſe arbitror: Sicut in proiectione; id eſt, quo tempore omnes arbores frondes proiiciunt, fagus tamen & quercus frondes ſuas ac virorem retinent: ſic in illa diſperſione pereuntibus ceteris, decima pars, id eſt reliquiæ ſalvæ erunt, ut inde ſemen ſanctum oriatur, id eſt Chriſtus, vel Eccleſia, ut interpretatur Hieronym. ſicut ſupra dixit cap. 1. 9. *Niſi Dominus Sabaoth reliquiſſet nobis ſemen*, &c.

S A.

Verſ. 1. Sedentem, ſcilicet ſpecie humana. Ea quae sub ipso. Hebr. *fimbriæ eius*, ſcilicet oræ veſtis, ſeu tapeti, infimæ. Chald. *ſplendor gloriæ eius*.

V. 2. Illud, ſcilicet ſolium. Eius; pro, ſuam quiſque, ſcilicet non audens aſpicere; vel *eius*, ſcilicet Dei, ſecundum Hieron. epiſt. cxlii. Chald. *Duabus velabat unuſquiſque faciem ſuam, ut non videret, & duabus velabat pedes ſuos, ut non videretur, & duabus miniſtrabat*. Hieron. ait, faciem & pedes Dei, quia nemo poteſt ſcire quid ante mundum fuerit, aut poſt mundum futurum ſit; media tantum cognoſcimus. Volabant, ſcilicet parati ad Dei iuſſa.

V. 3. Clamabant, ſcilicet invitando ad Dei laudem. Gloria, id eſt rebus Dei gloriam manifeſtantibus, & ad eum glorificandum excitantibus.

V. 4. Commota. LXX. *ſublata*, id eſt elevata, vel loco mota. Cardinum, id eſt poſtium. A voce, id eſt vi vocis. Clamantis. LXX. *clamantium*. Fumo. Chald *caligine*. Hieron. epiſt. cl. *errore, & tenebris, verique ignorantia*.

V. 5. Tacui, id eſt non arguens libere delinquentem populum, pudore vel timore perterritus. Hieron. II. contra Pelag. Pollutus labiis, ſcilicet in ſermone peccaverat. Hieron. epiſt. cxlii. Vidi. Dicunt Iudæi ideo Iſaiam interfectum, quia id dixit, cum Deus dicat neminem ſe poſſe videre, & vivere: Hieron.

V. 6. Calculus. Hebr. *carbo*. Altari, ſcilicet holocauſti, quod in ea viſione ſimul cum templo repræſentabatur.

V. 7. Auferetur; pro, ſic erit ablata.

V. 8. Nobis. Hieron. epiſt. cxliii. *Indicatur*, inquit, *perſonarum diverſitas ſicut unitas Divinitatis in eo quod unus loquitur.*

V. 9. Dices; pro dic. Audite, &c. pro, audietis quidem, ſed noletis intelligere. Hebr. *Audite audiendo, & ne intelligatis; & videte videndo, & ne cognoſcatis*; quaſi dicat: *Audietis, ſed non intelligetis; videbitis, ſed non cognoſcetis*. Accidit id Iudæis tempore Chriſti. Chald. *Audientes audiunt, & non intelligunt; & videntes vident, & neſciunt*. LXX. *Auditu audietis, & non intelligetis; & videntes videbitis, & non cognoſcetis*.

V. 10. Excaeca, id eſt prædic excæcatum iri. Chald. *infatua*. LXX. *Incraſſatum eſt cor populi huius, & auribus ſuis graviter audierunt, & oculos ſuos clauſerunt, ne forte videant*, &c. Aggrava, id eſt obtura implendo re aliqua, vel obtunde.

V. 11. Usquequo, ſcilicet tales erunt.

V. 12. Homines, ſcilicet abductos in captivitatem. Quae derelicta fuerat. Chald. *deſolatio*.

V. 13. Decimatio, id eſt decima; quaſi dicat, Reliquiæ aliquæ ſupererunt. Chald. *relinquetur unus ex decem*. Convertetur, ſcilicet ad Deum. Oſtensiones, ſcilicet latentis virtutis, ut ſolet in arboribus, quæ cadentibus foliis mortuæ videbantur. Chald. *combuſtionem*. LXX. *deprædationem*; quaſi dicat: Etiam ſi videantur periiſſe, ut ſolent combuſta & deprædata, tamen reviviſcent. Quidam oſtenſionem interpretantur deſolationem; quaſi dicat, Etiam illi pauci vaſtabuntur.

ESTII.

Verſ. 5. ET regem Dominum exercituum vidi oculis meis. Veriſimile eſt vidiſſe in illuſtri ſpecie humani vultus, quem Chriſtus in carne habiturus erat. Vide Annot. Num. xii. & noſtra in II. Sent. diſt. viii.

V. 8. Et dixi: Ecce ego, mitte me. Offert ſe Propheta ad munus propheticum, & annuntiandum populo voluntatem Dei, quæ functio hodie ad paſtores Eccleſiæ pertinet; ex quo manifeſtum eſt licitum eſſe, ut quis ſe cum modeſtia ad munus paſtorale offerat, modo illud obſervetur, quod Iſaias Propheta obſervavit; id eſt, ut non niſi velut mundatus contactu calculi ex altari, id eſt ſuperna gratia, & purgatus ab omni pravo affectu, & ſiniſtra intentione, ad tam eximiam functionem ſe accingat: nequaquam autem ut diteſcat, honoretur, aut præſit; ſed tantum ut proſit. Inſignis eſt D. Bernardi ſent. epiſt. xlii. *Aliud*, inquit, *eſt ambire dignitatem humano affectu, aliud ardere deſiderio bene merendi de plurimis*. Quod ſane non modo eſt licitum, ſed & eximiæ caritatis indicium, ſummaque laude proſequendum. Hinc namque Apoſtolus ait: *Qui epiſcopatum deſiderat, bonum opus deſiderat*. Et Greg. de Cura Paſtorali: *Laudo quod quæritis, ſed prius diſcite quid quæratis*; & adfert hoc exemplum de Iſaia, qui ſe obtulit ad prædicationis officium, ſed prius mundatus. Vide etiam Hier. in II. ad Damaſum epiſt.

V. 10. Excaeca cor populi huius. Nota in Scriptura peculiariter, & quaſi per excellentiam eos dici excæcari, & obdurari a Deo, qui propoſito ſibi divinitus inſigni aliquo lumine ac præſidio ſalutis, quo ad credendum, vel agendam pœnitentiam moveri debebant, tanti boni occaſione redduntur multo magis obtenebrati ac depravati, Deoque rebelles; adeo ut tunc quaſi impoſſibile ſit eos converti, ſicut naturaliter impoſſibile eſt hominem cæcum illuminari, aut durum lapidem emolliri. Quo ſenſu Dominus in Exodo aliquoties dicitur induraſſe Pharaonem. Vide ibi, & in comment. noſtro in I. Sent. diſt. xl.

MARIANAE.

Verſ. 1. ET ea quae sub ipso erant. Heb. *fimbriæ eius*, ſcilicet veſtis extrema replebat templum. Chald. *ſplendor gloriæ eius*. Sept. *plena domus gloria eius*. Viſionis deſcriptio.

V. 2. Seraphim. Angeli igniti ignea

ſpecie

Digitized by Google

ſpecie, ipſo colore teſtantes Deum eſſe iratum. STABANT SUPER ILLUD, ſcilicet ſolium. Hebraica verti poſſunt, *ſuper illum*, ſcilicet Deum. Septuag. *in circuitu eius*, id eſt Dei, ut Hieronymus in Comment. intelligit. SEX ALAE. Alas ob velocitatem habent, & quia ſemper in ſublimi verſantur. DUABUS VELABANT FACIEM EIUS, id eſt Dei. Divina ignota ſunt, tum cauſæ, id eſt *facies*, tum effectus, id eſt *pedes*. Alii vertunt *faciem ſuam*. Sic Chald. *Duabus quiſque velabat faciem, ut non videret; & duabus velabat pedes ſuos, ut non videretur; & duabus miniſtrabat*. VOLABANT, parati facere iuſſa Dei.

V. 3. CLAMABANT, ad Dei laudem invitantes. PLENA EST OMNIS TERRA GLORIA EIUS. Res omnes laudant opificem ſuum: eæ laudes gloria ſunt, eaque pulchritudo rerum. Id Angeli clamabant.

V. 4. COMMOTA SUNT; quaſi dicat, Fores templi patefactæ ſunt. A VOCE CLAMANTIS, id eſt poſt vocem, aut propter vocem, ob vim eius clamantis, pro, clamantium, ſcilicet Seraphim. DOMUS REPLETA EST FUMO, ſcilicet hoſtiarum. Patefacto templo multa ſacrificia oblata intellige.

V. 5. ET DIXI: VAE MIHI, QUIA TACUI. Non increpavi, ſive Oziam Regem, ſive populum. David Kimchi explicat, *quia tacui, quia excisſus ſum*: quia verbum דמה *damah*, & *tacere* & *ſcindi* ſignificat. Verum e noſtris id verbum in ſilentii ſignificatione a pleriſque ſumitur. Ergo me miſerum, qui cum ſim Vates, eo officio non ſum uſus. POLLUTUS LABIIS: nimirum ſermonis intermiſſi reus. IN MEDIO POPULI POLLUTA LABIA HABENTIS, ſcilicet mendacis. ET REGEM DOMINUM EXERCITUUM VIDI OCULIS MEIS. Tangit opinionem credentium, moriturum continuo qui Deum videret, ſuſceptam Exod. XXXIII. 20. *Non videbit me homo, & vivet*, præſertim qui peccati eſſet reus & pollutus.

V. 6. CALCULUS. Septuag. *pruna in manu eius*, ſcilicet Angeli. Hebr. *carbo ignitus*; quo Prophetæ labia purgaret. QUEM FORCIPE TULERAT DE ALTARI, ſcilicet holocauſtorum, de cuius fumo repletum templum dixit verſ. 4. In viſione totum accidit.

V. 7. TETIGIT. Sic Septuag. Heb. *& tangere fecit*, ſcilicet prunam os Prophetæ. Chald. *Et poſuit in ore meo verbum prophetiæ*. ECCE TETIGIT HOC. Sic Septuag. non *tetigi hoc*, ut quidam Codices habent, etiam Hieronymi textus in Commentariis.

V. 8. QUEM MITTAM? ET QUIS IBIT NOBIS? Trinitatis myſterium indicatur ipſa mutatione numeri: Hieronymus epiſt. CXLIII.

V. 9. DICES. Sic Heb. pro *dic*, ut eſt in Gotth. AUDITE AUDIENTES. Audite auditionem, & non intelligetis; & videte viſionem, & non cognoſcetis. Ad tempus Chriſti & Apoſtolorum referri hoc debet; aut ad Prophetarum tempus, quos non audierunt, ideo in ea mala inciderunt, & captivitatem.

V. 10. EXCAECA COR. Hebr. *impingua cor*; ſed hoc eſt excæcare. AGGRAVA aures, ſcilicet pituitæ copia, qua aures obturantur. CLAUDE oculos; vel *line*. Utrumque vox Hebr. ſignificat. Sed Septuag. & Chald. in claudendi ſignificatione poſuerunt. ET CONVERTATUR; ET SANEM EUM. Hebr. *ſanet eum*, ſcilicet Chriſtus, dimiſſis peccatis.

V. 11. TERRA RELINQUETUR DESERTA. Hebr. *terra deſolabitur deſolatione*, id eſt penitus. Hoc fuit cum populus & Sedecias in Babylonem deducti ſunt.

V. 12. LONGE FACIET DOMINUS HOMINES; ſcilicet in captivitatem actos. ET MULTIPLICABITUR QUAE DERELICTA FUERAT, ſcilicet qui remanſerint, ii numero & copiis creſcent.

V. 13. ET ADHUC IN EA DECIMATIO. Vox עשיריה *haſiriah* eſt adiectivum, & ſignificat *decimum*, ſcilicet Regnum: decem enim Reges fuerunt ab Ozia, quo tempore Iſaias hoc eſt vaticinatus, uſque ad Sedeciam; quaſi velit dicere: Hæc mala non ſtatim erunt, ſed poſt decem Reges. Alii decimum quemque manſurum intelligunt poſt captivitatem, id eſt paucos, atque id intelligunt per *decimum* ſeu *decimationem*. Chald. *Et relinquetur in ea unus ex decem*. ET ERIT IN OSTENSIONEM, ſcilicet ea decimatio. Heb. *ad conflagrandum*; id eſt, ii pauci rurſus evertentur, quod poſt Eſdram & Nehemiam eſt factum. SICUT TEREBINTHUS. Alii, *ut ulmus*. ET SICUT QUER-

Digitized by Google

cus, nempe in hieme foliis nudantur. *Quercus* eſt roboris genus. Hiſp. *quexigo*. QUAE EXPANDIT RAMOS SUOS, ſcilicet ſuo tempore in vere ramos profert. Sic qui poſt captivitatem manſerunt ſuo tempore, vires colligent ſub Machabæis. Heb. *quarum in eiectione conſiſtentia*; id eſt, poſt folia retinent tamen eæ arbores vim, qua reſtitui poſſint: ſic erunt illi pauci qui relinquentur. SEMEN SANCTUM ERIT. Hebr. *ſemen ſanctitatis*, nempe ii pauci erunt, ſcilicet propter Chriſtum & Apoſtolos. QUOD STETERIT IN EA, id eſt manſerit. Hebr. *conſiſtentia eius*, id eſt propter illud ſemen conſervabitur, ne penitus pereat. Ob paucos iuſtos integras urbes conſervat Deus.

MALVENDAE :

Verſ. 1. IN ANNO QUO MORTUUS EST REX OZIAS. Recte annotant, id dictum eſſe pro eo quod eſt, in anno quo rex Iotham, mortuo patre Huzziia, regnare cœpit: ſic autem potius definiſſe a morte Huzziiæ quam a Iothami regno, quia Iotham vivo adhuc parente regnum adminiſtraverat, II. Regum XV. 5. itaque hac locutione omnem dubitationem ſuſtuliſſe: ut non inaniter quidam ſuſpicentur quinque præcedentia capita ſub Huzziia fuiſſe prophetata. Hanc tam inſignem viſionem S. Hieronymus hac chronologia conſignat Epiſt. CXLII. *Poſt cuius* (Huzziia) *mortem Iſaias propheta hanc viſionem vidit, id eſt eo anno quo Romanus Romani imperii conditor natus eſt* &c. VIDI DOMINUM. Hebr. *& vidi Dominum*. Quidam: *Tum vidi Dominum*, id eſt Ieſum Chriſtum Verbum ſeu Sermonem æternum Patris; cui Deus omne iudicium dedit, ut interpretatur Ioannes V. 22. SEDENTEM SUPER SOLIUM EXCELSUM ET ELEVATUM. Alii: *inſidentem ſolio excelſo & elato*. Nimirum, ut regem iudicemque potentiſſimum & magnificentiſſimum effectum a Patre. EXCELSUM ET ELEVATUM: vel ſunt ſynonyma, ad ſignificandam ingentem magnificentiam ſolii, voce duplicata; vel prius indicat fuiſſe magnum thronum, poſterius fuiſſe maxime elevatum a terra, in ipſo aere ſublimem. ET EA QUAE SUB IPSO ERANT. Hebr. *& fimbriæ eius*. Quidam notant, non tantum hic denotari proprie ipſas fimbrias, ſeu limbos veſtium, ſed inferiores veſtium partes, quas *faldas* Hiſpani vocant: quæ eo prolixiores ac laxiores fieri ſolent, quo quiſque maiorem faſtum ac pompam præſefert. Quidam exponunt: *cuius fimbriæ complebant templum ipſum*, id eſt regem, iudicemque, non ſolum potentiſſimum & magnificentiſſimum, ſed etiam glorioſiſſimum & ſanctiſſimum. Nam gloria diſpanſis illis fimbriis, id eſt regali ornatu, ſynecdochice, ſanctitas vero habitatione templi deſignatur; ut poſtea declarant Seraphim, ex quorum verbis interpretamur hoc viſionis genus. Nec deſunt qui *fimbrias eius* ad ſolium referant, quod tapetia, ſeu periſtromata, quibus inſtratum erat tribunal, templum ipſum implerent.

V. 2. SERAPHIM. Proprie *alati comburentes*, ſeu *volantes urentes*: vide Numerorum XXI. 6. id eſt electi angeli e cælo, e ſupremo angelorum ordine, ut Theologi affirmant, urentes tamquam ignis, ac proinde purgaturi bonos per vocationem Dei, & conſumpturi malos: nam viſiones quas Deus exhibet, ad rerum ſuarum argumenta accommodandas eſſe pro certo habemus; propterea Deum cum iudice, angeloſque flammantes cum ſatellitibus comparari. STABANT SUPER ILLUD. Heb. *ſtantes de ſupra ei*. Quidam: *ſtabant iuxta illum*, vel *aſtabant illi*, aut ſuperne imminebant ei. Ambiguum eſt *ei*, vel Domino, vel tribunali: ſed ſenſus eodem recidit. Alii: *aſtantes ſuperne erant ei*; id eſt, in eodem loco celſo & elato ubi inſpexi ſolium Dei. SEX ALAE UNI, ET SEX ALAE ALTERI. Hebr. *ſex alæ*, vel *alis*, *ſex alæ uni*. Quidam: *ſenis alis unuſquiſque*, vel *ſenæ alæ unicuique erant*: hoc eſt, ſinguli ſenas alas habebant, ſeu tria alarum paria. Non unus aut alter Seraph, ſed plurimi & innumeri Domino aſtabant, cingentes ſolium maieſtatis, ut Daniel VII. 10. DUABUS VELABANT FACIEM EIUS. Heb. *in duabus cooperiet faciem ſuam*, vel *eius*, nam affixum reciprocum eſt ambiguum. Sic mox, *pedes ſuos*, vel *eius*: ſed prior ſenſus eſt aptior. Alii: I. *duabus obvelabat unuſquiſque faciem ſuam*, quod in Deum ob ſplendorem non poſ-

ſet

Digitized by Google

ſet intendere oculos. II. *quarum binis tegebat faciem ſuam*, ob reverentiam tantæ maieſtatis, dans omnem gloriam Deo; & hoc ſigno publice teſtans, a ſua tenuitate non poſſe ferri aſpectum infiniti ſplendoris gloriæ, & maieſtatis Dei. ET DUABUS VELABANT PEDES EIUS. Alii: *& binis tegebat pedes ſuos*. Quidam notant, hoc ſigno indicaſſe verecundiam ſuam ac tenuitatem, tegendo inferiores partes corporis, ne nudus coram tanta maieſtate conſpiceretur. Alii, ut oſtenderet angelos ab hominibus naturaliter cognoſci non poſſe. Nonnulli, quaſi hominum infirmitati conſulens, qui ad aſpectum emicantis illius ſcintillæ ſive particulæ, quam angeli de gloria divina conſecuti ſunt, plane deficerent. ET DUABUS VOLABANT, vel *volabat*, quiſque eorum; id eſt, quam celerrime ad iuſſa capeſſenda expeditus erat. Alii intelligunt, non quod inde duabus alis avolarent, ſed quod ibi circum Dominum alas agitarent, ſeu volitarent: quod ſummum videndi & cognoſcendi deſiderium oſtendit.

V. 3. ET CLAMABANT ALTER AD ALTERUM, &c. Quidam hunc verſum ita ex Hebr. explanant: *Et clamans alter ad alterum, dicebat*; id eſt, uno ore conclamantes, & hymnum Deo concinnentes: nimirum poſtquam decretum Dei acceptum eſt de his exequendis, quæ deinceps narrantur: paralepſis in Scripturis ad vitandas repetitiones frequens. SANCTUS, SANCTUS, SANCTUS DOMINUS DEUS EXERCITUUM. Brevis hymnus iſte, quem angeli dixerunt Domino, accepto decreto de iudiciis ipſius contra Iehudæos, continet duas partes: unam, qua ſanctitatem Dei infinitam ipſi viſque ipſius omnibus & iudiciis ineſſe in ſempiternum aſſerunt: quod genus affirmationis, ut nonnulli putant, triplici eiuſdem vocis enuntiatione oſtenditur, ut Ezech. XXI. 27. quaſi dicat, Omnino omnium ſanctiſſimus eſt Deus, & ſanctificandus ab omnibus: alteram, qua iuſtitiam confirmant illius iudicii, quod prophetæ huic erant indituri, & per ipſum populi denuntiaturi: quaſi dicat, Oportuerat populum hunc ſanctificare gloriam Dei ſui, prout præceperat Exod. XIX. 8. & XXIV. 3. Sed recta eſt priſcæ Eccleſiæ interpretatio, quæ ipſum triſagion ad tres S. Trinitatis perſonas diſtincte cenſuit pertinere in unitate eſſentiæ: *implet totam hanc terram gloria eius*; id eſt, quæ Dei eſt peculiari quodam iure, & in qua coram habitat. PLENA EST OMNIS TERRA GLORIA EIUS. Hebr. *plenitudo, abundantia, copia, multitudo, univerſitas totius terræ, gloria, maieſtas, ſplendor, dignitas, excellentia eius*. Aliqui exponunt: Id eſt creaturæ, quæ terram implent, ſuppeditant materiam ampliſſimam laudandi potentiam & bonitatem Dei.

V. 4. ET COMMOTA SUNT SUPERLIMINARIA CARDINUM. Alii: I. *Tunc moverunt ſe*, ſeu *concuſſa ſunt*, aut *intremuerunt ſuperliminaria poſtium*, vel *ſuperliminaria cum poſtibus*, vel *poſtes cum ſuperliminaribus*. II. *Quin & commovebantur poſtes cum liminibus*. III. *Et commoti ſunt poſtes ſuperliminarium*. Proprie: *Et moverunt*, ſeu *moti ſunt poſtes liminum*. אמות *amoth*, proprie *cubiti*; ſed hic *poſtes*, ſic dicti a firmitate, & fortitudine, quibus certo innititur ſuperliminare, ſicut etiam ab eadem firmitate iidem *poſtes* dicuntur אומנות *omeuoth*, II. Reg. XVIII. 16. Nonnulli reddunt: *frontes*, ſeu *frontiſpicia liminum*. Aliqui exponunt: *Tum commoti ſunt poſtes liminum a voce inclamante*; id eſt, templum ipſum, ſynecdochice, & res inanimæ audito angelorum clamore cohorruerunt, poſtquam eiecti ſunt Iudæi, & præcepta ſeveritas iudiciorum Dei in illos. ET DOMUS REPLETA EST FUMO. Aliqui: *& domus ipſa impleta eſt fumo*, id eſt nebula, ſigno præſentiæ Dei exardeſcentis in iuſtiſſimam ultionem Iudæorum: ut alibi præſentiam ſuam teſtatus eſt nube, ad gratiam & pacem teſtificandam populo I. Regum VIII. 10.

V. 5. ET DIXI. Quidam: *Quamobrem dixi*, conſpecto Deo, & audito ab angelis decreto eius. VAE MIHI, QUIA TACUI. Forſterus exponit: *Væ mibi quietatus ſum, obmutefactus ſum, in quietem & ſilentium redactus ſum*: atque huiuſmodi locutionem ſemper eſſe pœnæ, atque idem Hebræis valere quod Latinis, *Actum eſt de me, perii, diſperii*. Hiſpanicus Interpres: *Ay de mi, que ſoy muerto*. Alii: *Væ mihi, quia exciſus ſum*, vel *quia exſcindor, brevi tollar de medio*. Tan-

Tangit vetuſtam opinionem in populo Dei receptam, ut quicumque Deum, vel angelum vidiſſet, ſtatim eſſet moriturus, vide in Geneſ. XVI. 13. QUIA VIR POLLUTUS LABIIS EGO SUM. Exponunt: Id eſt, qui ne verbo quidem rite ſanctificavi gloriam Dei, neque adhuc comparatus aut aptus ad ſanctificandum eam: ſynecdoche. Alii: *eo quod homo ſim polluta habens labia*, id eſt peccator: ſynecdoche: Iacobi III. 2. *In multis enim offendimus omnes. Si quis in verbo non offendit, hic perfectus eſt vir*; quaſi dicat: Brevi moriar, quia cum ſim peccator, & inter peccatores habitans, Deum oculis meis vidi.

V. 6. ET VOLAVIT AD ME UNUS DE SERAPHIM. Iam hic vocatio Prophetæ deſcribitur, quomodo ad vocationem ſuam comparatus, & aptatus ſit. Ratio comparandi ſive informandi prophetæ eſt duplex; una, quod abſumptæ & amotæ ſunt infirmitates eius, duobus verſibus: altera, quod functio nominatim fuit ipſi impoſita, verſ. 8. UNUS DE SERAPHIM: adminiſter voluntatis Dei ad confirmandum prophetam, ut ſequentia oſtendunt; nam non amplius hic verbo, & quaſi ſacramento in propheta efficit per ſe ipſum, quam miniſtri Dei in Eccleſia: ſed unus eſt Spiritus, qui operatur omnia in omnibus. Reddunt: *Sed advolavit ad me unus de iſtis Seraphim*. ET IN MANU EIUS CALCULUS. Quidam: *habens in manu ſua prunam*; id eſt, in ſigno illo igniculum virtutis, donorumque Spiritus Dei, ad repurgandum, illuſtrandum, & confirmandum me. QUEM FORCIPE (Hebr. *forcipibus*) TULERAT, ſeu *acceperat*, *ſumpſerat*, DE ALTARI: vel holocauſtorum, vel ſuffitus; figura Chriſti, ex cuius plenitudine haurimus omnes per Spiritum ipſius, Ioann. I. 16.

V. 7. ET TETIGIT OS MEUM. Hebr. *Et tangere fecit ſuper os meum*. Alii: I. *Et attingere fecit*, vel *pervenire fecit ad os meum*. II. *Et applicuit ori meo*. III. *Et adhibens hunc ori meo*. IV. *Admovitque ori meo*. V. *Et pertigit ſuper os meum*. ECCE. Demonſtratio, inquiunt, qua angelus ad ſacramentum adhibita, oſtendit tam certum eſſe donum Dei intrinſecus, quam extrinſecus eſt ſignum. TETIGIT HOC LABIA TUA. Sic Ierem. I. 9. & Daniel. X. 16. ET AUFERETUR INIQUITAS TUA, ET PECCATUM TUUM MUNDABITUR. Quidam: *iam amovetur iniquitas tua, & peccatum tuum expiatur*; id eſt, tuus ille metus, & pollutio labiorum, de qua conqueſtus es, penitus amovetur & purgatur, ut fortiſſimus ſis imposterum in tua hac functione contra Iſraelitas: non enim hic primum Ieſchahia vocatur ad prophetandi munus, cum illud iam exercuerit prioribus quinque capitibus ſub Huzziia; ſed denuo confirmatur propter gravitatem ſequentis prophetiæ, ne perſpectis difficultatibus animum abiiceret, ut Iechezcheli perſæpe factum eſt.

V. 8. ET AUDIVI VOCEM DOMINI, &c. Alii: *Deinde audivi vocem Domini*, ſcilicet poſtquam me confirmavit Deus ad munus prophetandi. QUEM MITTAM? vel *quem miſſurus ſum?* videlicet, Quem hominum miſſurus ſum? quia viſum eſt Deo hos theſauros ſuos in teſtaceis vaſculis collocare, ut eius virtutis præſtantia ſit Dei, & non ex nobis II. Corint. IV. 7. ET QUIS IBIT NOBIS? Nam conſilium eſt Dei Patris, & Filii & Spiritus ſancti, ut Geneſ. I. 26. Sic ſupra verſ. 3. acclamatum eſt Triſagion.

V. 9. ET DIXIT: VADE, ET DICES POPULO HUIC. Alii: *Tum dixit: I, ut dicas populo iſti*. Uſus prophetiæ, quam Ieſchahiæ imperavit Deus, & ſequentibus omnibus Prophetis, uſque in adventum Chriſti, nimirum ut auditione verbi (quod pii odorantur ad vitam) impii obdurentur, & ipſis fiat odor mortis ad mortem ſuo ipſorum vitio: quamobrem eadem ratione a Chriſto atque apoſtolis duo ii verſus permultis locis contra Iudæos adducuntur. AUDITE AUDIENTES, ET NOLITE INTELLIGERE: ET VIDETE VISIONEM, ET NOLITE COGNOSCERE. Hebr. ad verbum: *Audite audiendo, & non intelligetis; & videte videndo, & non cognoſcetis*. Quidam volunt eſſe imperativa pro futuris: Audietis audiendo, id eſt omnino, plene, perfecte audietis, & non intelligetis; & videbitis videndo, id eſt omnino, perſpicue videbitis, & non cognoſcetis; quaſi dicat, Prædic huic populo futuram cæcitatem & obſtinationem, præſertim adverſus Chriſtum: ut exponi videtur Matth. XIII. 14. & Act. XXVIII. 26. Non-

Digitized by Google

26. Nonnulli reddunt : *Audite indeſinenter, at ne intelligatis* ; *& videte indeſinenter, neque cognoſcatis*. Imperandi modus, inquiunr, in hac prophetia, cum ſanctam prophetarum audaciam in prophetando demonſtrat; quaſi dicat : Audite o ſcelerati, velitis nolitis, verbum Dei iudicis, tum præſentiſſimam veritatem & efficaciam verbi; quod ita verberat impiorum aures, ur animus obſtupeſcar, prout in Iudæis factum eſt, donec plane ſe ipſos reſciderunt a Chriſto: *at ne intelligatis*; quaſi dicat : Quandoquidem vitio corruptæ & depravatæ voluntatis veſtræ verbum Dei non emendavit vos, ſed potius attonitos hactenus reddidit, & nunc quoque perſtatis in iſta depravatione voluntatis veſtræ; ſtat ſententia Dei iudicis ſeveriſſimi, ut quiſquis non habet, aut cui non eſt datum noſſe myſterium regni Dei, etiam quod habet tollatur ab eo : ac proinde vos non magis reſipiſcatis aut percipiatis verbum eius, quam deſperati ſonres, qui nullis iudicum documentis, promiſſionibus, minis, evictionibuſque ad officium ſuum adducuntur; ſed potius vos ipſos adverſus omnia obfirmetis, verſu ſequente. Nam quæcumque hic dicuntur, ad formam iudicialem pertinent; quaſi Deus ſceleratos populi animos, cum verbo, tum flagellis non edomaret, ſed ipſi ſe adverſus iudicem, & omnia flagella obfirmarent.

V. 10. EXCAECA COR POPULI HUIUS. Heb. *Impingua, pingueſac, ſagina*, &c. Quidam reddunt: *Craſſum redde, obduc pinguedine*; quaſi dicar, Suffoca cor populi huius: nam cor nimia pinguedine ſuffocatur. Alii: *Fac ut pingueſcat cor populi iſtius*. Exponunr: *Fac*, amplificatio; quaſi dicat: Effice tu propheta prædicatione verbi, & denuntiatione iudiciorum meorum, ut non rantum contineat ſe in eodem ſtatu malitiæ, non intelligendo, ſed ur omnibus modis augeſcar malitia ipſius, irritata verbo, omnibuſque modis obfirmetur, ut de Pharaone legimus, & idem propheta repetit infra cap. XXIX. *ut pingueſcat cor populi iſtius*, id eſt obeſum reddatur, occalleſcar, & obduretur magis ac magis: metaphora a rebus corporeis, in quibus omne pingue ſenſus expers eſſe conſentiunt phyſici. Hiſpanicus Interpres: *Engrueſſa el corazon de aqueſte pueblo*, id eſt *Embaia, ennudece*. Nonnulli exponunt: *Inunge*, ſeu *obline*, ſive *obtura unguento pingui cor populi iſtius*; id eſt, excæca mentem & intellectum. ET AURES EIUS AGGRAVA. Exponunt ; Velut mole aliqua obtura, ſordibus aut re aliqua imple, ne poſſint audire, ſed penitus obſurdeſcant. Aliqui: *& aures eius fac ingraveſcant* &c. id eſt, quemadmodum qui tonitru graviſſime percellentur, eorum auditus & viſus hebetantur; ita in dies iſti obſtupeant, intonante verbo meo. ET OCULOS EIUS CLAUDE, &c. Varie ex Heb. reddunt. I. *& oculos eius reſtringe*, ſive *præſtringe*, ſive *reprime*, *ne videat oculis ſuis*. II. *& oculos eius diverte, fac verti, ne videat*, &c. III. ex ſignificato Chaldaico: *& oculos eius illine, obline, incruſta, obduc, ne videat*. Vide de notione verbi in Pſal. XXXVIII. 14. IV. *oculique eius fac ut conniveant*. NE FORTE VIDEAT OCULIS SUIS, &c. Finis obdurationis, nimirum perditio contumacium, corpore & animo : qui finis ſingulis ſuperioris ;nuntiationis partibus ex adverſo reſpondet ordine præpoſtero. ET CONVERTATUR, ET SANEM EUM. Alii ex Heb. I. *& convertatur, & medeatur ei*, ſubaudi, medicus Deus; id eſt, miſereatur eius. II. *& convertatur, & reſtituatur illi ſanitas* . III. *quo converſus ſaluti reſtituatur*. IV. *ſeque convertat, & ſanitas obveniat ei*; id eſt, converſione ſua recipiat ſanitatem corporis & animi , & a peccatis ſuppliciiſque peccatorum ſuorum liberetur. Notant verbum רפא *rapha, ſanavit*, intranſitive & imperſonaliter eſſe exponendum: *& ſanitas ſit ei*, vel *& ſanetur* . Quidam : *& ſanet eum*, ur ad Deum referatur. Figurate accipiunt*: & ſanitas*, hoc eſt remiſſio, ignoſcentia, venia, *ſit ei*; id eſt, veniam conſequatur, ſeu remiſſionem culpæ & pœnæ.

V. 11. ET DIXI: USQUEQUO DOMINE? Exponunt, Subaudi, duratura eſt hæc cæcitas, & obſtinatio Iudæorum? Quidam: *Dicenti autem mihi*: *Quouſque Domine? dixit*, &c. Notant his tribus proſtremis verſibus contineri prophetiam graviſſimorum malorum, quæ Iudæis erant eventura iuſto iudicio Dei, quæ Deus occaſione ſumpta a quæſtione prophetæ deinceps explicat. *Quouſque Domine?* nimirum, ego & pro-

Digitized by Google

prophetæ omnes tui continenter clamabimus ſine fructu, & refractarios rebelleſque obfirmabimus verbo? DONEC DESOLENTUR. Verbum שאה ſchaah, proprie eſt, repente cum magno impetu, fragore, ſtrepitu, præcipitantia obrui, ingenti irruptione, & impreſſione devaſtari, ruere, deſolari. Hanc partem verſus ita quidam reddunt: *Uſquedum vaſtatis civitatibus, adeo ut nullus ſit habitator, & domibus adeo ut nullus ſit homo, etiam ipſa regio vaſtata ſit deſolatione*, id eſt uſque ad excidium totius regni, & deſolationem terræ, Babyloniorum opera.

V. 12. ET LONGE FACIET DOMINUS HOMINES, &c. Hunc verſum alii ex Heb. explanant: I. *Et elongaverit Iehovah homines, & multiplicaverit dies eius, quæ derelicta eſt in medio terræ*; id eſt, donec incolas regionis Iehudææ in regiones longinquas ac remotas, & longe diſtantes eiecerit, & multo tempore regio derelicta ac deſerta iacuerit. II. *Et procul removebit Iehova hominem; & multa derelictio in medio terræ*. III. *Longiſſime autem ablegabit Dominus homines, e i que deſolatio multa in terra*. IV. *Et procul amovente Iehova hominem quemque, maxima ſit ipſa derelictio in iſta terra*; id eſt, deſolatio eveniat qualis antea non fuit: de qua in fine Reg. & Paralip. & apud Ier. multa.

V. 13. ET ADHUC IN EA DECIMATIO. Alii: I. *Et adhuc in ea decima*, vel *decas*, ſubaudi, *regum*; id eſt, poſt Huzziiam regnabunt adhuc decem reges in Iudæa, & ſub decimo rege, nempe Sedechia, abducentur in captivitatem. Aliqui reddunt: *Verum adhuc in ea* erit ſucceſſio *decem* regum. II. *Sed adhuc decimæ in ea*, id eſt partis illius e Iudæorum gente, quæ ex Babylonia in ſuam hanc regionem reditura eſt: nam hæc vix, ac ne vix quidem fuit decima pars populi deportati: vide Ezræ II. 64. & 65. ET CONVERTETUR, ET ERIT IN OSTENSIONEM. Varie hunc locum ex Heb. convertunt. I. Sanctes: *quæ iterum erit depaſta*. Vide de hac locutione in Geneſ. XXVI. 18. II. Leo Iudas: *quæ capietur & diripietur*. III. Vatablus: *& revertetur & erit in exciſionem*, vel *in exterminium*, ſeu *ad exterminandum*, aut *in ablationem, abiectionem*, vel *& iterum erit in eiectionem*; id eſt, revertetur populus e Babylone, & iterum pelletur patria a Veſpaſianis principibus. IV. Forſterus: *& revertetur, & erit ad accendendum*, vel *accenſioni*. V. Forerius: *& revertetur, & erit in combuſtionem*, vel *in depaſtionem*; id eſt, ſemel deleti per Titum, iterum per Hadrianum exſcindetur. Quæ expoſitio eſt Euſebii Cæſarienſis, S. Hieronymi, & aliorum. VI. Tremellius & Iunius: *cum reverterit & depaſtioni fuerit*, id eſt cum abſumptus fuerit, metaphorice, ut Numeror. XXIV. 22. quaſi dicat; Partis eius vix decimæ, populi nimirum depaſti & abſumpti deportatione Chaldaica, poſtquam in patriam revertetur, *eius ergo ſtatumen futurum eſt ſemen ſanctum*, &c. ut ſequitur. Eſt conſolatio ad electas populi reducis reliquias pertinens, a minis antecedentibus.

SICUT TEREBINTHUS, ET SICUT QUERCUS, QUAE EXPANDIT RAMOS SUOS: SEMEN SANCTUM ERIT ID, QUOD STETERIT IN EA. Heb. locus ſubobſcurior, quem varie elucidant. I. Sanctes: *Ut enim tilia & quercus abiectis foliis ſubſiſtentiam habent, ſic ſemen ſanctum in ea derelictione ſubſiſtet*. II. Leo Iudas: *Sicut ulmus & quercus, cum fulcrum eis ſubmittitur: ſemen ſanctum fulcrum eius*. III. Vatablus: *Sicut ulmus & quercus, quibus ſtatio eſt in Sallecheth*; id eſt, *quæ ſunt plantatæ vel ad portam templi, quæ dicitur Sallecheth*, de qua I. Paralipom. XXVI, 16. *ſemen ſanctitatis ſtatio eius*. Hanc expoſitionem habet Kimchi, quam Schindlerus amplectitur IV. Idem Vatablus: *Sicut ulmus & quercus, quæ tempore proiectionis hiemalis*, id eſt cum hieme abiciunt folia, *habent in ſe ſubſiſtentiam, ſic ſemen ſanctum in ſua ſubſtantia permanebit*. Alii dilucidius: *ut ulmus & quercus arbores ſe habent, quæ cum abiecerint frondes ac folia ſua videntur mortuæ, retinent tamen adhuc vigorem ſuum*, id eſt vivunt hieme, qua tranſacta, iterum frondes ac flores producunt; *ſic ſe habebit tribus Iuda*, nam iterum revertentur, & inhabitabunt regionem; unde tandem proditurus eſt Chriſtus *ſemen Sanctum* & benedictum, germen Iuda. V. Forſterus: *Sicut tilia*, vel *ilex & quercus quando ſunt in deiectione*, ſcilicet *foliorum*; vel *quibus in proiectione frondium ſtipes eſt in eis, ſemen ſanctitatis ſtipes eius*. VI. Forerius:

Sicut

Digitized by Google

Sicut ilex, & ſicut quercus in defluxu foliorum ſtipes eſt; ſemen ſanctum ſtipes eius. Volunt Paulum hoc myſterium Romanor. xi. abunde explicaſſe: Iudæorum gentem, non ſic exciſam in ſpiritualibus & corporalibus donis, quod radix aliqua & truncus in ipſis non permanſerit, unde reliquiæ ſint ſalvatæ. VII. Avenarius: *Velut ilex & quercus*, ſeu *alnus*, *in quibus in abiectione frondium eſt ſubſiſtentia quædam*; vel *quæ in deiectione foliorum ſtatuam habent*, id eſt truncum, ſtipitem, hoc eſt, in quibus abiectis foliis hieme, eſt adhuc vis quædam generatrix in vere novo: *ſemen ſanctitatis eſt ſtatua*, ſeu *fulcrum eius*, hoc eſt truncus, vel ſtipes eius. VIII. Tremellius, Iunius, Buxtorfius: *Eius ergo ſtatumen futurum eſt ſemen ſanctum, ſicut in quercubus illis, & ſicut in roboribus, quæ ſunt ad portam Iniectus, ſtatumen eſt.* AEtiologia, cur Deus non ſit populum omnino perditurus: nimirum quod habet rationem Chriſti, & corporis electorum ipſi coaleſcentium per fidem in populo, qui cuncti & ſinguli dicuntur ſanctitatis ſemen. Explicatur autem hoc familiari ſimilitudine, & ob oculos omnium poſita: Videtis, inquit, aggeſtum illud iter, quo a domo regis in templum pergitur, querceto hinc inde confirmatum eſſe, & arbores terram, quæ alioqui ruitura eſſet, continere firmitate ſua; idem vobis ſtatuendum eſt de reliquiis bonorum, & quæ inter vos habitant: nam iuſto Dei iudicio deturbaremini illico, & periretis funditus, niſi ſuorum rationem haberet Deus, qui vobis ſunt quaſi ſtatumini; ut cap. I. 9. De hoc autem aggeſto itinere, vide I. Reg. x. 5. & 12. & I. Paralipom. xxvi. 16. item II. Reg. xii. 20. & II. Paralipom. ix. 11. *Statumen eſt*, nimirum terræ iniectæ ſive aggeri, quem ſtatuminant & continent utrimque arbores depactæ in aggeris lateribus. IX. Hiſpanicus Interpres: *Como el olmo, y como el alcornoque, de los quales en la tala queda el tronco: anſi en eſta quedara ſu trunco, ſimiente ſancta*; id eſt, reliquiæ Iſraelis ſalvæ fient. SICUT TEREBINTHUS. אלה *elah*, vide ſupra cap. I. 30. ET SICUT QUERCUS. אלון *allon*, vide cap. II. 13. QUAE EXPANDIT RAMOS SUOS. Heb. *quæ in Sallecbeth ſtatua in eis*. De *Sallecbeth*, vide in I. Paralipom. xxvi. 16. Hic nomen proprium portæ templi aliqui eſſe putant, de qua ibidem, circa quam fuerint illices, quercus, robora, vel alni depactæ. Alii appellative exponunt: *quæ ſunt in eiectione*, ſeu *deiectione*, ſcilicet frondium; id eſt, quando abiiciunt frondes ſuas, ſeu folia: quam interpretationem Chaldæus Interpres, Kimchi, & plerique recentiorum ſequuntur. Nonnulli: *quæ ſunt in iniectu*, *adiectu*, *aggere*, *aggeſto*, ſive *ad portam aggeſtus*, id eſt aggeſtæ ſeu ſtratæ illius viæ, quæ a regia in templum ducebat, de qua paulo ante dicebamus. Noſter haud aliene: *quæ eſt in proiectione*, ſeu *expanſione ramorum*. מצבת *matzizebeth*, proprie *ſtatio*, *ſtatua*. Hic pro ſtatua arboris, hoc eſt *trunco*, *ſtipite*, *plantatione*, *caudice* accipiunt. Alii, pro *ſubſiſtentia*: alii, pro *ſtatumine*, uti paulo antea notabamus. Noſter, pro *ramis* accepiſſe videtur. Sic paulo poſt.

MENOCHII.

Verſ. 1. IN ANNO, QUO MORTUUS EST REX OZIAS; nimirum quinquageſimo ſecundo regni eius. VIDI: oculis mentis. DOMINUM SEDENTEM, &c. quaſi Regem, aut iudicem, humana ſpecie. EA QUAE SUB IPSO ERANT. In Hebræo eſt, שוליו *ſculau*, id eſt fimbriæ, vel oræ veſtium; quaſi dicat: Poderis, & veſtis regalis; ſive paludamentum Dei ita longum erat, latum, & ſinuoſum, ut fimbriæ, & oræ eius replerent templum, in quo mihi videbar hæc ſcribere. Significant hæ fimbriæ immenſam potentiam, maieſtatem, & gloriam Dei. TEMPLUM. Hebraice היכל *hecal*, quæ vox ſignificat eam templi partem, quæ *ſanctum* dicitur: nam *Sanctum ſanctorum* appellabatur דבר *debir*, id eſt *oraculum*.

V. 2. SERAPHIM: duo Seraphim, erant enim inſtar Cherubim propitiatorii, qui erant tantum duo. STABANT SUPER ILLUD: pro *ſuper* in Heb. eſt על *hal*, quod *ſupra*, vel *iuxta* ſignificat. Stabant ſuper baſim ſolii, aut in pavimento iuxta ſolium. DUABUS VELABANT FACIEM EIUS. In Heb. eſt פניו *panau*, quod cum Chaldæo, Forerio, Vatablo, & aliis verti poteſt, *faciem ſuam*. Utrumque verum eſt, nam velantes faciem ſuam velabant etiam faciem,

faciem, & pedes eius, id eſt Dei, cuius aſpectum alarum oppoſitu ſibi eripiebant. Duabus volabant; id eſt, duas alas expanſas habebant ad volandum parati ſi iuberentur.

V. 3. Alter ad alterum: ſeſe ad Dei laudes invitando, & excitando. Vel alternatim canendo, ſanctus, ſanctus, &c. Sanctus, &c. Ter repetitur, ut ſancta Trinitas in unitate eſſentiæ ſignificetur. Plena est omnis terra gloria eius: quia ubique terrarum divinæ potentiæ, ſapientiæ, & bonitatis apparent alte impreſſa veſtigia.

V. 4. Commota sunt superliminaria cardinum, vehementia vocis ipſum templum viſum eſt commoveri, & concuti. Forerius vertit, *Movebantur poſtes ſuperliminarium*, id eſt poſtes, quibus ſuperliminare erat impoſitum. Domus repleta est fumo. Fumus, vel nubes, aut nebula Symbolum erat gloriæ Domini, adeoque vocantur gloria Domini. Sic Deus Moyſi in Sina apparuit, & locutus eſt per caliginem Exod. xx. ſic & Salomoni apparuit gloria Domini, id eſt nebula tegens totum templum, III. Reg. viii.

V. 5. Vae mihi quia tacui: non arguens libere populum delinquentem, & potiſſimum Oziam Regem ſacerdotale munus uſurpantem. Ita S. Hieronymus, & alii. Vel quia tacui, nec ſimul cum Seraphinis auſus ſum celebrare Dominum. Cur autem non ſit auſus, ſtatim ſubdit, *quia vir pollutus labiis ego ſum*, &c. Vel idem eſt ac ſi dixiſſet: Hen me, perii, & conſternatus ſum ex aſpectu tantæ viſionis, quæ mihi vili homuncioni ſeſe obiecit. Secunda expoſitio videtur eſſe magis genuina. Vir pollutus labiis: propter taciturnitatem, de qua diximus, vel quia aliquid loquendo peccaverat; nam pauci ſunt, qui non offendant in verbo. In medio populi, &c. Difficile eſt verſari cum iis, qui loquendo peccant, & ita linguam cuſtodire, ut nulla peccati labes contrahatur. Dominum vidi oculis meis: ex quo clarius agnovi vilitatem meam, & deformitatem peccati huius mei.

V. 6. Calculus. Heb. רצפה *ritſpa*, & Græce, ἄνθραξ, id eſt *carbo*, vel pruna ignita. De altari: thymiamatis, quod erat in ea parte templi, quæ *ſanctum* dicitur, in qua in viſione videbatur Iſaias ſibi verſari.

V. 7. Tetigit os meum. Contactu labiorum per prunam, ſignificat Deus ſe & peccata remittere Iſaiæ, & illum ſpiritu prophetico implere, fiducia etiam, & magnanimitate, ut audenter impoſterum Prophetæ partes impleat.

V. 8. Quem mittam: ad populum Iudaicum prædicatione excitandum. Quis ibit nobis? Hier. Ep. cxliii *Indicatur*, inquit, *perſonarum diverſitas, ſicut unitas divinitatis in eo quod unus loquitur*. Ecce ego, mitte me: ſentiebat enim Propheta ſe ad hoc deſignari, quod labia purgata eſſent, ſoluta lingua, & animo fiducia addita, & prophetandi deſiderium.

V. 9. Audite, et nolite intelligere, &c. id eſt, audietis, & videbitis, & non intelligetis, vel non voletis intelligere; eſt enallage modorum, & temporum; ponitur enim imperativus pro futuro. LXX. habent: *A me audietis, & non intelligetis, & videntes videbitis, & non perſpicietis*.

V. 10. Excaeca; id eſt, ita obſcure per ænigmata, & parabolas propone Iudæis quæ dices, ut ipſi non intelligant, ſed obnubilentur, & excæcentur; ſic enim feciſſe Chriſtum docet S. Ioannes c. xii. 40. ubi citat hunc locum Iſaiæ. Vel, *excæca*, idem eſt, quod prædic eos excæcandos; quaſi dicat: Omnino Iudæi per peccata ſua excæcati, a me deſerentur, & in maiores tenebras mentis, & cordis duritiam incident. Aures aggrava. Dicuntur gravari aures, cum aliquo tenentur impedimento, quominus audire poſſint. Ne forte videant, &c. Hæc etiam prophetice per futurum exponenda ſunt; quaſi dicat: Ex hac Iudæorum excæcatione omnino fiet ut non videant, non intelligant, ac conſequenter ut non convertantur, ac ſanentur.

V. 11. Usquequo Domine? ſcilicet tales erunt Iudæi?

V. 12. Longe faciet Dominus, &c. Loquitur de ſe in tertia perſona; quaſi dicat: Ego Dominus ablegabo Iudæos a ſua patria, faciamque eos extorres, ut toto orbe vagentur. Et multiplicabitur, &c. qui reliqui fuerint ex Iudæis, mul-

multiplicabuntur. Quae derelicta fuerat; ſcilicet natio Iudæorum.

V. 13. Et adhuc in ea decimatio. Cladem Iudæorum ſignificare videtur ſub Adriano, cum rebellantes Iudæos ita attrivit, ut ex decem vix unus ſupereſſet. Et convertetur, et erit in oſtenſionem; id eſt, iterum erit populus in oſtenſionem, ut ſcilicet Iuda ſit riſui, & oſtentui gentibus. Similis phraſis eſt Pſal. lxxvii. 41. *Converſi ſunt, & tentaverunt Deum*, id eſt iterum tentaverunt. Ramos ſuos; ſcilicet aridos, demortuos, & deformes. Semen ſanctum. Idem eſt quod dictum eſt ſupra cap. iv. 3. *Et erit omnis qui relictus fuerit*, &c. Semen ergo ſanctum ſunt Apoſtoli, aliique primi Chriſtiani, ex quibus Sanctorum genus toto orbe propagatum eſt.

TIRINI.

Verſ. 1. Anno quo mortuus est rex Iudæ, nomine Ozias, ſeu Azarias, qui 52. annis regnavit; ſucceſſoremque habuit filium ſuum *Ioathan*, cuius regni initio contigit hæc apparitio Iſaiæ, nempe Ozia iam vita functo, ut contra Sanchez & quoſdam alios docent SS. Hieronymus, Cyrillus, Nyſſenus, Ambroſius, Thomas & Lyranus, Arias & Alvarez. Et patet ex ſimili phraſi Iſaiæ xiv. 28. Videtur enim Deus ob temerarii regis facrilegium, quamdiu ille vixit, noluiſſe dignari ſynagogam tam illuſtri apparitione: quo palam orbi faceret, quam noxia ſint, ſibique diſpliceant regum ſcelera, maxime cum circa munia ſacerdotalia præſumunt aliquid ſibi arrogare contra decreta Dei. Vidi, non tam corporis, quam mentis oculis, inquit S. Auguſtinus, Dominum Deum, & tres in Deo perſonas. Et quidem Patrem apparuiſſe docent omnes SS. Patres, quos citat Damaſcenus. De Filio idem clare aſſeritur Ioan. xii. 41. Denique de Spiritu ſancto, Act. xxviii. 25. collato cum iis quæ hic habentur verſ. 9. & 10. ita Toletus, Maldonatus, a Lapide, Ribera & Alvarez, contra Alcazar, qui ſolum Patrem; & Sanchez, qui ſolum Filium hic apparuiſſe contendunt; ſed omnes tres perſonas apparuiſſe, & ideo ter *Sanctus* hic acclamari, communis eſt Eccleſiæ ſenſus, inquit Leo Caſtrius: & veteres Rabbini, citati a Galatino, idem affirmant. Nolim tamen id intelligi de perſonis divinis, ut in ſe ſunt, aut ſecundum ſuam eſſentiam vel hypoſtaſes divinas, (ſic enim *Deum nemo vidit unquam*, Ioannis 1.) ſed per ſpeciem vel imaginem corpoream, qua inſtar regis ſedentis in ſolio apparuit tertio Iſaiæ, ſicut in *parelio* ter ſubinde apparet idem ſol: vel ſicut unus idemque vultus hominis in pluribus ſpeculis reflexus apparet. Ea quae ſub ipſo erant; Hebraice, *ſculaſ*, id eſt fimbriæ & oræ veſtium Dei, replebant templum, non Salomonicum, ut vult Peradus; ſed cæleſte, ſeu in cælo exhibitum Iſaiæ, ſimile tamen templo Salomonis: in quo ſolium apparebat Dei, inſtar propitiatorii quod erat in templo Salomonis; item Seraphim inſtar Cherubinorum Salomonis; item altare, &c. Senſus ergo eſt, regalis veſtis, ſirma, ſeu paludamentum Dei tam longum erat, tam latum, tam ſinuoſum, ut impleret non ſolum *Sanctum ſanctorum*, ſeu partem nobiliorem templi, in qua Deus in auguſto ſolio reſidebat, ſed etiam reliquum templi, quod Sanctum vocabatur. Quo indicari volebat Deus, maieſtatem Dei & gloriam Chriſti implere totam Eccleſiam, nempe & triumphantem & militantem: immo minimum divinæ maieſtatis, immo & humanitatem Verbi divini, quæ eſt quaſi fimbria, ſeu extremum veſtis Filii Dei, maius eſſe omni gloria terrena & cæleſti: unde LXX. & Chaldæus vertunt, *Plena erat domus gloria eius*.

V. 2. Seraphim ſtabant ſuper illud, id eſt iuxta ſolium Dei, puta in ſuppedaneo, vel aliquo gradu ſolii, ut ſolent principes aſſiſtere regi ſuo. Porro *Seraphim* ſignificat *accendentes*, a radice *ſaraph*, id eſt accendit, quæ ſæpe in Scripturis *a* occurrit, licet angelorum *Seraphinorum* nulla uſpiam, niſi hoc loco, mentio fiat. Tribuitur vero hoc nomen angelis primi & ſupremi ordinis per antonomaſiam, eo quod nobiliſſimo & excellentiſſimo modo, igne divino & ipſi ardeant, & alios accendant & inflamment. Sex alae uni, et sex alae alteri: quibus ſignificatur, eos maxima præ aliis agilitate & vi motiva præditos eſſe, perfectiſſimaque cognitione &

Digitized by Google

amore in Deum tendere, inquit Sanctus Dionyſius. Myſtice de ſex alis, quas quivis fidelis, item quivis Prælatus habere debet, elegantiſſimum libellum conſcripſit Sanctus Bonaventura. DUABUS VELABANT FACIEM EIUS, ET DUABUS VELABANT PEDES EIUS, ſcilicet Dei: ita vertit etiam S. Hieron. Cyrillus, Hugo & Petrus Damian. Poteſt tamen Hebræum *panaſ*, etiam verti, *facies ſuas*; & *relaſ pedes ſuos*: & ita vertunt Chaldæus, Vatablus, Chryſoſtomus, & ſic legitur in Liturgiis S. Iacobi & AEthiopum. Utrumque vere factum: nam alæ ſuperne coniunctæ, atque oppoſitæ faciei Seraphinorum, velabant & ipſorum faciem, & ipſis faciem Dei, eius conſpectum ſibi adimentes. Primo, præ reverentia; qua etſi perſpicaciſſimis ſint oculis, tamen adverſus tantum ſplendorem, quantus emicat e vultu divino, cæcos ſe fatentur. Secundo, ex affectu perfectæ obedientiæ, qua velatis oculis, & quaſi cæci, promptos ſeſe exhibent ad quævis iuſſa divina capeſſenda. Simili modo binæ alæ inferne coniunctæ velabant non ipſorum modo pedes, ſeu femora, ſed & ipſius quoque Dei, cui proxime adſtabant. Tegendo autem ſuos pedes, ſuam teſtabantur primo verecundiam, ut ne quis aſpiceret imperfectum amorem in Deum & affectum, cuius ſymbolum ſunt pedes: ſecundo caſtimoniam, quam populo Iudaico in res obſcœnas propenſiſſimo inculcatam volebant. Tegendo vero pedes Dei, innuebant, inquit Rupertus, non ſolam *faciem*, id eſt divinitatem Dei incomprehenſibilem eſſe omnibus creaturis, ſed etiam *pedes* eius, id eſt humanitatem Chriſti, qua inter nos ambulavit, ipſis quoque Seraphinis impenetrabilem eſſe, cum ob alia, tum ob exceſſivam in ea humiliationem & exinanitionem tantæ maieſtatis, quam ſat mirari & ſuſpicere non poſſunt. Denique reliquis alis DUABUS VOLABANT, non circumvolitantes, ſed extenſis & libratis alis volaturientes, interim eodem loco pedibus conſiſtentes. Quo ſchemate ſignificabant, primo, ſe ſummo teneri deſiderio ad ſe totos in Deum immergendos: ſecundo, ſe promptos eſſe & accinctos ad omnem Dei nutum explendum; tertio ſe divini amoris æſtum, quo tam vicini Deo quaſi urebantur, alarum ceu flabelli agitatione nonnihil refrigerare, inquit Sanchez.

V. 3. ET CLAMABANT duo iſti nobiliores Seraphini, ſed cum iis innumeri alii, ALTER AD ALTERUM, *ἀντιφώνως*, id eſt alternis vicibus, ut fit in choro pſallentium: SANCTUS, SANCTUS, SANCTUS, nempe, eſſentialiter, & infinite, quomodo nemo alius ſanctus eſt: abyſſus enim eſt omnis ſanctitatis, adeoque ipſa ſanctitas & puritas; & omnis ad extra ſanctitatis fons, origo & cauſa. De hoc Triſagio vide quæ habet Baronius anno Chriſti 446. & 483. Hac trina *Sancti* acclamatione dicunt ſancti Patres, indicari Trinitatem perſonarum divinarum in unica eſſentia, deſignata per ſingularem voculam, DOMINUS DEUS *ſabaoth*. Vide Damaſcenum & alios ſupra citatos.

V. 4. ET COMMOTA SUNT SUPERLIMINARIA CARDINUM; id eſt, ipſum templum videbatur e ſuis cardinibus dimoveri, A VOCE CLAMANTIS Seraphini utriuſque; ſeu vi & ardore vocis eorumdem: ET DOMUS, ſeu templum, REPLETA EST FUMO, id eſt nebula, quæ ſymbolum eſt *gloriæ Domini*, adeoque vocatur *gloria Domini* in Scripturis *b*: per eam enim deſignabat Deus, ſe inhabitare lucem inacceſſibilem. Sed S. Hieronymus, Cyrillus, Thomas & Pintus volunt hic præſignari excidium & everſionem templi Ieroſolymitani, ſimulque reprobationem Synagogæ; quaſi dicat: Cum tota terra repleretur gloria Evangelii Chriſti, ſola domus Iudæorum obtenebrata eſt; primo, fumo iræ Dei; ſecundo, fumo infidelitatis & excæcationis, quæ prædicitur hic verſ. 10.

V. 5. ET DIXI, VAE MIHI; Hebraice, *oi*, id eſt, heu mihi: eſt enim non minantis, ſed dolentis. QUIA TACUI, ſeu tacere coactus ſum, inter divinas angelorum laudes, non auſus eas contaminare meis labiis, quæ ſenſi polluta eſſe & inquinata pluribus peccatis, nempe contractis ex conſortio & colloquio perpetuo cum popularibus meis profanis & impiis: ita fere Cyrillus, Hieronymus, Origenes & Gregorius, qui addunt, hinc patere quam noxia ſit improborum ſocietas, quæ tam eximium quoque Prophetam inquinarit. Simul volunt, Prophetam hic ſe accuſare nimiæ taciturnitatis in increpando

do populo, proceribus & rege, ſeu *Ozia*, dum illicitum thus in templo adolere tentaret: ſeu filio eius *Ioathan*, dum populum delinquentem non compeſceret, II. Paralip. XXVII. 2. ET, pro, quia, REGEM DOMINUM EXERCITUUM VIDI OCULIS MEIS; quaſi dicat: Tanto magis me affligit peccatum meum; nam comparatione tantæ puritatis & ſanctimoniæ apparet illud mihi longe horribilius & fœdius, quam ante mihi videbatur.

V. 6. ET VOLAVIT AD ME UNUS DE SERAPHIM iuſſu & miſſu Dei: omnes enim ſunt adminiſtratorii *c* ſpiritus. ET IN MANU EIUS CALCULUS. Græce, ἄνθραξ, id eſt pruna ignita; & talis erat haud dubie, & ideo forcipe deſumpta ex igne altaris. Hebræum tamen *ritſpa*, & Græcum ἄνθραξ etiam deſignat *carbunculum*, ſeu gemmam ignei & flammei coloris: quomodo etiam S. Hieronymus alibi vertit, item Aquila, Symmachus & Theodotion, & ex iis noſter Alcazar & quidam alii interpretes. Porro utrumque hic quadrat: nam in cæleſti templo & altari prunæ non ſunt ligneæ, ſed gemmeæ, quia tales decent Deum, cuius ſoculus nutritur pyropis & carbunculis; quæ gemmæ ſunt omnium pretioſiſſimæ, inquit noſter a Lapide: nam carbunculus ponderans drachmam, 60. millibus aureorum æſtimatur, id eſt pluris quam adamantes quatuor eiuſdem ponderis.

V. 7. ECCE TETIGIT HOC LABIA TUA: & hoc contactu ſignificat Deus, ſe tibi primo dare gratiam Spiritus ſancti, & per eam remittere peccata tua; ſecundo, nobilius quam hucuſque habueris, donum & munus prophetiæ concedere, ut excuſſo inutili metu, plenus animo & fiducia arguas peccata popularium tuorum. Sic in Pentecoſte per linguas igneas in alios viros mutati ſunt Apoſtoli. Allegorice, per hunc calculum Cyrillus & Baſilius intelligunt Chriſtum; Iuſtinus *d*, SS. Euchariſtiam; Rupertus, abſolutionem Sacramentalem.

V. 9. AUDITE AUDIENTES *e*, ET NOLITE INTELLIGERE. Enallage modorum; Imperativi pro *f* futuris, id eſt audietis, & noletis intelligere. Ita LXX. & ex iis Chriſtus Matth. XIII. 14. & Paulus Actor. ult. 26. Ex quibus etiam locis patet, iuberi hic Iſaiam hanc prophetiam de excæcatione, reiectione & reprobatione Iudæorum inculcare populo Iudaico, qui fuit tum tempore Iſaiæ, tum tempore Meſſiæ; idem enim erat populus: ſicut idem cenſetur fluvius, etſi alia atque alia ſuccedat perpetuo aqua, inquit S. Baſilius; quaſi dicat: Scio, o Iudæi, vos avide inhiare ſaluti, maxime per Meſſiam promiſſæ; ſed cum offeretur vobis, non acceptabitis: cum venerit Meſſias, illum reiicietis: conciones quidem eius audietis, ſed non voletis intelligere: miracula eius videbitis, ſed non voletis agnoſcere ea eſſe opera Meſſiæ, ſed Beelzebub: ita S. Baſilius, Hieronymus, Chryſoſtomus, Cyrillus.

V. 10. EXCAECA COR, &c. id eſt, prædic eos excæcandos, & aggravandos, ſeu obdurandos; ſæpe enim verba realia per mentalia exponi debent, ut alibi dixi: neque enim loquitur hic Iſaias, ut putavit S. Hieron. Thomas, Hugo, Haymo & Gloſſa; ſed Iſaiæ loquitur Deus, ut conſtat ex ult. verbo huius verſiculi, NE SANEM EUM; & docent S. Cyrillus, Lyranus, Forerius, Adamus Sasbout & alii. LXX. mutatis nonnihil punctis vertunt, *incraſſatum eſt cor eorum*; Ioannes vero c. XII. 40. aliis rurſum punctis legit, *Excæcavit oculos eorum, & induravit cor*, non directe, ſed occaſionaliter, ut alio loco expoſui: directe enim & formaliter ipſimet Iudæi ſemet indurarunt & excæcarunt; quod iubetur hic Iſaias prædicere certo ipſos facturos: nempe occludent ſponte oculos mentis, NE QUO FORTE caſu videant veritatem: aures ſtudio obturabunt, ne audiant veritatem, &c. Atque ita deſperatam eſſe pronuntia *converſionem* illorum *& ſanitatem*: ſicut deſperata eſt valetudo infirmi, remedia omnia obſtinate repellentis.

V. 11. ET DIXI: USQUEQUO DOMINE? ſupple, durabit hæc Iudæorum excæcatio? Vel, quo hæc tandem evadet? Reſponſio: DONEC DESOLENTUR CIVITATES, &c. tum per Chaldæos, ut Chryſoſtomus & Vatablus; tum per Romanos, ut Hieronymus, Baſilius, Cyrillus, Rupertus & Haymo.

V. 12. ET LONGE FACIET DOMINUS HOMINES, id eſt ablegabit Iudæos procul a patria ſua; non tamen funditus exſcindet:

det: nam MULTIPLICABITUR iterum gens Iudaica, per novam proſeminationem. Neque tamen durabit hæc perpetuo multiplicatio: nam

V. 13. ET ADHUC IN EA DECIMATIO fiet non ſemel, ſed ſæpius, nempe per Antiochum Epiphanem *g*, per Pompeum *h*, per Titum, per Adrianum, per alios Imperatores: ita fere Sanchez. Chaldæus dicit talem fore decimationem, ut novem partibus abſumptis, non niſi una decima remaneat. Et certe Adrianus Imp. L. annis poſt Titum, Iudæos iterum rebellantes maiore clade affecit quam Titus, ac pene ſtirpitus delevit, adeoque & perpetuo edicto prohibuit in Iudæam regredi. Et hoc eſt quod hic ait Propheta: ET CONVERTETUR, ET ERIT IN OSTENSIONEM; id eſt, iterum *i* erit gens Iudæa in oſtenſionem, nempe irriſoriam, id eſt oſtentui & riſui erit gentibus, utpote infamis ob ſua ſcelera & probroſa ſupplicia. Hebræa etiam verti poſſunt, *erit in depaſtionem*; LXX. *in deprædationem*; Chaldæus, *in combuſtionem*. SICUT TEREBINTHUS, ET SICUT QUERCUS, QUAE ſpoliata foliis, & ſucco vitali, EXPANDIT nudos aridoſque RAMOS SUOS; nec tamen permittam prorſus exſuccam reddi arborem: nam defluentibus ramis cum foliis, adhuc in trunco vitam & ſuccum ſervabo: SEMEN SANCTUM ERIT ID QUOD STETERIT IN EA, id eſt, quod in vivis perſtiterit; quaſi dicat: Surculos & germina nonnulla viva conſervabo in illo trunco, ex quibus quaſi ex ſemine progignentur novæ frondes, flores & fructus. Sed hoc *ſemen*, ſeu ſtirpes & rami novi, non erunt amplius profani & immundi, ut erant alii iam exciſi; ſed erunt mundi & *ſancti* per fidem Chriſto inſerti, eiuſque Sacramentis ſanctificati. Loquitur de Apoſtolis, & aliis primis Chriſtianis, de quibus ſupra cap. IV. 3. dixerat: *Omnis qui relictus fuerit in Sion, ſanctus vocabitur*. Porro eidem trunco, quaſi olivæ ſanctiferæ, Gentiles quaſi oleaſtri a S. Paulo inſerendi dicuntur, Rom. XI. 24. ita fere Chaldæus, S. Hieronymus & alii. Gabriel Alvarez totum hunc verſum putat etiam ex Hebræo, mutatis punctis, exponi poſſe in favorem Iudæorum, qui ſub finem mundi inſtar arboris revireſcentis, iterum florebunt, & priſtinum vigorem, gloriam; amplitudinem recuperabunt, nempe quando *plenitudo* Iudæorum, & *omnis Iſrael ſalvus fiet*, Roman. XI. 12. & 26.

(a) Deut. VIII. 15. Num. XXI. 6. Iſaiæ XXX. 6.
(b) Exod. XX. & XXIV. Num. XVI. & III. Reg. VIII. Pſal. XVII. & Ezech. X. 3.
(c) ad Heb. I. 14.
(d) Iuſtin. reſ. ad q. XLIV. Gentilium.
(e) In proleg. de Idiotiſm. Heb. n. XLIX.
(f) Ibid. n. 44.
(g) Chronic. cap. XL. in Epiphane.
(h) Chron. cap. XLII. claſſe II. in Ariſtobulo II. Chron. cap. L. in Veſpaſian. & Tito.
(i) Prole. de Idiotiſm. Hebr. n. 4.

G O R D O N I.

Verſ. 1. IN ANNO QUO MORTUUS EST OZIAS. Hic annus quinquageſimus ſecundus Oſiæ regis Iudæ ;vix abeſt a mundi anno 3220. aut 3222. dixi de Iſaia. Deus ſub varia forma, varie ut res poſtulat apparet: hic certe in ſpecie magni iudicis. ET QUAE SUB IPSO ERANT, hoc eſt, ex Heb. *fimbriæ*. Septuag. *plena domus gloria eius*. Sed viditne Iſaias oculis? an quod probabilius eſt, per ſpeciem menti aut imaginationi obiectam.

V. 2. SERAPHIM STABANT. שרף, *combuſſit*, *accendit*: hinc *Seraphim*, *ardentes*, aptus color coram iudice. *Stabant*, Septuaginta, *in circuitu*: de his vide Exod. XXV. alas habent ob velocitatem deſignandam: quiſque ſex habebat, duabus volabant, hoc eſt, apti ad volandum, duabus: per reliquas alas velabant faciem & pedes. Sed an Dei faciem & pedes, an ipſorum Seraphim? certant Interpretes, & quid ſi utrumque admittas? Item myſtice poſſet varie intelligi, ſive hinc dicas, faciem Dei, hoc eſt, eſſentiam & potentiam eſſe velatam, hoc eſt, denotari mortalibus ignotam; ſive Cherubinos ſic teſtari ſe vereri tum Dei maieſtatem, dum propriam occultant faciem; tum ſuum pudorem fateri velando pedes ſuos, quod eorum amor erga Deum tam ſit exiguus: alii aliter.

V. 3. & 4. ET CLAMABANT: ſcilicet invitando ad Dei laudem. PLENA EST OMNIS TERRA GLORIA EIUS: laudant ſcilicet omnia opificem ſuum; & patefacta eſt ianua a voce clamantium. Ex

Ex hac trina ſanctitatis expreſſione Patres antiqui oſtendunt Trinitarem contra Arrianos. Arrianizat Calvinus hunc locum enervans. Patres illi ſunt Ambroſ. Hieronym. Cyril. Procopius, Orig. Nazianz. Damaſc. in Triſagio, & alii: vide Exod. xxviii. & Levit. xx. Fumus, ſeu nebula olim erat ſymbolum gloriæ & præſentis Dei: Exod. xx. & III. Reg. cap. viii.

V. 5. Et dixit: Vae mihi, quia tacui; hoc eſt, cum ſim Propheta, tamen tacui, male functus officio; in quo fatetur ſe pollutum eſſe labiis & peccaſſe.

V. 6. Et volavit ad me unus. Calculus eſt *carbo*, *ἄνθραξ*; de altari ſcilicet holocauſti quod in hac viſione una cum templo repræſentabatur: calculus hic Symbolice deſignat gratiam Spiritus S.

V. 8. Particula nobis, iterum deſignat Trinitatem, ubi Deus de ſe loquitur in numero multitudinis; ex Hieron. Epiſt. cxlv. paratus eſt hic Iſaias ad Dei ſubindicatam voluntatem, ſed non advertit novator Calvinus, requiri hic miſſionem. Septuag. *ἀπόϛειλόν με*. Hebr. שלחני, *mitte me*, *welabeni*.

V. 9. Vade, et dices populo. Hic totus eſt ſcopus capitis: mittitur durus nuntius qui denuntiet Iudæis excidium & reprobationem ſub Chriſto. Iubetur ergo prædicere cæcitatem, obſtinationem, exterminium. Iubetur vero excæcare, hoc eſt denuntiare, quod voluntate libera futuri ſint cæci ac pertinaces. Iuſſus porro Iſaias excæcat, dum ea populo proponit efficaciter, quæ ipſi reiicient, & reiiciendo reprobabuntur. Multa ſunt ſimilia de Pharaone, & aliis ſcripturis; itaque occaſio data, & permiſſio divina, non reducunt obdurationem in Deum, niſi prorſus indirecte: vide Theol. Lib. IX. quæſt. xi. cap. vi.

V. 13. Adhuc in ea decimatio. Poſt derelictam civitatem abſque habitatore iterum populus multiplicabitur, & poſtea iterum decimatio. Hieron. Baſil. Cyril. & aliqui recentiores hæc referunt ad tempora Chriſti: ergo petenti Iſaiæ quouſque extendetur hæc populi eiectio; reſponſum accipit fore vaſtationem ſub Tito, tum urbis Sionis, tum omnium urbium, & poſt fugam in terras alienas, multiplicabitur adhuc, quamvis pene exciſa: & iterum decimatio ſub Adriano Imper. hoc eſt pauci ſupererunt, adeo ut ex denariis vix decimus ſit futurus ſuperſtes: ex quo prohibiti ſunt per edictum vel terram illam aſpicere; immo adhuc tales ſunt hodie: en ſtatum excidii quem petebat Iſaias.

At quid tandem illud, Convertetur et erit in ostensionem? ſane hoc eſt ac ſi diceret, iterum erit (ſcilicet in oſtenſionem & deriſum) Septuag. *rurſum erit πάλιν ἔϛαι εἰς προνομήν*, *direptionem*. Hebr. שבה: vide rad. שוב *reverti*, שובה *reverſio*. Sane poſſet hoc verbum, ut quædam alia cognatæ ſignificationis, accipi interdum pro adverbiis, quadam enallage Hebraica: & vero textus Hieronymi in Commentario, pro *convertetur* habet *iterum*: hinc manet fore Iudæos quercum inutilem. Semen vero quod manebit, eſt illud adveniente Chriſto, quando convertentur multi Iudæi.

Ex Eiusdem Auctario.

Verſ. 4. Commota: Vehemens vox denotatur, qua ipſum templum viſum eſt commoveri, & poſtes quibus ſuperliminaria imponebantur.

Verſ. 10. Excaeca. Propone Iudæis in ænigmate & parabolis ſeu obſcure venturum excidium. Aggrava aures, pone obſtaculum aliquod. Hæc prophetice dicta exponuntur per futurum; quaſi diceret: Dic fore, ut hæc eveniant, & excæcentur.

Verſ. 12. Multiplicabitur. Creſcet numerus Iudæorum poſt excidium: ſed iterum decimatio, ut dixi, ſub Adriano, & verſ. 15. ſemen ſanctum Chriſtianorum habitabit ibi.

CA-

CAPUT VII.

Obſeſſa a Syris & ab Iſrael Ieruſalem, Iſaias prophetat illos non prævalituros, datque impio Achaz ſignum liberationis virginem parituram filium, cuius nomen Emmanuel: prædicitque deſertionem Iſrael, & graviſſimam Iudæ afflictionem ac ſolitudinem.

1. ET factum eſt in diebus Achaz filii Ioathan, filii Oziæ
regis Iuda, aſcendit Raſin rex Syriæ, & Phacee filius
Romeliæ rex Iſrael in Ieruſalem, ad præliandum contra
eam: & non potuerunt debellare eam. 2. Et nuntiave-
runt domui David, dicentes: Requievit Syria ſuper E-
phraim, & commotum eſt cor eius, & cor populi eius,
ſicut moventur ligna ſilvarum a facie venti. 3. Et dixit Do-
minus ad Iſaiam: Egredere in occurſum Achaz tu, & qui derelictus eſt Ia-
ſub filius tuus, ad extremum aquæductus piſcinæ ſuperioris in via Agri fullonis.
4. Et dices ad eum: Vide ut ſileas: noli timere, & cor tuum ne formidet
a duabus caudis titionum fumigantium iſtorum in ira furoris Raſin regis Sy-
riæ, & filii Romeliæ: 5. eo quod conſilium inierit contra te Syria in malum
Ephraim, & filius Romeliæ, dicentes: 6. Aſcendamus ad Iudam, & ſuſcite-
mus eum, & avellamus eum ad nos, & ponamus regem in medio eius filium
Tabeel. 7. Hæc dicit Dominus Deus: Non ſtabit, & non erit iſtud: ſed ca-
put Syriæ Damaſcus, & caput Damaſci Raſin: & adhuc ſexaginta & quinque
anni, & deſinet Ephraim eſſe populus: 9 & caput Ephraim Samaria, & ca-
put Samariæ filius Romeliæ. Si non credideritis, non permanebitis. 10. Et ad-
iecit Dominus loqui ad Achaz, dicens: 11. Pete tibi ſignum a Domino Deo
tuo in profundum inferni, ſive in excelſum ſupra. 12. Et dixit Achaz: Non
petam, & non tentabo Dominum. 13. Et dixit: Audite ergo domus David:
Numquid parum vobis eſt, moleſtos eſſe hominibus, quia moleſti eſtis &
Deo meo? 14. Propter hoc dabit Dominus ipſe vobis ſignum. *b* Ecce virgo
concipiet, & pariet filium †, & vocabitur nomen eius Emmanuel. 15. Bu-
tyrum, & mel comedet, ut ſciat reprobare malum, & eligere bonum. 16. Quia
antequam ſciat puer reprobare malum, & eligere bonum, derelinquetur ter-
ra, quam tu deteſtaris a facie duorum regum ſuorum. 17. Adducet Dominus
ſuper te, & ſuper populum tuum, & ſuper domum patris tui, dies qui non
venerunt a diebus ſeparationis Ephraim a Iuda cum rege Aſſyriorum. 18. Et
erit in die illa: Sibilabit Dominus muſcæ, quæ eſt in extremo fluminum AE-
gypti, & api, quæ eſt in terra Aſſur, 19. & venient, & requieſcent omnes
in torrentibus vallium, & in cavernis petrarum, & in omnibus frutetis, &
in univerſis foraminibus. 20. In die illa radet Dominus in novacula conducta,
in his qui trans flumen ſunt, in rege Aſſyriorum, caput & pilos pedum, &
barbam univerſam. 21. Et erit in die illa: Nutriet homo vaccam boum, &
duas oves, 22. & præ ubertate lactis comedet butyrum: butyrum enim &
mel manducabit omnis qui relictus fuerit in medio terræ: 23. Et erit in die

illa:

illa: Omnis locus ubi fuerint mille vites, mille argenteis in ſpinas & in vepres erunt. 24. Cum ſagittis & arcu ingredientur illuc: vepres enim & ſpinæ erunt in univerſa terra. 25. Et omnes montes, qui in ſarculo ſarrientur, non veniet illuc terror ſpinarum & veprium, & erit in paſcua bovis, & in conculcationem pecoris.

(a) IV. Reg. XVI. 5. (b) Matth. VIII. 23. Luc. I. 31.

BRUGENSIS

Lectionum Varietas.

Verſ. 14. *Et vocabitur nomen eius Emmanuel*. Si Hieronymi commentarium & libros antiquos ſequi oportet, hic legendum eſt *vocabis* ſecunda perſona ſingulari.

Notatio.

Verſ. 14. *Et vocabitur nomen eius Emmanuel*. Sic plerique codices legunt. Tres Pariſienſium, ſex Hentenii, & tres noſtri ſcribunt *vocabitis*. Rurſus ſeptem Hentenii, & quatuor noſtri habent *vocabis*. Hebraice eſt קראת, quod ſi legas ut in punctatis fere eſt libris, קָרָאת eſt vel *vocabis* (nam præcedens coniunctio præteritum convertit in futurum) feminino genere, vel accepto ת loco ה, *vocabit*, eodem genere. Si קָרָאתָ legas, quod ſcribunt quidam in emendatioribus Hebræorum libris legi, eſt *vocabis* maſculino genere. *Vocabis* igitur inter illas Latinorum codicum lectiones, Hebræo conformior eſt. Hieronymus poſt Interpretes 72. & Aquilam, Symmachum, ac Theodotionem *vocabis* reddidit. Quodque ſequitur, habet in commentariis. „ *Et vocabis nomen eius Emmanuel*, & LXX, & tres reliqui ſimiliter tranſtulerunt: pro quo in Matthæo I. 23. „ ſcriptum eſt *vocabunt*, quod in Hebræo „ non habetur. Ergo iſte puer, qui naſcetur ex Virgine, o domus David, nunc „ a te appelletur Emmanuel, id eſt nobiſcum Deus, quia rebus ipſis probabis, „ a duobus inimicis regibus liberata, Deum te habere præſentem: & qui poſtea „ vocabitur Ieſus, id eſt Salvator, eo quod „ hominum univerſum genus ſalvaturus ſit, „ nunc a te Emmanuelis appelletur vocabulo. Verbum קראת, quod omnes interpretati ſunt *vocabis*, poteſt intelligi & „ *vocabit*, quod ipſa ſcilicet Virgo quæ concipiet et pariet, hoc Chriſtum appellatura ſit nomine. In multis teſtimoniis, „ quæ Evangeliſtæ, vel Apoſtoli de libris „ veteribus aſſumpſerunt, curioſius attendendum eſt, non eos verborum ordinem „ ſecutos eſſe, ſed ſenſum. Unde & in „ præſenti loco pro *concipies in utero*, Matthæus poſuit *in utero habebit*; & pro *vocabis*, *vocabunt*. “ Hæc Hieronymus, cuius hodie encomiis Catholicorum per orbem ſacræ ædes reſonant. Hieronymus ut vertit, ſic ex præſtantiſſimis noſtris manuſcriptis exemplaribus Brugenſe, Lobienſe, & O, legunt: quibus antiqua Epanorthotæ, & antiqua Dominicanorum conſonant. Itaque genuina eſt procul dubio noſtræ editionis ſcriptura: *Et vocabis nomen eius Emmanuel*; non *vocabitis*, non *vocabitur*, nec quod Carenſis legit *vocabit* (a). Veriſimile eſt, quia dicit Hieronymus, *vocabit* ex Hebræo intelligi poſſe, fuiſſe id in aliquorum primum librorum marginibus annotatum, ac tandem in aliquorum textum relatum. Ceteroqui ego nullis in libris inveni, niſi in impreſſis duobus quorum unum Pariſienſis typographus, alterum Clarius ſuo ſæpe pro arbitrio emendarunt. Notant quoque Dominicani, & interlinearis gloſſa, Alias *vocabit*: verum an ex Latinis exemplaribus, an ex ambiguo Hebræo, addubito: attamen certum eſt non eſſe verſionis Vulgatæ. Porro Hebræorum doctores, Pagnino teſte (b), Abraham, David, & Selomoh *vocabit* intelligunt; ſubaudiuntque *puella* (id enim, qua ſunt impietate, malunt intelligere, quam virgo) vel Spiritus ſanctus. Nam & Spiritus ſancti nomen Hebræis eſt femininum. Poſſet fidelium congregatio ſubaudiri, in quem forte ſenſum Evangeliſta accepit. Chaldæus paraphraſtes tranſtulit תִקְרֵי, quod quidem *vocabit* redditur, ſed anceps eſt, ad tertiam femininam, & ſecundam maſculinam perſonam.

(a) Sanctes, Pagninus paraphraſticos tranſtulit: *Et vocabis tu mater nomen eius Emmanuel*.
(b) In theſauro linguæ ſanctæ.

COMMENTARIA

MALDONATI.

Verſ. 1. ET FACTUM EST. Deſcribit hiſtoriam quæ eſt IV. Reg. XVI. 5. ideo autem videtur narrare quomodo duo potentiſſimi reges unum Achaz non potuerunt debellare, ut oſtendat everſionem quæ poſtea ſecuta eſt, non hominum potentia, ſed Dei conſilio factam eſſe.

V. 2. ET NUNTIAVERUNT, Heb. ויגד, *& nuntiatum eſt* DOMUI DAVID, id eſt tribui Iuda, aut Achaz, qui ex familia erat Davidis. REQUIEVIT SYRIA SUPER EPHRAIM, id eſt nititur, confidit, vires ſuas coniunxit cum Ephraim, id eſt cum rege Iſrael Phacee: quia primus rex Iſrael Ieroboam erat Ephrateus: III. Reg. XII. ET COMMOTUM EST, id eſt tremuit metu COR EIUS, ſcilicet domus David, aut Iuda, & Achaz, qui per domum David intelliguntur. SICUT MOVENTUR LIGNA, &C. A FACIE VENTI, id eſt flante vento.

V. 3. TU; ET QUI DERELICTUS EST IASUB. H. שאר ישיב, unum nomen proprium filii Iſaiæ, ſignificans *reliquiæ revertentur*: ſic enim vocavit filium Iſaias, ut Iudæis teſtaretur fore, ut reliquiæ Iudæorum ex Babylonica captivitate reverterentur. AD EXTREMUM, id eſt ad finem, AQUAEDUCTUS PISCINAE SUPERIORIS. Tres erant piſcinæ, duæ intra urbem, altera probatica, altera inferior, quæ & Ezechiæ dicebatur: tertia extra urbem non longe a fonte Siloe, quæ ſuperior vocabatur. IN VIA AGRI. Heb. מסלת, *a via*, id eſt e regione viæ agri fullonis.

V. 4. VIDE UT SILEAS. Hebr. השמר והשקט, *cave, & quieſce*; id eſt, ſac bono ac tranquillo ſis animo (dixerat enim ante commotum fuiſſe.) Alii השמר interpretantur, *reſide*, ſicut vini cum turbatum eſt, fæces reſidere ſolent, quia שמרים ſunt fæces. ET COR TUUM NE FORMIDET. Heb. אלירך, *ne molleſcat*. A DUABUS CAUDIS. Heb. *propter duas caudas*. Eleganter comparat duos reges duabus caudis titionum fumigantium, ut oſtendat eos fore ut metum iniiciant, ac moleſtiam exhibeant Achaz: nihil vero noceant, ſicut caudæ titionum fumigantes ſolent aſtantes moleſtia afficere, ſed non urere. Vel fumigantibus titionibus comparat propter iram, quæ velut fumus quidam eſt. Atque ſunt verba iungenda, fumigantium in ira, id eſt præ ira furoris: & per appoſitionem, Raſin & filii Romeliæ.

V. 5. EO QUOD CONSILIUM; id eſt, ne propterea timeas, quod contra te conſilium inierint.

V. 6. ASCENDAMUS AD (Heb. *contra*) IUDAM, ET SUSCITEMUS EUM. Heb. cum feminino genere, id eſt vexemus, aut emigrare cogamus de loco ſuo, ſicut quiſ feram excitant venatores, id eſt exire cogunt. ET EVELLAMUS EUM. Hebr. ונבקיענה אלינו, *& exſcindamus eam nobis*, id eſt expugnemus, ſubiugemus eam nobis. ET PONAMUS. Heb. ונמליך, *regnare faciamus*, regem conſtituamus in ea. FILIUM TABEEL: quis hic fuerit non legimus, ſed veriſimile eſt fuiſſe ex Iſrael, aut forte Syrum: nam I. Eſdr. IV. 7. legimus Babylonium, aut Aſſyrium quemdam alium eodem nomine.

V. 7. NON STABIT. Hebr. לא קוחק ולא היה, *non ſurget, & non erit* (eorum conſilium) id eſt, non conſiſtet, non evadet, non habebit ſucceſſum quem ſperant.

V. 8. & 9, SED CAPUT SYRIAE DAMASCUS, id eſt metropolis. ET CAPUT DAMASCI, id eſt rex, RASIN; quaſi dicat: Raſin non capiet Ieruſalem, ut eam faciat metropolim, & ſedem regum Syriæ: ſed tantum rex erit Damaſci, & antequam regnum ſuum dilatare poſſit, interficietur: quod factum eſt paulo poſt vivente adhuc Achaz IV. Reg. XVI. 9. ET ADHUC SEXAGINTA ET QUINQUE ANNI, id eſt ſexageſimo quinto anno. Si anni a tempore quo Iſaias hoc prædixit numerentur, multo pauciores reperientur. Quare Hieron. ex Hebræorum ſententia, docet a Prophetia Amos, qui contra Iſrael ſub Ozia rege Iuda duobus annis ante terræ motum,

id

id eſt anno eius 25. regnaſſe autem poſtea 27. (totum enim regnum illius fuit 52. annorum) poſt eum regnaſſe Ioatham filium eius annos 16. Achaz vero huius filium alios 16. cui ſucceſſit Ezechias, cuius ſexto anno capta eſt Samaria. Alii (quod eodem redit) Amos cœpiſſe prophetare anno 18. Ieroboam, qui poſt eam prophetiam regnavit annos 24. Manahem 10. Phaceiah 2. Phacee 20. Ozee 9. qui reges fuerunt Iſrael, efficique annos 65. ſenſumque Iſaiæ eſſe, *Adhuc ſexaginta quinque anni*; id eſt, nondum completi ſunt 65. anni poſt prophetiam Amos: cum autem completi fuerint, Et desinet Ephraim esse populus. Heb. יחת אפרים מעם, *deponetur Ephraim a populo*; id eſt, ne ſit populus, ne regnet in populo. Ephraim vocat regem Iſrael, quia Ieroboam primus rex fuit Ephrathæus. Et caput Ephraim; id eſt, metropolis regis Iſrael erit Samaria, non autem Ieruſalem, quem non poterit expugnare. Et caput Samariae, (id eſt, rex) filius Romeliae, id eſt rex Phacee, qui tunc regnabat; quaſi dicat, Phacee non erit rex niſi in Samaria. Si non credideritis, non permanebitis. Septuag. *ἐὰν μὴ πιςεύητε, οὐδὲ μὴ συνῆτε*. Propterea omnes veteres auctores Latini & Græci ſolent legere: *Si non credideritis, non intelligetis*. Hebr. *Si non credideritis*, כי לא תאמנו, *quia non eritis firmi*; id eſt, ſi non credideritis, propterea fiet, quia inconſtantes & leves eſtis. Alii melius, כי לא תאמנו, *ſi non credideritis, tunc non credetur vobis*; id eſt, non ſervabitur vobis fides, ſed propter infidelitatem veſtram ducemini etiam captivi.

V. 10. Et adiecit Dominus loqui ad Achaz, ſcilicet per Iſaiam, poſtquam Iſaias illi dixerat quæ ſupra explicata ſunt, verſ. 7. 8. 9. præcepit Dominus ut hoc etiam adderet.

V. 11. Pete tibi signum, id eſt ad faciendam tibi ipſi fidem. In profundum. Heb. העמק שאלה; alii vertunt: *Deſcende in infernum*. Alii, *Deſcende petendo*. Alii, *In profundo inferni*. Et quod ſequitur או הגבה למעלה. Alii, vel *Aſcende*, aut *Leva te ſurſum*. Alii, *In excelſo ſupra*. Senſus idem eſt, pete ſignum ubicumque velis, ſive in terra, ſive in cælo.

V. 12. Non petam. Non videntur eſſe increduli verba, ut putant aliqui, ſed potius reverentis: addit enim cauſam, Et non tentabo Dominum.

V. 13. Et dixit (Iſaias.) Cum enim Achaz ſignum petere noluiſſet, Iſaias dat ſignum. Numquid parum vobis est. Heb. המעט מכם, *an parum a vobis* (ad verbum) id eſt, an non putatis vobis ſufficere moleſtos eſſe hominibus, id eſt mihi & Prophetis, non credendo quæ dicimus, niſi etiam moleſti ſitis Deo meo non credentes quæ ille vobis dicit? Poteſt hoc ad ſignum referri; quaſi dicat: Non ſolum non creditis nobis futura prædicentibus, ſed neque Deo ipſi ſigna facienti credituri: Chriſtum enim ex Virgine natum eſſe numquam Iudæi credere voluerunt.

V. 14. Propter hoc dabit Dominus ipse vobis signum; id eſt, quia neque nobis Prophetis, neque illi creditis, veniet tempus, quo non loquetur vobis per Prophetas, ſed ipſe per ſe ſignum vobis dabit. *Vobis*, non ponitur pro perſona, ſed pro genere: non enim illis ipſis daturus erat ſignum, ſed Iudæis eorum poſteris. Cur ergo (dicet aliquis) ad faciendam fidem rei præſentis proponit ſignum futurum? quia illa liberatio Achaz & populi a rege Iſrael & Samariæ futuram a diabolo per Chriſtum liberationem ſignificabat. Itaque relicta figura, de re figurata proponit ſignum. Ecce virgo concipiet. Hoc eſt ſignum illud admirabile, quod Deus illis proponit; quaſi dicat: Si creditis Chriſtum ex Virgine naſciturum, quemadmodum debetis, etiam credetis liberaturum iri vos ab hoſtibus. Ineptiunt hoc loco Iudæi, nomen עלמה non ſignificare virginem, ſed puellam; quod multis locis falſum eſſe conſtat: Geneſ. xxiv. 16. Rebecca virgo עלמה dicitur: & Exod ii. 8. quin, ut ait Hieronymus, nuſquam in Scripturis pro muliere corrupta poſitum reperitur. Adde, quod ſi aliis locis non virginitatem, ſed ætatem ſignificaret, tamen hoc loco pro virgine poni neceſſe eſſet. Quale enim ſignum eſſet, (ut contra Iudæos veteres auctores argumentantur) corruptam puellam concipere & parere? Deinde ה demonſtrativum oſtendit non quamvis virginem, ſed inſignem aliquam, &

ipſa nominis etymologia declarat ſignificare, non quamlibet virginem (ut D. Hieronymus annotavit) ſed diligenter ſervatam ac domi reconditam: עלם enim eſt *abſcondere*. Et vocabitur. Hebr. וקראת feminini generis, *vocabit ipſa virgo*, ad oſtendendam non eſſe habiturum patrem in terris. Alii legunt קראה cum ה adiectitio, *vocabit*, ut intelligatur Spiritus ſanctus, aut Deus, aut verbale nomen, *vocans*. Iudæi videntur corrupiſſe in קראת ſecundam perſonam, *vocabis*, ut referant ad Achaz. Septuag. καλέσεις verterunt, id eſt *vocabis*: quod non debet tamen referri ad ipſum Achaz, ſed ad eius poſteritatem; id eſt, poſteri tui vocabunt illum עמנואל, *nobiſcum Deus*. Non ſignificat fore ut hoc ipſo nomine Chriſtum appellent; nuſquam enim id legimus: ſed ut pro Deo & homine eum habeant. Hoc enim eſt עמנואל, & vocandi verbum aliquando apud Hebræos non ſignificat appellare, ſed eſſe, habere pro tali: *Ut qui vocat ea quæ non ſunt, tanquam ea quæ ſunt*: Rom. iv. 17. id eſt futura habet pro præſentibus. Et Proverb. vii. 4. *Prudentiam voca amicam tuam*, id eſt habe pro amica.

V. 15. Butyrum et mel comedet; id eſt, ſobrius erit, qui enim ſobrii ſunt, huiuſmodi cibis fere tantum utuntur, ubi maxime abundant, ut in Iudæa. Ut sciat reprobare malum, &c. Sapientia ſobrietatem plerumque ſequitur. Alii, *Butyrum & mel comedet*; id eſt, utetur iis cibis, quibus alii homines in eius patria utuntur; quaſi dicat: Verus homo erit, verumque corpus habebit, ita ut ſciat bonum cibum eligere, malum repudiare, id eſt inter cibum & cibum diſcernere: vel, adhuc infans comedens lac & mel ſciet reprobare malum & eligere bonum: aut, naſcetur in magna ubertate, ut infra xxiii. Myſtice butyro & melle omne genus divinæ gratiæ intelligi poteſt, qua Chriſtus plenus fuit: Ioan. i. 4.

V 16. Quia antequam sciat puer; id eſt, etſi futurum eſt ut puer ſciat reprobare malum & eligere bonum, tamen antequam id faciat, id eſt antequam naſcatur, relinquetur terra, ſcilicet Samaria & Syria: relinquetur, inquam, a facie duorum regum ſuorum, id eſt tolletur ab illis: aut, quam tu deteſtaris; id eſt formidas a facie, id eſt propter duos reges eius: uſitatus Hebraiſmus. Illud כי *quia*, non refertur ad ſenſum, ſed ad verba; quaſi dicat: Propterea dixi eum ſciturum reprobare malum, & eligere bonum, quia antequam id ſciat, relinquetur terra.

V. 17. Cum rege Assyriorum. Heb. את מלך אשור nempe *regem Aſſyriorum*; id eſt, fecit quæ hactenus non fecit, quia excitabit regem Aſſyriorum contra Syriam, & expugnabit Damaſcum regemque interficiet. IV. Reg. xvi. 9. Aut alludit ad obſidionem Ieroſolymitanam a rege Aſſyriorum factam paulo poſt ſub Ezechia: IV. Reg. xviii.

V. 18. Sibilabit Dominus, id eſt ſignum dabit, excitabit muſcas, quæ ſunt in ultimis fluviis AEgypti, id eſt ipſos AEgyptios ab extremis oris advocabit contra Ieruſalem: vocat muſcas propter multitudinem. Et api (ſing. pro plur.) quae est in terra Assur, id eſt Aſſyriis: vocat autem apes comparatione AEgyptiorum, quia bellicoſiores erant. Et requiescent omnes in torrentibus vallium. Heb. בנחלי הבתות, *in torrentibus deſolationum*, id eſt iuxta torrentes ex deſertis montibus defluentes. Et in cavernis petrarum, et in omnibus frutetis. Hebr. הנעצוצים, alii vertunt, *In omnibus ſpinetis*. Et in universis foraminibus. Hebr. נהלולים alii, *In vilibus arboribus*. Perſeverat in metaphora, in huiuſmodi enim locis ſolent muſcæ & apes reſidere. Summa autem ſententiæ eſt, fore ut AEgyptii & Aſſyrii occupent & compleant totam terram Iudæ. Alii, per valles urbes in vallibus ſitas; per cavernas petrarum, ſitas in montibus; per ſpineta pagos ſpinis cinctos intelligunt.

V. 20. In die illa. Hunc locum non ſolum verba, ſed ipſa etiam hiſtoria difficilem reddunt. Quidam putant alludi ad hiſtoriam quæ eſt IV. Reg. cap. xix. de obſidione Ieroſolymitana ſub Ezechia, cum Angelus una nocte 185000. Aſſyriorum interfecit: atque ita interpretantur: Radet Dominus novacula conducta, id eſt acutiſſima & optima (quia quæ conducimus optima eſſe ſolent.) Caput, id eſt capillos. Et pilos pe-

dium, ;

Digitized by Google

DUM, id eſt pubem (ſic enim honeſto verbo vocant, ſicut urinam aquam pedum.) ET BARBAM. Novaculam optimam appellat Angelum, caput regem, barbam duces, pubem gregarios milites. Ego, ſi de ea hiſtoria agitur, malim aliter interpretari verba, *Radet Dominus*, רבתער השבירה, *novacula mercedis*, vel *conductionis*, id eſt tonſoris, qui mercede ſolet capillum & barbam radere: novacula autem tonſoris periphraſis eſt acutiſſimæ novaculæ. Vocat Angelum novaculam, quia tanta facilitate momento temporis centies octogies quinqu. mille hominum occidit, quanta tonſor ſua novacula totidem capillos abraſiſſet. Aut novaculam conductitiam appellat, quia ut ſignificet non Deum ſua manu interfecturum eſſe eos, ſed per Angelum quaſi per miniſtrum conductum. Ceterum veroſimilius eſt quod Hieronymus ait, ut hic agatur de altera obſidione ab Aſſyriis facta regnante Sedecia IV. Reg. XXV. quare novaculam conductam appellat regem Babylonis, quem quaſi tonſorem mercede conductum Deus adduxit ad radendum caput & barbam Iudæorum, ſicut radi ſolet ſtultis, id eſt ad puniendos illos. Itaque caput vocat ipſum Sedeciam, barbam principes Ieruſalem, pubem populum, aut filios Sedeciæ, qui coram illo trucidati ſunt. Cum ergo dicit, IN HIS QUI TRANS FLUMEN SUNT IN REGE ASSYRIORUM, oppoſitio eſt, eos enim ipſos novaculam appellaverat.

V. 21. ET ERIT IN DIE ILLA: NUTRIET HOMO. Hæc verba contrarios ſenſus habere poſſunt; aut enim ſunt periphraſis ubertatis, ut quidam putant, aut ſterilitatis, ut alii. Si totus hic locus ad obſidionem Senacherib referatur, ubertas ſignificabitur; quaſi dicat: Soluta obſidione Senacherib, tanta erit ubertas in terra Iuda, ut quicumque unam vaccam habuerit, & duas oves, lautiſſime vivat. Si vero, quod magis credo, referatur ad captivitatem Sedeciæ, ſignificatur iſta lactis ubertate, vaſtitas, ſterilitas, & ſolitudo terræ; quaſi dicat: Adeo deſerta erit terra, ut omnes agri ſint paſcui, omneſque homines qui relicti fuerint, lacte victitent & melle.

V. 23. ET ERIT IN DIE ILLA: OMNIS LOCUS, UBI FUERINT MILLE VITES MILLE ARGENTEIS; id eſt, tam fertiles ut mille argenteis nummis æſtimari poſſent. IN SPINAS ET VEPRES ERUNT. Hebr. יהיה, *erit locus ille*; id eſt, optima vineta in ſpinera convertentur.

V. 24. CUM SAGITTIS ET ARCU INGREDIENTUR, Hebr. יבא שמה, *ingredietur illuc* (ſub. quicumque ingredietur) ſubintelligitur enim verbale in verbo Hebraico. Significat autem tantam futuram eſſe beſtiarum multitudinem, ut nemo in loca quæ prius vitibus conſita erant, ingredi audeat, niſi armatus.

V. 25. ET OMNES MONTES QUI IN SARCULO SARRIENTUR. Fut. pro præt. id eſt, qui ante in ſarculo ſarriebantur, NON VENIET ILLUC TIMOR SPINARUM. Summa ſententiæ eſt, omnia eſſe ſurſum verſus convertenda, ut inf. XL. 4. *Erunt prava in directa, & aſpera in vias planas*. Si hoc referatur ad obſidionem Senacherib, ſenſus erit, planitiem Iudæ futuram eſſe incultam, quæ ante culta erat, quia ab habitatoribus deſerenda erat metu hoſtium: montes vero qui ante coli non poterant niſi ſarculo, adeo cultos futuros propter multitudinem hominum ad eos confugientium, ut nullæ in eis ſpinæ reperiantur; ſed paſcui ſint bobus & pecoribus, ſicut ante valles erant: hoc eſt eſſe in conculcationem pecoris, calcari a paſcentibus pecoribus. Si vero referatur ad Sedeciæ captivitatem, hic erit ſenſus: Ita evertenda eſſe omnia, ut valles ac plana loca quæ ante frequenter habitabantur, deſerta ſint & ſpinis obſita; montes vero qui ante deſerti erant, habitentur.

S A.

Verſ. 2. DOMUI, id eſt familiæ; quaſi dicat, Regi. REQUIEVIT. LXX. *conſenſit*. Chald. *conjuncta eſt*; quaſi dicat, Iniit Rex Syriæ ſocietatem cum Rege Iſrael. EPHRAIM: ſic dicta Iſrael ab Ieroboam primo Rege, qui ex tribu Ephraim. EIUS, ſcilicet Regis, vel domus David.

V. 3. QUI DERELICTUS EST IASUB. Hebr. *Sear Iaſub*, quod Latine eſt, *reliquiæ convertentur*. SUPERIORIS: erat altera inferior. AGRI FULLONIS, ſcilicet ſicca-

ſiccabantur illic panni aqua purgati.

V. 4. SILEAS, id eſt quieſcas; quaſi dicat, Bono animo eſto. CAUDIS, id eſt extremitatibus.

V. 6. SUSCITEMUS, id eſt excitemus.

V. 8. ET CAPUT; pro, & Rex. DAMASCI; quaſi dicat, Et non Ieruſalem.

V. 9. ET CAPUT; quaſi dicat, Cum tamen nunc ſit caput. NON PERMANEBITIS. LXX. *non intelligetis.*

V 11. SIGNUM, ſcilicet in confirmationem dictorum. INFERNI; quaſi dicat, Deorſum: quamquam id non eſt Hebr. Chald. aut in LXX.

V. 12. NON TENTABO. Simulat religionem.

V. 13. DAVID. LXX. *Iuda*. MOLESTOS, ſcilicet contemnendo. HOMINIBUS. Chald. *Prophetis*. QUIA MOLESTI ESTIS; pro, niſi etiam moleſti ſitis. DEO, ſcilicet non credendo, non fidendo, non obediendo.

V. 14. PROPTER HOC; quaſi dicat: Quia non facitis quod debetis, faciet Deus quod ſe dignum eſt. VOBIS, ſcilicet domui David. SIGNUM, ſcilicet potentiæ ſuæ, bonitatis, & miſericordiæ. VIRGO; ſic etiam Chald. & Sept. Hebr. עלמה *balma*, id eſt *virgo abſcondita*. Vide Geneſ. XXIV. & Hieron. I. contr. Iovin. & quidem Punica lingua, quæ ab Hebræa deducta eſt, *virgo*, *alma* dicitur. VOCABITUR. Chald. *vocabit*, ſcilicet mater (non enim in terra patrem habebit.) Hebr. & LXX. *vocabis*, ſcilicet tu mater: eſt enim Hebr. perſona feminea.

V. 15. BUTYRUM ET MEL, id eſt cibos uſitatos infantibus in Iudæa. UT SCIAT; pro, ſciendo; vel, quia ſciet, Chald. *donec ſciat*. LXX *antequam ſciat*; quaſi dicat, Antequam perveniat ad communem ætatem diſcretionis.

V. 16. ANTEQUAM SCIAT, &c. quaſi dicat, Antequam naſcatur Chriſtus. DERELINQUETUR, ſcilicet deſolata. TERRA, ſcilicet Syria, & Samaria, ſeu Iuda. QUAM TU DETESTARIS. Chald. *pro qua tu tribulationem pateris*. LXX. *quam times*, ſeu *cui times*: ex quibus videtur intelligenda terra Iuda; id quod confirmant proxime ſequentia. A FACIE, id eſt cauſa.

V. 17. CUM REGE: coniunge cum *adducet*; quaſi dicat, Per Regem illum puniet. Hebr. & LXX. *Regem*; pro, nempe Regem, ſcilicet Sennacherib.

V. 18. SIBILABIT, &c. quaſi dicat: Vocabit AEgyptios & Aſſyrios: illi dicuntur muſcæ, ob copiam; hi apes, quia fortiores.

V. 20. CONDUCTA. Chald. *acuta*. LXX. *inebriata*. IN HIS; pro, nempe in his, id eſt per hos. IN REGE; pro, nempe in Rege. PILOS PEDUM, id eſt pubem: ſic *aqua pedum* dicitur urina. Intellige vero per *caput* & *barbam*, regem & nobiles; reliquos per pubem.

V. 21. HOMO, id eſt quiſque, vel aliquis. VACCAM. Chald. & LXX. *vitulam*. BOUM, ſcilicet filiam. DUAS, ſcilicet ſolas.

V. 22. RELICTUS, ab hoſtibus.

V. 23. ARGENTEIS. Chald. *drachmis argenti*. LXX. *ſiclis*; ſcilicet quæ tanti vendi poſſint. IN SPINAS, ſcilicet penuria colentium.

V. 24. SAGITTIS, ſcilicet metu ſerpentum.

V. 25. SARRIENTUR; quaſi dicat: Non item accidet cultis montibus. Mira in Prophetis tranſitio ſubita ab adverſis ad proſpera, & contra; quod valde notandum.

ESTII.

Verſ. 9. SI NON CREDIDERITIS, NON PERMANEBITIS. Paſſim hoc citatur ſecundum Septuaginta: *Niſi credideritis non intelligetis*; de quo dicto ſciendum eſt, quod videtur huic contrariari id, quod dicit Aug. in Pſal. CXVIII. con. 18. ubi dicit quædam eſſe quæ non credimus, niſi prius intelligamus. Sed explicat ſe Auguſtinus dum ſubiungit: Cum fides ſit ex auditu, auditus autem per verbum Dei; quomodo credit prædicanti fidem, qui, ut alia taceam, linguam ipſam, qua loquitur, non intelligit? Vult ergo Auguſtinus ad eam fidem, quæ ex auditu eſt, ſuſcipiendam, neceſſarium eſſe ut præcedat grammatica ſaltem, & vulgaris verborum intelligentia. Primum ſcilicet intelligi debet ſermo prædicantis; deinde fides eius verbis accommodanda, poſtremo tamquam fidei merces exſpectanda eſt ipſius rei creditæ intelligentia ali-

aliqualis, utpote imperfecta in hoc ſæculo, perfecta vero in altero

V. 12. & 13. Et dixit Achaz: Non petam, et non tentabo Dominum. Sophiſticum eſt hoc reſponſum, unde & Propheta recte ſubiungit: Numquid parum vobis est molestos esse hominibus? quia molesti estis et Deo meo? nam Sophiſtarum proprium eſt moleſtos eſſe. Eſt autem vere ſophiſticum reſponſum hoc Achaz, ſcilicet quia in Deum regerit præceptum ipſius; ac ſi dicat: Prohibuit Deus ne quis ipſum tentet, iuxta illud: *Non tentabis Dominum Deum tuum*; nunc autem vult id agi, per quod tentetur. At ego parebo prohibitioni eius, & non tentabo eum. Sed diſcutitur ſophiſma, cum oſtenditur Deum non tentari tunc, cum non ex incredulitate, aut fidei infirmitate, aut curioſitate petitur ſignum inſolitum, & non neceſſarium a Deo, ſed iuſta ex cauſa. Iuſtiſſimam autem cauſam eſſe conſtat, cum ſit Deo iubente.

V. 14. Ecce virgo concipiet, et pariet filium, et vocabitur nomen eius Emmanuel. Inter Chriſtianos nulla eſt quæſtio, quin his verbis contineatur vaticinium de partu Virginis, ſeu nativitate Salvatoris ex Virgine: nam hic locus Matth. 1 expreſſe ad eius rei teſtimonium citatur. Sed Chriſtianis quæſtionem movent Iudæi, qui dicunt vocabulum Hebræum non virginem ſignificare, ſed adoleſcentulam, ſive ea virgo ſit, ſive non. His iam olim reſpondit Hieron. dilucide & ſolide ſcribens in hunc locum. Cuius itaque verbis nos quoque iiſdem reſpondebimus: Quando, inquit, dicitur: *Dabit Dominus ipſe vobis ſignum*, novum debet eſſe atque mirabile. Sin autem iuvencula vel puella, ut Iudæi volunt, & non virgo pariat, quale ſignum poterit appellari? quaſi dicat, Nullum. Et paulo infra: *Alma*, inquit, non ſolum puella vel virgo, ſed cum epitaſi virgo abſcondita dicitur & ſecreta, quæ numquam virorum patuerit aſpectibus, ſed magna parentum diligentia cuſtodita ſit. Lingua quoque Punica, quæ de Hebræorum fontibus manare dicitur, proprie virgo *Alma* appellatur. Et idem in Trad. in Gen. Oſtendant Iudæi in Scripturis alicubi poſitum *Alma*, ubi adoleſcentulam tantum, & non virginem ſignificet, & concedimus eis, illud quod in Iſaia apud nos dicitur: *Ecce virgo concipiet*, non abſconditam virginem, ſed adoleſcentulam ſignificare iam nuptam. Vide etiam eumdem Hieron. Lib. I. contra Iovinianum probantem eadem ex Scripturis.

V. 15. Butyrum et mel comedet, ut sciat reprobare malum et eligere bonum. Statuitur ex hac Scriptura, & ſimilibus, in Chriſto homine, præter infuſam & congenitam ſcientiam, alia quoque ſcientia, dicta acquiſita ſeu experimentalis: de qua D. Thom. parte III. quæſt. xii. art. 2. Et ſecundum hunc modum accipiendus eſt Ambroſius ſuper Lucæ ii. dicens Chriſtum vere profeciſſe; nimirum per experientiam, id eſt notitiam rerum a ſenſibus acceptam: non quod eam notitiam ignorantia præcederet, ſed quoniam quod antea ſciret, id novo cognoſcendi modo, id eſt experiendo, per ætatis acceſſum diſceret.

MARIANAE.

Verſ. 1. Ascendit Rasin rex Syriae. De hac expeditione IV. Reg. xvi. 5. Ad praeliandum contra eam. Septuag. *ad bellandum contra eam*. Hebr. *ad bellum contra eam*, ſcilicet Ieruſalem. Non potuerunt. Hebr. *& non potuit*, ſcilicet quiſque eorum, neuter eorum Regum.

V. 2. Requievit Syria, id eſt Syrorum copiæ ad Ephraim venerunt, ibique caſtrametatæ ſunt, ut iunctis viribus cum Iſrael veniant contra Ieruſalem. Ieroboam, qui Iſraelis regnum conſtituit, fuit Ephrathæus: III. Reg. xi. 26. Sic *Ephraim* ponitur pro Iſrael. Septuag. *conſenſit*. Chald. *coniuncta eſt*, ſcilicet inierunt fœdus Syria & Ephraim. Commotum est cor eius, ſcilicet Achaz Regis Iuda commotum eſt cor.

V. 3. Qui derelictus est Iasub. Sic Septuag. *& relictus Iaſub*. Alii, *Sear Iaſub* vertunt, ut totum illud *relictus Iaſub* ſit filii nomen: ſignificat autem id nomen *Reſiduum convertetur*; ut intelligerent ex nomine eo multos ex captivitate Babylonica reverſuros. Ad extremum aquaeductus, ſive *canalis*, occurrite regi. Superioris. Erat altera piſcina inferior.

Digitized by Google

ferior. IN VIA. Heb. *ad viam*, qua ibatur ad Agrum fullonis, ſic dictum, quod veſtes lotas in piſcina, ibi fullones extenderent & ſiccarent.

V. 4. DICES AD EUM: VIDE UT SILEAS. Hebr. *Cave*, & *ſile*: Ira quæ tegitur, nocet. Linguam tene, cum nullo communices quod nuntio. Septuag. *Obſerva ut ſileas*. Chald. *Cave*, & *quieſce*, id eſt metum pone. Dixerat verſ. 2. *commotum eſt cor eius*. CAUDIS, id eſt extremitatibus. TITIONUM, ne formides. Vox Heb. ſignificat *titiones*, *qui removentur ab igne flagrantes ex parte*. IN IRA, id eſt præ ira fumigantium Raſin & Phaceæ.

V. 5. QUOD CONSILIUM INIERIT CONTRA TE SYRIA IN MALUM. Gotth. *malum*, ſcilicet *conſilium* (dempta præpoſitione *in*) *inierit malum*. Sic Septuag. & Chald. atque Hebr.

V. 6. SUSCITEMUS. Alii *affligamus*, ſcilicet obſidione. AVELLAMUS. Alii, *ſcindamus*, ſcilicet partiamur. AD NOS, id eſt inter nos dividamus ſpolia. Alii, *rumpamus*, ſcilicet murum, ut ad nos, id eſt nobis, ſic cedat urbs.

V. 7. NON STABIT, ſeu *ſtabilietur*, id eſt id conſilium.

V. 8. CAPUT SYRIAE DAMASCUS. Tunc ſic erat. At Romanorum imperio caput Syriæ Antiochia, & caput Iudææ Cæſarea: Tacit. Lib. XVIII. CAPUT DAMASCI RASIN. Hoc eſt, non erit caput Iudææ, ut ipſe putat. Damaſco & Syria imperium terminabit. Idem de Ephraim verſ. 9. dicitur, quod Samaria ſit caput Ephraim, & caput Samariæ filius Romeliæ, neque ultra imperium proferet. ET ADHUC SEXAGINTA ET QUINQUE ANNI. Chald. *Et in fine ſexaginta quinque annorum ceſſabit regnum domus Iſrael*. Hi anni non debent ſumi a tempore huius vaticinii, ſed ex quo Amos Iſaiæ æqualis contra Damaſcum & Iſraelitas vaticinatus eſt: nimirum anno decimo ſeptimo Ieroboam filii Ioas cœpit vaticinari. Unde uſque ad annum nonum Oſeæ fluxerunt anni ſexaginta quinque, quo tempore decem tribus actæ ſunt in captivitatem. Nam a tempore, quo Iſaias hæc dixit, uſque ad eam captivitatem, duodecim anni fluxere, tres Phaceæ, & novem Oſeæ. Plura in Vatablo & Hieronymo ad hunc locum. Ergo adhuc ſexaginta quinque anni, quos deſignavit Amos Propheta, & quorum finis prope eſt: & Ephraim DESINET ESSE POPULUS. Hebr. *frangetur a populo*, id eſt ne ſit populus.

V. 9. SI NON CREDIDERITIS, NON PERMANEBITIS: id eſt, ſi non credideritis, o domus Iuda, & vos ipſi ſimili clade peribitis. Septuag. *non intelligetis*. Hebr. eſt paranomaſia.

V. 11. PETE TIBI SIGNUM; id eſt, ſi non credis verbis meis, pete ſignum, quod tibi fidem huius vaticinii faciat. IN PROFUNDUM INFERNI. Vox *inferni* eſt addita ab Hieronymo. Hebr. *Profunda te, petendo, aut eleva te ſurſum*, id eſt ſive in terra, ſive in cælo, ut malueris, id ſignum pete. Chald. *Pete, ut fiat tibi miraculum ſuper terram, aut videatur ſignum in cælis*.

V. 12. NON PETAM; quaſi dicat: Scio vera non eſſe quæ dicis, quare non experiar, quid Deus facere velit. Stat ſententia.

V. 13. AUDITE ERGO DOMUS DAVID, id eſt tu Achaz. PARUM VOBIS EST, MOLESTOS ESSE HOMINIBUS? Prophetis, QUIA MOLESTI ESTIS ET DEO MEO? dubitando de eius potentia ad liberandum vos.

V. 14. PROPTER HOC; quaſi dicat: Vos non facitis quæ debetis, Deus faciet quod ſe dignum eſt. ECCE VIRGO. Vox Hebr. עלמה *halmah*, *virginem* ſignificat, & quidem abſconditam. Heb. tres voces ſunt virginem ſignificantes, *nahara*h, & refertur ad teneram ætatem; *bethulah*, ad integritatem quacumque ætate; *halmah*, ad utrumque: ſignificat enim *puellam teneram & incorruptam*. Punica lingua *virgo*, *halma* vocatur. ET VOCABITUR. Chald. *vocabit*, ſcilicet mater virgo. Hebr. & Septuag. *vocabis*; ſcilicet tu mater vocabis (vox Hebr. feminina eſt) nomen eius Emmanuel.

V. 15. BUTYRUM ET MEL COMEDET, UT SCIAT REPROBARE. Chald. *donec ſciat*. Septuag. *antequam ſciat ipſe*. Hoc eſt, eo cibo veſcetur uſque ad annos diſcretionis, in infantia. Hebr. vox *adſcire eum* לדעתו *ledahtho*, poteſt verti, *uſquequo ſciat*. Quidam dictum putant, *ut ſciat reprobare*, quoniam is cibus acuit ingenium. Infantibus ſane eſt utiliſſimus. Plin. Lib. XXVIII.

Google

XXVIII. cap. XIX. *Infantibus nihil butyro utilius, per ſe & cum melle*. Summa, ſignificat Iſaias Virginis filium hominem fore, & cibis conſuetis educandum, butyro & melle.

V. 16. QUIA; pro, ſane profecto. ANTEQUAM SCIAT PUER; id eſt, antequam Chriſtus naſcatur, alia contingent, quæ ſigna & ipſa erunt. DERELINQUETUR TERRA, aut *deſeretur terra*, ſcilicet Syria & Samaria. QUAM TU DETESTARIS. Septuag. *quam tu times*: erat enim inimica Regi Iuda. A FACIE DUORUM REGUM SUORUM; id eſt, propter duos eius terræ Reges Raſin & Phacee deſeretur terra illa.

V. 17. ADDUCET DOMINUS. Neque tu immunis manebis, ſed mala evenient, qualia non fuerunt, ex quo regnum ſub Roboam eſt diviſum. CUM REGE ASSYRIORUM; ſcilicet cum eo & eius opera adducet Dominus ea mala. Septuag. *Regem Aſſyriorum*, ſcilicet adducet. Hebraica utroque modo verti poſſunt, & *Regem Aſſyriorum*, & *cum Rege Aſſyriorum*, ut vertit Hieronymus & Chald. Videtur loqui de captivitate ſeu bello contra Iudam ſub Ezechia, IV. Reg. XVIII. per Sennacherib.

V. 18. SIBILABIT. Sibilus procul auditur. *Muſcas* vocat AEgyptios ob multitudinem. *Apes* Aſſyrios ob fortitudinem. Vocabit utroſque contra Iudæam Deus.

V. 19. REQUIESCENT OMNES IN TORRENTIBUS, ſcilicet Aſſyrii. Septuag. *in vallibus*. Vox *nabal* & *torrentem* & *vallem* ſignificat. VALLIUM. Alii, *deſertorum*, pro, deſertis. ET quidem Hieronymus cap. V. 6. pro eadem voce, quæ hic eſt Heb. vertit *deſertam*: *Ponam eam deſertam*. Ergo ii hoſtes occupabunt urbes in vallibus poſitas, & a ſuis præ metu deſertas, & ibi quieſcent. ET IN CAVERNIS PETRARUM requieſcent. Sic vocat urbes in montibus poſitas, quas etiam occupabunt. Et quidem apes rupium ſciſſuras amant. FRUTETIS. Alii vertunt *ſpinetis*, per quæ pagos intelligit ſpinis ſeptos. ET IN UNIVERSIS FORAMINIBUS. Alii, *arboribus*. Septuag. *in omni ligno* dixere. Heb. Schol. dicit utraque voce, *nahazuzim* & *nahalolim*, pro quibus Noſter *fruteta* & *foramina* poſuit, ſignificari *arbores humiles*, nempe dumos, frutices: quæ omnia Aſſyrii occupabunt.

V. 20. RADET DOMINUS IN NOVACULA CONDUCTA, id eſt *acuta*, ut Chald. quia talis eſt quæ conducitur. Septuag. *inebriata*. Certe vocem שכירה *ſechirah* ipſi legerunt cum puncto *iamin*, ubi alii legerunt cum *ſmol*, quomodo *conducta* ſignificatur. IN HIS QUI TRANS FLUMEN SUNT, id eſt per eos qui trans flumen Euphratem ſunt, nempe Aſſyrios, & eorum Regem radet, id eſt evertet. Ii erunt miniſtri iræ Dei. CAPUT, id eſt Regem. PILOS PEDUM, id eſt pubem, ſicut *aquam pedum* vocat urinam. Et per *pilos pedum* plebem intelligit. ET BARBAM, ſcilicet radet: per *caput* & *barbam* Regem & proceres intelligo; quos omnes ſubvertent Aſſyrii: non enim contra Aſſyrios hæc dicuntur, ſed contra Iudæos, ut Hieronymus ſentit.

V. 21. NUTRIET HOMO VACCAM BOUM. Heb. *vitulam bovis*, ſcilicet filiam. ET DUAS OVES, aut *duas pecudes*; id צאן *zon* proprie ſignificat. *Duas*, id eſt paucas nutriet quiſque & habebit.

V. 22. BUTYRUM ENIM ET MEL MANDUCABIT; hoc eſt, cibos viles & obvios, quod alii non ſuppetunt. Cibus infantibus commodus, viris eſt incommodus. Significat autem, poſt captivitatem terra in ſolitudinem redacta, multa & læta fore paſcua, quibus paucæ pecudes multum lac præbeant, quo alantur qui ex clade ſuperfuerint.

V. 23. MILLE VITES, MILLE ARGENTEIS; ſcilicet ante cladem æſtimatæ eo pretio, ſentibus operientur. Heb. *mille argenti*, pro qua forma loquendi plerique ſiclos intelligunt. De quo Lib. de Pond. & Menſ. cap. VI. plura. Sic Septuag. *mille vites*, *mille ſiclis* dixerunt. Chald. *mille drachmis argenti*: ſic Interpres; nam Chald. אלף מנן כסף, *mille minis argenti* habet. Hieronymus dixit, *mille argenteis*. Porro *argenteus* drachmalis erat. Senſus eſt, Vineta magni pretii culturæ defectu ſentibus repleri. Id ſecutus eſt Chaldæi Interpres Latinus.

V. 24. CUM SAGITTIS ET ARCU INGREDIENTUR ILLUC: propter feras, quæ in his vepribus erunt. IN UNIVERSA TERRA: ſic Chald. At Heb. *vepres enim & ſpinæ erit univerſa terra*. Sic Sept. & maiorem emphaſim habet.

V. 25. Montes. Eo confugiunt homines in ſimili clade, planitie deſerta, eoſque montes colent. Sarculo, id eſt ligone. Sarrientur: boves & iumenta non ſuppetent, quibus arentur. Terror spinarum, id eſt ut maxime ea cultura ſpinæ & ſentes prohibeantur: cedent tamen ſatæ ſegetes in paſcua pecorum. Nam montes tam multos greges, quot ſe eo recipient, alere aliter non poterunt.

M A L V E N D AE.

Verſ. 1. Et factum est in diebus Achaz, &c. Iam hic pervenitur ad tempus tertium quo Iſaias prophetavit, nimirum Achazo rege: nam priora quinque capita ſub Huzzia prophetata fuerunt, ſextum ſub Iotham. Hiſtoria hæc deſcripta habetur II. Regum. xvi. 5.

V. 2. Et nuntiaverunt domui David, dicentes. Heb. *Et renuntiatum fuit domui Davidis, dicendo*; id eſt regi, proceribuſque regni Iehudæ. Requievit Syria super Ephraim: vel *conſedit, pauſavit, caſtrametatus eſt*; ut intelligatur ſane Syros iam caſtra habuiſſe in ditione Iſraelitarum fœderatorum, ad oppugnandam Ieruſalaim. Alii: *Acquieſcit Syria cum Ephraimo*; id eſt, Retzini Syriæ convenit cum Pekacho rege Iſraelitarum, ut oppugnent te communi opera: *cum Ephraimo*, id eſt Iſraelitis, quorum potentiſſima & præcipua tribus erat Ephraim, & primus rex Ephrathæus: ſynecdoche. Nonnulli reddunt: *Duxit exercitum Syrus ad Ephraim*; quaſi dicat, Societatem iniit Syria cum Ephraim, copiæ Syrorum iunctæ ſunt cum copiis regis Iſraelis ad obſidendam Ieruſalem.

V. 3. Tu, et qui derelictus est Iasub filius tuus. Heb. *tu, & Sear Iaſub filius tuus*. Obſervant, hoc nomen etſi proprium eſt, non eſſe tamen fortuito aut imprudenter puero inditum, ſed certo conſilio, ad ſignificandum miſericordiam Dei reducendis & ſervandis reliquiis: eſt enim שאר־ישוב *ſchearjaſchub*, ſi verbum verbo reddas, Reliquum, vel Reliquia, Revertetur: qua appellatione ſignum dedit Ieſchahia cum liberationis illius æternæ, qua reliquiæ ſalvæ factæ ſunt, ſupra cap. I. 9. & cap. IV. 3. & infra cap. X. 21. tum liberationum ſingularium, quas pœnitentibus pollicebatur Deus, cum Iudæi undequaque cæderentur, & in captivitatem raperentur, ut hiſtoria docet II. Paralipom. XXVIII. Iubet autem hoc loco Deus Scheat-Iaſchubum puerum cum propheta patre regem accedere, ut promiſſiones Dei eo certius ac vehementius definirentur, ad confirmandum regem, infra verſ. 15. & ſequentibus. Ad extremum aquaeductus piscinae superioris in via agri fullonis. Quidam ex Heb. *ad finem aſcenſionis*, ſeu *clivi piſcinæ ſuperioris, ad ſemitam agri fullonis*. Alii: *in extremum aquæductum piſcinæ ſuperioris, ad aggerem agri fullonici*. Exponunt: Id eſt extra urbem ex adverſo regiæ, ubi ſpatiatur Achaz: vide de hoc loco II. Reg. XVIII. 17. *piſcinæ inferioris*, de qua infra cap. XXII. 9. De his piſcinis Ieroſolymitanis, quæ hunc, alioſque Scripturæ locos illuſtrant, hæc prodit Brocardus accuratiſſimus Terræ ſanctæ deſcriptor: *Proinde intrantibus portam vallis, ſeu gregis, ad ſiniſtram occurrit piſcina Probatica, in qua Nathinæi lavabant hoſtias, quas tradebant ſacerdotibus in templo offerendas. Ad dexteram vero oſtenditur alia piſcina grandis, quæ dicebatur piſcina interior, facta ab Ezechia: nam obturans ſuperiorem fontem aquarum Gion, avertit aquas eius direxitque dentem urbis David, incidens ferro petram per vallem quam paulo ſuperius commemoravimus* (nempe quæ erat a parte occidentali urbis inter urbem, & montem Calvariæ) *introduxit aquas per medium civitatis in piſcinam iſtam, ne populus in obſidione poſitus aquæ penuria laboraret: fontem vero aquarum Gion, qui non longe diſtabat ab agro fullonis, duxit in ſuperiorem piſcinam, quæ eſt ſuper natatoria Silohæ. Et hæc quidem Achaz incœpit, ſed non perfecit. De hac piſcina & de hoc fonte, atque eius ſitu loquitur Iſaias: Egredere ad extremum aquæductus piſcinæ ſuperioris in via agri fullonis. Dicitur autem piſcina ſuperior reſpectu natatoriæ, quæ tamquam inferior recipit aquas de fonte Silohæ. Et ne erres in his piſcinis, adverte quod prima & præcipua piſcina in Ieruſalem erat piſcina Probatica, quam Salomon fecit pro miniſterio templi. Secunda fuit iuxta illam contra aquilonem, dicta interior,*

terior,

terior, quam fecit Ezechias, ut dictum eſt. Tertia, natatoria Silohæ, quæ erat ſub monte Sion, prope agrum Hakeldemach, habebatque aquam de fonte Silohæ, quam Ezechias quoque fecit. Quarta erat Superior piſcina, de qua dictum eſt, quam Ezechias etiam fecit. Et hæc non fuit in civitate, ut quidam ſentire videntur, cum civitas ipſa altior fuerit origine eius, de qua hæc piſcina ſuas hauriebat aquas, nempe de fonte Silohæ, & de fonte inferiore aquarum Gion. Et poſt pauca: *Sub monte Sion contra regiam Salomonis in Occidentali latere vallis Ioſaphath eſt fons Silohæ, a quo per aquæductum derivatur aqua in piſcinam ſuperiorem, & in natatoriam Silohæ, non ſemper, ſed quando inundat aquis. Porro ambæ piſcinæ ſunt in pede montis Sion: ſuſcipiunt quoque hæ piſcinæ aquas de fonte Gion inferiore, qui oritur ſub agro fullonis.* Hactenus Brocardus, ex cuius deſcriptione perſpicue apparet, piſcinam ſuperiorem, de qua hic loquitur Iſaias, extra urbem fuiſſe, & recepiſſe aquas ex Gihone inferiore, non procul ab agro fullonis. De quo agro Euſebius & S. Hieronymus in Locis Hebraicis: *Topheth, eſt autem in ſuburbanis Æliæ uſque hodie locus qui ſic vocatur, iuxta piſcinam fullonis, & agrum Acheldema.* Vide Ioſue xv. 7.

V. 4. ET DICES AD EUM, &c. Hunc verſum noſtra Translatio verbatim ex Heb. repræſentavit: (*Et dices ad eum: Obſervatus eſto, & tranquillus eſto, non timebis, & cor tuum non tenereſcet de duabus caudis titionum fumantium iſtorum: in ardore naſi Retzin, & Aram, & filii Remaliahu.*) Alii varie: I. *Et dices ad eum: Cave, & quieſce*, vel *obſerva ut ſis quieto animo & tranquillo: ne timeas, & cor tuum ne molleſcat a duabus caudis*, ſeu *extremitatibus titionum fumigantium iſtorum*, in quibus amotis a foco, durare adhuc ſolet ignis: *in ira furoris Reſin, & Aram, & filii Remaliahu.* II. *Et dicito ei: Obſerva, & ſis tranquillus*; vel *reſide, & ſedatus eſto*: metaphora a vino turbulento, quod reſidere & ſedari ſolet ſuper fæcem ſuam: nam hic verbum שמר *ſchamar*, dictum volunt a שמרים *ſchemarim, fæcibus*, quod eæ ſervent vinum: hoc dicit, quod verſ. 2. dixiſſet, eos commotos fuiſſe nuntio de adventu hoſtium: *ne timeas, neque molleſcat cor tuum a duabus caudis iſtorum titionum fumigantium, hoc eſt, ab æſtu naſi Rezin, & Syri, atque filii Romeliæ*; id eſt, qui inſtar titionum in quibus intermortuus aliquis ſupereſt ignis, fumum tibi & metum excitabunt, ſed non poterunt te amburere. III. *Ubi indices ei: Cave tibi ut ſis quietus, ne timeto, & cor tuum ne molleſcat, propter duas caudas titionum fumigantium iſtas*, id eſt a torribus extremis, quos ego iam tantis calamitatibus incendi, ut pene exuſti ſint, ac nihil amplius niſi fumigare poſſint: & qui propediem omnino exurentur, ut ſequentibus Propheta explicat. Reſpicit enim Deus ad præterita bella, quibus regna Syriæ & Iſraelis attrita fuerant: Syriæ quidem, a Ioaſcho filio Ioachazi, II. Reg. XIII. 15. Iſraelis vero, inteſtinis conſpirationibus & bellis, II. Reg. xv. & utrumque adventu Phulis regis Aſſyriæ II. Reg. xv. 19. & I. Paralipom. v. 26. *propter accenſam iram Retzinis cum Syris, & filii Remaliæ*, id eſt Phekach, cuius nomen ad indignitatem reticetur, ut verſu ſequente.

V. 5. EO QUOD CONSILIUM INIERIT CONTRA TE, &c. Hunc verſum expreſſius alii reddunt: I. *Eo quod malum conſilium contra te inierint Syrus, Ephraim, & filius Romeliæ, ſic conſpirando.* II. *Propterea quod iniit conſilium contra te Syrus malum, Ephraiim*, id eſt Iſraelitæ, ut ſupra verſ. 2. *& filius Remaliæ, dicendo.*

V. 6. ASCENDAMUS AD IUDAM, ET SUSCITEMUS EUM, ET AVELLAMUS EUM AD NOS. Varie alii ex Heb. I. *Aſcendamus in Iehudah*, ſubaudi, cum magno exercitu; id eſt, paremus expeditionem in Ieruſalem: *& obſideamus eam, & ſcindamus eam nobis.* II. *Aſcendamus in Iehudah, & expergiſci faciamus illam*, vel *excitabimus eam, perrumpamuſque eam ad nos*; id eſt, perrupto muro, irrumpamus in eam vi armorum, ita ut hac ratione veniat in poteſtatem noſtram; vel *diruemuſque eam ut ſit noſtra.* III. *Aſcendemus in Iuda, & tædio afficiemus eam longæ obſidionis*: vel *& defatigemus*, vel *deficere faciamus eam, & diſſecando pertrahamus ad nos*, id eſt eam concidendo, vel diſſecando in varias dynaſtias, quo potentia eius in plures diſtracta, minor ſit. IV. *Aſcendamus contra Iehudæam, ut tædio afficiamus*, ſeu *fatigemus eam, &*

diſſecemus eam ad nos, vel *& diſſectam adiungamus eam nobis*. Vide ſimilem locutionem II. Paralipom. xxi. 17. Et suscitemus eum, vel *expergefaciamus eam*, a ſomno: metaphora, quæ arrogantiam hoſtium deſignat; proprie, *& compungamus*, *extimulemus eam*: & formula Hiphil ſignificatum intendit, id eſt acriter & acerbe pungamus. Filium Tabeel. Plerique pro appellativo accipiunt, *filium boni Dei*, vel *boni fortis*, hoc eſt idoneum, aptum, commodum, ſtrenuum ad regnandum; unde Chaldæus reddit, *eum qui rectus erit nobis*: vide de hoc Tabel Lexicon Ioannis Avenarii. Aliqui, certum aliquem Syrum hoc nomine dictum volunt; nam Tabael, ſive Tabrimon, Syrorum eſt appellatio, qui Rimonem colebant pro Deo: vide in I. Reg. xv. 18. & II. Reg. v. 18.

V. 7. Dominus Deus. Quidam ex Heb. legunt: *Adonai Iehovi*. Vide in Geneſ. xv. 2. Non stabit, et non erit istud. Alii: I. *Non ratum erit*, vel *non conſiſtet*, *neque fiet*. II. *Non exiſtet*, *neque exſtabit iſtud*. Poſſis reddere: *Non ſtabis*, *& non eris*; ut ſit apoſtophe ad Retzin & ad Phekah, ſingulariter ad utrumque.

V. 8. Sed caput Syriae Damascus, et caput Damasci Rasin. Exponunt: Sed caput Syriæ erit Damaſcus ſolum, non autem erit caput Iudææ; quaſi dicat, Numquam fiet ut Damaſcus imperet, aut ſit metropolis Iudææ: ut Retzin imperabit tantum Damaſco, erit ſolum rex Damaſci, non erit rex Ieruſalaim. Alii rectius ex ſequenti hemiſtychio ſubaudiunt verbum: *Nam caput Syriæ Damaſcus*; id eſt, civitas, mater, metropolis, nimirum deſinet, atteretur, frangetur: *& caput Damaſci*, id eſt rex & princeps Damaſci, *Retzin*, ſimiliter atteretur, &c. ſic verſu ſequente. De Damaſco vide Geneſ. xiv. 15. de clade & excidio Damaſci, & cæde Retzinis, de qua Iſaias hic vaticinatur, vide in II. Reg. xvi. 9.

Et adhuc sexaginta et quinque anni, et desinet Ephraim esse populus. Inſignem hanc prophetiam, quam hic proponit Iſaias de utriuſque regni & Syriaci & Iſraelitici excidio, & ſic initio ac fine horum ſexaginta quinque annorum, intra quos deſiturus erat omnino populus Iſraeliticus, varie verſant & accipiunt Explanatores. Sed quia inſtituti noſtri ratio non patitur ſalebroſas has ac pene inextricabiles quæſtiones Chronologicas longius perſequi; ſat viſum, ſummam earum, quam poſt alios Tremellius & Iunius breviter ac dilucide complexi ſunt, tametſi a fide orthodoxa alieni, hic inſerere. Hanc, inquiunt, prophetiam ſuis terminis a Ieſchaia circumſcribi pro more certum eſt, ſed in accommodatione temporis variant ſententiæ: quamobrem nos duas illarum probatiores lectoribus afferremus. In ſumma quidem conſentiunt omnes exitium regno utrique denuntiari, ſed tempus plerique ex antecedente Hamoſi prophetia petunt, in fine cap. vii. hoc modo: Hamos biennio prophetavit ante terræ motum, quem Zacharia xiv. 5. temporibus Huzziiæ contigiſſe docet, Iudæi eodem anno putant, quo rex Huzziia ſacrificandi munere ſibi arrogato percuſſus eſt lepra; (fuit autem is annus 24. regni Huzziiæ; vide II. Reg. xv. 1. & ſequeutibus) itaque hoc modo ſupputant, a 22. Huzziiæ, hoc eſt, biennio ante terræ motum, ad ultimum ſunt 30. anni, Ioathami 15. Achazi 14. Chizkiiæ 6. ita conficiuntur anni 65. intra quos regnum Syriæ primum, deinde regnum Iſraelitarum deletum eſt. Nos autem alteram hanc magis probamus, ut in hac non antecedentium temporum, ſed ſequentium ratio ex prophetarum uſu habeatur. Nam Ieſchia his verbis oſtendit primum regnum Syriæ mox exciſum iri, & regem moriturum, quod ad ſummum quarto poſt anno neceſſe eſt eveniſſe: ut ponamus hæc a Propheta dici primo ipſo Achazi anno: deinde a Syrorum clade uſque ad plenam Iſraelitarum deportationem, ab ipſo tempore huius prophetiæ fore, ut effluant 65. anni: quamvis enim ſexto anno Chizkiiæ regnum Iſraelis fuerit abolitum; tamen non ſtatim Iſraeli deſtitit eſſe populus, cum pars tantum aliqua deportata eſſet: verum omnino populus eſſe tum demum deſtitit, cum per Eſar-Chaddonem filium Sancheribi novæ coloniæ introductæ ſunt, & Iſraelitæ omnes in ſervitutem rapti, quod ipſi Samaritani exponunt Hezræ iv. 2. Quamobrem feriem temporum ita ſtatuimus: A quarto Achazi anno, quo regnum Syriæ intercidit, ad finem eius ſunt anni 11. Chizkiiæ

Digitized by Google

kiiæ 29. ita ut anno Menaſchis regnantis 25. fuerit ultima Iſraelitarum tranſ-ſatio: ſin autem a prophetiæ tempore inceperis, dicitur res incidiſſe in annum 21. aut 22. Menaſchis, quo forte tempore, aiunt quidam, Manaſche captivus in Babyloniam adductus eſt. Hactenus illi; unde locum hunc ita explanant: *Deinde intra ſexaginta quinque annos atteretur Ephraiim;* id eſt, temporibus Menaſchis, Eſar-Chaddon deportavit totas reliquias Iſraelis: ſive is 65. annus fuerit ab hac prophetia, ſive ab exitio Syriæ, quod quarto poſt anno ad ſummum geſtum eſt: *ut non ſit populus*; id eſt, totus atteretur, ut rempublicam nullam omnino habeat: hoc autem tum demum accidit, cum reliquiæ deportatæ ſunt, non autem cum a Schalmaneſere devicti, tantum ex parte fuerunt deportati: quod factum eſt poſt annos quaſi novemdecim ab hac prophetia; a quo tempore uſque ad deportationem ab Eſar-Chaddone factam intercesſerunt anni ferme quadraginta ſex, quibus adhuc ſuæ fuerunt Iſraelitis reſpublicæ utcumque tenues. Hæc Tremellii & Iunii interpretatio mihi ſemper ſuſpecta fuit: certum quidem eſt ex Hezræ IV. 2. Eſar-Chaddonem colonias ex Aſſyria in terram Iſraeliticam duxiſſe: ſed quod inde extremas Iſraelitarum reliquias deportaverit, nec ibi, nec alibi aperte dicitur; ſed eſt mera coniectura & divinatio falſo quam vero propior, cum ſuprema Iſraelitarum deportatio non niſi Salmaneſeri in Scriptura tribuatur: vide II. Reg. XVII. 6. Quare tutius eſt priori interpretationi inhærere, de qua vide S. Hieronymum, & plurimos recentiores in hunc locum. Nam obiectiones, quæ opponunt, ſatis conſtat ex veræ chronologiæ ignoratione dimanare; etenim annus 24. Huzziiæ, quo lepra percuſſus fuit, incidit in 27. Ieroboam, uti annotavimus in II. Reg. XV. 1.

V. 9. ET CAPUT SAMARIAE FILIUS ROMELIAE: ſubaudi, atteretur, ut verſu præcedente: quem quarto poſt anno ad ſummum interfecit Hoſcheah, II. Reg. XV. 30. SI NON CREDIDERITIS, NON PERMANEBITIS. Varie alii ex Heb. I. Sanctes ac Vatablus: *Si non credatis verbis meis, id fit quia non eſtis ſtabiles*, firmi in fide, fideles. II. Forſterus: *Si non credideritis, etiam non credemini*; id eſt, ſi non innitimini, ſcilicet promiſſioni divinæ, *etiam non credemini*, id eſt non ſuſtentabimini, ſtabilimini, confirmabimini, certi, ſtabiles eritis. III. Forerius: *Si non credideritis, etiam non ſtabiliemini, non fulciemini*; id eſt, niſi habueritis dictis meis fidem, & ſiſi fueritis promiſſionibus Domini, nec vos etiam ipſe ſtabiliet aut confirmabit; ſed vos ſinet delabi & deiici, ut ſicut Iſraelitæ a ſtatu veſtro cadatis, & regnum amittatis. Conferendus hic locus cum altero II. Paralipom. XX. 20. eiſdem verbis concepto. IV. Avenarius: *Si non credideritis, non reperiemini fideles*, vel *non defendemini*. V. Tremellius, & Iunius: *An non creditis? quod non confirmamini*. Reprehenſio diffidentiæ Achazi: quam propterea Ieſchahia obiicit, quod Achazum animadverteret perſtare in ſua illa trepidatione, cuius facta eſt mentio ſupra verſ. 2. *Quod non confirmamini*, nimirum hac promiſſione Dei, ſed potius in veſtra trepidatione pergitis. Sic viſum eſt hunc locum potius accipere, quam ut vulgo redditur, tum propter nativam vocum ſignificationem, tum etiam propter antecedentia & conſequentia, quibus interpretationem hanc melius cohærere omnes vident. Confer cum II. Chronicor. XX. 20.

V. 10. ET ADIECIT DOMINUS LOQUI AD ACHAZ, DICENS. Alii: *Quamobrem perrexit Ichova edicere Achazo, dicendo*. Cum nudo verbo non confirmaretur rex, tum placuit Deo adhibere ſignum, ad infidelitatem Achazi evincendam.

V. 11. PETE TIBI SIGNUM A DOMINO; ſeu IHUH, DEO TUO: quo nimirum confirmeris de hac liberatione & ſalute, quam Deus ſe promittit effecturum, ſiquidem non confirmaris verbo. IN PROFUNDUM INFERNI, SIVE IN EXCELSUM SUPRA. Alii ex Heb. I. *profundum fac petendo*, vel *deſcende in imum petendo*, aut *demitte te ipſum petendo*: vel *eleva te ipſum deſuper*; quaſi dicat: Si non credis, & adhuc hæſitas, pete ſignum in imo, aut ſurſum, id eſt in cælo, vel in terra. II. *profunda petitionem*, vel *eleva ſurſum*, ſcilicet petitionem. III. *multiplica petendo*, vel *multiplica, pete*, id eſt multum pete. שאלה *ſchealah*, & infinitivus, & imperati-

rativus, & nomen infinitum eſſe poteſt: *& eleva te ſuperne*. IV. *de profundo pete, aut in altitudinem eius ſurſum*. V. *profundum fac petendo, aut exalta ſurſum*: vide Geneſ. xli. 11. vel *e profundis pete, aut ex rebus altiſſimis*; quaſi dicat, Optio tibi datur ut e cælo, aut e terra, aut unde vis petas: nam hoc quoque Deus offert, & ſe præſtiturum pollicetur. VI. *Penetra ad infernum, aut extollere ſurſum*. Levi mutatione punctorum pro *ſchealah*, legi poteſt שאולה *ſcheolah, in infernum*.

V. 12. Non petam, et non tentabo Dominum. Notant eſſe indignantis verba, quibus Achaz primum conſilium Prophetæ de petendo ſigno recuſat accipere; deinde promiſſionem ſuperiorem totam ludificatur hoc modo: Putaſne me adeo deſipere, ut iſtius Iehovæ quem prædicas, periculum faciam, committendo ipſi exitum iſtius belli graviſſimi, & in iſta opinione fidei, quam a me poſtulas, vecordia tabeſcendo? Non faciam, inquit, oportet me alia via mihi proſpicere. Hunc locum ſic interpretantur propter ſequentia, & ſummam illam impietatem Achazi inde a principio regni, quæ exponitur II. Paralipom. xxviii. 19. & ſequentibus. Alii in eumdem fermе ſenſum: Nolo perdere operam, non mihi in animo eſt vires iſtius Iehovæh experiri, aut de eius potentia periculum facere, quem ſcio præſtare vel non velle, vel non poſſe quæ polliceris. Verba ſunt hominis palam athei: & ex facto eius plane cognoſcitur, nam diffiſus Iehovæ, miſit ad Aſſyrium ut ſe liberaret II. Reg. xvi. 7. & ſequentibus. Atque hæc nobis expoſitio magis probatur, ut regis potius aperta impietas, quam ſimulata religio & hypocriſis fuerit.

V. 13. Et dixit, ſcilicet Propheta: Audite ergo domus David. Alii: *Audite iam, domus Davidis*. Exaggeratio impietatis Achazi; quaſi dicat, O ingratiſſimi, degeneres a Davide patre, in Deum impii, & immemores promiſſionum beneficiorumque maximorum eius, qui vos familia & genere Davidis iactatis, indigniſſimi eo nomine: invehitur in regem ipſum, & principes ſeu proceres regni. Numquid parum vobis est molestos esse hominibus, quia molesti estis et Deo meo? Varie alii ex Hebr. I. *Numquid parum eſt vobis labore, tædio, moleſtia afficere homines, quod labore, tædio, moleſtia afficitis etiam Deum meum?* II. *An parvi ſit a vobis defatigare homines, quandoquidem defatigatis etiam Deum meum?* Quod bifariam accipiunt; & homines, & Deum delaſſatis: vel dum mihi moleſti eſtis, moleſti quoque eſtis & Deo, qui in me loquitur, & ex cuius ore ego loquor; iuxta illud: *Qui vos ſpernit, me ſpernit*, &c. III. *An parum eſt, quod a vobis moleſtia venit hominibus*, id eſt prophetis, contemnendo illos: *niſi quod etiam Deum meum facitis debilem*, ſeu *infirmum?* Hoc dicit, quod Achaz idcirco noluerit petere ſignum, quod Deum invalidum exiſtimaret ad ferendam opem. IV. *An parva res eſt præ vobis* (vide ſimilem locutionem Numeror. xvi. 9.) *fatigare homines, quod etiam fatigatis Deum meum?* Id eſt: Facitiſne tam parvi hoc malum, quod omnibus per ſcelera & improbitatem veſtram eſtis moleſtiſſimi, ac nominatim mihi, cuius prophetiam tam proterve repudiatis, ut etiam audeatis iam in Deum ipſum invehi arrogantiſſime, quaſi aut nolit, aut non amplius poſſit promiſſa efficere? *Deum meum*; id eſt, cui hæreo, & ſervio, ac non amplius tuum, ut ſupra verſ. 11.

V. 14. Signum. Ingens miraculum, omnibus ſæculis inviſum, inauditum, ſingulariſſimum, nec umquam antea editum, nec umquam poſtea edendum, quamdiu mundus ſtabit. Virgo. העלמה *haghalmah*, de hac voce vide Proverb. xxx. 19. nos hic reclamantibus Hebræis, cum LXX. Interpretibus, & Matthæo 1. 23. & cunctis Eccleſiæ Patribus, ΠΑΡΘΕΝΟΣ, id eſt *Virgo* reddimus. Aliqui Articulum *He*; præfixum voci *ghalmah*, non eſſe otioſum exiſtimant, ſed emphaticam notam; quaſi dicat, Virgo illa, per antonomaſiam. Sed nos, qui morem & uſum Hebraiſmi novimus, non id magnifacimus, cum præponatur etiam Rebeccæ Geneſ. xxiv. 43. & Mariæ ſorori Moſis, Exod. 11. 8. Latine interdum eam quæ ſemel vel pluries peperit, virginem appellant, nimirum a viridiore ætate, ut annotat Servius in VI. Eclogam Virgilii, & nos in Proverb. xxx. 19. obſervabamus: at proprie eam quæ ſemel peperit,

perit, etiam virgini opponunt, ut Virgilius IV. Georgicorum:

—— altera virgo,

Altera tum primos Lucinæ experta labores.

Nec ullum eſt dubium quin hic virgo dicatur, quæ viri concubitum numquam ſit experta, ſed integra, intacta, illibata maneat: vide Galatinum Lib. VII. cap. xv. CONCIPIET. הרה *harah*, *concipiens*, *gravida*, *prægnans*. Matthæi interpres, *in utero habens* expoſuit; quod Latini dicunt, *uterum geſtans*. ET VOCABITUR NOMEN EIUS. Heb. ut ſcribitur, & poteſt eſſe ſecunda perſona, *& vocabis*, tu, o virgo; vel tu, o domus David: vel tertia perſona feminea, *& vocabit*, ſcilicet ipſa virgo mater infantis, vel Spiritus Sanctus, qui Heb. eſt feminei generis. Tremellius & Iunius ita hunc verſum interpretantur: *Idcirco dat Dominus ipſe vobis ſignum: Ecce Virgo concipiet & pariet filium, & vocabis, o virgo, nomen eius Himmanuel.* Exponunt vero: *Idcirco*, nempe quia nec creditis, nec ſignum ad confirmandam fidem de inſtante liberatione petitis, cum Deus ultro offerat: ſed Deum indigniſſime fatigatis. AEtiologia ſuperioris reprehenſionis, amplificans indigniſſimam Achazi infidelitatem, ab æterna benevolentia Dei, quam Eccleſia inde ab orbe condito perceperat ex fœdere illius: Qui poteſtis, inquit Propheta, tam impie Deo obſiſtere, cum ipſe benigniſſime iam olim Semen Mulieris, Abrahami, Davidiſque promiſerit, ut in eo promiſſiones omnes, etiam ſingulares, ratæ ſint, II. Corinth. I. 20. Atque idcirco ſignum hoc toti Eccleſiæ, ac nominatim familiæ veſtræ dedit, ut credatis omnibus univerſalibus & ſingularibus, publicis privatiſque promiſſionibus eius, ac non infidelitate ipſum fatigetis: nam, qui proprio filio non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit eum, qui non etiam cum eo omnia nobis gratificabitur? Romanor. VIII. 32. *Dat Dominus ipſe vobis*; id eſt, ut Eccleſiæ ſuæ iam olim exhibuit verbo, ita etiam nunc vobis & regno veſtro, in quo eſt Eccleſia ipſius, gratioſe offert, & ſuo tempore exhibebit: ſic enim accipitur *dandi*, vel *edendi* verbum Deuteron. XIII. I. & alibi. *Signum*, id eſt miraculoſum documentum, ac fundamentum fœderis, omniumque promiſſionum eius. *Ecce*, demonſtrandi particula, cum rei certitudinem oſtendit, tum attentionem perpetuam a piis adhibendam docet, ceteris omnibus rebus omiſſis. *Virgo*, cuius Semen conteret caput ſerpentis, iam olim a Deo promiſſa Geneſ. III. 15. & a Patribus expectata, nimirum Maria, ut interpretatur Angelus Matth. I. 20. *Et vocabis*, *o Virgo*, *nomen eius*; id eſt, vocare poteris, & reipſa agnoſces atque teſtaberis: apoſtrophe ad matrem. Etſi haud ſcio an melius per tertiam perſonam exponi poſſet, ut fecit Hieronymus: cuius perſonæ terminatio non eſt infrequens apud Hebræos, in illo verborum ordine. Certe ſic longe commodius fluxerint omnia. *Himmanuelem*, id eſt Nobiſcum Deum fortem. Nam Sermo caro factus eſt, & habitavit in nobis, &c. Ioannis I. 14. Alii ſimpliciter accipiunt: Quia Achaz præſentis ſuæ & regni ſui liberationis & incolumitatis ſignum a Deo poſtulare detrectat; ecce Deus ultro vobis, o domus David, ſignum certiſſimum offert, Davidici regni perpetuitatis, ſalutiſque, nempe Chriſtum naſciturum de virgine ex ſemine Davidis, & regnaturum in æternum.

V. 15. BUTYRUM ET MEL COMEDET; UT SCIAT REPROBARE MALUM, ET ELIGERE BONUM. His verbis volunt periphraſtice deſcribi veram infantiam ac pueritiam huius Himmanuelis virginis filii. Aluntur, & gaudent pueri pinguibus & dulcibus, quæ ſunt amica naturæ, lactea & dulcia appetunt, acria & acetoſa repudiant; quaſi dicat: Hic puer verus homo erit, verum corpus humanum, & non phantaſticum habebit; nam more ceterorum puerorum pinguibus & dulcibus veſcetur, ut butyro, melle (ſynecdoche) quæ ſunt ordinarii infantium cibi: acria & amara atque inſuavia reſpuet, faſtidiet, aſpernabitur. Notantque, hunc locum, non minus quam præcedentem, divinam Filii Dei Incarnationem oſtendere: nam ſi ille puer virginis filius homo tantum futurus erat, & non Deus, quid mirum eum cibo humano uſurum? hoc autem eſt maxime mirum, quod cum Deus ſit, cibo tamen humano veſcatur; id eſt, ſit etiam verus homo. Malum & bonum hic, pro amaro & dulci, more He-

Hebraico'. Forſterus reddit : *Butyrum & mel comedet, ut ipſe ſciat faſtidium habere in malo, & electionem habere in bono.* Ut sciat reprobare. Hebr. *ad ſcire ipſum*, vel *ipſius*; unde notant., particulam *ut*, non cauſam finalem, ſed conſecutionem denotare. Aliqui reddunt : *utpote qui ſciat ipſe faſtidire malum*, &c. S. Hieronymus ita videtur accipere : Quamvis hic puerulus aliorum more cibis veſcatur humanis, tamen ſupra ſenſus pueriles, ſciet diſcernere inter bonum & malum; quaſi dicat, In infantili corpore ſapientiam divinam retinebit. Tremellius, & Iunius ſingularem huius verſus explanationem excogitarunt : *Butyrum & mel faciet comedamus, ut ſciat hic puer ſpernere malum, & eligere bonum*. Confirmatio, inquiunt, promiſſionis Dei erga pios de ea liberatione, quam Ieſchaia prædicaverat ſupra verſ. 7. & 8. a præſente ſigno Schear-Iaſchubi pueri, quem propterea Deus adduci mandaverat, verſ. 3. quaſi dicat Propheta : Etſi infidelitate ſua depellit a ſe domus Davidis beneficentiam Dei, non eſt tamen cur ego aut piorum quiſquam dubitemus de hac ventura liberatione; ego vero hoc filio meo ſpondere auſim, & prout imperavit Deus puerum in ſignum liberationis noſtræ, & excidii iſtorum ſtatuere, ut ipſe meminit infra cap. VIII. 18. Eſt itaque ſententia huius verſus: Ille Himmanuel nos ſervaturus eſt propter gratiam ſuam', & alimenta ſuppeditaturus commode; huius beneficio fretus ne puer quidem hic damnum accipiet ab iſtis regibus, ſed vivet invitis illis, & educabitur, & grandeſcet: ac proinde hoc ſigno regnum Iehudæ de conſervatione ſua confirmatum eſto; deinde ſubiungatur amplificatio ſequente verſu: Immo vero, inquit, iam reges iſti perierint, antequam hic puer incipiat ſapere. Quamobrem evidentiæ cauſa nominativum *puer*, qui in ſequente verſu expreſſus eſt, hypozeugmatice in hoc verſu repetivimus, pro certo habentes hoc ſimpliciſſimum eſſe conſilium Ieſchaiæ. *Faciet comedamus*; id eſt, non deſtituetur Iehudah commodis huius vitæ per iſtos reges; immo potius molliter nutrietur: *ut ſciat hic puer ſpernere malum, & eligere bonum*; id eſt, ut educatus adoleſcat, qua ætate diſcriminant adulti inter bonum & malum : Noematica periphraſis, ut etiam ſequente verſu. Sed præterquam quod hæc expoſitio ſubtilis nimium eſt & curioſa, dure admodum futurum יאכל *iochel*, quaſi eſſet ex Hiphil, reddit, *comedere faciet* : cum ſit ex Kal, *comedet*.

V. 16. Quia antequam sciat puer reprobare malum, et eligere bonum, &c. Quidam: *Quia antequam ſciat puer ille*, &c. nempe ille Himmanuel natus de Virgine; id eſt, antequam naſcatur, ſeu incarnetur in utero matris: tunc enim primum ſcivit iam reprobare malum & eligere bonum; nam ab ipſo ſuæ conceptionis momento pleniſſime imbutus fuit uſu rationis, & ſcientia divina & infuſa. Sed longe remotum fuit id ſignum a cæde duorum iſtorum regum Retzinis, & Phekachi, quam mox futuram Iſaias pollicetur. Proinde aptius hæc de Sear-Iaſubo filio Iſaiæ puerulo, de quo ſupra verſ. 3. acceperimus, ut redeat Propheta ad inchoatam hiſtoriam de liberatione Iehudææ a duobus illis regibus eam invadentibus; unde quidam reddunt : *Nam cum nondum noverit hic puer*, Sear-Iaſub filius meus, *ſpernere malum & eligere bonum*; id eſt, antequam adoleſcat, ac plene diſcriminet malum a bono: *relinquetur illa terra, cuius cauſa tædet te a duobus regibus*, Syriæ & Iſraelis; id eſt, tollentur morte a regnis ſuis ii duo reges II. Reg. XV. 30. & cap. XVI. 9. nam uterque intra quartum annum Achazi interfectus eſt. Varie alii ex Hebr. I. *deſeretur terra, a qua tu nunc abhorres, propter duos reges eius*; id eſt Syria & Samaria deſerentur, quas tu odio proſequeris propter duos reges eius, qui te obſident. II. *deſeretur terra, in qua tu compungeris, propter duos reges eius*, id eſt cuius reges te affligunt, & quaſi aculeis compungunt : ut ſupra ipſi dixerant, verſ. 6. *& compungemus eam*. III. *derelinquetur terra, in qua tu compungeris a facie duorum regum eius*. IV. *derelinquetur terra, a qua tu tædio afficeris, a qua abhorres, & cuius cauſa anxius es, quam vereris, a facie duorum regum eius*. Hiſpanicus Interpres: *la tierra que tu aborreces*, id eſt *la tierra de tus enemigos, ſera dexada de ſus dos reyes*; id eſt, petibunt ipſi. A facie duorum

RE-

REGUM SUORUM. Poteſt id iungi cum *quam tu deteſtaris*, propter duos reges ſuos; vel cum *derelinquetur*, a duobus regibus: quod eſt aptius.

V. 17. ADDUCET DOMINUS SUPER TE, &c. Heb. *Faciet Iehovah ut veniant contra te*, &c. Obſervant eſſe denuntiationem caſtigationum & iudiciorum Dei, quæ regi, & Iudæis infidelibus ventura erant: quæ hoc verſu per prolepſin dicta, ſequentibus uſque ad finem capitis exponuntur. DIES QUI NON VENERUNT A DIEBUS SEPARATIONIS EPHRAIM A IUDA CUM REGE ASSYRIORUM. Alii ex Heb. I. *tempora, qualia non fuerunt ab ipſo die, quo receſſit Ephraim a Iuda, nempe regem Aſſyrium*: Sancheribum II. Regum XVIII. II. *tempora, qualia non venerunt, ex qua die receſſit Ephraim a Iehudah*, id eſt a defectione Iſraelitarum, de qua I. Reg. XII. *per regem Aſſyriæ*, cui tu, non Iehovæ confidis, ut ſupra dixerat Achaz verſ. 12. CUM REGE ASSYRIORUM. Hebr. *regem Aſſur*, vel *ad*, ſeu *per regem Aſſur*; id eſt, Adducet contra te, &c. duriſſima tempora per regem Aſſyriæ Thilghath Philneeſerem II. Paralip. XXVIII. 20. & Sancheribum II. Regum XVIII. 13. & ſequentibus.

V. 18. ET ERIT, &c. Expoſitio ſingularis prolepſeos ſuperioris capitis, primum a factis hoſtium uſque ad verſ. 21. deinde a duris eventis ad finem uſque capitis. IN DIE ILLA: qua Deus te, & familiam tuam paternam iudicaturus eſt, nimirum temporibus tuis, filiique tui. SIBILABIT DOMINUS; id eſt, ſibilo annuet, vel exciet, more proceris aut magnatis, qui crepitu digitorum, aut ſibilo ſervos vocat. MUSCAE, QUAE EST IN EXTREMO FLUMINUM AEGYPTI. Alii collective: *ad muſcas, quæ ſunt in extremitate rivorum AEgypti*. Exponunt: Id eſt, hoſtes numeroſiſſimos & velociſſimos ac importuniſſimos AEgypti accolas, cum Pheliſthæos ſub Achazo, Edomæoſque II. Paralipom. XXVIII. 17. & 18. tum AEthiopas ſub Chizkiia II. Regum XIX. 9. Alii S. Hieronymum ſecuti, de Necho rege AEgypti accipiunt, qui Ioſiam interfecit, & Ioachazum vinxit II. Reg. XXIII. FLUMINUM AEGYPTI: quod AEgyptus præter Nilum plura etiam alia flumina habeat, ut ex Strabone, Ptolemæo, aliiſque cognoſcitur. Alii: *rivorum AEgypti*, quod AEgyptus pluviis carens, multis foſſis, & rivis e Nilo ductis irrigetur. S. Hieronymus: *Muſcas autem AEgyptios vocat propter ſordes idololatriæ, & imbellem populum*. Nec inepte quidam *muſcas* hic AEthiopes intelligunt, quod nigri ſint, & numeroſi, & in extremitate rivorum AEgypti, nempe ſub AEgypto ipſa poſiti. ET API, QUAE EST IN TERRA ASSUR. Quidam collective: *& ad apes, quæ ſunt in regione Aſſyriæ*; id eſt, conſertiſſimos, potentiſſimos, velociſſimos, & militari diſciplina inſtructos Aſſyrios, quales ſunt apes apud Virgilium & Plinium: allegoriæ.

V. 19. ET VENIENT, &c. Senſum huius verſus ita concipiunt; id eſt, oppida & agros occupabunt. IN TORRENTIBUS VALLIUM. Alii: *in vallibus deſertorum locorum*. Nonnulli: *in torrentibus deſolationum*, ſeu *deſolatis*, *ſolitariis*, *in torrentibus excavationum*. Ego *in torrentibus barathrorum* dixi, quod torrentes impetu ſoleant excavare terram, ac multa loca prærupta ac præcipitia ſacere: vide ſupra, cap. V. 6. ET IN CAVERNIS PETRARUM. Ex Hebr. exponunt: *& in foraminibus, concavitatibus, cavernis, fiſſuris, ſpecubus, antris petrarum*: vel *in dentibus, ſcopulis, proiecturis petrarum, rupium, ſaxorum, ſilicum*. ET IN OMNIBUS FRUTETIS. נעצוצים, *nagbatzutzim*, inquit Forſterus, *nonnulli pro* rubo ſpinoſo, *aliqui alii pro* ſpina alba, *quam in deſerto creſcere dicunt, accipiunt: fortaſſe, quod propemodum referat ſpinam dorſi, quæ* עצה *ghatzah, dicitur, ramoſitate. Licebit tamen accipere pro* vepreto, *ſeu* fruticeto, *quaſi dicas, lignetum, & in omnibus fruticetis, ſeu arbuſtis*. Aben- Ezra: *& in omnibus arboribus infructuoſis*. Rabbi Sahadiah: *ſpinis albis acutis*. Kimchi: *arboribus vilibus*. Plerique alii: *ſpinis, ſpinetis, rubis* vel *rubetis, dumis* ſeu *dumetis*; pagos intelligunt, qui ſpinis & dumis cingi ſolent. Forerius a עץ *ghetz, ligno, contignationes humiles*, vel *teſtitudines* exponit: ut viles ac depreſſas domos una tantum contignatione conſtantes ſignificet. Tremelius, & Iunius: *& in omnibus virgultis*. Vocem, inquiunt, Hebræam ſic interpretamur hoc loco, & infra cap. LV. 13.

propter ipſius etymon. Leo Iudas: *& in omnibus caſis*. ET IN] UNIVERSIS FORAMINIBUS. נהלולים *nabalolim*, Forſterus: *Indecora, ſeu ingloria ligna, qualia ſunt dumeta*, unde reddit: *& in omnibus ingloriis*, ſcilicet lignis, id eſt dumetis ſeu vepricetis. Plerique Hebræorum & Noſtrorum etiam vertunt: *& in omnibus vilibus & illaudatis arboribus*. Alii autem e contrario verbi ſignificato: *& in omnibus glorioſis & laudatis arboribus*, quod Chaldæus interpres etiam ſequitur. Forerius: *& in domibus laudatis*, id eſt amplis, magnificis, qualia ſunt regum palatia, & domus principum ac divitum. Leo Iudas: *& in omnibus palatiis*. Indicat Propheta hoſtes omnia loca tam in agris, quam in urbibus occupaturos, ſive humilia, ſive magnifica fuerint.

V. 20. RADET; id eſt, expilabit, exhauriet, corradet omnia in regno tuo: altera allegoria. IN NOVACULA CONDUCTA. Quidam: *in novacula mercede conducta*, ſeu *in novacula mercenaria*, ſeu *conductitia*. Vocat Aſſyrios novaculam conductam, vel quod ſpe ſpoliorum, & a Deo incitati venturi eſſent: ſic Ezechiel. XXIX. 18. vel quod optima & acutiſſima ſit; nam quæ conducuntur, optima eſſe ſolent, & ad rem gerendam accommodata: vel per ſarcaſmum, *novacula iſta mercenaria*, id eſt quam tu mercede conduxiſti, obſtringens te, & regnum tuum fide data Aſſyrio, & penſitationem exhibens II. Regum XVI. 7. & 8. IN HIS QUI TRANS FLUMEN SUNT, IN REGE ASSYRIORUM. Hebr. *in tranſitibus fluminis, in rege Aſſur*. Alii: I. *in iis, qui venient de regionibus, quæ ſunt trans flumen, cum rege Aſſur*. II. *in trans flumen cum rege Aſſur*, id eſt in exercitu, qui veniet e regione, quæ eſt ad latera Euphratis. III. *in accolis Euphratis, cum rege Aſſur*. IV. *per tranſgreſſiones fluvii*, id eſt Transfluvianos, ſeu *Tranſeuphratenſes*, in populo *regis Aſſyriæ*. V. *transfluviali, rege Aſſyriæ*, id eſt quæ trans Euphratem eſt. CAPUT ET PILOS PEDUM. Hypallage, pro, pilum capitis & pedum. Honeſto vocabulo *pilum pedum* appellat pubem, & pilos circumpudenda: ut alibi urinam vocat *aquam pedum*. Quidam proprie accipiunt *pilum pedum*; quaſi lotioni pedum, pilorum etiam detonſionem adhiberent, quod & apud Gallos uſitatum eſt. *Pilum capitis & barbam*, nuncupat nobilitatem, & primores quoſque gentis Iudææ: *pilum pedum*, plebem & ignobile vulgus; quaſi dicat, Omnia a ſummo ad imum; nihil relinquet intactum in toto regno: quod allegorice cum corpore comparatur. ET BARBAM UNIVERSAM. Hebr. *& barbam contrahet*, vel *conſumet*, *perdet*: vide de notione verbi ספה *ſaphab*, in Gen. XVIII. 23.

V. 21. ET ERIT IN DIE ILLA, &c. Poſteriorem hanc partem capitis non ſatis apte nobis videntur plerique Explanatorum accipere: aptius alii exponunt, ut ſit amplificatio calamitatis Iudæorum ab eventis ſuperiorum calamitatum, ut diximus in verſ. 18. Sunt autem hæc ſummatim duo: hominum infrequentia, his duobus verſibus; & regionis totius horriditas, tribus reliquis. NUTRIET HOMO. Hebr. *Vivificabit vir*, vel *quiſpiam*, id eſt *alet*. Hiſpanice, *criara*, *avidara*. VACCAM BOUM. Hebr. *vitulam bovis*. Alii: *vitulam armenti*. Alii: *filiam bovis*, hoc eſt, ſubrumam, ut alibi, ſeu *iuvencam*.

V. 22. ET PRAE UBERTATE LACTIS COMEDET BUTYRUM. Hebr. *Et erit præ multitudine faciendi lac*. Alii: I. *Et erit propter multam facturam lactis*. II. *Et erit præ copia lactis, quod faciet*, ſubaudi vitula, & duæ illæ oves. III. *Et erit, præ copia producti lactis, comedet butyrum*. Nonnulli præcedentem verſum, & iſtum coniungunt, atque ita explanant: *Eritque tempore illo, ut qui aſſervaverit bucculam armentariam, & duas pecudes, Erit, inquam, ut præ copia præbiti lactis comedat butyrum*; id eſt, ut abundet lacte propter raritatem inhabitantium, ideoque ſolus laboret de butyro comedendo, & occupando lacte; quaſi dicat: Vel ex una vitula & pauciſſimis pecudibus lac expreſſum, ac butyrum ubertim paſcet comedentes: adeo pauciſſimi erunt. Nec male dictum putes a Propheta, vitulam facturam lac: quod etiam Virgilius aſſerit Ecloga III.

—— *ego hanc vitulam (ne forte recuſes,*
Bis venit ad mulctram, binos alit ubere fœtus)

BUTYRUM ENIM ET MEL MANDUCABIT OMNIS

Digitized by Google

OMNIS QUI RELICTUS FUERIT IN MEDIO TERRAE. Aliqui: *nam butyrum & mel faciet ut comedat quiſquis reliquus fuerit in media hac terra*; id eſt, tanta erit penuria habitatorum, ut ad eos alendos ea tantum futura ſint plus ſatis, quæ ultro provenient in horrente inculta que terra: quod mirifice eſt effecturus Dominus. Sed iam diximus verſ. 15. futurum יואכל *iocbel*, quod etiam hic ponitur, eſſe ex *Izal*, *comedet*. Recte hic alluſum putant ad nomen filii Iſaiæ *Sear Iaſub*, quem ſecum habebat, cum hæc diceret: ut innuat myſterium, per puerum illum Himmanuelem reliquias illas Iſraelis, quæ convertentur ad Dominum, fruituras opimis & optimis quibuſque bonis regni cælorum. Vide ſupra verſ. 3. & infra verſ. 25.

V. 23. ET ERIT IN DIE ILLA: OMNIS LOCUS, &c. Alter effectus, nempe regionis totius horriditas, ut diximus in verſ. 21. Aliqui: *Erit etiam tempore illo*. OMNIS LOCUS UBI FUERINT MILLE VITES, &c. Quidam: *ut ſit omnis locus, ubi ſunt mille vites, millenum ſiclorum argenti, ſit, inquam, in ſenticetum & in vepretum*; id eſt, locus uberrimus, utiliſſimus, & pretioſiſſimus horreſcet in ſentes ac vepres. MILLE ARGENTEIS. Hebr. *in mille argenti*, ſubaudiunt, *minis*, vel *ſiclis*, quod eſt rectius: eritque pretium ingens pro mille vitibus, nempe quatuor mille regalia Caſtellana, hoc eſt prope quadringentos aureos: tanti apud nos non æſtimantur mille vites. At ſi *minæ* hic intelligantur, Immane & ſupra fidem eſſet pretium. IN SPINAS ET IN VEPRES ERUNT. Hebr. *in veprem*, vel *vepretum*, *& in ſpinam*, vel *ſpinetum erit*, ſcilicet locus ille; hoc eſt, ſqualidus, deſertus, vepribus, ac ſpinis obſitus erit.

V. 24. CUM SAGITTIS ET ARCU INGREDIENTUR ILLUC. Heb. *cum ſagittis & arcu veniet illuc*, vel *ingredietur illuc*, ſubaudi quicumque adire volet loca illa. Quidam: *eundum erit illuc*, ut *veniet* ſumatur paſſive imperſonaliter, *venietur illuc*. Aliqui: *ſagittis & arcu* inſtructus, vel armatus *venturus ſit eo*; id eſt, & quidem adeo horrebit locus, ut feris tantum prope ſit pervius, atque ita abundet illis, ut nemini tutum ſit ingredi niſi armata manu: Reſpicit enim ad interminationem legis Levit. XXVI. 22. VEPRES ENIM ET SPINAE ERUNT IN UNIVERSA TERRA. Heb. maiori ſenſu: *quia ſenticetum & ſpinetum, ſeu vepretum, erit omnis terra*. Quidam: *quoniam vepres & ſpinæ occupabunt omnem terram*. Alii: *cum ſentibus & vepribus obſita erit tota hæc terra*.

V. 25. ET OMNES MONTES, QUI IN SARCULO SARRIENTUR, &c. Diverſimode hunc verſum ex Hebr. accipiunt: I. *Sic & omnes montes, qui ſarriebantur, non veniet illo metus veprium & ſpinarum; ſed mittetur illo armentum, & pecus conculcabit*. II. *At porro in omnes montes, qui ligone excoli ſolent, non veniet metus veprium & ſpinarum; ſed erit locus ille in agrum paſcuum boum, & in conculcationem ovium*; quaſi dicat: Tempore obſidionis tota planities terræ Iudææ deſolata erit, plena ſpinis & vepribus; at montium fertilium vertices non erunt obſiti ſpinis: cum talia loca tempore belli ſoleant coli ab iis qui ſe in ea receperunt metu hoſtium, propterea obſidione ſoluta, erunt bobus & ovibus in locum paſcuum, cum in planis locis ali non poterant ob vaſtitatem. III. *Et omnes monticuli, qui in ſarculo coacervabuntur; non veniet illuc metu ſentium & ſpinarum*, vel *ſpinarum & veprium: & erit ad immiſſionem bovis*, vel *ad dimiſſionem boum, & in conculcationem pecorum*, vel *gregis*. IV. *Et omnes montes, qui ſarculo coacervabuntur, non perveniet illuc timor ſentium & veprium: & erit in emiſſionem boum, & in conculcationem pecudum*. Exiſtimant eſſe periphraſim vinearum & hortorum, in quibus ſunt plantæ fructiferæ, quæ ſolent iterum atque iterum fodi, & in monticulos redigi iuxta agricultorum præcepta: *non venit illuc timor*, &c. id eſt, quo timor veprium & ſpinarum non ſolet venire ob curam culturæ; quaſi dicat: Et loca illa, quæ ſolent in monticulos coacervari, quæque tuta ſolent eſſe a vepribus & ſentibus, erunt in ſenticetum & vepricetum: & armenta & pecudes illuc libere ingredientur. Aliter: loca illa, quæ in monticulos ſarculari ſolebant, non erit quod quiſpiam timeat illuc ingredi propter vepres & ſentes, quibus circumvallari ſolent: patebunt enim bobus & pecudibus.

V. *In omnes vero illos montes, qui ſarculo ſarriendi fuiſſent*, id eſt incultos (periphraſis) *non adveniet eo timor ſentium & veprium*; id eſt, non defugietur locus ullus, qui nunc plane videtur horridus; ſed utcumque nunc horreat, præ aliis locis amœniſſimus tum videbitur: tam gravis & acerba futura eſt Dei in regionem hanc maledictio: *ſed erit* locus ad emiſſionem bovis, *ad conculcationem* parvæ *pecudis*, ſive *quo emittatur bos, & quem conculcet parva pecus*; id eſt, totius regionis paſcuoſiſſimus & feraciſſimus habebitur. Nonnulli tamen hunc poſtremum verſum ad myſterium Sear-Iaſub, id eſt reliquiarum converſarum referunt; quaſi dicat: Iudæorum tamen reliquiæ ad Chriſtum converſæ, metu hoſtium in montes & editiora loca confugient, quæ ſarculo colent, ut non ſit timor veprium & ſpinarum; ſed adeo amœna & fertilia reddantur, ut opus ſit ea dente armentorum & pecorum caſtigare exuberante luxuria, ut ſit in Meſopotamia, teſte Plinio. Quæ allegorice ſpiritualium bonorum affluentiam ſignificant, quibus fruentur converſæ reliquiæ.

MENOCHII.

Verſ. 1. ASCENDIT RASIN. Vide hiſtoriam IV. Reg. xv. & xvi. & II. Paral. xxviii.

V. 2. DOMUI DAVID, id eſt duabus tribubus. quæ adhæſerunt ſtirpi David, Iudæ ſcilicet, & Beniamin. REQUIEVIT SYRIA SUPER EPHRAIM; quaſi dicat, Syria, & eius Rex Raſin iunxit ſe, & ut LXX. vertunt, *conſpiravit*, inita ſocietate cum Ephraim, id eſt cum Iſraelitis. Puto autem dici requieviſſe potius Syriam ſuper Ephraim, quam e converſo Ephraim ſuper Syriam, quod magnam ſpem rei bene gerendæ Syrus concepiſſet, ex fœdere cum decem tribubus, ex quo multæ ſe oſtendebant opportunitates, proſpere bellandi propter vicinitatem regionum, linguæ communionem, &c. ut ſenſus ſit, Raſin magnam ſpei ſuæ partem in eo fundavit, & conſtituit, quod ſibi Iſraelitas adiunxerit. Vel etiam exercitus Syrorum in regno Iſraelis conſederat, dum expeditionem parat in Iudæos. SUPER EPHRAIM: ſic dictæ decem tribus Iſrael, a Ieroboam primo rege, qui fuit ex tribu Ephraim. COMMOTUM EST, timore.

V. 3. ET QUI DERELICTUS EST IASUB: In Hebræo eſt, *Sear Iaſub*, quod integrum erat nomen filii Iſaiæ, & ſignificat, *Reliquiæ convertentur*, quod nomen procul dubio filio indidit non ſine myſterio. Sic Oſeas cap. 1. proles ſuas nuncupat, *non miſericordia conſecuta*, *non populus meus*. Iubetur Iſaias filium adducere, ut Achaz, qui populum ſuum funditus delendum timebat, nominis huius fauſto omine ad ſpem erigeretur. IN VIA AGRI FULLONIS: ubi, ob vicinum aquæductum piſcinæ, id eſt lacunæ ſuperioris, plures erant officinæ fulloniæ, quæ in urbe ob aquarum inopiam, & loci anguſtias eſſe non poterant. Fullones enim ad pannos purificandos, & tingendos, copia aquarum indigent, & loco aperto ad eos ſiccandos.

V. 4. SILEAS: quieto, & ſecuro ſis animo. DUABUS CAUDIS TITIONUM. Duos reges intelligit, Iſraelis ſcilicet & Syriæ, qui titionibus comparantur, quia ut titionum caudæ, id eſt extremitates ardent, & fumigant, ſed paulo poſt extinctæ proiiciuntur; ita hi reges ardebant ira in Iudæos, & iactabant ſe, & minabantur, paulo poſt proiiciendi inglorii. IN IRA FURORIS, &c. fumigantium propter conceptam iram.

V. 5. IN MALUM EPHRAIM: conſilium, quod tandem ipſi Ephraim erit noxium: ſic enim interpretandum, cum in Vaticanis bibliis nota diſtinctionis ponatur poſt vocem *Ephraim*: alioqui verſiculi ſenſus eſſe poſſet, Syriam, & Ephraim ſimul conſpiraſſe in malum, id eſt ut nocerent Iudæ.

V. 6. SUSCITEMUS EUM: bello eum laceſſendo. AVELLAMUS EUM. In Hebræo eſt, *diffundamus*, ſive *abſcindamus eum*, ſcilicet ab Achaz, & trahamus ad nos. Vel diſcindamus, id eſt partiamur in duas partes, ut partem unam occupent Samaritæ, alteram Syri. TABEEL, nomen proprium viri, cuius filium Regem in Iudæa conſtituere volebant, ita tamen, ut eis maneret devinctus, v. g. ſubiectus.

V. 7. NON STABIT, &c. quaſi dicat: Ego hoc conſilium evertam.

V. 8.

Digitized by Google

V. 8. SED CAPUT SYRIAE DAMASCUS, &c. Sententia eſt, Non ſtabit hoc eorum arrogans conſilium, ſed e converſo caput Syriæ Damaſcus deſinet, corruetque, & caput, id eſt Rex Damaſci Raſin deſinet, & deſinet Ephraim eſſe populus; & caput, id eſt metropolis Ephraim Samaria deſinet, & caput, id eſt Rex Samariæ filius Romeliæ deſinet. Impleta eſt hæc Prophetia, cum Teglatphalaſar, & Aſſyrii vaſtarunt, & ſubegerunt tam Syriam, quam Samariam: IV. Regum XVI. & XVII. XVIII. DESINET ESSE POPULUS: everſa eorum republica, & regno.

V. 9. SI NON CREDIDERITIS; vos divino auxilio liberandos. NON PERMANEBITIS; in regno veſtro, ſed æque ut illi in captivitatem abducemini. Vel, non permanetis in veritate, non eſtis Deo fideles. LXX. vertunt, *non intelligetis*.

V. 10. LOQUI AD ACHAZ; ſcilicet per Iſaiam.

V. 11. PETE TIBI SIGNUM, in prophetiæ meæ confirmationem. IN PROPUNDUM INFERNI, &c. petendo, v. g. ut grandi terræ hiatu pateat infernus, vel ut ſtet ſol, ut tempore Ioſue.

V. 12. NON PETAM, &c. Ita reſpondit ex hypocriſi, & impietate, quia cum a Deo eſſet averſus, eique diffideret, fidebat Dæmonibus, & idola ſua ſtatuerat conſulere, atq; opem Aſſyriorum implorare.

V. 13. DOMUS DAVID, id eſt *Iuda*, ut habent LXX. MOLESTOS ESSE HOMINIBUS; id eſt, prophetia eorum prædictiones nihili faciendo, & contemnendo. MOLESTI ESTIS ET DEO: qui cum loquatur per Prophetas, etiam ipſe contemnitur.

V. 14. PROPTER HOC; quaſi dicat: Quia non facitis vos quod debetis, faciet Deus quod ſe dignum eſt. VOBIS, ſcilicet domui Iuda. SIGNUM, potentiæ, bonitatis, & miſericordiæ ſuæ. VIRGO CONCIPIET: virginitate etiam poſt partum manente. EMMANUEL: quæ vox ſignificat, *nobiſcum Deus*.

V. 15. BUTYRUM, ET MEL COMEDET, id eſt cibos uſitatos infantibus in Iudæa; erit enim Chriſtus verus homo. UT SCIAT REPROBARE MALUM, ET ELIGERE BONUM; id eſt, uſque dum creſcentibus annis ad illam perveniat ætatem, qua pueri diſcernere ſciunt inter bonum, & malum. Chaldæus vertit, *Donec ſciat*. Ex Hebræo ad verbum vertendum eſſet, *ad ſcire ipſius*, לדעתו *ledahatho*.

V. 16. QUIA. Heb. כי *chi*, quod verti poteſt, *ſane*, *certe*, *verum enimvero*. ANTEQUAM SCIAT PUER, &c. immo etiam antequam naſcatur. DERELINQUETUR TERRA: non ſolum liberabit Iuda, ſed etiam duorum regum tibi adverſantium regna deſolabuntur, quod factum eſt, ut patet ex IV. Reg. XVI. & deinceps. TERRA, QUAM TU DETESTARIS: terra tibi amica; terra hoſtilis. A FACIE DUORUM REGUM SUORUM; id eſt, a duobus regibus ſuis, vel propter ſcelera duorum regum ſuorum derelinquetur eorum terra. Vel ſenſus eſt: quam tu deteſtaris propter duos reges tibi infeſtos.

V. 17. DIES; inauditæ ultionis. QUI NON VENERUNT: quales non venerunt. A DIEBUS SEPARATIONIS; cum ſcilicet regnum Iſrael in duo diviſum eſt ſub Roboam. CUM REGE ASSYRIORUM, id eſt per regem Aſſyriorum.

V. 18. SIBILABIT: convocabit, & excitabit ut contra Iudæos pugnent. MUSCAE: AEgyptios intelligit, quos muſcas appellat, vel propter vocis abſonæ ſtridorem, vel propter multitudinem. Loquitur de bello Pharaonis Nechao: IV. Reg. XXIII. API. Aſſyrios apes appellat, vel quia ſagittis utebantur, ut apis aculeis, vel quia auratis, & variegatis veſtibus erant induti. Loquitur de expeditione Sennacherib in Iudæam.

V. 19. IN TORRENTIBUS VALLIUM, &c. quaſi dicat: Omnia occupabunt, & complebunt. Perſiſtit in metaphora muſcarum, & apum, quæ degere amant in vallibus, & cavernis petrarum, &c. FRUTETUM: ſive fructetum; eſt locus fruticibus conſitus.

V. 20. IN NOVACULA: gladiis, & armis barbarorum acutis ut novacula. CONDUCTA: nam quaſi propoſita mercede prædæ, & ſpoliorum AEgypti, & Aſſyrii adducendi erant in Iudæam. IN HIS QUI TRANS FLUMEN SUNT: intelligit Aſſyrios, qui trans Euphratem ſunt. BARBAM, &c. Loquitur de republica Iudæorum, tamquam de corpore humano, & ſignificat, nulli ordini parcendum, non ſummis, non imis. PILOS PEDUM. Honeſto vocabulo, pubem appellat pilos pedum. Sic aqua pedum, dicitur urina.

V. 21

V. 21. Nutriet homo vaccam; quaſi dicat: In hac vaſtatione Babylonica tanta erit hominum paucitas, ut qui vel unam vaccam, & duas oves habuerit, ex lacte illarum ſit commode victurus; nam regione ab hominibus deſerta, agri prius culti vertentur in paſcua copioſa, ex quo fiet ut vaccæ, & oves lacte turgeant, poſſitque illarum dominus lacte, & butyro veſci abundanter.

V. 22. Comedet butyrum; id eſt, id quod in lacte melius eſt, & pinguius. Et mel: poterit enim quantum voluerit mellis eximere ex cavernulis, & petris, in quibus alvearia ſua conſtituunt apes.

V. 23. Ubi fuerint mille vites, mille argentei: ex quibus ſcilicet, mille argenteorum ſiclorum proventum, domini colligerent. In vepres erunt: redigentur in ſpinas, & vepres.

V. 24. Cum sagittis, et arcu: quia iam erunt quaſi ſilvæ venationi aptæ.

V. 25. Et omnes montes, &c. Verſiculi ſententia eſt: Montes, & colles vitiferi, qui non aratro, ſed ſarculo proſciudebantur, quique ſpinoſa ſepe ad cuſtodiam uvarum, & fructuum cingebantur, iam nemini erunt ſpinis illis ſepium terrori, quo minus libere ingredi poſſint, & boves ibi paſcere, & pecora nemine prohibente conculcare.

T I R I N I.

Verſ. 1. Nuntiaverunt domui David, id eſt familiæ regiæ Davidis, id eſt regi Achaz, eiuſque fratribus & cognatis.

V. 2. Requievit Syria super Ephraim, id eſt *ſocietatem iniit*, ut Vatablus vertit; *conſpiravit*, ut LXX. Syria cum decem tribubus, quarum caput erat Samaria ſita in tribu Ephraim. Sic I. Reg. VII. *Requievit Iſrael poſt Dominum*, id eſt ſociavit ſe Domino. Hoc ineſpectato nuntio perculſus eſt Achaz, et commotum est cor eius: ſemper enim pavet mala conſcientia, etiam cum maxime deceret eſſe cordatum.

V. 3. Egredere tu, et qui derelictus est; Hebraice, *ſear*, id eſt *derelictus*. Iasub: filio enim Iſaiæ inſtinctu Dei impoſitum fuerat nomen, *Sear iaſub*, id eſt *derelictus redibit*, vel *reliquiæ convertentur*. Ut nomine ſuo deſignaret filius id quod pater verbis hic inculcare iubetur, nempe populum Iudaicum, qui præcedentibus cladibus a *Raſin*, & *Phacee*, & aliis ſæpius a illatis reliquus ſupererat, ab his miſeriis ad priſtinam felicitatem tranquillitatemque rediturum. Et hæc eſt cauſa cur Deus hic iubeat Iſaiæ, ut ſuum hunc ſic nominatum filium una ſecum deducat ad Achaz.

V. 4. Vide ut sileas, id eſt quieto ſis animo, compeſce hos fluctus timoris, acquieſce meæ protectioni, ne inclames opem Aſſyriorum, ſed in ope mea conquieſce.

V. 7. Non stabit; ſupple, hoc illorum regum propoſitum; nempe ego illud evertam, & aliam ipſis cudam fabam.

V. 8. Caput Syriae Damascus, urbs regia & metropolis Syriæ, desinet brevi eſſe, nimirum poſt expletos *ſexaginta quinque annos*, quos a primo anno meæ prophetiæ, & ab inflicta Oziæ regi lepra, id eſt ab anno 25. regni illius, ſæpius audiſti publice inculcari, & præfigi cladi Syriæ & Iſraelis. Vide Chronicum noſtrum cap. XXIX. ad annum 25. Oziæ. Explebuntur vero illi iam brevi, nempe 6. anno Ezechiæ filii & ſucceſſoris tui: tunc enim per Teglatphalaſſar & Aſſyrios devaſtabitur tota Syria, IV. Reg. XVI. XVII. XVIII. & tunc deſinet *Damaſcus* eſſe, & *Raſin*; & *Samaria*, quæ nunc eſt *caput*, id eſt metropolis, Ephraim, ſeu X. tribuum Iſraeliticarum, deſinet eſſe: & *filius Romeliæ*, nunc rex *Samariæ*, deſinet eſſe: Et Ephraim desinet esse populus; id eſt, non amplius conſtituet peculiare regnum, vel remp. ut hactenus, ſed abducentur Iſraelitæ captivi in Aſſyriam, & diſpergentur per univerſam Aſiam: ita S. Cyrill. per zeugma repetit in ſingulis horum verſiculorum membris verbum *deſinet*, & facit ſenſum planum & clarum.

V. 9. Si non credideritis; ſupple, hos punitum, vos ope mea ereptum iri, non permanebitis etiam vos in veſtra terra, ſed æque ut ipſi abducemini captivi; quaſi dicat: Si nolitis mihi credere & fidere, ſed confugiatis ad opem Aſſyriorum; non iuvabo vos; iuvabo, ſi mihi fidatis: ita fere S. Hieronymus, Rupertus, Haymo & alii. LXX. vertunt, *ſi non.*

Digitized by Google

ſi non credideritis, non intelligetis. Quomodo ſæpe citant S. Auguſt. Chryſoſt. Cyprian. & alii SS. Patres; quaſi dicat: Non eſt quod humano iudicio & vulgari trutina metiamini hæc mea dicta, ſide opus eſt: ſine hac numquam capietis quomodo quod hominibus impoſſibile eſt, Deo ſit facillimum. Sed credere noluit impius Achaz, unde & Aſſyrios evocavit in auxilium ſuum, contra expreſſam Dei inhibitionem; ac proinde in ruinam ſuam. Deus tamen, ut magis eum roboraret, & ad ſibi fidendum exſtimularet, probationem illi offert per quale velit ſignum, ſeu miraculum. Er renuenti petere, idque ex hypocriſi, ultro obtrudit ſignum:

V. 14. ECCE VIRGO CONCIPIET, ET PARIET FILIUM: ita vertunt etiam LXX. In Hebræo clarius eſt, *Ecce virgo prægnans, & pariens filium*: ubi non ſolum aſſeritur virginitas ante conceptionem & poſt imprægnationem, ſed etiam poſt partum. Neque *babalmah* uſpiam in Scripturis pro alia *puella* quam *virgine* & a viro intacta ſumitur. Porro vaticinari hic Iſaiam de conceptione Chriſti in utero virginali Mariæ, de fide eſt, ex Matth. I. 22. ubi per ingravidationem Mariæ ex Spiritu ſancto, &c. dicit, impletum fuiſſe *quod dictum eſt a Domino per Prophetam, Ecce virgo in utero habebit*, &c. unde ſas non eſt Chriſtianis hac de re dubitare. Dubitari ergo ſolum poteſt, quid Chriſti ex virgine conceptio ad rem præſentem faciat, ubi agitur de brevi excidendis regnis Syriæ & Samariæ? Reſp. plurimum facit, & quidem accommodatiſſime: nam typo, ſeu figuræ ſubnectitur hic ipſa res figurata. Cum enim excidium Syriæ & Samariæ per Aſſyrios figura eſſet excidii regni diabolici per Chriſtum deſtruendi; Iſaias ad creandam Iudæis fidem certo excidendorum brevi iſtorum regnorum, dat ſignum oculis ipſorum brevi ſuturum obvium; nempe mortem regis utriuſque regni: nam ut dicitur verſ. 16. *Antequam puer* iamiam concipiendus, & paulo poſt naſciturus, ad eam devenerit ætatem, qua naturaliter *ſciat reprobare malum & eligere bonum*; id eſt, qua incipiat diſcernere grata ſibi & commoda ab ingratis & incommodis, vel, ut dicitur cap. VIII. 4. *Antequam ſciat vocare patrem & matrem*; *terra, quam tu deteſtaris*, nempe Syriæ & Samariæ, id eſt utrumque regnum tibi exoſum, *derelinquetur a facie duorum regum ſuorum*, id eſt ſpoliabitur & privabitur utroque rege ſuo: & ſic privatum manebit plurimis annis. Et hoc tibi erit pro ſigno ſubſecuturi poſt paulo generalis excidii utriuſque illius regni, ut prædixi verſ. 8. Quod excidium mortem Phacee ſubſecutum eſt 18. annis. Sed nota, o rex, hæc omnia præſignare aliud longe ſublimius myſterium tempore demum Meſſiæ ex te naſcituri complendum. Nam prorſus pari modo, ſed longe nobiliori, tunc *virgo* una, nempe Maria, manens virgo, *concipiet & pariet filium* Meſſiam, ET VOCABITUR NOMEN EIUS EMMANUEL, id eſt nobiſcum Deus; quaſi dicat: Pariet non purum hominem, ſed hominem Deum: qui

V. 15. BUTYRUM ET MEL COMEDET, id eſt inſtar aliorum infantium nutrietur cibis infantilibus: nempe corpus habebit non phantaſticum, ſed naturale, quod alimentis qualia infantibus in Iudæa ſubminiſtrantur, accreſcet paulatim & roborabitur, UT SCIAT REPROBARE MALUM ET ELIGERE BONUM; id eſt, ita ut per experimentalem ſcientiam norit diſcernere guſtu cibos bonos & palato gratos, ab ingratis & malis, itemque res alias bonas creſcente ætate ſciat diſtinguere a malis. Sed antequam Meſſias ad eam ætatem devenerit, terra Damaſci & Samariæ deſtituetur ſuis regibus, nempe *Oboda* rege *Syriæ* & *Herode Aſcalonita* rege *Samariæ* ſimul & Iudææ. Nam hic etiam erat & vocabatur, teſte Appiano Alexandrino, *rex Samariæ*, & mortuus eſt 14. menſibus a nato Chriſto, ut patet ex noſtro Chronico. *Obodas* vero rex Damaſci in Syria paucis menſibus ante Herodem e vita ſublatus fuerat, Ioſepho teſte & Strabone. Et ſic acceleravit Chriſtus a primo ſuo exortu *prædari & ſpolia detrahere*, ut hic dicitur cap. VIII. 3. Porro utrumque contigit per regem Aſſyriorum, illud per *b* Teglatphalaſſar, iſtud per Auguſtum *c*, cui etiam ſubiecta erat Aſſyria. Nam licet regnum Herodis inter filios eius dividi paſſus fuerit, regium tamen nomen & ius illi ademit. Sic in Syria diu noluit ut Obodæ Aretas *d* ſuccederet. Hæc vero regum duorum exſpoliatio præludi-

ludium & ſignum erat ſubſecuturi demum generalis excidii totius regni diabolici per Chriſtum. Patebunt hæc omnia clarius ex cap. VIII. ſequenti.

Sed quia tu, o Achaz, incredulus divinis promiſſis, non vis acquieſcere iis quæ tibi Dei nomine addico, ſed confugis *e* ad opem Aſſyriorum, ecce per hos ipſos graviſſime aſſligeris: nam

V. 17. ADDUCET DOMINUS SUPER TE DIES inauditæ ultionis, quales non eſtis experti A DIEBUS SEPARATIONIS EPHRAIM, id eſt regni Iſraelitici x. tribuum, A regno IUDA. Adducet, inquam, CUM ipſo REGE ASSYRIORUM: nempe quem tu ipſe tibi patronum advocas, experieris hoſtem infeſtiſſimum. Ita vero contigit: nam Teglatphalaſſar ineſcatus fertilitate terræ Iudææ, poſtquam expilaſſet regnum Iſraeliticum *f* & Syriacum *g*, occiſo utroque rege, *Raſin h* & *Phacee i*, convertit arma contra ipſum quoque Achaz *k*, eumdemque aſſlixit, ſpoliavir, vaſtavit; ſed hæc vaſtatio præludium tibi erit & ſignum alterius longe amplioris, ac tandem etiam generalis vaſtationis & excidii quod imminet terræ & familiæ tuæ.

V. 18. SIBILABIT enim DOMINUS MUSCAE, id eſt ſibilo evocabit AEgyptios, qui ob vocis abſonæ ſtridorem, morum impudentiam, & muſcarum, quibus tota regio utpote calidiſſima ſcatet, multitudinem, agnomen *muſcæ* acceperunt. *Sibilabit* item API, id eſt Aſſyriis, quia hi inſtar apum ſeduli erant, induſtrii & laborioſi, veſtibus & armis auratis conſpicui, ſagittis ut aculeis potentes: ita S. Hieronymus & Cyrillus. Ergo hi omnes ad ſibilum, ſeu minimum Dei nutum prompti advolabunt.

V. 20. RADET DOMINUS IN NOVACULA CONDUCTA IN HIS; id eſt, novacula mercede conducta: quæ novacula non eſt alia quam hi reges de quibus iam dixi, AEgyptius & Aſſyrius. Hi regno tuo abradent CAPUT ET PILOS PEDUM ET BARBAM UNIVERSAM. Nechao enim rex AEgypti abraſit *Ioſiam*, eiuſque filium *l Ioachaz* reges Iuda. Et Nabuchodonoſor non modo Chaldæorum, ſed & Aſſyriorum rex, reliqua omnia *m* abraſit. Porro raſio hæc, ſeu detonſio, teſte Pomponio & Beda *n*, ſignum erat ſervitutis, in quam redigendi prædicuntur Iudæi.

V. 21. IN DIE ILLA tanta erit ſuperſtitum Iudæorum paucitas, ut divites olim & plurium gregum domini, iam vix unam VACCAM & DUAS OVES ſint habituri, quæ tamen familiæ pene exciſæ abunde ſufficient: quin & ſupererit adhuc ad butyrum inde exprimendum, & eo cibandam familiam; maxime quia agris deſertis & incultis, omnia vertentur in gramina & pabula pecorum, quibus paſtæ vaccæ & oves copioſum dabunt lac, indeque butyrum & caſeum: ita S. Hieronymus & Cyrillus. Solum enim

V. 22. BUTYRUM ET MEL, quæ de terra inculta ultro quaſi fundet, MANDUCABIT OMNIS, &c. non vero triticum vel hordeum, vel uvas, vel poma, vel alios fructus hortenſes.

V. 23. UBI FUERINT MILLE VITES, quarum proventus annue æſtimabatur *o* MILLE ARGENTEIS ſiclis, ſeu florenis Belgicis, redigentur IN SPINAS: ita Forerius & Sanchez & a Lapide: adeoque horreſcent vepribus, ut non niſi bene armatus

V. 24. CUM SAGITTIS ET ARCU ingredi quis auſit, ob feras, forſan & latrones, illic deliteſcentes.

V. 25. ET OMNES MONTES olim vitiferi, QUI non aratro, ſed SARCULO proſcindebantur, quique ſedulo a colonis ſepto ſpineo, quaſi muro cingebantur; diſiectis iam ab hoſte ſpinis & ſepto, nemini amplius erunt terrori, quo minus eo libere quivis irrumpat, etiam boves & alia pecora, quibus ſervient pro paſcuis: ita Sanchez.

(a) IV. Reg. xv. & xvi. & II. Par. xxviii.
(b) IV. Reg. xvi. verſ. 19.
(c) Chron. cap. xliv. ſupr.
(d) I. Cor. xi. 28.
(e) II. Paralip. xxviii. 16. & IV. Reg. xvi. 7.
(f) IV. Reg. xv. 29.
(g) IV. Reg. xvi. verſ. 9.
(h) Ibid.
(i) IV. Reg. xv. 30.
(k) Paral. xxviii. 20.
(l) IV. Reg. xxiii. 31. &c.
(m) IV. Reg. ult.
(n) Pompon. Lætus de triumpho Diocletian. Beda in hiſtor. Anglorum.
(o) proleg. de monetis.

GORDONI.

Verſ. 1. De hac Iſaiæ prophetia dixi ad annum orbis 3240. qui eſt annus primus Olympiadis quartæ: hinc ad conditam Romam ſunt anni 11. & ad captam Samariam anni circiter 20. vide hanc hiſtoriam IV. Reg. cap. xv. & cap. xvi. Item, II. Paralip. cap. xxviii. Ceterum verba illa, *Et non potuerunt prævalere*, prolepſin habent: nam poſtponenda ſunt, ut ex ſe notum eſt.

V. 2. Requievit Syria super Ephraim; hoc eſt, conſpiravit cum Ephraim, ſeu cum decem tribubus, quarum caput eſt Samaria in tribu Ephraim.

V. 4. & 5. Vide ut sileas. Vide ut ſis quieto animo: ne timeas Ephraim & filium Romeliæ.

V. 7. 8. *&* 9. Haec dicit Dominus. Anni 65. qui hic verſ. 8. proponuntur, ſunt a prophetia Amos uſque ad captam Samariam; tot, inquam, ſunt fere anni a 26. anno uſque ad annum Ezechiæ, quando Samaria capta eſt: vide diagramma annorum ad principium Lib. II Regum. Iſaias hic repetit & confirmat prophetiam Amos de Samaria: ab hac vero Iſaiæ prophetia ſub initium Achaz, ad Samariæ cladem, 20. anni videri poſſunt, ut aliqui numerant. Ceterum horum verborum ſenſum de everſione Damaſci & Samariæ optime reddit Cyrillus: intelligit enim & repetit verbum *deficiet*, in his omnibus regnorum everſionibus. Damaſcus deficiet, Samaria deficiet, reges deficient, niſi credideritis vos poſſe liberari per me: ac demum vos, inquit, domus Iuda, ſi non credideritis, ſimiliter peribitis. Septuag. habent, *non intelligetis*, pro, permanebitis: & aliqui Patres.

V. 10. *&* 11. &c. Tertia pars capitis eſt: incredulo regi Achaz de promiſſo auxilio offertur ſignum quodcumque voluerit: non audet petere Achaz: datur ergo verſ. 14. ſignum, ſed ingens & mirabile, de Chriſto naſcituro. Poſteri qui videbunt ſignum, credent inde me vera dixiſſe de auxilio. At vero, inquit Iſaias, incredulo regi non dabitur aliud; non præſens ſcilicet, ſed futurum ſignum: ſimile ſignum (ſcilicet futurum) datum eſt Moſi Exod. iii. 12.

V. 14. Ecce Virgo concipiet. Oecolampadius Novator (ſecutus Symmachum Ebioneum) vertit, *Ecce iuvencula concipiet*; & Iudæi hoc explicant de uxore Achaz antea ſterili, certe inepte; עלמה *bhalma* vertitur *iuvencula*: & quodnam novum ſignum, ſi iuvencula pariat? adde illum articulum: *Et ecce*, הנה העלמה הרה *binneba bhalmabara*, aliquid mirabile deſignant voces iſtæ. Porro, quis ille Emmanuel vocandus aut vocatus? certe Ezechias numquam hoc nomen ſortitus eſt, nec eius ætas huic tempori quo loquitur Iſaias, reſpondet; hæc enim dixit Iſaias anno 4. Achaz, cum iam Ezechias ageret annum ætatis 9. & quid demum ſi iuvencula pariat? Sane ab hoc figmento non abhorret Calvinus, qui in ſenſu diviſo explicat hoc oraculum: hoc eſt, pariet quæ erat virgo, ſeu quæ eſt virgo paritura eſt: ſed Matth. cap. 1. 20. & 23. damnat Calvinum, & dat ſenſum compoſitum: quod enim *ex ea* natum eſt, *de Spiritu Sancto* eſt: vide Mariale Can. Lib. II. cap. xiv. & xv. adde ſenſum totius Eccleſiæ. Negavit porro Novator iſte, poſſibilem eſſe in partu penetrationem, ſed errat & ignorat Philoſophiam ac Dei potentiam. Plura ad locum illum Matthæi.

V. 15. De nomine Emmanuel (unde Gallicum. *Noel*) multa Cornelius ad verſ. 14. Butyrum et mel comedet, ſignificat filium virginis abſcondi iæ (hoc enim deſignat עלמה) fore verum hominem & educandum cibis conſuetis. Ut sciat reprobare malum: hoc eſt, ut creſcat ad ætatem qua ſolent pueri diſcernere bonum a malo, eligendo unum, & reprobando, ſeu non eligendo alterum. Heb. לדעתו *Iedabhoto*, ubi τὸ ל deſignat *donec*: rad ידע *ſcivit*.

V. 16. Quia antequam sciat puer: Hebraicum כי *Ki*, id eſt *certe*; itaque ſenſus eſt: Antequam naſcatur puer iſte, vaſtabuntur Damaſcus & Samaria, ſcilicet a Chaldæis: ſic redit Iſaias ad ſua tempora.

V. 17. Adducet Dominus. Tranſit Iſaias ad Achaz: Nec tu, inquit, immunis eris a gravi clade, qualis non fuit a diebus Roboam, ſeu a diviſione regnorum: adducet vero cum rege nam eſt, hyper-

Digitized by Google

hyperbaton) hoc eſt per regem Aſſyriorum, cladem hanc magnam: celeritatem accurrentium notat. Sicut, inquit, levi ſibilo accurrunt advocatæ apes, ſic Aſſyrii & AEgyptii. Nota hiſtoria eſt de Nachao AEgyptio ſub Manaſſe & Ioſia, IV. Reg. xxiii. & II. Par. cap. xxxv. vide an. Chron. 3371.

V. 20. In die illa radet Dominus, &c. Hæc novacula vox eſt Aſſyriorum, quaſi conducta a Deo. Porro in tanta vaſtitate, ut olim dives, vix vaccam unam & duas oves habiturus ſit: & tamen hæc pauca animalia ſufficiant (nam ſolitudo permittet paſcua uberrima) ad familias alendas; nempe in tanta hominum paucitate.

V. 23. Omnis locus. Vinea emetur uno argenteo aut ſiclo, tam erunt vilia vineta, & ſpinis ac vepribus oppleta: vel certe olim ſingulæ vites (hoc eſt, ſingularum vitium fructus) ſemebantur ſingulis argenteis; ſed hæc omnia ibunt in ſpinas.

Ex Eiusdem Auctario.

Verſ. 16. A facie duorum regum. Propter duorum regum ſcelera horum hoſtium tuorum terra deſolabitur. Vide hiſtoriam IV. Reg. xvi.

Verſ. 18. Sibilabit, convocabit. Muscae, AEgyptiis advocandis. Sic nominat eos, forte propter multitudinem: IV. Reg. xxiii. Quidam putant Aſſyrios vocari apes, quia ſagitis utuntur in bellis, ut apes aculeis.

Verſ. 20. Radet Dominus. Sermo eſt de exterminio gravi: ſicut tonſor barbam radit, & pilos in reliquo corpore; ita Aſſyrius radet Iudæos.

CAPUT VIII.

Iubetur Iſaias in libro ſcribere nomen pueri naſcituri: prædicit regna Iſrael & Syriæ deſtruenda, Iudæque afflictionem & futuram a Deo liberationem, licet multi ex Iuda caſuri ſint: iubet ligari teſtimonium & legem ſignari, ſubiiciens quæ immineant mala recedentibus a lege.

1. ET dixit Dominus ad me: Sume tibi librum grandem, &
ſcribe in eo ſtylo hominis: Velociter ſpolia detrahe, ci-
to prædare. 2 Et adhibui mihi teſtes fideles, Uriam ſa-
cerdotem, & Zachariam filium Barachiæ: 3. & acceſſi
ad propheteſſam, & concepit, & peperit filium. Et dixit
Dominus ad me: Voca nomen eius, Accelera ſpolia de-
trahere: Feſtina prædari. 4. Quia antequam ſciat puer
vocare patrem ſuum & matrem ſuam, auferetur fortitudo Damaſci, & ſpo-
lia Samariæ, coram rege Aſſyriorum. 5. Et adiecit Dominus loqui ad me ad-
huc, dicens: 6. Pro eo quod abiecit populus iſte aquas Siloe, quæ vadunt
cum ſilentio, & aſſumpſit magis Raſin, & filium Romeliæ: 7. propter hoc
ecce Dominus adducet ſuper eos aquas fluminis fortes & multas, regem Aſſy-
riorum, & omnem gloriam eius: & aſcendet ſuper omnes rivos eius, & fluet
ſuper univerſas ripas eius, 8. & ibit per Iudam, inundans, & tranſiens uſque
ad collum veniet. Et erit extenſio alarum eius, implens latitudinem terræ tuæ,
o Emmanuel. 9. Congregamini populi, & vincimini, & audite univerſæ pro-
cul terræ: confortamini, & vincimini, accingite vos & vincimini: 10. inite
conſilium, & diſſipabitur: loquimini verbum, & non fiet: quia nobiſcum
Deus

Digitized by Google

Deus 11. Hæc enim ait Dominus ad me: Sicut in manu forti erudivit me, ne irem in via populi huius, dicens: 12. Non dicatis, coniuratio: omnia enim quæ loquitur populus iſte, coniuratio eſt: & timorem eius ne timeatis, neque paveatis. 13. Dominum exercituum ipſum ſanctificate: ipſe pavor veſter, & ipſe terror veſter. 14. Et erit vobis in ſanctificationem. (*a*) In lapidem autem offenſionis, & in petram ſcandali, duabus domibus Iſrael; in laqueum & in ruinam habitantibus Ieruſalem. 15. Et offendent ex eis plurimi, & cadent, & conterentur, & irretientur, & capientur. 16 Liga teſtimonium, ſigna legem in diſcipulis meis. 17. Et expectabo Dominum, qui abſcondit faciem ſuam a domo Iacob, & præſtolabor eum. 18. Ecce ego & pueri mei, quos dedit mihi Dominus in ſignum, & in portentum Iſrael a Domino exercituum, qui habitat in monte Sion. 19. Et cum dixerint ad vos: Quærite a pythonibus, & a divinis, qui ſtrident in incantationibus ſuis: * Numquid non populus a Deo ſuo requiret, pro vivis a mortuis? 20. Ad legem magis, & a teſtimonium. Quod ſi non dixerint iuxta verbum hoc, non erit eis matutina lux. 21. Et tranſibit per eam, corruet, & eſuriet: & cum eſurierit, iraſcetur, & maledicet regi ſuo, & Deo ſuo, & ſuſpiciet ſurſum. 22. Et ad terram intuebitur, & ecce tribulatio & tenebræ, diſſolutio & anguſtia, & caligo perſequens, & non poterit avolare de anguſtia ſua.

(*a*) Luc. II. 34. Rom. IX. 32. I. Pet. II. 6.

BRUGENSIS

ROMANA CORRECTIO.

Verſ. 19. *Numquid non populus a Deo ſuo requiret pro vivis a mortuis?* Non eſt addenda vox *viſionem*, quam plerique libri adiciunt verbo *requiret*; nec mutanda poſterior præpoſitio *a* in coniunctionem *ac*.

COMMENTARIA

MALDONATI.

Verſ. 1. SUME TIBI LIBRUM GRANDEM. Cur iubet grandem librum ſumere, cum non iubeat ſcribere, niſi quatuor verba? Quia volebat ſcribi maximis characteribus, ut & liber ab omnibus videri, & characteres ab omnibus legi poſſent. Atque hoc eſt quod ait STYLO HOMINIS, id eſt characteribus, quos quilibet poſſit videre ac legere. VELOCITER SPOLIA DETRAHE. Heb. למהר שלל חש בז, *feſtinare ſpolium*, *accelerare prædam*; aut, ad feſtinandum ſpolium, ad accelerandum prædam; aut, ut alii vertunt, *Feſtinanti ad ſpolium accelerat præda*: ut hæc verba, *Feſtinanti ad ſpolium*, ſint titulus Prophetiæ, & quaſi inſcriptio epiſtolæ; illa autem verba, חש בז *accelera*, *prædare*, ſint ipſa Prophetia, quæ ad ſignificandam celeritatem, & brevitatem temporis, duobus tantum verbis proponitur, iiſque monoſyllabis; quaſi dicat: Scribe feſtinanti ad ſpolia, id eſt regi Aſſyriorum, qui ſponte ſua incitatus eſt ad ſpoliandam Syriam & Samariam. Accelera, prædare. Solet Prophetia, quæ aliquid magni minatur, ſcripto brevi tradi, ut Dan. V. 26. *Mane*, *Thecel*, *Phares*.

V. 2. ET ADHIBUI. Heb. ואעידה, *vocavi in teſtimonium teſtes fideles*; id eſt, ſcripſi coram illis, quæ mihi Dominus præceperat, ut poſſent teſtari populo rem ita eſſe ut dicebam. URIAM SACERDOTEM ET ZACHARIAM. Non eſt hic ille unus duodecim Prophetarum, qui poſt reditum a captivitate Babylonica vaticinatus eſt; quamquam & hunc Prophetam fuiſſe putat Hieron. Dicitur autem Barachiæ filius,

lius, ut ille qui occiſus eſſe dicitur inter templum & altare: Matth. XXIII. 35. Zachariam autem nullum inter templum & altare occiſum legimus, niſi II. Paral. XXIV. 20. qui non Barachiæ, ſed Ioiadæ filius dicitur, & multo tempore præceſſit Iſaiam. Quæ conjectura eſt, hunc etiam Zachariam, de quo hic Iſaias mentionem facit, inter templum & altare occiſum eſſe, de eoque Chriſtum loqui Matth. XXIII. 35. Nam ex hoc loco iuſtum fuiſſe conſtat, cum ab Iſaia in teſtimonium adhibitus fuerit.

V. 3. ET ACCESSI AD PROPHETISSAM, id eſt ad uxorem meam, id eſt rem cum ea habui. Prophetiſſam vocat, non quod Prophetiſſa eſſet, ſed quod Prophetæ uxor eſſet, ſicut uxorem Regis Reginam, Imperatoris Imperatricem, Ducis Duciſſam vulgo appellamus, quamvis neque illa regnet, neque illa imperet, neque illa exercitum ducat. ET CONCEPIT. Iudæi hanc Iſaiæ uxorem eſſe putant, de qua ſupra cap. VII. 14. dictum eſt: *Ecce virgo concipiet*. Sed neque virgo erat Iſaiæ uxor, neque puella, neque eius filius vocatus eſt Emmanuel. ET VOCA NOMEN EIUS (filii) SPOLIA DETRAHE, FESTINA PRAEDARI. Heb. מהר שללחש בז, *Accelerans ſpolium feſtinans præda:* videtur unum eſſe nomen compoſitum ex quatuor. Sic iubetur vocare filium ſuum Iſaias, ut ipſo filii nomine teſtaretur inſtare direptionem Syriæ & Samariæ. Atque hic fortaſſe eſt liber ille grandis, in quo ſcribere iuſſus eſt verſ. 1. eadem verba, & ſtylus hominis eſt nomen proprium hominis: aut liber erat uxor, ſtylus hominis virile (honeſto & metaphorico vocabulo appellatum) ſcribere, ſuſcipe filium qui ita vocaretur.

V. 4. QUIA ANTEQUAM SCIAT PUER. Reddit rationem cur ita iuſſerit vocari filium, quia adeo propinqua eſt direptio Damaſci & Samariæ, ut antequam ſciat puer vocare, Heb. קרא אבי ואמי, *dicere*, aut clamare, *Pater mi, & Mater mea*, id eſt antequam loqui ſciat: quod enim pueri primum dicunt eſt Pater mi, & Mater mea. AUFERETUR FORTITUDO DAMASCI, id eſt opes coram rege Aſſyriorum. Heb. לפני מלך, id eſt *per regem Aſſyriorum*, quod factum eſt IV. Reg. XVI. 9.

V. 6. PRO EO QUOD ABIECIT POPULUS ISTE, id eſt Iuda, AQUAS SILOAH, QUAE VADUNT CUM SILENTIO. Heb. ההלכים לאט, *leniter placideque fluentes*. Siloah parvus fluviolus erat, ſed liquidus ac placidus ex fonte Siloah manans iuxta Ieruſalem, cui hoc loco comparat regnum Iuda; quod etſi exiguum erat, tamen erat pacificum, & puram religionem, quaſi liquidam habebat aquam. Populus autem appetens novarum rerum, optabat potius eſſe ſub impiis Regibus Iſrael, & Syriæ, quia potentiores erant. ET ASSUMPSIT MAGIS RASIN. Heb. ומשוש את־רצין, *& gaudium* (eius eſt) *cum Raſin*; id eſt, cupit potius ſubeſſe Raſin Regi Syriæ, & Phacee filio Romeliæ Regi Iſrael, qui ſunt velut duo magna & turbulenta flumina.

V. 7. PROPTER HOC ECCE ADDUCET DOMINUS SUPER EOS AQUAS FLUMINIS FORTES ET MULTAS. Elegantiſſima metaphora declarat Propheta futuram terræ Iuda vaſtationem & Babylonicam captivitatem. Regem Aſſyriorum Nabuchodonoſor comparat ingenti flumini exundanti, & omnia depopulanti. ET OMNEM GLORIAM EIUS, id eſt copias, exercitum, in quo eius gloria conſiſtit. ET ASCENDET SUPER OMNES RIVOS EIUS. Heb. אפיקיו, *ſuper omnes decurſus*, aut *valles eius*, id eſt excedet alveos eius. ET SUPER UNIVERSAS RIPAS EIUS; id eſt, cooperiet omnem terram Iuda, neque poterit in urbibus eius, quaſi fluvius intra ripas contineri.

V. 8. ET IBIT PER IUDAM, id eſt inundabit totam terram Iuda. ET USQUE AD COLLUM VENIET; id eſt, ſuffocabit omnes habitatores, & interimet. Cum enim aquæ uſque ad collum aſcendunt, ſuffocant. Alii per *collum* intelligunt Ieruſalem, ubi erat caput, id eſt Rex, quæ aliis urbibus captis capta non eſt; referentes Prophetiam ad obſidionem Senacherib. Sed melius ad captivitatem Babylonicam referetur: tunc etiam uſque ad collum aquæ pervenerunt, id eſt operuerunt atque vaſtarunt ipſam Ieruſalem. ET ERIT EXTENSIO ALARUM. Mutat metaphoram: nam Regem Aſſyriorum, quem ante flumini comparaverat, nunc aquilæ comparat alas ſuas ſuper prædam extendenti: ſic enim Rex Aſſyriorum alas ſuas, id eſt copias extendet ſuper totam terram

tuam,

Digitized by Google

tuam, o Emmanuel, id eſt ſuper Iudam, ubi Emmanuel Chriſtus naſciturus eſt, ut eam deprædetur.

V. 9. & 10. CONGREGAMINI, ET VINCIMINI. רעו alii vertunt, *Conterite, & conteremini*: aut, confringite, & confringemini. Septuag. γνῶτε ἔθνη, καὶ ἡττᾶσθε, *cognoſcite gentes, & vincemini*. Melius noſter Interpres, *Congregamini*: id enim רעה ſignificat, & ſenſus melior eſt; quaſi dicat, Congregamini omnes ſimul, ut omnes ſimul pereatis. Quod ſi ad Senacherib, ut facit Chaldæus Paraph. referamus, recte convenit; quaſi dicat: Antequam in captivitatem Babyloniam abducamur, populi qui cum Senacherib ad vaſtandam Ieruſalem congregabuntur, conterentur, caſſa quaſi erunt eorum conſilia, omnis bellicus apparatus. Verba ſunt Prophetæ perſona populi Iuda hoſtes provocantis. CONFORTAMINI. Heb. התאזרו, *accingite vos, & vincemini*; quaſi dicat, Armate vos, aut parate vos ut vincamini. Repetitio hominis eſt ſecure laceſſentis. LOQUIMINI VERBUM, ET NON FIET; id eſt, conſilia veſtra non ſuccedent, vel, vaticinia veſtra, & reſponſa Deorum veſtrorum, quibus ad bellum confiſi venietis, falſa erunt. QUIA NOBISCUM DEUS, עמנואל, non eſt hic nomen proprium, ſed appellativum.

V. 11. HAEC ENIM AIT, אמר (*dixit*) *ſicut in fortitudine manus*. כחזקת היד, *tanquam fortitudine manus*; id eſt, quaſi me fortiſſima manu verberans, ne obliviſcerer, monuit me. Solemus enim quæ pueros recordari volumus, adhibitis verberibus dicere. Alii videntur legere ב, *in fortitudine manus*, quod eodem redit. Alii vertunt, *in apprehenſione manus*, id eſt apprehenſa manu mea monuit me. Solemus enim manum apprehendere eorum, quibus volumus aliquid maxime commendare, ut eos obteſtemur. NE IREM IN VIAM POPULI HUIUS, id eſt Iſrael, & gentilium, ne ſicut illi Deum deſererem. Loquitur Propheta in perſona Iuda; quaſi dicat, Data dextera promiſi Deo, non eſſe me a Deo diſceſſurum.

V. 12. NON DICATIS, CONIURATIO. Heb. קשר, *conſpiratio*; id eſt, ne tractetis de conſpiratione facienda contra veſtrum Regem. OMNIA ENIM. Heb. לכל אשר אמר העם הזה קשר, *ad omnia, quibus dicit hic populus, conſpiratio*; qua dicat: Si Aſſyrii voluerint perſuadere vobis, ut contra veſtrum Regem Ezechiam conſpiretis, & vos dedatis Senacherib, ne conſpiretis, neque dedatis vos: hiſtoria eſt IV. Reg. XVIII. ET TIMOREM EIUS, id eſt, minas quibus conabitur vobis timorem iniicere, NE TIMEATIS: ולא תעריצו, *& ne animo frangamini*.

V. 13. DOMINUM EXERCITUUM IPSUM SANCTIFICATE; id eſt, ſanctum eſſe exiſtimate, & quem nefas ſit diffidentia offendere. IPSE PAVOR VESTER, id eſt neminem præter illum timeatis.

V. 14. ET ERIT VOBIS IN SANCTIFICATIONEM: למקדש, *in ſanctum*, aut ſacrarium, id eſt loco ſacri aſyli. Solemus enim ad loca ſacra ut tuti ſimus confugere. IN LAPIDEM AUTEM OFFENSIONIS; id eſt, vobis erit auxilio, Iſraelitis vero exitio. IN LAQUEUM ET RUINAM HABITANTIBUS IERUSALEM: non omnibus, ſed illis qui non crediderint: I. Per. II. 7.

V. 15. ET OFFENDENT EX EIS PLURIMI: omnes ſcilicet, qui credere nolent, quæ maxima pars fuit.

V. 16. LIGA TESTIMONIUM; id eſt, hanc prophetiam de Chriſto, & Iudæorum reprobatione firmiter imprime in animis eorum qui volent credere: hos enim Deus vocat diſcipulos ſuos. Solemus aurum, lapillos, & res pretioſas ligare ne perdantur. Alii exponunt, *liga*; id eſt, ænigmatis & obſcuritatibus involve, ne omnes intelligant: minus apte. Quod enim dicit nunc *liga*, ſtatim dicit SIGNA, id eſt imprime, & inſculpe.

V. 17. ET EXPECTABO. Verba Prophetæ: Cum Deus mihi apprehenſa manu Chriſti adventum promiſerit, expectabo illum, neque de eius adventu dubitabo. QUI ABSCONDIT FACIEM SUAM A DOMO IACOB; id eſt, quamvis videatur procul abeſſe a domo Iacob, tamen expectabo.

V. 18. ECCE EGO ET PUERI MEI. Hæc verba Chriſti eſſe docet D. Paulus Heb. II. 13. vocat autem Chriſtus pueros ſuos Prophetas, & Apoſtolos, qui ſignis doctrinam de Chriſto confirmarunt, ut dicitur Ezech. XXIV. 24. *Eritque Ezechiel vobis in portentum*.

V. 19 ET CUM DIXERINT: ו *&* cauſalis; quaſi dicat: Mihi & aliis meis, id eſt Prophetis meis credite, eoſque conſulite:

lite: quapropter cum vobis dixerint, ut Pythones & augures conſulatis, QUI STRIDENT המצפצפים והמהגים, *qui garriunt & murmurant*, id eſt nihil diſtincte & explicite reſpondent. Intelligendum eſt, reſpondite: NUMQUID NON POPULUS A DEO REQUIRET? id eſt, Deum ſuum conſulet. PRO VIVIS ET MORTUIS. Heb. בעד החיים אל המתים, *pro vivis mortuos*; id eſt, loco huius quod eſt pro vivis homines mortuos conſulere, nonne melius eſt ut populus (Iuda) conſulat Deum ſuum. Alludit ad conſuetudinem Pythonum, qui per mortuos divinabant, I. Reg. XXVIII. 3. 7. 8.

V. 20. AD LEGEM. Heb. לתירה ולתעודה. Aliqui putant iurandi formam eſſe propter illud, אם לא, *ſi non*, quod ſequitur. Ea enim dictione poſt verba iurandi Hebræi uti ſolent; quaſi dicat, Per legem & teſtimonium; id eſt, ſicut lex & hæc prophetia (quod teſtimonium vocat) vera eſt, ita verum eſt non defuturos, qui vobis ſuadeant ut mortuos conſulatis; qua in re non eſt lux matutina, id eſt in quo nulla ratio eſt, nullus ſenſus. Noſter Interpres alium ſenſum reddidit: *Ad legem magis*; id eſt, cum vobis dixerint ut Pythones conſulatis, reſpondite, Ad Legem potius & Prophetas, quam ad mortuos confugiendum: quem ſenſum meliorem eſſe credo. Quæ autem ſequuntur obſcuriſſima ſane ſunt; poſſunt tamen ſic intelligi: QUOD SI NON DIXERINT. Heb. אם־לא יאמרו, *ſi non dixerint*; id eſt, confugite ad legem & teſtimonium, (& videbitis) quod non loquentur (Lex & Prophetæ) ſecundum verbum hoc אשר אין לו שחר, *in quo non eſt lux matutina*; id eſt, non docebunt vos conſulendos eſſe Pythones & ariolos, ſicut conſulunt iſti homines ſtolidi: lex enim id vetat Deut. XVIII. 11. vel ita ut verbum ואמרו *dixerint*, non referatur ad Legem & Prophetas, ſed ad idololatras, qui illud malum conſilium mortuos conſulendi Iudæis dabant: & אם ſignificet *certe*, ut ſæpe alias: aut iurandi vim habeat; quaſi dicat, Certe huiuſmodi conſilium idololatræ Iudæis dabunt: vel, ut referatur ad Iudæos; quaſi dicat, Si Iudæi cum hoc audient, non reſponderint ſecundum verbum hoc, in quo non eſt lux, id eſt ſi non reſponderint ſtultis ſecundum ſtultitiam eorum, evenient illis quæ ſequuntur:

V. 21. TRANSIBIT PER EAM, id eſt, per Iuda terram. ET CORRUET. Heb. נקשה, *indurabitur*, aut *obrigebit*, (fame) *exareſcet*; id eſt, quicumque per Iuda tranſibit, peribit fame. ET MALEDICET REGI SUO; id eſt, alienigenæ regi, quem potius habere voluit, quam quem illi Deus dederat. ET DEO SUO, id eſt ſimulacro & idolo, a quo per ariolos petivit conſilium, cum viderit falſa eſſe eorum reſponſa, aliterque ſibi res ſuccedere quam illi promiſerant.

V. 22. ET SUSPICIET SURSUM. Senſus eſt: Quocumque oculos converterit, videbit omnia plena eſſe malorum, neque viam eſſe ullam qua evadat. ET ECCE TRIBULATIO, ET TENEBRAE, ET ומעוף CALIGO, aut *obſcuritas*. Alludit ad id quod dixerat: *Verbum in quo non eſt lux*; quaſi dicat: Quia ſecuti ſunt tenebroſum & fatuum conſilium, offundentur undique tenebris. ET CALIGO PERSEQUENS. ואפלה מנדה, *& obſcuritas, impulſio*, id eſt tremor, horror: aut, impulſus per caliginem; quaſi dicat: Non ſolum erunt tenebræ, ſed etiam hoſtes, qui eos impellant ut cadant; facilius enim quiſque, ſi impellatur, deiicitur in tenebris, cum non videt ubi figere pedes debeat, quam in luce. Significatur hac metaphora duplex malum: hoſtis perſequens per impulſum; per tenebras autem, inopia auxiliantis. Cum enim noctu quis invaditur, nemo eſt qui auxiliatur. Atque hoc eſt quod dixit paulo ſuperius, ſpectaturos in cælum & in terram, & undique futuras tenebras, id eſt non eſſe habituros ullum auxilium, neque a Deo, neque ab hominibus. ET NON POTERIT AVOLARE DE ANGUSTIA SUA. Heb. כי לא מועף לאשר מוצק לה. Noſter Interpres ita vertit: Et Hieronymus ita legit atque interpretatur, atque eamdem Hebræorum & Nazarenorum interpretationem eſſe dicit. Qui ſenſus ſi cum verbis Hebraicis convenire poſſit, aptiſſimus erit, conveniet autem ſi מועף ſit *paul* coniugationis הפעיל verbi עוף *volare*. Ceterum nimium fortaſſis ſtudium Hebraicæ veritatis difficillimum hunc locum reddidit, & pene inexplicabilem. Nunc enim Hebræi hæc verba cum initio ſequentis Capitis coniungunt. Quorum alii hæc faciunt initium Capitis IX. alii con-

Digitized by Google

contra initium capitis IX uſque ad illud: *Populus qui ambulabat*, faciunt finem VIII. Utcumque ſe res habeat, alii putant initio capitis IX. duplicem calamitatem; alii duplicem conſolationem denotari. Ac illi quidem rem acu ſubtiliter tetigiſſe putant, ſed neſcio quam vere. Malim Matthæum ſequi interpretem, qui ad conſolationem & prædicationem Chriſti refert, cap. IV. 15. Iuxta hunc ſenſum ita verba interpretanda ſunt כעת הראשון, *iuxta primum tempus:* aut videtur noſter Interpres legiſſe, בעת, *in primo tempore*, id eſt primum הקל *allevavit* (Deus) id eſt, recreavit, terram Zabulon & terram Nephtalim, quia ibi Chriſtus primum docere cœpit. *Noviſſimo*. והאחרון הכביד *& poſt glorificavit* (Deus) *viam maris*, id eſt, regionem quæ eſt inter Iordanem & mare Mediterraneum, ubi eſt Galilæa gentium, hoc eſt, quæ eſt verſus mare ultra Galilæam ſuperiorem, quæ erat in tribu Nephtali, quæ gentium appellabatur: vel quod eam Salomon Hiram Tyriorum regi dedit, III. Reg. IX. II. vel, ut alii volunt, quod ibi Gentiles una cum Iudæis habitarent. Galilæa autem altera erat inferior in tribu Zabulon.

S A.

Verſ. I. STYLO HOMINIS, id eſt litteris uſitatis. Chald. *ſcripturam claram*.

V. 2. TESTES, ſcilicet ſcripturæ. ZACHARIAM: quid, ſi iſte eſt, de quo in Evangelio Chriſtus?

V. 3. PROPHETISSAM: uxorem ſuam intelligit.

V. 4. PATREM SUUM, &c. Hebr. *pater mi, & mater mea*. FORTITUDO, id eſt vires & opes. CORAM REGE, id eſt iubente Rege.

V. 6. ISTE, ſcilicet Iuda. AQUAS SILOE. Chald. *regnum domus David quietum, ut aquæ Siloe*. ASSUMPSIT. Alludit ad defectionem Iſrael a Iuda; appareteque hinc, fuiſſe male factam, etſi Deo permittente & ordinante bene: vel potius ſenſus eſt; Quia populus Iſrael voluit ducibus Raſin & Phacee deſtruere Regnum Iuda, aliumque Regem conſtituere: (vide cap. VII. Forte etiam de populo Iudaico loquitur, qui ad illos Reges videbatur defeciſſe, ut infra indicatur. Itaque dicit, POPULUS ISTE, ſcilicet Iudaicus.

V. 7. Eos, ſcilicet Regnum Iſrael.

V. 8. IBIT; pro, ibit etiam. AD COLLUM. Chald. *ad Ieruſalem*; quaſi dicat: Omnia ſubvertet præter Ieruſalem. TUAE, id eſt ubi naſceris.

V. 9. POPULI, ſcilicet Aſſyriorum, vel Iſrael. VINCIMINI. Complut. & hic, & infra, *vincemini*; quaſi dicat: Præparate ſane vos ad bellum, certe vincemini. AUDITE, ſcilicet quod dico.

V. 10. Deus, ſcilicet qui veſtra conſilia diſſipabit.

V. 11. SICUT IN MANU FORTI; id eſt mira virtute. Chald. *in fortitudine prophetiæ*.

V. 12. NON DICATIS, CONIURATIO; id eſt, ne coniuretis in Regem veſtrum ut ab eo deficiatis ad hoſtes. TIMOREM EIUS, id eſt quod timet, ſcilicet populus.

V. 13. SANCTIFICATE, id eſt glorificate fidendo ipſi. Chald. *ſanctum dicite*; quaſi dicat, Colite. IPSE PAVOR, &c. quaſi dicat, Ipſum timete: non homines. TERROR. Chald. *fortitudo*.

V. 14. IN SANCTIFICATIONEM; quaſi dicat: Vos ſanctificabit, ſcilicet eos, qui ſe timent & colunt, &c. nam aliis in lapidem, &c. DUABUS, ſcilicet Iuda & Iſrael.

V. 16. TESTIMONIUM, ſcilicet id, id eſt hanc prophetiam. SIGNA, id eſt tege, ut ſolent quæ obſignantur. Chald. *Signa & abſconde legem, quia nolunt diſcere eam*. LXX. *ſigillabunt legem ne diſcant*. IN DISCIPULIS MEIS; id eſt, in gratiam diſcipulorum meorum, quibus reſignabitur, ut diſcant, ſcilicet Chriſti tempore, qui eis aperiet Scripturas.

V. 17. FACIEM SUAM, ſcilicet Chriſtum Iudæi non cognoverunt.

V. 18. ECCE EGO: verba Chriſti: vide Hebr. III. IN SIGNUM, &c. ſcilicet & Chriſtus & eius diſcipuli miracula multa fecerunt, poſitique ſunt omnibus in exemplum vitæ.

V. 19. NUMQUID; quaſi dicat, Reſpondete. A MORTUIS? ſcilicet diis, ſcilicet petemuſque oracula? Complut. *ac mortuis?* quaſi dicat: Nonne Deus eſt de omnibus rebus conſulendus? LXX. *quid requirent de vivis mortuos?* Chald. *Unuſquiſque*

quiſque populus ab idolo ſuo requirit, vivi a mortuis.

V. 20. MAGIS, id eſt potius, ſcilicet recurrendum. IUXTA VERBUM HOC, id eſt ita faciendum. NON ERIT, &c. quaſi dicat, Manebunt in tenebris.

V. 21. TRANSIBIT, ſcilicet quiſque eorum. PER EAM, ſcilicet terram, vel legem. DEO. Chald. *idolo*.

E S T I I.

Verſ. 3. ET ACCESSI AD PROPHETISSAM, ET CONCEPIT, ET PEPERIT FILIUM. Nemo ſuſpicetur Iſaiam hic ſignificare iam tum impletum fuiſſe illud, quod ſuperiori capite prædixerat futurum dicens: *Ecce virgo concipiet & pariet filium*; quia ex Matth. 1. cap. conſtat illud primum impletum eſſe in conceptione, & nativitate Chriſti. Ac deinde ſi hoc voluiſſet hic Propheta, addendum erat: *quo nomen eius vocaretur Emmanuel*, (hoc enim cap. præcedenti dicitur) de iſto autem partu dicit Dominus: *Voca nomen eius*, *Accelera*, *ſpolia detrahere*, *feſtina prædari*. Quare dicendum hic narrari non Virginis partum, ſed tamen aliquid, quod aliquo modo ſit typus virginei partus. Ita intellexit Forerius, dicens hanc prophetiſſam fuiſſe uxorem Iſaiæ Prophetæ: nam non ſolum verba Prophetarum, ſed & facta eorum prophetica eſſe, tum in hoc Propheta, tum in Ezechiele & aliis certius eſt, quam ut probatione egeat. Vide, ſi placet, ipſum Forerium probabiliter ſuam ſententiam explicantem.

M A R I A N AE.

Verſ. 1. SUME TIBI LIBRUM GRANDEM, ſive *volumen magnum*. SCRIBE IN EO STYLO HOMINIS, id eſt *claro*, ut Chald. quod omnes intelligant. VELOCITER SPOLIA. Heb. *feſtina ſpolium, feſtina prædam*. *Lamed* hic redundat in למהר *lemaher*. Significat autem brevi cladem Damaſci & Samariæ fore. Iſque Iudæ tribum ſcire vult, ne eos timeant, aut ad eos reſpiciant.

V. 2. ET ADHIBUI MIHI. Heb. *& teſtificari feci*, teſtes fideles. Nimirum coram iis voluit ſibi Deum id præcipere. Qui illi teſtes? URIAM SACERDOTEM; ſcilicet ſummum: fuit tempore Achaz, IV. Reg. XVI. 10. ZACHARIAM FILIUM BARACHIAE. An hic eſt, quem Iudæi occiderunt inter templum & altare? Matth. XXIII. 35.

V. 3. ACCESSI AD PROPHETISSAM, id eſt uxorem ſuam, quæ Prophetiſſa vocatur, quia uxor Prophetæ. SPOLIA DETRAHERE. Regia, *detrahe*: ſic verſ. 1. Id nomen filio imponit, ut vaticinii veritas certior eſſet, & magis teſtata.

V. 4. PATREM SUUM ET MATREM SUAM. Heb. *Antequam puer ſciat vocare*, *Pater mi*, *& Mater mea*. AUFERETUR. Chald. *capientur ſubſtantiæ*. Heb. *accipiet*, ſcilicet hoſtis. FORTITUDO, id eſt ſubſtantia, opes. CORAM REGE ASSYRIORUM, id eſt ipſo iubente, Damaſci & Samariæ opes auferentur.

V. 6. ABIECIT POPULUS ISTE AQUAS SILOE. Nomen fluminis dicti *Siloe*, id eſt *miſſus*, quoniam ad hortos irrigandos in plures rivos diducitur, ut ait Hebr. Schol. ſignificatque regnum Iuda, ut exponit Chald. quod ille populus Iudaicus, aut Iſrael, quaſi infirmum averſabatur, ad alios & externos propenſus. CUM SILENTIO, id eſt quiete & leniter fluunt: ſic erat regnum Iuda. ET ASSUMPSIT MAGIS RASIN. Hebr. *& gaudium* (eius eſt) *cum Raſin*, id eſt eius potius imperio oblectatur. Hieronymus ſententiam expreſſit, quod fecere etiam Septuag. fecit Chald.

V. 7. ADDUCET SUPER EOS AQUAS FLUMINIS, ſcilicet Euphratis. Perſtat in metaphora fluviorum. FORTES; nempe imperium rigidum inducam vobis, pro leni quod vos abiicitis. SUPER EOS, ſcilicet tribum Iuda. contra quam loquitur. REGEM ASSYRIORUM. Eæ ſunt aquæ fortes. ET OMNEM GLORIAM EIUS. Chald. *& omnem exercitum eius*, quo omnem regionem occupabit, rivos & ripas eorum.

V. 8. USQUE AD COLLUM VENIET. Hebr. *pertinget*, *uſque Ieruſalem*: ſic Chald. Nam Sennacherib totam Iudæam cepit, una Ieruſalem dempta. IMPLENS LATITUDINEM TERRAE TUAE, ubi tu Chriſte naſceris, & ubi imperabis. O EMMANUEL, Virginis filium eo vocaverat nomine, ideo ad eum ſermonem convertit.

Digitized by Google

vertit. Tuam, o Chriſte, terram occupabit Aſſyrius.

V. 9. CONGREGAMINI POPULI. Sic Chald. alii, *confringimini*; ſed vox Heb. priorem ſignificationem admittit *congregamini*, ſociate vos ad reſiſtendum. ET VINCIMINI, id eſt nihilominus victi eritis. Regia *vincemini* ter ponit in hoc verſu. Chald. *conterimini*: eadem ſententia eſt. AUDITE UNIVERSAE PROCUL TERRAE. Eos alloquitur, qui in periculo erant, Iudæi, Iſraelitæ, Syri. CONFORTAMINI. Hebr. *accingite vos* (ſcilicet ad bellum) *& conterimini*. Victoria a vobis non ſtabit.

V. 10. QUIA NOBISCUM DEUS. Sic Septuag. pro, quia non nobiſcum, prior negatio geminetur: ſcilicet quæ poſita eſt ibi, *Et non fiet*: at Chald. *quia Deus eſt in adiutorium noſtrum*. Hebr. *quia Emmanuel*. Ego dicerem, *quia Deus eſt in opere iſto*, Deum infenſum habetis. Ideo mirum non eſt, ſi nihil vobis procedit eorum quæ cogitatis adverſus hanc tempeſtatem.

V. 11. SICUT IN MANU FORTI. Heb. *in fortitudine manus*, id eſt *Prophetiæ*, ut explicat Chald. *Manus* ſæpe pro prophetia ſumitur. Ergo forti prophetia erudivit me, ne ſequerer quod populus hic facit.

V. 12. NON DICATIS, CONIURATIO, id eſt verba ſeditioſa in veſtrum Regem, ſcilicet ne coniuretis. Chald. *ne dicatis rebellionem*. OMNIA ENIM. לכל, *lecol*, *ad omnia*, ſed ל videtur redundare. Senſus eſt: Nihil aliud agunt, quam ut a ſuo Rege ad externos Raſin & Phacee deficiant. TIMOREM EIUS; ſcilicet quo populus metuit illos duos Reges, ne timeatis.

V. 13. SANCTIFICATE, id eſt colite, illum timete, non hoſtes, ſed Deum.

V. 14. ET ERIT VOBIS IN SANCTIFICATIONEM. Hebr. *& erit in ſanctuarium*, ſive *in palatium*, ut Pagn. ſcilicet quo vos confugiatis. Chald. *Et ſi non obedieritis, erit verbum eius vobis in ultionem*. Ita vocem מקדש *mikdas*, pro *ultione* ſumit, quod alii Hebræi faciunt. In palatio ſunt tribunalia. Ergo erit in tribunal, ubi iudicemini & puniamini. DUABUS DOMIBUS ISRAEL. Erit Deus in ſcandalum, qui vobis in ſalutem & præſidium. Quæ ſint hæ domus non conſtat: credam regnum Iſrael in duas factiones ſciſſum; ut fit. ET IN RUINAM. Hebr. *& in rete*. Illis erit in petram ſcandali, & in ruinam, vobis in refugium.

V. 16. LIGA TESTIMONIUM, id eſt tege. SIGNA LEGEM; pro, obſigna doctrinam hanc, ſcilicet IN DISCIPULIS MEIS; pro, coram eis, ut ſcilicet ipſi intelligant, alii ignorent quæ dicuntur, quia tecta & obſignata.

V. 18. ECCE EGO ET PUERI MEI, ſive *filii mei*: vox Chriſti eſt adducta ad Hebr. II. 13. ſed & vox Iſaiæ eſſe poteſt hac ſententia: Expecto Dominum, id eſt eius opem, interim autem ego & filii mei. IN SIGNUM, ET IN PORTENTUM, id eſt oſtentui & ludibrio ſumus. ISRAEL. Hebr. *in Iſrael*: in hoc populo me odio habent, quod denuntio eorum exitium, & filios meos propter me.

V. 19. ET CUM DIXERINT AD VOS; quaſi dicat: Si mihi non creditis, & ut ariolos potius conſulatis, dicunt vobis homines pravi. QUI STRIDENT IN INCANTATIONIBUS SUIS. Hebr. *garrientes & ſuſurrantes*, id eſt ſubmiſſa voce verba proferunt incantatoria. Illud, *in incantationibus ſuis*, Hieronymus addidit. Ne ergo id faciatis. Numquid non populus quiſque a deo ſuo requirit eum, & conſulit? PRO VIVIS A MORTUIS. Hebr. *pro vivis mortuos*; ſcilicet idola, quæ mortua ſunt, conſulunt. Ergo ſi alii populi ad deos ſuos & idola concurrunt, multo magis id vos facere debetis, relictis ariolis, Deum vivum conſulere. Regia & Gotth. *pro vivis ac mortuis*; id eſt, de rebus omnibus deos ſuos gentes omnes conſulunt. AD LEGEM MAGIS, ET AD TESTIMONIUM. Vox *magis* non eſt Hebr. eſtque forma iurandi, ac ſi dicat, Per Legem & teſtimonium, per Deum. SI NON DIXERINT; id eſt, ſi ſecus dixerint quam ego moneo, lux illis non fulgebit, manebunt in tenebris.

V. 21. ET TRANSIBIT PER EAM, ſcilicet terram: quis? ſcilicet miſer & eſuriens. CORRUET, ET ESURIET. Heb. *induratus & eſuriens*; id eſt, nulli alii homines niſi famelici erunt in ea regione. MALEDICET REGI SUO. Regum periculo mala contingunt, & eorum ob im-

prudentiam. ET SUSPICIET SURSUM. Hoc cum ſequentibus iungatur.

V. 22. ET AD TERRAM INTUEBITUR, id eſt nuſquam quietem inveniet, aut remedium iis malis, neque in cælo, neque in terra; ubique anguſtiæ & tenebræ. TRIBULATIO ET TENEBRAE, DISSOLUTIO .... ET NON POTERIT AVOLARE, id eſt unde nemo evadet. Heb. *anguſtia*, *tenebræ*, *obſcuritas*, *afflictio*, & *caligo expanſa*, id eſt quæ partes omnes occupabit.

MALVENDAE.

Verſ. 1. ET DIXIT DOMINUS AD ME, &c. Hos quatuor priores verſus plerique Patrum ſublimiori ſenſu de Chriſto, eiuſque Matre Maria Virgine accipiunt. Quam nos interpretationem honore Patrum non repudiamus, ſed ſuſpicimus & exoſculamur: ceterum hiſtorico ſenſu, de filio Iſaiæ, eiuſque uxore ſermonem eſſe, aptius exiſtimamus; uti omnes Hebræi ſummo conſenſu, & ex recentioribus Sanctes, Pagninus, & Ioannes Mercerus in Theſauro, in Radice נבא *naba*, Marcus Marinus, in בן *baz*, Franciſcus Vatablus, Iſidorus Clarius, Franciſcus Forerius, Arias Montanus, Immanuel Tremellius, Franciſcus Iunius, Hieronymus Oleaſtrius, Emmanuel Sa, Ioannes Mariana, Hiſpanicus Bibliorum Interpres in hunc locum, Xyſtus Senenſis Lib. II. Bibliothecæ in *Grandis Liber*, exponunt. Obſervant aliqui, ſuperiori prophetiæ, quæ privatim Achazo & domui Davidis prænuntiata eſt, optime concionem hanc ad populum ſubiici; quæ etſi longa eſt, commode tamen in quatuor partes diſtribui poſſe. Prima eſt prolepſis, ſeu propoſitio ſumma totius concionis, quatuor primis verſibus: ſecunda eſt denuntiatio, tum maleficiorum populi Iudaici, tum iudiciorum Dei in populum maleficum, a verſ. 5. ad finem capitis: tertia eſt conſolatio piorum uberrima, tribus ſequentibus capitibus: ultima eſt concluſio euchariſtica, duodecimo capite. Sunt autem in hac prolepſi partes duæ prudenter diſtinguendæ; una eſt ſigni aſpectabilis, quod Ieſchaia ſtatuit in filio ſuo: altera verbi, quod non tantum prædicat, verum etiam teſtibus adhibitis conſcribit, ut ſit Iudæis teſtimonium.

SUME TIBI LIBRUM GRANDEM. גליון *ghallaion*, a גלה *ghalah*, *revelatorium*, *manifeſtatorium*, quia liber revelat ea, quæ alioqui nos latent: a גלל *ghalal*, *volumen*, *liber*, qui antiquitus in longum deſcriptus, convolvebatur, ut hodie liber legis in Synagoga: *rotulum*, vulgo appellant; quo reſpexit Apocal. VI. 14. *Sicut liber involutus*. Quidam hic reddunt: *paginam amplam*. Alii *volumen magnum*. Exponunt, cum quia permagna eſt prophetia, quæ in volumen fuit referenda, nimirum quinque capitibus comprehenſa; tum quia grandibus litteris fuit exaranda, ut apud omnes teſtimonio eſſet, velut in æs inciſa, & inſtrumentum publicæ fidei. STYLO HOMINIS, id eſt claro, perſpicuo, manifeſto, luculento, ſcriptura diſtincta, dilucida, aperta, quam quivis e populo facile & expedite legere poſſit, litteris quibus homines tuæ regionis utuntur, characteribus notis explicitis, ac bene exaratis. Alii, *ſtylo hominis*, id eſt vero, reali, materiali: ut ſignificet ſcripturam hanc non debuiſſe eſſe ſecundum viſionem tantum prophetiæ, ſed opere & re ipſa exarandam. Nonnulli, *ſtylo humano*, id eſt quo efformatas litteras quivis hominum etiam rudiſſimus poſſit cognoſcere, & prophetiam legendo percurrere: ut Habacuc II. 2. Poſſis ex Hebr. reddere: *in charta hominis*, id eſt in papyro hominis induſtria confecto, non in charta pergamena, membranacea, coriacea, aut plumbea ſeu ænea, ſed in charta uſuali, qua vulgo utuntur homines. Nam omnino falſum eſt quod M. Varro tradit apud Plinium Lib. XIII. cap. XI. chartam Alexandri victoria repertam, condita in AEgypto Alexandria: vide Guilandinum Commentario de Papyro, Membro II. Nec inepte quidam annotant, ingentibus litteris hanc prophetiam iuſſum Iſaiam volumini indere.

VELOCITER SPOLIA DETRAHE, CITO PRAEDARE. למהר שלל חש בן *lemaher*, *ſchalal*, *chaſch*, *baz*. Plurifariam interpretantur. I. *Ad feſtinandum ſpolium*, *acceleravit prædam*. II. *Ut feſtinet* Aſſur *ſpolium*, *acceleret prædam* vel *ut feſtinet ſpoliare*, *acceleret prædari*; id eſt, Scribe

ad

ad Aſſyrium, ut feſtinet ſpoliare, & acceleret prædari Damaſcum & Samariam. Confirmatio eſt prophetiæ ſuperioris capitis, verſ. 16. qua regni Iſraelis, & Syriæ vaſtationem prædixerat. III. per imperativum: *Accelera ad prædam*, *feſtina ad direptionem*; vel *feſtina ad ſpolium*, *accelera ad prædam*, ut hortetur Aſſyrium ut acceleret vaſtationem. IV. *lemaher*, infinitum cum articulo dativi, pro *benoni* capiunt: *Acceleranti* diripere *ſpolium*, *feſtinat præda*; ut prius membrum *acceleranti ſpolium*, ſit vice tituli epiſtolæ; ac ſi dicat, Regi Aſſyriorum optanti devictis hoſtibus ſpolia reportare: ſequens autem membrum *feſtinat præda*, ſint verba ipſius epiſtolæ, quibus vocibus, iiſque monoſyllabis, voluit innuere tempus deſolationis quam celerrime adventurum, jam iamque eſſe in foribus; quaſi dicat, *Feſtinat præda*, id eſt inſtat tempus prædæ, intra paucos annos ſuperabis hoſtes tuos, quibus devictis, reportabis ingentes prædas de Syria, &c. V. *De acceleranda ſpoliatione feſtinat direptio*. Scribe, inquit, de ea præda ſeu ſpoliatione, quæ cito eventura eſt, his verbis, *feſtinat direptio*. VI. *Ad feſtinandum ſpolium*, *feſtina*, *propera*, *diripe*, *prædare*. Volunt in poſteriore membro utrumque eſſe imperativum *chaſch*, *baz*, corruptum & irregulare contra analogiam grammaticam, quod Propheta data opera ita abbreviare voluit, ut iſta abbreviatione maiorem temporis feſtinantiam ſignificaret, *feſtina*, *prædare*. Id quidem obſervat Forſterus, quod tamen Mercero non omnino probatur. Idem Forſterus, *chaſch*, pro *benoni* accipit, & *baz*, pro *nomine*: *Feſtinator prædæ*, vel *direptionis*; quaſi dicat, Ad feſtinandum ſpolium feſtinator prædæ ſtatim aderit; hoc eſt, Adveniet ſtatim Aſſyrius, & ſumma celeritate ſpolia auferet, VII. Marinus reddit: *Acceleranti ſpolio*, vel *ſpolium*, *feſtino prædæ*, ſeu *excitato præda*, vel *ad prædam*, hoc eſt Aſſyrio. VIII. Nobis cum aliis aptius videtur, ut iſtæ quatuor voces *maher-ſchalal-chaſch-baz*, ſint proprium nomen alterius filii Iſaiæ a *Sear-Iaſub*, de quo cap. VII. 3. & præfixum *Lamed* ſit nota dativi, vel præpoſitionis *de*, vel *pro*, id eſt, Scribe in eo ſtylo hominis, *ipſi*, vel *ad*, ſeu *de*, aut *pro maher-ſchalal-chaſch-baz*, hoc eſt pro filio tuo recens edito, infra verſ. 3. quem in ſignum huius prophetiæ daturus es, verſ. 4. ut Schear-Iaſcubum ſupra cap. VII. ac propterea volumen a Propheta inſcribi de nomine filii mandavit Deus: vide infra verſ. 3.

V. 2. Et adhibui mihi testes. Heb. *Et teſtificari feci mihi teſtes*. Alii: I. *Et vocavi mihi in teſtimonium teſtes*. II. *Et effeci ut mihi teſtes eſſent teſtes*. III. *Quamobrem conteſtatus ſum mihi teſtes*, vel *adhibui mihi teſtes*, nimirum ut filio meo nomen imperatum a Deo imponerem coram Eccleſia, & hoc ſigno adducerer ad prophetiam hanc prædicandam, litterarumque monumentis obſignandam. Testes, id eſt viros nominatim advocatos, ut teſtarentur nomen illud filio meo impoſitum in Eccleſia, cum circumcideretur. Nam eo tempore indita fuiſſe olim a parentibus nomina conſtat Geneſ. XXI. 3. & 4. Lucæ I. 59. & II. 21. Atque ex hoc ritu profectum eſſe illum noſtrum conſtat, quo certi homines ſpeciatim, maxime vero calamitatis temporibus (ut iſta futura erant) adhibentur teſtes acceſſus ad Chriſtum, & ad Eccleſiam per baptiſmum, & nominis baptiſmo inditi: ex quo ritu Propheta occaſionem ſumpſit, ut teſtes circumciſionis, & nominis inditi filii ſui, ad alterum hoc ſingulare teſtimonium adhiberet. Hos vulgus *compatres*, & *commatres*, vel *patrinos*; Græci olim *ſyntecnos*, appellarunt. Fideles. נאמנים *neemanim*, *creditos*, *fideles*, *fide dignos*, *fidos*, *firmos*, *veraces*, *certos*, *ratos*, *ſtabiles*, omni exceptione majores. Hiſpanice, *de credito*. Quidam exponunt, Fide dignos atque idoneos, quorum auctoritas & teſtimonium permagni futurum erat in populo: nam alioqui ad integritatem & probitatem fidei in Deum non ſpectat Propheta; cum Uriæ perfidia ſatis nota ſit ex hiſtoria Achazi, quæ poſtea evenit II. Reg. XVI. 10. & ſequentibus. Et Zachariam filium Barachiae. Non hic eſt Zacharias unus de duodecim prophetis minoribus, nam ille multo poſt hæc tempora vixit: ſed forte vir aliquis inſignis Ieroſolymitanus, & magnæ auctoritatis, qui hic Hebraice non filius Berechiæ, ſed filius Ieberechiahu vocatur. Primo anno Chizkiiæ filii A-

X 2 chaz

chaz vivebat Zecharaiahu Levita nobilis ex poſteris Aſaph II. Paralip. XXIX. 13. Non conſtat quis hic fuerit Zachariahu teſtis Iſaiæ.

V. 3. Et accessi ad prophetissam. Heb. *Et appropinquavi ad prophetiſſam*, id eſt uxorem meam; rem habui, congreſſus ſum cum uxore mea, quæ dicitur prophetiſſa, quod uxor prophetæ eſſet. Quidam: *me enim congreſſo cum prophetiſſa*, id eſt uxore mea, *conceperat illa*, *pepereratque filium*. Hæc enim hiſtorice, ut narrantur, accipiunt. Et verbum iſtud appropinquandi, in hac notione ſumitur Deuteronom. XXII. 14. Voca nomen eius, Accelera spolia detrahere: festina praedari. Vide ſupra verſ. 1. nam Hebraice eadem omnino ſunt verba. Galatinus Lib. VII. Arcanorum Catholicæ Veritatis, cap. XVI. reddit: *Voca nomen eius*, *Expeditum ſpoliatorem*, *Feſtinum prædatorem*. Tremellius, & Iunius: *Voca nomen huius Maher-Schalal-Chaſch-Bazum*, id eſt, Accelerando prædam, feſtinat diripiens, nimirum Aſſyriorum exercitus, ut ſequens verſus explicat. Eſt autem hoc ipſum nomen per anticipationem poſitum ſupra verſ. 1. quo Deus promiſſionem domui Davidis factam, nunc demum voluit in filio prophetæ coram Eccleſia obſignare. Quamobrem etiam ὁμοειμα verba in hoc quidem nomine ſunt, ad celeritatem ſummam melius exprimendam: vide ſimile Geneſ. XLI. 32. Ego ex ſimpliciſſima analogia Hebraica expoſuerim, *Feſtinare ſpolium acceleravit*, ſeu *properavit direptio*; vel *accelerare ſpolium*, *feſtinavit direptionem*, ſeu *prædam*; ut hæc conciſio verborum ac congeries ſignificet ſummam celeritatem, ac perturbationem devaſtationis ac direptionis Syriaci & Iſraelitici regni.

V. 4. Quia antequam sciat puer, &c. Hunc verſum varie ex Hebr. efferunt: I. *Quia priuſquam puer ille norit ſonare Abi, & Imi, tollet copias Damaſci, & ſpolium Samariæ ante regem Aſſyriorum*; id eſt, Priuſquam puer iſte natus filius tuus ſciat clamare Pater mi, & Mater mea, tollet miles aut baiulus devicta Damaſco & Samaria, opes eorum, & auferet iuſſu regis Aſſyriorum in Aſſyriam. II. *Nam cum nondum noverit hic puer proferre, Pater mi, & Mater mea*, id eſt ante annum, aut breve aliquod tempus ſimile, periphraſis maxime familiaris: *aſportabit opulentiam Damaſci & prædam Someronis*, id eſt deprædabitur Syros & Iſraelitas: quod geſtum eſt quarto Achazi anno II. Reg. XVI. 9. *qui eſt coram rege Aſſyriæ*: periphraſis ſervorum, militum, atque ſatellitum; id eſt, ſervus regis Aſſyriæ.

V. 5. Et adiecit Dominus loqui ad me adhuc, dicens. Alii: *Deinde perrexit Iehova alloqui me amplius dicendo.* Tranſitio ad ſecundam huius concionis partem, qua Ieſchaia iudicia Dei denuntiat in Syros, Iſraelitas, & Iudæos, quæ infantis nomine fuerant præſignificata.

V. 6. Pro eo quod abiecit, &c. Alii ex Heb. I. *Propterea quod ſprevit populus iſte* Iudæus *aquas Schiloachi*; id eſt, iſtis defenſionibus ſuis non fuit contentus, neque acquievit promiſſioni Dei, ultro pollicentis ſe daturum ſalutem ipſi unica virtute ſua, ſed copias exteras & arma ſtrepentia conduxit ad depellendum hoſtem: ſynecdoche allegorica in Scripturis frequens, ut Pſalm. XLV. *euntes ſenſim*, id eſt nihil crepantes, aut præſeferentes magnum, quod infideles æſtimant: lentum enim & quaſi ſerpentem fuiſſe Siloachi fluxum, oſtendimus in Nechem. II. 13. Sed de fonte Siloachi vide Nechem. III. 15. *& gaudium eſt apud Retzinem*, *& filium Remaliæ*; id eſt, Syri & Iſraelitæ ultro delectantur malo veſtro, ac petulanter vos infeſtant ipſi minime laceſſiti, ut expreſſit ſupra cap. VII. 6. II. *Quandoquidem abhorret populus iſte ab aquis Siloe ſenſim defluentibus*, *ipſo autem Rezin ac filio Romeliæ gaudet*; id eſt, quia populus meus Iuda, cuius regnum eſt ſimile leni Siloe fonti & innoxio, vireſque ipſius regni ſui ſpernit, quod exiguæ ſint, velletque lubens ſubiici ipſi Rezin, & Phacee regibus potentiſſimis, qui velut Euphrates omnia ſecum rapiunt, qui eum fortius defenderent a periculis, ut exiſtimant. Quae vadunt cum silentio. Hebr. *ambulantes*, *euntes*, *vadentes*, id eſt fluentes, *cum abſcondito*, id eſt inſenſibiliter, latenter, placide, ſenſim, ſine ſtrepitu & impetu, leniter. Et assumpsit magis Rasin, &c. Hebr. *& gaudium*, ſubaudi, regis & populi, nam vox *gaudium*, Hebr. eſt in regi-

regimine, *ad Retzinem, & filium Ramaliahu*, vel *cum Retzine, & filio Ramaliæ*; Quidam reddunt: *& gaudium eſt illi cum Retzine, & filio Remaliæ*; id eſt, apud ſemetipſum & in animo ſuo lubenter ſubderetur ipſi Retzin, &c. vel, gaudet fœdus inire cum Rezine, &c. vel delectatur amicitia & ſocietate Rezinis.

V. 7. Propter hoc ecce Dominus adducet super eos aquas fluminis fortes et multas. Alii: *Idcirco, inquam, ecce Dominus faciet ut aſcendant contra iſtos*, ſcilicet Syros & Iſraelitas, quo conſilio Achaz illius operam conduxerat, *aquæ illius fluminis*, Euphratis, quem allegorice accipit pro Aſſyrio exercitu; quod ſequentium verborum exegeſis docet, *fortiſſimæ & ampliſſimæ*. Fortes. Hebr. *oſſatæ, validæ, condenſatæ, corroboratæ, conſolidatæ, compactæ, robuſtæ*. Alii: *vehementes*. Et omnem gloriam eius, id eſt potentiam, robur exercitus, vires, apparatumque bellicum, quæ ſunt ingens gloria, & excellentia regum. Quidam *copias militares* exponunt, de quibus ipſe Aſſyrius gloriatur infra cap. x. Et ascendet super omnes rivos eius, et fluet super universas ripas eius. Alii: I. *qui ſuperato undique alveo ſuo, & egreſſus ultra omnes ripas ſuas*. II. *& aſcendet ſuper omnes alveos ſuos, & ibit ſuper omnes ſinus ſuos*: metaphora ab inundante flumine, quod excedens alveum ſuum, & tranſgrediens ripas, omnia ſecum rapit ac devaſtat. III. *qui aſcendens ſupra omnes validas aquas ſuas, ienſque ſupra omnes ripas ſuas*, id eſt tranſiens omnes pacti conventi leges: allegorice. Ripas eius. Hebr. *irruptiones, excurſiones, egreſſiones, ſinus, divergia, ripas ſuas*. Sic Ioſue III. 15. & I. Paralip. XII. 15.

V. 8. Et ibit per Iudam. Hebr. *& mutabit in Iehudah*, vel *& mutabitur*. Alii: I. *& tranſibit in Iehudah*. II. *& redundabit in Iudam*. III. *permeabit Iehudam*. Senſus noſter eſt: Et omnia ſurſum deorſum vertet, mutabit, miſcebit, alterabit in Iehudah. Inundans, et transiens: Heb. *inundavit, & tranſibit*. Primum eſt præteritum, ſecundum futurum. Plerique utrumque per futurum reddunt: *inundabit*, ſeu *demerget, & tranſibit*; ut ſit Hebraiſmus, pro, inundando tranſgredietur, id eſt, tranſeundo obruet totam eam regionem: hypallage. Quidam: *refluens & tranſiens*. Id quidem notant factum fuiſſe cum ſuperſtite adhuc Achazo per expilationes Aſſyrii barbaras II. Reg. XVI. 18. & II. Paralip. XXVIII. 20. & ſequentibus: tum regnante Chizkiia filio II. Reg. XVIII. 13. & ſequentibus. Usque ad collum veniet. Heb. *uſque ad collum pertinget*, id eſt uſque ad Ieruſalaim, quæ caput erat totius regni: allegoria regnum comparans cum humano corpore, ut infra cap. XXX. 28. vide Deuter. XXXIII. 12. atque iſtud impletum obſervant II. Reg. XVIII. & II. Paralip. XXXII. Et erit extensio alarum eius implens latitudinem terrae tuae, o Emmanuel. Quidam reddunt: *Et erit expanſionibus alarum ſuarum plenitudo latitudinis terræ tuæ, o Immanuel*: ſive *implebuntque paſſæ alæ illius latitudinem terræ tuæ*; id eſt, Iudæam totam occupabunt. Ait *terræ tuæ*, quaſi dicat: Quæ neque illius Aſſyrii eſt, neque iſtorum Iudæorum; ſed quam tu tibi vindicaſti, & plane abſque te perituram ab illo vindicaturus es: *o Himmanuel*, id eſt Chriſte, fili Davidis, rex Iudæorum, ſupra cap. VII. 14.

V. 9. Congregamini populi, et vincimini. Varie alii ex Heb. I. *Confringite populi, & conteramini*: utrumque Heb. imperativum. II. *Conterite, o populi, & confringamini*; quaſi dicat: Permittet Dominus ut omnia perdatis in Iuda; attamen perdemini tandem etiam vos; initio belli feliciter vobis cedet, demum tamen corruetis. III. *Sitis mali, populi*, ut ſit culpæ, *& tamen conſternabimini*. IV. *Conſociamini*, vel *congregate vos*: apoſtrophe ſarcaſtica his duobus verſibus; quaſi dicat: Agite quidlibet, confirmate vos fœderibus, conſiliis, armis, & auxiliis, & ſi quid eſt huiuſmodi; id tantum efficietur, quod placebit Deo: *o populi*, Syri cum Iſraelitis, & Aſſyrii cum Iudæis: *& conterimini*, ex decreto Dei, quod propterea enuntiat Ieſchaiah imperandi modo. V. *Mali, acerbi eſtote, populi*, active: ſeu *malefacite, malum machinamini, populi, & conſternabimini*. VI. *Taratantarizate, vociferamini, ululate, claſſicum canite, perſonate, triumphate, ovate populi, & conſternamini*. Et audite universae procul ter-

Digitized by Google

TERRAE. Heb. & *auriculate*, *aures adhibite omnes longinqui terræ*. Alii: I. & *auribus percipite*, *omnes diſtantiæ terræ*. II. *viri omnium diſtantiarum terræ*, id eſt incolæ regionum longinquarum, ſive qui habitatis in regionibus procul diſtantibus terræ. III. *auremque præbete*, *quotquot eſtis in locis longinquis terræ*; ita ut cognito iudicio ipſius, celebris efficiatur Deus; & munera regi Iechizkiiæ offerantur a Babyloniis procul diſſitis: quod legimus factum II. Paralip. XXXII. 23. ACCINGITE VOS, vel *accingimini*: puta ad efficiendum inita conſociatione conſilia, quæ iniveritis. Alii: *accingimini* ad præliandum, ut ſit verbum militare. ET VINCIMINI. Heb. & *conſternamini*, vel *conterimini*: idem verbum ter hoc verſu repetitum, ingentem conſternationem, & confractionem ex decreto Dei deſignat.

V. 10. ET DISSIPABITUR. Heb. & *diffringetur*, *irritum fiet*, *labefactabitur*. Et coniugatio Hophal magnam labefactionem & diſſipationem ſignificat. ET NON FIET. Heb. *non ſurget*, *ſtabit*, *ſubſiſtet*. Quidam: & *non exiſtet*. QUIA NOBISCUM DEUS. Hebr. *quia Himmanuel*. Quidam reddunt: *nam Himmanuelis exiſtet verbum*; quaſi dicat, Quin potius verbum Himmanuelis Chriſti ſubſiſtet in æternum; hoc eſt, Id verbum potius fiet, quod pronuntiatur per me Himmanuelis Chriſti adminiſtrum. Eſt autem elegantiſſima huius loci amphibolia; nam altera quoque ſe offert ſponte interpretatio, hoc modo: Loquimini verbum, & non exiſtet; nam Deus fortis nobiſcum eſt, qui omnia veſtra conſilia & conatus momento diſſlabit.

V. 11. HAEC ENIM AIT DOMINUS AD ME: SICUT IN MANU FORTI. Alii ex Heb. I. *Sic enim dixit Iehova ad me: In apprehenſione manus*, id eſt cum me manu prehenderet. II. *In roboratione manus*, id eſt in viſione prophetica admirabili, non vulgari, ſed admodum inſigni. III. *In fortitudine prophetiæ*, hoc eſt in valida & vehementi prophetia, quæ vim magnam & efficacitatem præſeferret. IV. *In impetu & pertinacia prophetiæ*. *Nam ita edixit Iehova mihi*, *adhibita confirmatione manus*, id eſt me ipſum confirmans adverſus populum & omnia adverſa, per promiſſionem & virtutem ſuam, ut oſtenditur ſequente verſu: ſic I. Samuel. XXIII. 16. SICUT IN MANU. Alii: *ſecundum robur*, ſeu *vehementiam manus*. Et ſane pleraque exemplaria *Caph* habent, alia *Beth*: *In apprehenſione*, *robore*, *manus*. Manus in Scriptura paſſim pro virtute, potentia, &c. aliquando pro efficacitate & operatione Spiritus Sancti per prophetas loquente, hoc eſt, pro prophetia, ut Ezechiel. I. 9.

V. 12. NON DICATIS, CONIURATIO: OMNIA ENIM QUAE LOQUITUR POPULUS ISTE, CONIURATIO EST. Alii ex Heb. I. *Ne dicatis*, *coniuratio ad omnia*, *cum populus iſte dicit*, *coniuratio*. II. *Nec dixeritis verba coniurationis*, id eſt verba ſeditioſa in veſtrum regem aut locum; nam Deus eum proteget; ac ſi dicat, Ne cogitetis de deditione facienda his regibus, quaſi a me liberari non poſſitis: *in omnibus*, *quæ dicere ſolet populus iſte*, *eſt coniuratio*; id eſt, omnes ſermones huius populi eo pertinent, ut ſe ſubdant his regibus tamquam eos non poſſim liberare. III. *Ne dicatis*, *coniuratio*, *in quibuſcumque dicit populus iſte*, *coniuratio*; id eſt, neque animo conſentiatis, neque verbo conveniat vobis cum hoc infideli populo: hic enim exponitur primum peccati genus, nimirum infidelitas publica Iudæorum non acquieſcentium promiſſioni & virtuti Dei, quam allegorice placidas aquas Siloachi appellavit ſupra verſ. *6.* ſed aliena auxilia fœderaque Deo neglecto procurantium, quod ſtudium Deus coniurationem vocat, ut eo magis ab illo ſervos ſuos deterreat: neque populum ſuum dehortatur (cuius obfirmationem docet infra verſ. 16.) ſed tantum Prophetam cum piis & electis e populo, ad quos ſermonem habet. *Dicit populus iſte*, *coniuratio*; id eſt, ſtatuit fœderatos ſibi eſſe adiungendos, quorum ope ab exteris incommodis defendatur. IV. *Ne dicatis*, *coniuratio*: *de quacumque re dicit populus hic*, *coniuratio*; quaſi dicat, Metu civilis & internæ coniurationis cum hoſte, ne deſpondeatis animum: ſolet enim populus hic in eiuſmodi ſuſpieaciſſimus eſſe, & undequaque ſibi timere. V. Hiſpanicus Interpres: *No dicays*, *coniuracion*, *a todas las coſas a que eſte pueblo dize coniuracion*; quaſi dicat, *No os iunteys con eſte pueblo en ſus negocios*, *porque es conſpiracion contra Dios quanto bazo*. ET TIMOREM EIUS

NE

NE TIMEATIS. Aliqui: *& timore iſtius ne timeatis*, id eſt infideli timore; qualis timor ita percellit iſtum populum, ut promiſſa Dei repudiet, concilietque in fœdus coniuratos. NEQUE PAVEATIS. Varie alii ex Heb. I. *neque formidetis*. II. *neque animo concutiemini*. III. *neque territi ſuccumbatis*. IV. *neque animo frangamini*. V. *neque expaveſcendum ducatis*. VI. proprie: *neque prævaleſcere ſinatis*, ſcilicet timorem, vel *neque prævalidati ſitis*, id eſt victi timore, aut *neque violentemini*, ſeu violentia opprimamini ab Achazo & reliquo populo infideli, Aſſyrio potius quam Deo fidente.

V. 13. DOMINUM EXERCITUUM IPSUM SANCTIFICATE. Exponunt, Himmanuelem Chriſtum, verum Iehovam cum Patre & Spiritu Sancto homouſion: ſic enim accipiendum eſſe commonſtrant ſequentia. *Sanctificate*, credendo promiſſionibus eius, & fiduciam veſtram in eum libere oſtendendo & prædicando, ut Numeror. XX. 21. Alii *ſanctificate*, id eſt date gloriam roboris & potentiæ: confitemini illum eſſe potentem præ Aſſyrio. IPSE PAVOR VESTER, ET IPSE TERROR VESTER. Alii: *& ipſe ſit timori vobis, idemque ſit pavori vobis*. ET IPSE TERROR VESTER, מערץ *magbaritz*, paſſim pro nomine ſubſtantivo capiunt, *prævaliditas, pavor, terror*. Alii, benoni Hiphil faciunt, *terrore afficiens vos, faciens ut expaveſcatis vos*.

V. 14. ET ERIT VOBIS IN SANCTIFICATIONEM. Alii ex Hebr. I. *Et erit in palatium*, vel *in arcem*, id eſt vice arcis & aſyli. II. *Et erit in ſanctuarium*, ſeu *ſacrarium*, id eſt tamquam templum & locus ſacer, in quo tuti & ſecuri ſub præſidio Domini maneatis. III. *& erit ſanctificationi vobis*, id eſt, ſanctificabit vos. Particula *vobis* non eſt in Hebræo, ſed ſubaudienda eſt per ellipſin, quæ ex antitheto membro facile percipitur. IN LAPIDEM AUTEM OFFENSIONIS. Heb. *conſternationis, alliſionis, plagæ, cladis, ſtragis, internecionis*. ET IN PETRAM SCANDALI. Heb. *& in petram, rupem, ſaxum, impactionis, offenſionis, offendiculi, ſcandali*, in quam quis impingat, illidat, offendat. DUABUS DOMIBUS ISRAEL. Alii: *ambabus domibus Iiſraelis*; Iiſraelitarum Phekacho, & Iudæorum Achazo parentium. Eſt autem hic explicatio veri effectus Chriſti contra infideles, ut infra cap. XXVIII. 16. & Lucæ II. 34. Romanor. IX. 33. & I. Petri II. 8. ET IN RUINAM. Heb. *& in illaqueationem, tendiculam*.

V. 15. ET OFFENDENT EX EIS PLURIMI. Heb. *in eis*, id eſt inter eos, ex eis. Alii: *in ea*, ſcilicet laqueum, & tendiculam: vel in lapidem offenſionis & in petram ſcandali, de quibus ſuperiore verſu: eſt enim exegeſis ſuperiorum ſimilitudinum; unde reddunt: *In quæ offendant multi*.

V. 16. LIGA TESTIMONIUM. Heb. *Coangusta, coarcta, conſtringe, conclude, colliga, complica conteſtationem*, id eſt abſconde, tege, involve: metaphora a mercatoribus, qui complicare & involvere ſolent merces ſuas ac tela craſſiore tegere & obducere, poſtquam eas propoſuerunt venales: *conteſtationem*; id eſt, prophetiam hanc & volumen illud tuum magnum, de quo ſupra verſ. I. involve & claude, ne amplius ſit in oculis iſtorum, quandoquidem ludificantur eam. SIGNA LEGEM IN DISCIPULIS MEIS. Heb. *Sigilla, obſigna legem in diſcipulis meis*. Quidam: *conſigna legem inter diſcipulos meos*; id eſt, eam annuntia, committe, trade, crede illis quos noſti doctos a Deo eſſe. Hoc verſu ſignificatur obſtinatio, ſeu obfirmatio pertinaciſſima Iudæorum, quam enuntiat Deus Prophetæ, & piis coram toto populo, ut teſtatum faciat pervicacem eſſe illorum obdurationem, ac proinde neque prophetias, neque legem ipſam ad illos amplius pertinere, ſed ad credentes tantum theodidactos. Alias explanationes omittimus, quod hanc ſimpliciorem exiſtimemus. SIGNA LEGEM IN DISCIPULIS MEIS. Quidam: *obſigna inſtitutionem in doctos meos*; id eſt, obſignatam trade illis doctrinam, ut ipſi ſoli intelligant, qui a me edocti fuerint, ut infra cap. LIV. 13.

V. 17. ET EXPECTABO DOMINUM, &c. Hunc verſum alii ex Heb. reddunt: I. *Et inhiabo ad Iehova abſcondentem faciem ſuam a domo Iahakobi, & intentus expectabo eum*; quaſi dicat: Etſi Deus Iehudæos averſetur propter obfirmatam eorum infidelitatem, at ego ipſi inhæreo, ab eo totus pendeo, illi inhio, & in eum aviſſime intendo. II. *Et prolongabo ad*

IHUH

Ihuh; id eſt, longe expectabo, protraham omne tempus meum in præſtolando Dominum, vel momentum non abſtrahar ab expectando eum: ſummo deſiderio, niſu, conatu appetam eum ut apprehendam: nam hæc eſt vis verbi חכה *chiccah*: *abſcondentem faciem ſuam a domo Iabakobi*; participium ex Hiphil auget ſignificationem, & magnam abſconſionem ſeu averſionem denotat: *& intendam ei*; id eſt, magno animi deſiderio intentus in eum ero, ut eum amplectar, mihique applicem. Vide de notione verbi in Geneſ. I. 9.

V. 18. Ecce ego, et pueri mei. Hebr. *& nati*. Hiſtorice intelligunt, *Sear-Iaſub*, *& Maher-Salal Chas-Baz*, duos ipſos Ieſaiæ filiolos. In signum et portentum. Heb. *ſigna & portenta*, ſeu *prodigia*: nam uterque & nomine ſuo, & re ipſa præſignificabant, & portendebant ventura, quæ Deus decreverat efficere: primus, ſupra cap. VII. 3. & 16. & 22 ſecundus hoc capite verſ. I. 3. & 4. Hic autem ſubaudiunt verba præcedentis verſus: *Ecce ego, & nati mei, quos dedit mihi Iehovah* ut ſint *in ſigna & prodigia in Iſraele*, præſtolabimur, inhiabimus, intenti erimus ad Iohovah; qua ſynecdoche circumſcribit omnes pios. Plerique propter Pauli Hebræ. II. 13. præcedentem verſum cum illo coniungunt, & ita interpretantur: *Præſtolanti mihi itaque Iehovam, qui abſcondit faciem ſuam a domo Iahakobi, & expectanti ipſum, dixit: Ecce ego & nati quos dedit mihi Iehova, in ſigna & oſtenta apud Iſraelitas ſumus, a Iehova exercituum habitante in monte Tzijonis*. Confirmatio decreti Dei contra obſtinationem Iudæorum, a ſingulari Ieſu Chriſti Domini & Servatoris noſtri teſtificatione, qua Prophetam adverſus ſcandala populi fortificavit exemplo ſuo, & ſuorum omnium. *Qui abſcondit faciem ſuam*, &c. id eſt, ſe verbumque ſuum ſubtrahit, & me volumen iuber complicare atque recipere: *Ecce ego & nati*, &c. quaſi dicat, Fer æquo animo hanc quamvis duram conditionem tuam; *non enim eſt diſcipulus ſuper magiſtrum ..... Si patrem familias Beelzebub vocaverunt, quanto magis domeſticos eius?* Matth. x. 24. & ſequentibus. Hoc enim eſt eſſe in ſigna, & oſtenta. Vide Hebræor. II. 13.

V. 19. Et cum dixerint ad vos: Quaerite a pythonibus, et a divinis. Heb. *a pythonibus*, *& gnoſtis*: de his duabus vocibus vide Levit. XIX. 31. Quidam reddunt: *Cum enim edicunt vobis, Conſulite pythones aut hariolos*. Tranſitio ad tertium genus peccatorum populi Iudaici per ætiologiam hoc modo: Merito ſane populus iſte a Iehova deſeritur, & ſignis de graviſſimis calamitatibus præmonetur; nam non tantum infidelitate alienam opem implorat, a verſ. II. ad 16. non tantum ſe ipſe peccatis obfirmat, & averſatur Deum, a verſ. 16. ad 19. ſed etiam diabolo operam dat, & pios in idem ſcelus ſollicitat, ut ſeducantur ſi fieri poteſt. Hoc autem Propheta explicat ſermone converſo ad pios; ut eos inſtituat de atrocitate iſtius criminis, & confirmet in bono: *pythones & hariolos*, id eſt magos, aut divinos quoslibet: ſynecdoche. Nonnulli convertunt: *Interrogate, ſciſcitamini, apud pythones, ſeu ventriloquos, & apud gnoſtas*. Qui strident. מצפצפים *metzaphtzephim*, participium Pihel, verbi geminati צפצף *tziphtzaph*; quod hic primum in Scriptura occurrit. Forſterus annotat, ſibi videri deductum a verbo פצה *phatzah*, *aperire*, quaſi ſit aperto ore, ſeu roſtro clangere, ſeu ſtridere, ſicut grues, anſeres, hirundines, ſtriges, & id genus aliæ aves aperto libere ore ſonant; non gementes, ut columbæ, & turtures. Sequitur iſtud Forerius: ſed Mercerus contra analogiam omnem eſſe ait. Alii, *garrire*, *muſſitare* exponunt. Tremellius, Iunius, Buxtorfius: *qui pipiunt*, *& qui muſſant*. Amplificatio indigni facinoris populi a vanitate iſtarum divinationum, quam ipſa forma arguit: Non ſunt, inquit, iſti ſeductores tanta facultate præditi, ut ore aperto claraque voce enuntient, aut verbis planis explicent, quæ dicenda forent, ſicut nos prophetæ iudicia Dei palam voce quam maxima, planiſque verbis prædicimus: ſed in ventre ſuo, aut imis faucibus ita pipiunt, ut pulli nondum excluſi ſuo putamine; aut ſi quod voce efferunt, ita illud muſſant, ut Sibylla ex tripode: quam eamdem rationem Propheta explicat infra cap. XXIX. 4. & hiſtorici paſſim, omnium vero evidentiſſime Origenes VII. adverſus Celſum. Vide Levit.

Digitized by Google

vit. XIX. 31. IN INCANTATIONIBUS SUIS. Heb. eſt participium ex Hiphil מהגים *mahegbim*, & *meditantes*, *immurmurantes*, *emurmuratores*, *muſſantes*, *muſſitantes*, *meditabundos*; quod proprium eſt incantatorum, qui ſua carmina demurmurant.

NUMQUID NON POPULUS A DEO SUO REQUIRET, PRO VIVIS A MORTUIS? Aliqui ad caput huius partis ſubaudiunt, Reſpondete, dicite eis: *Numquid non populus*, &c. quaſi dicat, Vos tamen docti a Domino dicite illis: *Nonne populus quiſque infidelis deos ſuos conſulit?* id eſt, nonne hoc facere infidelium & ethnicorum eſt? numquid par eſt ut pro rebus vivorum mortui conſulantur? Quidam reddunt: *An non quæque gens ſuos deos conſulit?* id eſt, conſulere ſolet? quaſi dicat: Alii populi conſulere ſolent deos ſuos, non alienos, non homines pythonicos; quanto magis nos Dominum conſulere debemus? ſi idololatræ abhorrent a divinis, quanto nos magis abhorrere debemus? Diſplicet ſenſus, nam peius eſt conſulere deos, quam divinos: *nam pro vivis apud mortuos?* ſubaudi conſilium eſt, aut recte quæritur? Nonnulli: *nonne populus Deum ſuum conſulturus eſt? pro viventibus mortuos conſulat?* Dehortationis ſuæ cauſas duas Propheta affert, unam ex abſurdo, non eſſe homini qui mortuos conſulat, communicarionem ullam cum Deo vero, hoc verſu: alteram, rationem iſtam conſulendi mortuos, qua necromantici utuntur, & a lege ac prophetis aberrandi, gentium earum eſſe, quæ ignorant Deum, Deuteronom. XVIII. 9. & ſequentibus, verſu ſequente.

V. 20. AD LEGEM MAGIS, ET AD TESTIMONIUM, &c. Hunc verſum nos totidem verbis ex Heb. expreſſimus: (*Legi & teſtimonio: ſi non dicent ſecundum verbum iſtud, quod non ei aurora.*) Alii varie: I. *Ad legem & ad teſtimonium*, ſubaudi, revertendum, aut recurrendum eſt, in quibus præſcribitur quid agendum nobis, & teſtatur Deus voluntatem ſuam: *Si non dixerint iuxta verbum hoc, quia non eſt ei aurora*; id eſt, ſi idololatræ non idem ſentiunt quod ego, hoc ideo fit quia non eſt ei, id eſt cuique eorum aurora; hoc eſt, quod nihil ſit eis lucis. II. *Per legem & teſtimonium*, ſubaudi, iuro; & *diſperdam*, *niſi dicant iuxta hunc ſermonem*, *in quo non eſt aurora*; quaſi dicat: Ita res habet ut dixi; tam verum eſt, quod aliqui hortabuntur vos ut conſulatis pythones, & divinos, quam vera eſt lex divina, eiuſque teſtimonium: & *diſperеam*, addit aliud iuramentum ad maiorem confirmationem: Non habear verax, aut aliquid ſimile, ſi non futuri ſint aliqui in populo Dei, qui alios hortaturi ſint iuxta verbum hoc, nempe conſulere magos aut divinos; qui ſermo ſive doctrina nihil habet lucis, abhorret a vera doctrina & a ſenſu communi. III. *Ad inſtitutionem & ad teſtimonium*; id eſt, Quin potius proficiſcimini ad conſulendum legem & ſtatuta & teſtimonia Dei: *Si non dixerint iuxta verbum hoc, illi nequaquam aurora*; id eſt, quicumque non ita reſponderit, nimirum conſulendam eſſe legem Dei, ac non pythones; huic profecto nondum refulſit aurora, adhuc in tenebris agit ignorantiæ & infidelitatis: Hiſpanicus Interpres: *A la ley, y al teſtimonio*, ſcilicet, *preguntaran los pios. Si non dixeren conforme a eſto, es porque no les ha amanecido.* IV. *Legem, & conteſtationem conſulunto: an non loquuntur ſecundum verbum iſtud*, ſeu *in ſententiam illam cuicumque nulla eſt aurora*, ſeu *lucis ſcintilla?* id eſt, quiſquis plane ignorat Deum.

V. 21. ET TRANSIBIT PER EAM, &c. Hunc verſum multifariam ex Heb. elucidant: I. *Et tranſibit per terram ipſam induratus & famelicus*: ſingulare pro plurali; id eſt, erunt qui dura ac dira patientur in terra illa Iudææ, in qua fuerint homines illi infideles, obfirmati, ſuperſtitioſi: *eritque, cum premetur fame, iraſcetur, & maledicet regi ſuo, & Deo ſuo, & ſuſpiciet ſurſum*, ſcilicet opem expectando a Deo. II. *Quam* auroram, ſeu lucem, *qui neglexerit, indurabitur & eſuriet*, ſeu *inedia premetur: cumque eſurierit, ſeſe irritans, detrahet regi ſuo & Deo, & ſuſpiciet ſurſum*. III. *Quapropter peragrabit illam*, ſcilicet terram Iiſraelis, *difficultatibus preſſus atque famelicus*, impius quiſque Iudæus & Iiſraelita: *eritque cum eſurierit, & efferbuerit*, præ indignatione & deſperatione, *ut maledicat regi ſuo*: vel מלכו *malco*, accipiunt pro *Molech ſuo*, vel *Michomo ſuo*, ut deorum potentiſſimo, de quo vide in Leviti. XVIII. 21. cuius opera fuiſſet ſervandus ab hoſtibus & diffi-

ficultatibus rerum, ac liberandus in terra: *& diis ſuis*, quibus confidebat, ſentiens ſe fruſtra confiſum eſſe: *ubi aſpiciet ſurſum*, cælum verſus, ut oſtendit antitheſis ſequentis verſus.

V. 22. ET AD TERRAM INTUEBITUR, ET ECCE, &c. Varie hunc verſum ex Heb. interpretantur: I. *Et ad terram intuebitur, & ecce tribulatio, & tenebræ, obſcuratio anguſtiæ, & ad caliginem impulſum ſe videbit*, vel *& in caliginem detrudetur*. II. *Et ad terram aſpiciet, & ecce anguſtia, & obſcuritas advolans, pr ſſura & caligo irruens*. III. *Et terram ſpectabit, & ecce anguſtiæ, & tenebræ, circumvolans anguſtia, & nebula circumfuſa*. Hæc omnia ſummam infelicitatem oſtendunt. IV. *Quod ſi in terram intueatur*, ad opem in terra conſequendam, *ecce oppreſſionem & tenebras*: gradatio, pro eo quod eſt, erit calamitas, & vacuitas ab omni luce, aut ſpe ex calamitatibus evadendi: *obſcurato anguſtia, & caligine impulſo*; id eſt, omni Iudæo & Iſraelitæ impio, verſanti in denſiſſimis & confertiſſimis miſeriis, atque exagitato ab illis magis ac magis; quod compleri cœptum eſt inde a temporibus iſtis, bellis ſubinde emergentibus. Notant his duobus verſibus contineri concluſionem ſecundæ huius partis concionis, a ſumma deſcriptione iudiciorum Dei: Tam miſeri, inquit, futuri ſunt Iudæi & Iſraelitæ, ut neque in cælo, neque in terra ipſis oſtendatur ſalus ulla, ſpes ſalutis aut conſolatio. DISSOLUTIO ET ANGUSTIA. מְעוּף צוּקָה *megbupb tzukab*. Prius, quidam participium faciunt, & præcedenti voci conſtruunt: *& obſcuritas advolans*. Sed eſt diſcordia generis, nam Heb. *obſcuritas* eſt femineum, & *advolans* maſculeum. Alii cum voce ſequente nectunt: *circumvolans anguſtia*. Sed ſimilis diſcordia generis. Nonnulli: *obtenebratus, obſcuratus, anguſtia*. Plerique nomen faciunt in regimine: *obſcuritas, caligo, obſcuratio, obtenebratio, defatigatio*, quæ ex obſcuritate ſequitur, *preſſuræ*. Nec deſunt, qui exponant: *volatus anguſtiæ*, id eſt circumvolans anguſtia. Nos ex ſimili voce Iob x. 22. reddidimus: *defatigatio preſſuræ*, vel *defatigatus preſſura*; quod loco recte congruit. ET CALIGO PERSEQUENS. Alii: *& caligo irruens*. Plerique: *& caligo impulſa, expanſa, diſperſa*, vel *& nebula circumfuſa*. Sed eſt quoque diſcordia generis: nam אפלה *aphelab, caligo* eſt femineum; & מנדח *menuddab*, maſculeum, *impulſus*, quam vocem quidam Pahul Pihel faciunt: *& caligine impulſus, depulſus, propulſus*, vel *ad caliginem impulſus, detruſus*. Alii nomen ſubſtantivum: *& caliginis impulſio, diſpanſio*, vel *impulſus, lapſus*.

MENOCHII.

Verſ. 1. LIBRUM GRANDEM: amplam membranam circa cylindrum convolubilem, quales erant antiquorum libri, qui ideo volumina dicebantur. STYLO HOMINIS, id eſt litteris uſitatis; Chaldæus dixit, *ſcripturam claram*: volebat enim Dominus hanc ſcripturam eſſe publicum teſtimonium prophetiæ, & promiſſionis huius. VELOCITER, &c. Verba in libro ſcribenda erant hæc: *Velociter ſpolia detrahe, cito prædare*. Horum verborum ſignificationem, & myſterium vide infra, verſiculo 3. & 4.

V. 2. TESTES, Scripturæ. URIAM, &c. Quiſnam fuerit hic Urias, ut & Zacharias, incertum eſt.

V. 3. ACCESSI AD PROPHETISSAM, &c. Multi prophetiſſam hanc volunt fuiſſe uxorem Iſaiæ, ad quam acceſſerit Iſaias eam cognoſcendo, eamque concepiſſe, & peperiſſe filium, cui Iſaias nomen impoſuerit: *Accelera ſpolia detrahere, feſtina prædari*, & hunc filium Chriſti figuram fuiſſe. Verum alii paſſim antiqui, & recentiores de B. Virgine intelligunt, & ita explicant: Viſus ſibi fuerat Iſaias verba illa ſcripſiſſe in libro, ut iuſſus fuerat; ſed cum ſcripturæ ſententiam non intelligeret, innuit illi Deus, ut adiret venerandam quamdam matronam, & prophetiſſam, quam eius imaginationi obiecit. Viſus eſt ergo ſibi Iſaias illam adire, ac videre quod illa conciperet, & pareret filium, cui ipſe iuberetur imponere nomen illud, *Accelera*, &c. VOCA NOMEN EIUS, &c. & prædic talem fore hunc puerum, ut iure ſic vocari poſſit. ACCELERA SPOLIA DETRAHERE, &c. Duo nomina idem ſignificantia Chriſto imponuntur; primum eſt, *Accelera ſpolia detrahere*; ſecundum, *Feſtina prædari*. Significabatur autem hiſce nominibus, Chriſtum celeri-

ter

ter ſpoliatum regnum diaboli, ſecum captivam ducens captivitatem. Præterea regnum etiam Damaſci, & Samariæ, ut patet ex ſequentibus.

℣. 4. ANTEQUAM SCIAT PUER VOCARE PATREM, &c. auferet fortitudinem Damaſci, &c. immo hoc faciet antequam naſcatur, cum ſit Deus omnipotens ante Virginis conceptum. Chriſtus adhuc infans prædas agere cœpit, nam ad ſe traxit paſtores, & magos, & in AEgyptum fugiens evertit idola, & innocentes martyres ſibi adiunxit, &c. CORAM REGE ASSYRIORUM, id eſt iubente Rege Aſſyriorum, & eius viribus, & copiis, ipſo præſente. Per regem Aſſyriorum, ſenſu ſublimiori intellige diabolum, quo vidente, & fremente, Chriſtus prædas egit.

℣. 6. ABIECIT AQUAS SILOE. Per Siloe, qui eſt fons ad radices montis Sion, ſignificatur regnum Achaz, & familiæ Davidis. Solent enim Prophetæ per fluvios ſignificare provincias adiacentes, ut per Nilum, AEgyptum; per Euphratem, Babylonem, &c. Dicuntur autem duæ tribus abieciſſe aquas Siloe, quia cum viderent ſe paucas eſſe, & multis cladibus affectas a Raſin, & Phacee, de divino auxilio deſperantes, meditabantur defectionem ab Achaz, cuius imperium, quia modicis viribus erat ſuffultum, aquis Siloe item modicis, & leniter fluentibus comparatur. Bene Siloe Chriſtum ſignificat, qui lenis fuit, & manſuetus ut agnus. ASSUMPSIT MAGIS: adhæſit potius.

℣. 7. FORTES, id eſt vehementes, aquas ſcilicet Euphratis, quarum allegoria ſignificantur copiæ Aſſyriorum. ASCENDET, Euphrates. SUPER OMNES RIVOS EIUS: *eius* pro *ſuos*; ſenſus eſt, Aquæ id eſt, copiæ Aſſyriorum in Babylone circa Euphratem & rivos eius, magna copia ebullient, & exundabunt, & Iudæam quaſi eluvione ingenti invadent, & occupabunt.

℣. 8. USQUE AD COLLUM VENIET. Proverbialis locutio, qua ſignificatur Iudæam in extremum periculum adducendam. EXTENSIO ALARUM. Alæ vocantur copiæ militares: eſt enim ſermo de Sennacherib quaſi de aquila rapaci. O EMMANUEL; quaſi dicat: Cum tu o Emmanuel ſis noſter dux, & cuſtos, qui ſit ut tantam cladem terræ tuæ inferri patiatis?

℣. 9. CONGREGAMINI POPULI, ET VINCIMINI, &c. quaſi dicat, Parate vos ad bellum contra Iudæos, multas copias contrahite, &c.

℣. 10. LOQUIMINI VERBUM: conſilia inite, quæ vultis machinamini.

℣. 11. SICUT IN MANU FORTI, &c. Deus, inquit, hoc in me contulit beneficium, ut non eadem ſentirem, & loquerer quæ populus hic, idque ſuo peculiari auxilio præſtitit, quaſi iniecta manu, qua me cohibuit.

℣. 12. NON DICATIS, CONIURATIO. Erudivit me Dominus, & iuſſit etiam aliis perſuadere, ne dicerent *Coniuratio*; hoc eſt, ne dicerent, Coniuremus, & conſpiremus cum hoſte contra Regem noſtrum; vel peribimus, quia Reges potentes coniurarunt contra nos. OMNIA ENIM QUAE LOQUITUR, &c. hic enim tunc erat omnis eorum ſermo, Coniuremus contra Regem, vel Coniurarunt Reges contra nos. TIMOREM EIUS NON TIMEATIS: ne commoveamini metu eorum, & exercitus, quem paraverunt.

℣. 13. SANCTIFICATE: colite, glorificate. IPSE PAVOR VESTER: ille tantum vobis timendus eſt.

℣. 14. ERIT VOBIS IN SANCTIFICATIONEM; quaſi dicat, Vos ſanctificabit, ſcilicet eos, qui ſe timent, & colunt; nam aliis eſt in lapidem offenſionis. LAPIDEM OFFENSIONIS: nam impiis, & ad idola converſis offeret offenſionem, ruinam, & cladem. Lapis offenſionis is eſt, ad quem quis pede offendit, & impingit. PETRA SCANDALI: idem quod lapis offenſionis, Fuit etiam Deus malis petra ſcandali, quia videntes ſe capi, & vaſtari, ſcandalizabantur, dicebantque: Deus noſter non ita potens eſt, ut illum eſſe dicunt Prophetæ.

℣. 16. LIGA TESTIMONIUM; id eſt, hanc prophetiam liga, & ſigna, & tege ut ſolent ea quæ obſignantur. Vel ſenſus eſt, Licet vulgus has prophetias tuas negligat, tu tamen conſigna eas, conſcribe, & colliga, & earum memoriam conſerva: videturque ſumpta metaphora ab iis, qui ne rei alicuius obliviſcantur, digitum ligant. Sic Italice dicimus, *Se l'ha legata al dito.* IN DISCIPULIS MEIS, id eſt in gratiam diſcipulorum meorum: quibus reſignabuntur hæc oracula a Chriſto, qui eis ape-

riet ſenſum Scripturarum. LEGEM: idem eſt, quod teſtimonium dixit.

V. 17. EXPECTABO DOMINUM, &c. patienter, licet videatur oblitus populi ſui; nam eius tandem miſerebitur.

V. 18. ECCE EGO: ego Iſaias. ET PUERI MEI: alii prophetæ, qui mecum divitias contemnunt, & ſancte vivunt. IN SIGNUM, ET PORTENTUM: propter novum, & prodigioſum vivendi, & concionandi modum, quem ſequebantur; quaſi dicat: Sicut ego, & diſcipuli mei portentum videmur, ita & Chriſtus, cuius ego ſum præcurſor, & figura cum ſuis pueris, id eſt Apoſtolis ob novitatem ſuæ doctrinæ, vitæ, & miraculorum, ſuperbis Iudæis, & Philoſophis videbitur eſſe portentum, ſpectaculum, & ludibrium; per illa tamen multi convertentur, & fient Chriſti diſcipuli. A DOMINO; id eſt, dedit mihi Dominus a Domino: qui loquendi modus, ut notat Forerius, ſingularem Dei providentiam ſignificat ſuper ea re, de qua ſermo eſt. Sententia ergo eſt, Quos mihi Dominus ſingulari ſua providentia diſcipulos adiunxit. QUI HABITAT IN MONTE SION: cuius templum eſt in Sion.

V. 19. CUM DIXERINT AD VOS: cum vobis qui in anguſtiis verſamini propter metum Raſin, & Phacee. A PYTHONIBUS. Vide dicta I. Reg. XXVIII. 7. STRIDENT IN INCANTATIONIBUS SUIS. Pagninus vertit, *qui garriunt*; ſolent enim qui arte dæmonis divinant, non intellecta quædam verba obſcuro ſono muſſitare, aliquando (quippe qui furiis dæmonis aguntur) quaſi phrenetici ſtridere, & incondite clamare. A VIVIS PRO MORTUIS; id eſt, numquid pro vivorum ſalute conſulet mortua idola, vel æternæ morti damnatos dæmones?

V. 20. AD LEGEM MAGIS: potius recurrendum eſt ad legem, quæ vos docebit, quid bonum ſit aut malum. AD TESTIMONIUM, id eſt ad arcam, & ad propitiatorium, unde vera funduntur oracula. SI NON DIXERINT IUXTA VERBUM HOC: ſi Iudæi aliter reſponderint, quam ego hic doceo, & iubeo. NON ERIT EIS MATUTINA LUX; quaſi dicat, Manebunt in tenebris, & omnia illis male cedent.

V. 21. TRANSIBIT PER EAM. Matutina lux veritatis, & felicitatis tranſibit per Iudæam, & ab illa recedet. CORRUET, ET ESURIET; ſcilicet Iudæa. SUSPICIET SURSUM, &c. quaſi dicat: Sive in cælum ſurſum aſpiciat, ſive in terram deorſum, nihil aliud videbit, quam tribulationes, &c. ex quibus emergere non poterit. DISSOLUTIO: virium corporis, & animi. CALIGO PERSEQUENS: tenebræ malorum inevitabiliter irruentes.

T I R I N I.

Verſ. 1. SUME LIBRUM GRANDEM, ſeu amplam membranam in cylindrum convolubilem: tales enim erant veterum libri, unde & volumina dicebantur. ET SCRIBE IN EO magnis litteris STYLO HOMINIS, id eſt calamo, ſeu graphio, & conſequenter charactere apud vos homines uſitato. Scribe, inquam, nomen pueri, de quo ſupra VII. 16. nempe, *Maher ſcalal*, id eſt ACCELERA SPOLIA DETRAHERE; vel, quod idem ſignificat *Chasbaz*, id eſt, *Feſtina prædari*. Cauſam nominis huius explicat verſ. 4. Ideo vero iubetur magnis litteris nomen illud conſcribere, ut publice expoſitum legi ab omnibus & intelligi poſſit, nempe adhibita expoſitione de qua verſ. 4. Unde & teſtes adhibere iubetur nominis a ſe ſic prophetice expoſiti; ut, cum completa res fuerit, conſtet prædictam a Deo, ſed contemptam fuiſſe a Iudæis.

V. 2. ET ADHIBUI MIHI TESTES duos FIDELES, id eſt fide apud omnes maxime dignos, & omni exceptione maiores, nempe URIAM SACERDOTEM, ſeu e numero ſacerdotum celebrem hoc nomine: niſi malis ipſummet ſummum ſacerdotem ſeu Pontificem fuiſſe, cuius eſt mentio IV. Reg. XVI. 10. qui iuſſu Achaz pauco poſt tempore, erexit Ieroſolymis aram idolis, ut ibidem narratur. Et forte quia fœdum hunc eius lapſum prævidit Iſaias, ideo ad maiorem eius olim confuſionem, adhibet hic eum in teſtem. ET ZACHARIAM FILIUM BARACHIAE. Hunc S. Hieron. dicit fuiſſe Levitam illum, qui cum aliis ſub Ezechia templum Dei a rege Achaz & Pontifice Uria pollutum expiavit, II. Paralip. XXIX. 13. Nam de viventibus hic ſermonem eſſe, neque per viſionem, ſed realiter hæc omnia peracta fuiſſe, clamant omnia & ſingula

Digitized by Google

ſingula Scripturæ verba, & docent non ſoli Rabbini, ſed & S. Chryſoſt. Richardus Victorinus, S. Thomas, Sixtus Senenſis, Vatablus, Iſidorus, Clarius, Forerius, Montanus & alii: qui iidem

V. 3. Per PROPHETISSAM, ad quam cognoſcendam acceſſit Iſaias, ut prædicto vaticinio faceret ſatis, unanimiter intelligunt uxorem *Iſaiæ*: nam uxores Prophetarum vocabantur *Propbetiſſæ*: & ipſa quoque forſan habebat ſpiritum propheticum. ET CONCEPIT, ET PEPERIT FILIUM: & vocavi nomen filii, ACCELERA SPOLIA DETRAHERE: FESTINA PRAEDARI. Sic verificatur quod Iſaias inf. dicit verſ. 18. *Ecce ego & pueri mei quos dedit mihi Dominus, in ſignum & in portentum Iſrael*. De priore enim filio Iſaiæ *Sear Iaſub*, vidimus cap. VII. 3. De altero *Maher ſcalal*, vel *Chas baz*, nunc audimus, qua ratione portenderit & prophetarit excidium Iſraelis. Et hæc quoad corticem litteræ, de typo ſeu figura: nam in ſenſu allegorico, quem hic præcipue intendit Spiritus ſanctus, exponenda ſunt omnia de Chriſto per has umbras figurato; nempe, Spiritus ſanctus acceſſit ad B. Virginem Mariam, vere omnibus titulis prophetiſſam; quæ obumbrata & fecundata a Spiritu ſancto, concepit & orbi peperit Chriſtum, qui celerrimus prædator fuit; primo, regnorum *Damaſci* & *Samariæ*; ſecundo, totius regni diabolici, ut vidimus cap. VII. 15. ita fere SS. Patres.

V. 4. ANTEQUAM SCIAT PUER VOCARE PATREM SUUM ET MATREM SUAM. Hebraice, *priuſquam poſſit effari, mi pater, mea mater*, nempe naturali & vulgari modo; AUFERETUR FORTITUDO DAMASCI, occiſo *Raſin* illius rege, & incolis eius translatis *a* Cyrenen; ET SPOLIA SAMARIAE, occiſo *Phacee* Iſraelitico rege, eiuſque ſubditis pro parte translatis in *b* Niniven; CORAM REGE ASSYRIORUM, id eſt ad præſentiam & per iuſſum ac potentiam regis Aſſyriorum *Teglatphalaſſar*. Ita vero contigiſſe ex eo conſtat, quod, cum hæc ab Iſaia prædicerentur, annus tertius volvebatur: atqui ſtrages hæc per Teglatphalaſſar contigit anno 4. regis Achaz, ut colligitur ex IV. Regum verſ. 32. &c. & Hebræi affirmant *c*: ergo a prædictione Iſaiæ uſque ad hanc primam cladem Samariæ & Damaſci non effluxit biennium, nec puer natus exceſſerat 15. menſes vitæ, cum Teglatphalaſſar in eas terras ſæviret. Similiter Chriſtus Dominus non exceſſerat 15. menſes vitæ, cum Obodas Rex Syriæ, & Herodes rex Samariæ ſceptro ſimul & vita ſpoliati ſunt, ut dixi cap. VII. 15. Et quidem coram rege Aſſyriorum, nempe Auguſto Cæſare, qui ut totius Aſiæ monarcha erat, ita etiam *rex Aſſyriorum* merito vocari poterat. Sicut *Nabuchodonoſor d* Chaldæus, & *Darius* Perſa, & *Cyrus* ſubinde vocatur *rex Aſſur*. Auguſtus enim mortuis Oboda & Herode, regnum utriuſque & regium titulum ad ſe revocavit, ut ibid. dixi. Mox ſimilem fere pœnam intentat etiam Iudæis.

V. 6. PRO EO QUOD POPULUS ISTE Iudæus, ſeu duarum tribuum ſubiectarum domui David, ABIECIT AQUAS SILOE, QUAE VADUNT CUM SILENTIO; id eſt, renuit adhærere familiæ Regiæ Davidis, quæ aquis Siloe modicis & leniſſuis ſimilis erat. Cum enim ſentirent duæ tribus, ſe tot cladibus afflictas fuiſſe a 10. tribubus, & vix reſiſtendo fuiſſe; iam vero audirent, Syriam univerſas ſuas vires iunxiſſe cum 10. tribubus, deſperata prorſus ſalute, moliebantur defectionem a ſuo rege Achaz & a ſceptro Davidico, & honeſtis conditionibus ſe ſubdere Iſraelitis & Syris, regemque alium ab iis deſignatum admittere *filium Tabeel e*. Et porro feciſſent, niſi Achaz oſtentatione virium Aſſyriacarum pro ſe adverſus Syros & Iſraelitas evocatarum, inquietos compeſcuiſſet, & rebelles placaſſet: ita fere S. Cyrillus, Procopius, Baſilius, Euſebius *f*, Arias, Oſorius, Pintus, Caſtrius, Forerius, Vatablus, Sa, & a Lapide.

V. 7. PROPTER HOC iniuſtæ rebellionis crimen, ECCE DOMINUS ADDUCET etiam SUPER EOS AQUAS FLUMINIS Euphratis & Tigris FORTES ET MULTAS, ſeu rapidas & copioſas, puta REGEM ASSYRIORUM Teglat-phalaſſar, ET OMNEM GLORIAM ac potentiam EIUS, ut dixi cap. VII. 17. Allegor. quia Iudæi abiecerunt Chriſtum lenem, manſuetum, & qui arcano ſilentio de cæleſti Sion per Virginem in terras defluxit, ſicut fons

Siloe

Siloe ex radice montis Sion ſcaturit, & paulo poſt ſe ſub terra abſcondit, ac per canales in lacum ſeu piſcinam Siloe defertur, indeque per tubos cum ſilentio derivatur in hortos regios & alia ſuburbana; malueruntque rebelles adhærere ſynagogæ & aliis Chriſti hoſtibus; ideo *rex Aſſur*, Titus & Romani perdiderunt eos: inquit Cyrillus, Baſilius, & alii iam citati.

V. 8. ET ERIT EXTENSIO ALARUM regis Aſſur ſuper terram non modo Iſrael, ſed & Iuda, inſtar aquilæ iratæ alas & acies ſuas militares late ſuper terram expandentis: ſic nempe implebit totam LATITUDINEM TERRAE TUAE, O EMMANUEL; id eſt Iudææ, in qua tu Chriſte *Emmanuel*, & naſceris, & regnabis; quaſi dicat: Fierine poteſt ut terram ſanctam, quam tibi in ſolum natale & ſedem regiam delegiſti, tam fœde per Aſſyrios, per Chaldæos, per Romanos vaſtari permittas? Nec fruſtra meminit Emmanuelis Iſaias: mox enim prophetico ſpiritu prævidet, ope eiuſdem Emmanuelis tyrannos omnes, qui nunc & olim Iudæam vaſtaturi accurrerent, poſt ſumptas de Iudæis pœnas quæ cælitus decretæ fuerant, ipſos quoque devictum & funditus exciſum iri: unde per ſarcaſmum iiſdem inſultat: CONGREGAMINI, CONFORTAMINI, VINCIMINI, &c.

V. 11. SICUT Deus IN MANU ſua, ſeu potentia, FORTI ERUDIVIT ME, omnipotentia ſua tutos nos fore docens, ſi velimus, atque ita cohibuit me, NE IREM IN VIA POPULI HUIUS; id eſt, ne una cum Iudæis deſperabundis conſilia agitarem de deſerendo rege Achaz, & ad reges Iſrael & Syriæ deflectendo, ut ſupra verſ. 6. Sic etiam nunc iubet idem Deus, ut univerſo populo idipſum perſuadeam:

V. 12. NON DICATIS, ſeu ore, ſeu animo, CONIURATIO; id eſt, nolite cum hoſte contra regem veſtrum coniurare: nolite eum timere.

V. 13. DOMINUM EXERCITUUM SANCTIFICATE, id eſt colite ut pium, ſanctum, fidelem, qui promiſſis ſuis infallibiliter ſtet, ſuiſque opituletur; nempe credite ipſi, ſperate in ipſum, ipſi vos veſtraque committite. IPSE PAVOR ET TERROR VESTER, id eſt, obiectum *h* pavoris; quaſi dicat: Non debetis alium pavere quam Deum, aut ab alio terreri, vel vobis timere, quam ab irato Deo. Unde ſi hunc ſedulo cultu & obſequio propitium vobis, ſeu feceritis, ſeu conſervaveritis, nemo vobis nocere poterit.

V. 14. Ipſe ERIT VOBIS IN SANCTIFICATIONEM; Vatablus *in ſanctuarium* vel aſylum; quaſi dicat: Ut ſanctificatos & conſecratos ſibi proteget ab omni hoſtium incurſu. Futurus alioquin IN LAPIDEM OFFENSIONIS; ſeu in quem offendent & impingent, atque ita confringentur, non ſoli Iſraelitæ 10. tribuum, ſed & Iudæi 2. tribuum. Duo enim iſta regna hic deſignantur nomine *duarum domorum Iſrael:* utriſque enim pro pari offenſa, parem afferet pœnam, cladem & ruinam. Allegorice, lapis hic offenſionis & petra ſcandali fuit Chriſtus Iudæis, inquit S. Paulus Roman. IX. 32.

V. 16. LIGA, id eſt obliga, complica, claude TESTIMONIUM hoc, ſeu volumen quod a verſ. 1. hucuſque tibi, o Iſaia, tradidi explicandum regi Iuda & populo Iudaico. Cum enim videam nihili fieri, immo contemni, ne margaritæ iaciantur ante porcos, iubeo nunc illud occultari, involvi & ſignari, IN DISCIPULIS MEIS. Hebraiſmo; id eſt, pro diſcipulis mihi fidelibus & morigeris: neque enim omnes mihi rebelles ſunt, ſed multi adhuc pii & obſequentes mandatis meis. His volo omnia patefacias; aliis occultes, ſicut occultari ſolent quæ complicato volumine & obſerata epiſtola occultantur: ita fere Sanchez & a Lapide. Hactenus verba Dei. Iam ſubiicit Iſaias, occaſione poſtremorum verborum Dei,

V. 17. & 18. EXSPECTABO DOMINUM; quaſi dicat: Non igitur abiiciam ſpem omnem melioris ſortis olim obventuræ populo Iuda: nam licet *abſcondat* nunc & avertat FACIEM SUAM A DOMO IACOB, quaſi oblitus populi ſui, tamen PRAESTOLABOR EUM; LXX. & ex iis S. Paulus *k*, *ero fidens in eum*; nempe, quod populum ſuum, ubi iuſte caſtigatus fuerit, intuitu tot innocentium liberabit iterum ab hoſtibus ſuis; maxime per Chriſtum. Interim ad populum movendum, loco voluminis huius tuo iuſſu

iuſſu iam occluſi & obſignati, ſervient PUERI, ſeu filii MEI, qui nomine ſuo idem portendunt & loquuntur quod volumen continet, ut dixi verſ. 3. Serviam & EGO viva voce idem publice proclamaturus. Allegorice, Chriſtus & Apoſtoli, & quivis Sancti ſunt mundo ſignum & portentum, & mirabile ſpectaculum. De Chriſto enim hæc explicat Paulus *l*, & paſſim SS. Patres. Cum ergo ex me meiſque filiis voluntatem Dei certo cognoſcere poſſitis, non eſt quod ad augures confugiatis.

V. 19. CUM DIXERINT politici & impii homines: QUAERITE de toto expeditionis huius ſucceſſu, A PYTHONIBUS; LXX. *a ventriloquis*, (de quibus alibi *m*.) ET A DIVINIS, ſeu divinatoribus, QUI STRIDENT quaſi phrenetici vel,furiis acti; libere eis reſpondete: NUMQUID NON POPULUS deflectens A DEO SUO, reſponſum REQUIRET PRO VIVIS A MORTUIS: id eſt, an pro vivorum ſalute conſulet mortua idola, vel dæmones æternæ morti, ſeu damnationi addictos, relicto Deo fonte omnis veritatis?

V. 20. AD LEGEM MAGIS, ſeu potius recurrendum, ET AD TESTIMONIUM: quo etiam ipſa lex divina ſignificatur *n*; vel certe arca teſtamenti, vel propitiatorium: ibi enim conſuli volebat Deus de ſucceſſu belli, aliorumque negotiorum. QUOD SI profani Iudæi NON DIXERINT, id eſt non conſenſerint facere, IUXTA VERBUM HOC, ſed ſpreto Deo, pythones adierint; NON ERIT EIS MATUTINA LUX, ſed perpetua nox & tenebræ; id eſt, veritatem & proſperitatem quam quærunt, non aſſequentur, ſed involuti manebunt tenebris errorum & adverſitatum; immo lux veritatis ac proſperitatis

V. 21. & 22. TRANSIBIT PER EAM, ſcilicet domum Iacob, de qua verſ. 17. id eſt, per Iudæam, oſtentans ſe quidem Iudææ, ſed mox tranſvolabit ad alias terras. Quod maxime locum habuit tempore Chriſti: figura tamen præceſſit in vaſtatione per Aſſyrios & Chaldæos: nam ad utrumque tempus reſpicit Propheta cum ſubdit: CORRUET Iudæa, nempe ex ſumma felicitate in extremam miſeriam: ESURIET deſtituta corporis & animæ alimento; ET SUSPICIET SURSUM in cælum, ET deorſum AD TERRAM, pro auxilio & ſolatio; ſed fruſtra, ut ex ſequentibus patet.

(a) IV. Reg. xvi. 8.
(b) IV. Reg. xv. 29.
(c) Hebræi in Sedes Olam;
(d) IV. Reg. xxiii. 29. & xxiv. 12. xxiv. 7. & Ioſeph. Lib. X. Antiquit. cap. vi.
(e) cap. vii. 6.
(f) Euſeb. ſup.
(g) Pſal. xxiii. 10.
(h) Proleg. de Idiotiſmis Hebr. n. 46.
(i) Simile cap. xxix. 19. & Dan. xii. 4. & c. viii. 26.
(k) Hebr. ii. 13.
(l) Ibid. verſ. 11.
(m) I. Reg. xxviii. 7.
(n) Proleg. de Idiotiſmis Hebraic. num. 14.

G O R D O N I.

Verſ. 1. QUæ hic dicuntur de volumine ſcripto, de teſtibus, de nomine pueri naſcituri, & prophetiſſa, duplicem habent apud Doctores interpretationem; an ſcilicet re ipſa fuerint hæc exhibita, an tantum per viſionem Iſaiæ: an puer iſte ſit filius Iſaiæ, an vero noſter Emmanuel. Probabilius ſane eſt, & conformius inſtituto totius vaticinii huius, ſi dicamus hæc fere omnia per viſionem obveniſſe Iſaiæ. Ergo in primis per viſionem iubetur ſcribere uſitatis apud homines litteris, & notis in libro magno hæc verba, VELOCITER SPOLIA DETRAHE, CITO PRAEDARE, ut ſit hæc ſcriptura publicum veritatis teſtimonium. Porro verſ. 2. iubetur Iſaias adhibere duos teſtes, Uriam & Zachariam. Quinam hi ſint, certatur. At erant omni exceptione maiores, & forte qui de hoc ipſo Emmanuele poſt Iſaiam vaticinati ſunt: cauſam huius ſcriptionis dabunt verſiculi 3. & 4.

V. 3. Proponit acceſſum ad prophetiſſam, filium naſciturum prophetiſſæ, & nomen filii, quod eſt, ACCELERA SPOLIA. Plerique intelligunt per hæc uxorem Iſaiæ prophetiſſam, filium eiuſdem, & nomen illud illi impoſitum ad ſignum & terrorem Iudæorum. Ita poſt Rabbinos S. Thom. S. Chryſoſtomus, Sixtus Senen. Iſidorus, Clarius, Vatablus, & Richard. Victor. Lib. I. de Emmanuele. In his autem perſonis agnoſcunt typum tum Chriſti in filio Iſaiæ, tum B. V. in hac prophetiſſa. Plures tamen & graviſſimi

ſimi auctores hunc locum totum omnino interpretantur eſſe de Chriſto Emmanuele, de nomine iſto illi impoſito ad denotandum everſionem regni (diaboli, & de B. Virgine, quæ etiam prophetavit, *Beatam me dicent omnes generationes*. Eſt hæc potior ſententia, quam recentiores Pintus, Cornelius & alii ſequuntur. Ita ſane Cyrillus, Hieronymus, Baſilius, Rupertus & Procopius: accedunt Auguſt. XVII. Civit. cap. ult. & Ambroſius ad cap. I. Lucæ, verſ. 41. & 44. & Euſeb. Lib. VII. Demon. cap. II. Rationes ſunt, quia hic puer vocatur Emmanuel, verſ. 8. item, quia hic puer ſpoliabit Samariam ex Septuaginta, verſ. 4. quod Chriſto competit, non autem filio Iſaiæ: nec habet filius Iſaiæ ullam cohærentiam cum rebus præcedentibus & inſequentibus. Ceterum nomen illud optime convenit Chriſto, qui apud Samaritas & paſſim homines eripuit e poteſtate tenebrarum, & diaboli, ut fortis prædator.

V. 4. QUIA ANTEQUAM SCIAT PUER VOCARE PATREM. Hic eſt Chriſtus: nam etiam Deus eſt, & antequam naſcatur ex Virgine, vel antequam ſciat ſcientia experimentali: ſane evertit per Aſſyrios Samariam & Damaſcum. Dixi cap. VII. 14. ab hoc ſermone Iſaiæ uſque ad everſam Samariam eſſe 20. annos.

V. 5. ADIECIT DOMINUS AD ME LOQUI, DICENS. Siloe hic regnum David & Iuda deſignat: ibi unctus eſt Salomon; fons erat ad radices montis Sion incertis diebus ebulliens cum ſonitu, (ex Hieronymo) inde vero ſilet, hoc eſt abſcondit ſe, & fluit per canales ſub terra in piſcinam Siloe: inde aqua leviter derivatur in hortos. Iam populus iſte qui contempſit Siloe ſeu regnum Iuda, eſt regnum Iſrael, ſeparando ſe a Iuda; ut hæc interpretatur Hieronymus: tamen Cyrillo & Procopio (quod probabilius videtur) eſt populus Iuda qui vexatus ab hoſtibus cogitabat ſe adiungere Iſraeli, & deficere a ſceptro David. His ergo Iudæis & toti eorum regno minatur Iſaias ruinam ab Aſſyriis.

V. 8. ET ASCENDET, &c. Hoc factum eſt a Sennacherib tempore Ezechiæ: rem narrat Herodotus. COLLUM צַוָּאר *atſvar*, ſic dictum ex anguſtia. Hic autem deſignat capiendas a Sennacherib omnes vicinas urbes uſque ad Ieruſalem, caput & collum regni, IV. Reg. cap. XVIII.

V. 9. *&* 10. Propheta velut ex abrupto convertit ſe ad venturum Emmanuelem, ſub quo tandem tota iſta irruptio ab Aſſyria, Syria, & Samaria redditur vana & inutilis. Habet oratio ſpeciem ſarcaſmi.

V. 11. HAEC ENIM AIT DOMINUS. Redit ad id quod verſ. 5. attigit de populi Iudaici defectione ab Achaz: & diſſuadet hoc malum coniurationis: ſed potius (verſ. 13.) convertimini, inquit, ad Deum, qui erit nobis in ſanctificationem. Immo ſi pietatem ſequimini, erit in ſalutem. Si impii eſſe velitis, erit in ruinam & lapidem offenſionis duabus domibus; ſcilicet, Iudæ & Samariæ.

V. 16. LIGA TESTIMONIUM, SIGNA LEGEM. Hic iubetur bene obſignari tota hæc prophetia, cui ſcilicet credent ſaltem poſteri, & maxime Diſcipuli ſub Emmanuele: & ipſe Iſaias verſ. 17. profitetur ſe in domo Iacob, nunc quidem, ſed poſtea apparebit.

V. 18. ECCE EGO ET PUERI MEI, &c. Sic loquitur Iſaias, vel de ſeipſo & filiis ſuis, ut explicat Sancius, quorum nomina portendunt ſalutem mundo per Emmanuelem; vel certe loquitur Iſaias in perſona Chriſti, velut typus eius; ac ſi ſic loquatur Chriſtus de ſe & Diſcipulis; & hoc modo vere portentum Chriſtus gentibus & Iudæis, ut Paulus ait; idque in natura, in vita, & in paſſione: ut bene hic explicat Cornelius.

V. 19. ET CUM DIXERINT AD VOS, &c. Hoc eſt, qui vobis perſuaſerint defectionem nitentes ſuis Pythonibus & necromantiæ, nolite credere: ſequimini legem, & tabernaculum Dei; nam iraſcetur Deus, & conſumet impios & Chriſti contemptores.

Ex EIUSDEM AUCTARIO.

Verſ. 12. *&* 13. Diſſuadens defectionem, ait verſ. 11. monitum ſe eſſe a Deo, ne conſentiret his defectionem meditantibus, & qui non loquuntur aut ſpirant aliquid præter coniurationem, quod timerent externos. Contra Iſaias ſuadet timorem Domini, ut ſic poſſit liberari.

Verſ. 14. Dominus, ſi eum timetis, erit aſy-

Digitized by Google

aſylum, qui alioqui impiis erit lapis offenſionis, & (quod idem ſignificat) petra ſcandali.

Verſ. 21. Matutina lux & veritas tranſibit per Ieruſalem, & relinquet eam.

CAPUT IX.

Vaticinium de Chriſti nativitate, ipſiuſque imperio multiplicando: de liberatione Iudæ a regibus Iſrael & Syriæ: quorum regnorum, & præſertim regni Iſrael ad Deum redire nolentis, graviſſimas cædes inteſtinaque diſſidia prædicit.

1. PRimo tempore alleviata eſt Terra Zabulon, & Terra Ne-
phthali: & noviſſimo aggravata eſt via maris trans Ior-
danem * Galilææ Gentium. 2. Populus, qui ambulabat
in tenebris, vidit lucem magnam: habitantibus in regio-
ne umbræ mortis, lux orta eſt eis. 3. * Multiplicaſti
gentem, non magnificaſti lætitiam. Lætabuntur coram te,
ſicut qui lætantur in meſſe, ſicut exultant victores capta
præda, quando dividunt ſpolia. 4. Iugum enim oneris eius, & virgam humeri
eius, & ſceptrum exactoris eius ſuperaſti, *a* ſicut in die Madian. 5. Quia omnis
violenta prædatio cum tumultu, & veſtimentum miſtum ſanguine, erit in com-
buſtionem, & cibus ignis. 6. PARVULUS enim NATUS eſt nobis, & filius datus
eſt nobis, & factus eſt principatus ſuper humerum eius: & vocabitur nomen eius
Admirabilis, conſiliarius, Deus, fortis, pater futuri ſæculi, princeps pacis. 7.
Multiplicabitur eius imperium, & pacis non erit finis: ſuper ſolium David,
& ſuper regnum eius ſedebit: ut confirmet illud, & corroboret in iudicio &
iuſtitia, amodo & uſque in ſempiternum: zelus Domini exercituum faciet
hoc. 8. Verbum miſit Dominus in Iacob, & cecidit in Iſrael. 9. Et ſciet omnis
populus Ephraim, & habitantes Samariam, in ſuperbia & magnitudine cordis
dicentes: 10. Lateres ceciderunt, ſed quadris lapidibus ædificabimus: ſycomo-
ros ſucciderunt, ſed cedros immutabimus. 11. Et elevabit Dominus hoſtes
Raſin ſuper eum, & inimicos eius in tumultum vertet: 12. Syriam ab O-
riente, & Philiſthiim ab Occidente: & devorabunt Iſrael toto ore. In omni-
bus his non eſt averſus furor eius, ſed adhuc manus eius extenta: 13. & po-
pulus non eſt reverſus ad percutientem ſe, & Dominum exercituum non in-
quiſierunt. 14. Et diſperdet Dominus ab Iſrael caput & caudam, * incur-
vantem & refrænantem, die una. 15. Longævus & honorabilis, ipſe eſt caput:
& propheta docens mendacium, ipſe eſt cauda. 16. Et erunt, qui beatificant
populum iſtum, ſeducentes: & qui beatificantur, præcipitati. 17. Propter hoc
ſuper adoleſcentulis eius non lætabitur Dominus: & pupillorum eius, & vi-
duarum non miſerebitur: quia omnis hypocrita eſt & nequam, & univer-
ſum os locutum eſt ſtultitiam. In omnibus his non eſt averſus furor eius, ſed
adhuc manus eius extenta. 18. Succenſa eſt enim quaſi ignis impietas, veprem
& ſpinam vorabit: & ſuccendetur in denſitate ſaltus, & convolvetur ſuperbia
fumi. 19. In ira Domini exercituum conturbata eſt terra, & erit populus
quaſi eſca ignis: vir fratri ſuo non parcet. 20. Et declinabit ad dexteram, &

eſuriet: & comedet ad ſiniſtram, & non ſaturabitur: unuſquiſque carnem bra-
chii ſui vorabit; Manaſſes Ephraim, & Ephraim Manaſſen, ſimul ipſi contra
Iudam. 21. In omnibus his non eſt averſus furor eius, ſed adhuc manus eius
extenta.

(a) Iud. vii. 22.

B R U G E N S I S

Romanae Correctiones.

Verſ. 1. *Galilææ gentium. Populus qui ambulabat.* Non connectas vocem *gentium* periodo ſubſequenti, hoc modo: *Gentium populus.*

Verſ. 3. *Multiplicaſti gentem, non magnificaſti lætitiam.* Non interponas coniunctionem *&*.

Verſ. 14. *Incurvantem, & refrænantem.* Pro *refrænantem* multi legunt *depravantem*, ex Commentario haud dubium D. Hieronymi in capita Iſaiæ IX. & XIX. præferente *depravantem.*

Notatio.

Verſ. 14. INcurvantem *&* (*&* o.) *refrænantem.* Non pauci codices *depravantem* legunt, pro *refrænantem*, quibus D. Hieronymi commentarius adſtipulatur: ceterum vetuſtiſſimi atque emendatiſſimi quique *refrænantem* habent, nec noſtri tantum; verum & Pariſienſium, atque Epanorthotæ. Duo E. & Pl. m. utrumque connectunt: *Incurvantem &* (*non curvantem* Pl. m.) *depravantem & refrænantem.* Notat Epanorthotes quoſdam pro *refrænantem*, *depravantem* poſuiſſe propter Hieronymi retractationem; ſicut infra XIX. capitis verſu 17. in *pavorem* pro in *feſtivitatem*. Hieronymus hoc caput enarrans non meminit huius *refrænantem:* ſolummodo legit atque exponit *depravantem*. Ceterum in XIX. ſcribens caput, Lib. V. Commentariorum ubi idipſum legitur decimo quinto verſu, annotat hunc in modum: „ In eo quoque quod „ nos tranſtulimus *Incurvantem & refrænantem*, poſſumus dicere *incurvum*, & „ *laſcivientem*; ut intelligamus ſenem & „ puerum. Nos autem verbum Hebraicum „ אַגְמוֹן, dum celeriter quæ ſcripta ſunt „ vertimus ambiguitate decepti, *refrænantem* (*referentem* o.) diximus, quod ſigni„ ficantius Aquila tranſtulit ςρεβλόντα, id„ eſt qui nihil recte agit, ſed omne per„ verſum, ut puerum ſignificaret. “ Videtur igitur in commentariis IX. capitis, quod ibi ſimiliter verterat, *refrænantem* latenter correxiſſe, aut mutaviſſe in *depravantem*. Verumtamen quod diximus optimi quique libri *refrænantem* ſervarunt, ac XIX. capite non optimi tantum, ſed etiam plerique omnes; nullum ibi nos invenimus librum, qui legat aliter; tantum ab Epanorthote notatum: „ Propter quod quidam „ ponunt ibi *incurvantem & depravantem*;“ ſimiliter & ſupra IX. Eodem XIX. capite, quod reddiderat Hieronymus in *feſtivitatem*, correxit dum commentaria ſcriberet in *pavorem*, & multi quidem codices ita legunt, ſed antiquiores & caſtigatiores in *feſtivitatem* retinuerunt. Poſtea igitur dum in Hieronymi commentariis lecta hæc atque obſervata fuere, facta mutatio eſt, *refrænantem* in *depravantem*, *feſtivitatem* in *pavorem:* quam ſi ſequi voluerimus, quæ a ſe verſa editionis noſtræ auctor caſtiganda duxit immutabimus. כִּפָּה וְאַגְמוֹן, quod eſt Hebraice pro *incurvantem & depravantem*, plerique hodie quoad verba ipſa reddunt, *ramum & iuncum*. Chaldæus interpretatus eſt שִׁלְטוֹן וְאִטְרוֹן *dominatorem & principem*; 70. nono quidem capite μέγαν καὶ μικρὸν *magnum & parvum*; XIX. vero ἀρχὴν καὶ τέλος, *principium & finem*; quos poſteriori loco Symmachus eſt ſecutus, teſte Hieronymo in VII. commentariorum Libro, „ Pro principio, ait, & fine, quod Sym„ machus & LXX. tranſtulerunt (ἀρχὴν καὶ τέλος) “ Theodotio more ſuo ipſa verba Hebraica poſuit כִּפָּה וְאַגְמוֹן, quod Aquila interpretatus eſt *incurvum atque perverſum.*

COM-

Digitized by Google

COMMENTARIA

MALDONATI.

Verſ. 2. POPULUS QUI AMBULABAT IN TENEBRIS; id eſt, Galilæa inferior, ubi primum Chriſtus prædicavit, quæ verſabatur in tenebris ignorantiæ & errorum. VIDIT LUCEM MAGNAM, id eſt Chriſtum, qui *eſt lux vera quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*: Ioan. 1. 9. HABITANTIBUS IN REGIONE UMBRAE MORTIS; id eſt in Galilæa ſuperiore, ubi erat umbra mortis, id eſt morti ſimilis, quæ ſempiternæ nocti comparatur; ubi nulla ſpes luminis eſſe videbatur, ſicut nec mortuis, ibi lux orta eſt. Redundat relativum more Hebræorum. In hanc ſententiam accommodat Matth. cap. IV. 15.

V. 3. MULTIPLICASTI GENTEM, ET NON MAGNIFICASTI LAETITIAM. Hebræi non legunt לא, *non*, ſed לי, *ci*: atque ita legerunt Septuag. non enim reddunt negationem; ſenſuſque videtur eſſe facilior, ſive hiſtorice referatur ad liberationem populi a ſervitute Babylonica, poſtquam iterum multitudo Iudæorum aucta eſt; ſive myſtice ad prædicationem Chriſti, & gentium ad Evangelium converſionem. Senſus enim erit, lætitiam pariter cum numero Chriſtianorum creviſſe. Quantæ enim lætitiæ fuit, videre una Apoſtolorum oratione quinque hominum millia ad Chriſtum aggregari! Act. IV. 4. Si cum negatione legamus, & hiſtorice interpretemur, ſenſus erit, magnam multitudinem hoſtium contra Iudæos veniſſe ſub Sennacherib, ſed male illis ſucceſſiſſe: ſi autem myſtice, multos hoſtes Chriſtum & eius Eccleſiam perſecuturos, nihil vero profecturos eſſe. Priorem lectionem ac ſenſum confirmant verba, quæ ſequuntur: LAETABUNTUR CORAM TE, id eſt tua præſentia, adventu Chriſti, aut tuo auxilio, SICUT QUI LAETANTUR IN MESSE. Agricolæ cum uberes metunt ſegetes, maxime lætantur, & victores cum ſpolia diripiunt.

V. 4. IUGUM ENIM ONERIS EIUS. Diverſis metaphoris declaratur hoc loco ſervitus & oppreſſio, a qua populus Dei, eius beneficio liberatus eſt. Primum vocatur *Iugum oneris eius*, id eſt quo (populus) onerabatur. Omnes enim hi genitivi paſſive accipiendi ſunt. Deinde, VIRGAM HUMERI EIUS, id eſt qua eius humeri verberabantur, aut imperium quo eius humeri premebantur: ET SCEPTRUM EXACTORIS EIUS, id eſt regnum, ſub quo immenſis exactionibus expilabatur. SUPERASTI. Hebr. החתית, *contriviſti*, SICUT IN DIE MADIAN; id eſt, ſicut cum per Gedeon populum a ſervitute Madianitarum liberaſti, Iud. VII. hoc eſt, mirabiliter, & ſola potentia tua, non viribus humanis. Hiſtorice referri poteſt ad liberationem a captivitate Babylonica; myſtice vero ad liberationem a diabolo per Chriſtum.

V. 5. QUIA OMNIS VIOLENTA PRAEDATIO CUM TUMULTU. H. כי כל־סאן סאן. R. Ioſeph Kimhi interpretatur, ſicut & Chald. *Omnis calceus calceantis*: quod valde mihi probatur, quia ſtatim ſequitur, ET VESTIMENTUM MIXTUM SANGUINE. Quorum verborum prætermiſſis variis aliorum interpretationibus, ſenſum eſſe puto, Omnia ſpolia, quæ hoſtes non ſine magno periculo & ſanguine ceperant, momento temporis perdent, igne enim conſumentur; ac ſi dicat, Chriſtum captivam ducturum captivitatem, donaque hominibus daturum: Pſal. LXVII. 19. & Epheſ. IV. 8. Hic enim ſenſus valde cum ſequentibus cohæret.

V. 6. PARVULUS ENIM NATUS EST NOAIS. Heb. ילד, *Puer natus eſt nobis*, præt. pro fut. naſcetur nobis, id eſt Chriſtus, qui hæc omnia faciet. ET FILIUS DATUS EST NOBIS. Nomen pueri & filii hoc loco hanc vim habet, Ex noſtro genere naſcetur, quemadmodum ſi prædiceret datum ſibi eſſe filium, id eſt a ſe genitum. ET FACTUS EST: ותהי, & *erit* PRINCIPATUS, id eſt regnum, SUPER HUMERUM EIUS: id eſt, regnabit ſolus ſemper, quia ſceptro regnum ſignificatur: ſceptrum autem ſuper humerum geſtatur, ipſum quoque regnum ſuper humerum geſtari dicitur. Simulque notatur firmitas regni eius; quaſi dicat: Ipſe

Digitized by Google

ſuſtentabit conſervabitque regnum David ſuppoſito humero, quod multi ante reges conſervare non potuerunt. ET VOCABITUR: יקרא *vocabit*: forte legendum erat aliis punctis יקרא, *vocabitur*, ſicut Septuag. & Chald. verterunt: aut, ſi active legatur, accipienda eſt tertia perſona activa pro tertia imperſonali paſſiva. ADMIRABILIS, id eſt effector miraculorum. CONSILIARIUS, id eſt cognitor conſiliorum Dei. DEUS, FORTIS. Hebræi iuncte legunt, אל גבור *Deus fortis*, id eſt omnipotens. PATER FUTURI SAECULI. Heb. אבי־עד, *pater ſæculi*, id eſt auctor mundi, *per quem fecit & ſæcula*: Heb. I. 2. PRINCEPS PACIS, id eſt pacificus, quia *Chriſtus eſt pax noſtra, qui fecit utraque unum*: Epheſ. II. 14. *Et evangelizavit pacem iis qui longe, & iis qui prope*: Epheſ. II. 17. Cum autem dicit ita Chriſtum vocandum, non ſignificat his nominibus appellandum eſſe; ſed talem eſſe futurum: vocari enim apud Hebræos, eſt eſſe: ut ſup. cap. VII. 14. Iudæi hunc locum ita pervertunt, *Admirabilis, conſiliarius, Deus fortis*, &c. *Vocabit nomen eius, Princeps pacis*: ſed facillime refelluntur, quia cum Propheta noſit docere qualis Deus ſit, ſed qualis puer ille qui naſcetur, futurus; non poteſt hæc multitudo epithetorum ad Deum referri, ſed ad Chriſtum.

V. 7. MULTIPLICABITUR. H. למרבה המשרה ולשלום, *Multitudini principatus, & paci non erit finis*; id eſt, in perpetuum augebitur eius regnum, quod eſt Eccleſia Catholica. SUPER SOLIUM DAVID. Heb. non eſt SEDEBIT, ſed iunguntur hæc verba cum præcedentibus ſic, *Non erit finis pacis ſuper ſolium David*, &c. ZELUS DOMINI EXERCITUUM FACIET HOC; id eſt, quod ego futurum prædico, id Deus perficiet pro ſuo erga nos ſtudio.

V. 8. VERBUM MISIT DOMINUS; id eſt, prophetiam futurorum malorum contra decem tribus per me declaravit. ET CECIDIT IN ISRAEL; id eſt, ita eveniet ut ego prædixi: præt. pro fut. Iſrael & Iacob pro eodem accipiuntur, nempe pro decem tribubus, ſed eſt repetitio Hebræis uſitata. Eſt autem hæc alia prophetia.

V. 9. ET SCIENT POPULUS EPHRAIM, ET HABITANTES SAMARIAM. Iſraelitæ decem tribus: Synecdoche, ex parte totum: Ephraim enim & Samariæ habitatores ad decem tribus pertinebant. *Scient*; id eſt, cum id audiverint, ſuperbe & arroganter reſpondebunt quod ſequitur: vel, *ſciet*; id eſt, experietur re ipſa verum eſſe quod prædico; ſed erunt adeo ſuperbi, ut non corrigantur, ſed potius dicant quod ſequitur:

V. 10. LATERES CECIDERUNT, id eſt muri lateritii, qui in minore erant pretio; ſed REAEDIFICABIMUS ILLOS QUADRIS LAPIDIBUS. SYCOMOROS SUCCIDERUNT. Hebr. שקמים גדעו, *Sycomori exciſæ ſunt*. וארזים נחליף, *Cedris reparabimus ædificia*, aut, cedros reponemus pro ſycomoris. Summa eſt: Si Deus nobis aliquod malum invexerit, nos cumulate reſarciemus, omniaque efficiemus meliora, quam erant ante. Summa ſuperbia Deo caſtiganti non cedere.

V. 11. ET ELEVABIT DOMINUS, (id eſt excitabit) HOSTES RASIN, id eſt Aſſyrios, qui bellum gerebant cum Raſin Rege Syriæ, IV. Reg. XVI. *contra* EUM, non contra Raſin, ut multos interpretari video; ſed contra Ephraim & Iſrael; quaſi dicat: Propter ſuperbiam Ephraim, efficiet Dominus, ut hoſtes Raſin eo debellato, in Ephraim convertantur: quod factum eſt cum Hoſee rex Iſrael a Salmanaſar rege Aſſyriorum victus & captus eſt, IV. Reg. cap. XVII. ET INIMICOS EIUS (Ephraim) IN TUMULTUM VERTET. Hebr. יסכסך, *permiſcebit*; id eſt, coniunget inter ſe omnes hoſtes Ephraim & Iſrael, ut illi bellum inferant.

V. 12. SYRIAM AB ORIENTE. Hebr. מקדם, *a fronte*, aut ab anteriore parte. ET PHILISTHIIM AB OCCIDENTE. Heb. מאחור, *a tergo*. Exponit quod dixerat hoſtes coniunctis viribus contra Iſrael venturos eſſe, nempe Aſſyrios (ארם enim & Syrios & Aſſyrios comprehendit) & Philiſthæos. ET DEVORABUNT ISRAEL TOTO ORE, id eſt facile, aut omnino; quod enim toto ore ſumimus, facile omninoque devoramus. IN OMNIBUS HIS NON EST AVERSUS FUROR EIUS (Dei) id eſt, nondum placabitur hac Iſraelis punitione; SED ADHUC MANUS EIUS EXTENTA; id eſt, adhuc maiora illi ſupplicia intentabit. Manus extenta impendens

dens

Digitized by Google

dens malum ſignificat, ſumpta metaphora a flagellante, qui ut ſortius verberet, manum extendit.

V. 14. Et disperdet. ויכרת, *& abſcindet*, amputabit Dominus ab Israel caput et caudam, id eſt ſummos & infimos homines; quaſi dicat: Omnes, maximos & minimos. Incurvantem et depravantem. Heb. כפה ואגמון, *ramum & iuncum*, *ramum & arundinem*; aut, quod maxime conveniret, ſi exemplo dici poſſet, ramum & truncum, id eſt debiles pariter ac fortes. Septuag. non verba, ſed ſenſum reddidere, *μέγαν καὶ μικρόν*. In una die, id eſt ſimul.

V. 15. Longaevus: ſenex. Explicat metaphoram priorem: poſteriorem autem non explicat, quia idem ſignificat. Si vertamus, *ramum & iuncum*, ramus idem ſignificabit quod caput, quia in ſumma eſt arbore, & veluti eius coma: iuncus autem idem quod cauda, quia humilis eſt. Si vero legamus, *ramum & truncum*, truncus idem quod caput, propter fortitudinem; ramus idem quod cauda propter fragilitatem ſignificabit.

V. 16. Erunt qui beatificant populum istum seducentes. Non eſt ſenſus, erunt ſeducentes, ſed erunt præcipitati, aut, ut Heb. eſt, מבלעים, *devorati*, id eſt, omnes ſimul diſperdentur, & qui populum ſeducunt dicentes eum eſſe beatum, & qui ab eis ſeducuntur. Alii interpretantur: *Et erunt*, מאשרי העם, *rectores populi qui ſeducunt illum*: ומאשריו, *& qui ab eo reguntur*, *devorati*. Hebraice elegans rythmus eſt, & paranomaſia.

V. 17. Propter hoc super adolescentulis eius non laetabitur Dominus, id eſt non placabitur. Et pupillorum eius, &c. id eſt, tanta erit ira Domini, ut ne eorum quidem, qui maxime ſunt miſerabiles, miſereatur, quales ſunt pueri, pupilli, viduæ. Quia omnis; id eſt, quiſque eorum ſimulator eſt & fraudulentus, ומרע, *& maleficus*. Et universum os; id eſt, omnis homo, quicumque inter eos os habet, quicumque loqui ſcit, loquitur ſtultitiam, id eſt impietatem & blaſphemiam contra Deum; quaſi dicat, Ab infantia impie contra Deum loquuntur. Quod multo fortaſſe verius de noſtris hominibus, quam de illis dici poteſt, qui pene blaſphemando loqui diſcunt.

V. 18. Succensa est enim, id eſt, ipſa per ſe huius populi impietas accenſa eſt ſicut ignis; hoc eſt, ipſa ſeſe puniet, ipſa ſeſe conſumet, ac vorabit; quemadmodum ſtuppa quæ ſponte ſua aliquando ignem concipit. Aut, *ſuccendetur*, præt. pro fut. Senſus eſt, impietatem populi veluti materiam eſſe iræ Dei, quæ facillime accendatur, ſicut ſup. cap. v. 24. Veprem et spinam vorabit; id eſt, ſemel incenſa non extinguetur, donec omnia peccata expiata fuerint & conſumpta: per veprem & ſpinam omnem vitioſitatem ſignificat, & agreſtem feritatem morum. Elegans metaphora, nam ut vepres & ſpinæ, quæ quaſi vitia terræ ſunt, facillime ardent, ita peccata aptiſſima materia ſunt, ut accenſa ira Dei penitus conſumantur. Et succendetur (impietas) in densitate saltus. Heb. בסבכי היער, *in perplexitatibus ſilvæ*: perſeverat in metaphora, id eſt in copioſiſſima vitiorum inter ſe connexorum materia. Silvam vocat vitiorum copiam; perplexitates vero, vitiorum inter ſe connexiones: alia enim ex aliis naſcuntur. Poteſt hoc loco ב accipi pro כ ſicut ſæpe alias: eritque ſenſus, Succendetur impietas ſicut ignis in perplexitatibus ſilvæ. Et convolvetur. Heb. ויתאבכו, *& tollent ſe ſe* גאות עשן *ſuperbiæ fumi*; id eſt, cum ſuperbi punientur, quaſi fumos iactabunt: aptiſſime comparat cetera vitia vepribus & ſpinis facile ardentibus; ſuperbiam vero ligno viridi, quod cum accenditur, fumum tollit.

V. 19. In ira. Heb. *propter iram conturbata*, נעתם, *obſcurata eſt terra*. Vir fratri suo non parcet, id eſt, alii alios perdent.

V. 20. Et declinabit. Heb. ויגזר, *& exſcindet*, aut *rapiet ad dexteram*; id eſt, unuſquiſque omni ex parte rapiet ut edat, & tamen ſaturari non poterit. Unusquisque carnem brachii sui vorabit, id eſt, frater fratrem ſpoliabit, ut comedat: pulchra metaphora, brachium vocat fratrem, ut ſtatim declarat: Manasses Ephraim, et Ephraim Manassen.

S A.

Verſ. 1. PRimo tempore, id eſt primum, ſcilicet initio prædicationis Chriſti. Alleviata; id eſt liberata peccatis. Noviſſimo, id eſt poſtea. Aggravata, ſcilicet peccatis, non recepto Chriſto; quaſi dicat: Iudæorum alii credent, alii in infidelitate manebunt. Quidam tamen aggravatam intelligunt gravidam fide & operibus bonis, ut ſit repetitio præcedentis. Maris, id eſt qua itur ad mare Mediterraneum. Trans, ſcilicet reſpectu Orientalium. Gentium, ſcilicet erat vicina Tyriis & Sidoniis, & ſuperior dicebatur; nam inferior prope lacum Geneſaret.

V. 2. Umbrae mortis. id eſt tenebroſa; quaſi dicat, Cæca erroribus. LXX. *& umbra mortis.*

V. 3. Multiplicaſti, ſcilicet o Chriſte. Non. Chald. *ei*; ſcilicet לא pro לו & quidem LXX. *plurimam partem populi deduxiſti in lætitia, ſeu reduxiſti cum lætitia.* Laetitiam, ſcilicet quia mulri a fide deficient. Id, ſi legas, *non multiplicaſti.*

V. 4. Iugum, ſcilicet excuſſiſti, quo premebatur. Oneris, ſcilicet peccatorum, vel legis. Virgam, id eſt dominium, ſeu tyrannidem, qua premebatur, ſcilicet diaboli. Humeri. LXX. *quæ ſuper collum.* Sceptrum. Repetitio. Exactoris, id eſt tyrrannice imperantis. Superaſti. Heb. *confregiſti.* Chald. *contriviſti.* LXX. *diſſipaſti.* Sicut, ſcilicet olim factum. Madian, id eſt quo ſuperatus Madian. Vide Iudic. VII.

V. 5. Praedatio, ſcilicet bello capti hoſtes, vel qui per vim alios opprimunt. Sanguine, ſcilicet interfectorum; quaſi dicat, Qui inique occidunt. Combuſtionem; quaſi dicat: Punientur Dei hoſtes igni ſempiterno.

V. 6. Parvulus, &c. quaſi dicat, Hinc victoria & lætiria, de quibus ſupra. Filius, ſcilicet Dei & Virginis. Principatus, &c. Quidam Eccleſiam intelligunt, quæ ab illo ſuſtinetur: ſic Acacius in Concil. Epheſ. at Tertull. III. cont. Marcion. *Inſigne*, inquit, *poteſtatis ſuæ crucem humeris prætulit; non ut alii Reges capite diadema, aut manu ſceptrum.* Vocabitur. Hebr. *vocabit*, pro *vocabitur.* Admirabilis, consiliarius. LXX. *magni conſilii Angelus.* Not. hic Hieron. dicere, ſolum pro his omnibus Chriſti epithetis apud LXX. eſſe, *magni conſilii Angelus*; cetera deeſſe, & tamen & illa apud LXX. nunc ſunt, & erant olim: vide Euſeb. Lib. VII. Demonſtrat; & Chryſoſt. Lib. de Chriſti Deitate. Pater futuri saeculi. Heb. *Pater ſæculi*, ſeu *æternitatis.* Chald. *vir permanens in æternum: Chriſtus.* Princeps pacis. LXX. addunt: *Adducam enim pacem & ſanitatem eius ſuper Principes.*

V. 7. Multiplicabitur. LXX. *magnum erit.* Solium David, id eſt Eccleſiam per id figuratam. Confirmet. LXX. *dirigat.* Iudicio et iustitia, id eſt iuſto iudicio, ſeu perfecta iuſtitia. Zelus, id eſt amor iuſti, vel hominum.

V. 8. Verbum. LXX. *mortem.* Cecidit; quaſi dicat, Atque accidit, ſicut Dominus dixerat eventurum. Chald. *auditum eſt.* Israel. Repetitio. Idem enim Iacob & Iſrael: ſignificatur vero populus Iſraeliticus, quem Deus per Iſaiam prædixit vaſtandum ab Aſſyriis.

V. 9. Sciet, ſcilicet Deum eſſe veracem.

V. 10. Succiderunt, ſcilicet hoſtes. Immutabimus, id eſt eorum loco ſufficiemus.

V. 11. Rasin; pro, nempe Raſin. Eum, ſcilicet populum Iſrael.

V. 12. Toto, ſcilicet aperto; quaſi dicat, Avidiſſime. Extenta, ſcilicet ad percutiendum.

V. 13. Percutientem, ſcilicet Deum.

V. 14. Caput et caudam: vide inf. Incurvantem, &c. id eſt deprimentem, ſcilicet proximos. LXX. *magnum & parvum.*

V. 17. Laetabitur, ſcilicet favens. Hypocrita est et nequam. LXX. *iniquus & pravus.* Stultitiam. Chald. *mendacium.* LXX. *iniuſta.* Eius, ſcilicet Dei.

V. 18. Succensa est. LXX. *ſuccendetur.* Ignis; pro igni; vel quaſi dicat, Ardebit ut flamma. Veprem; pro, velut veprem; vel quaſi dicat, Impios, qui

ſunt

ſunt ut vepres & ſpinæ. VORABIT, ſcilicet ignis calamitatis, vel inferni. IN DENSITATE; pro, velut in denſitate; quaſi dicat, More denſi ſaltus igni correpti. CONVOLVETUR, &c. quaſi dicat, Tandemque evaneſcet, ut ſolet fumus elevatus.

V. 19. CONTURBATA EST; pro, conturbabitur.

V. 20. DECLINABIT, ſcilicet quærens eſcam. AD DEXTERAM, &c. lege ſic, ad dexteram, & ſiniſtram (quaſi dicat, huc illuc) & eſuriet, & comedet, &c. CARNEM BRACHII SUI. Chald. *ſubſtantiam proximi ſui*. MANASSES. LXX. *comedet Manaſſes*.

ESTII.

Verſ. 3. MULTIPLICASTI GENTEM, ET NON MAGNIFICASTI LAETITIAM. LAETABUNTUR CORAM TE SICUT QUI LAETANTUR IN MESSE, &c. Hoc ſecundum Thomam ad litteram intelligeretur de exercitu Sennacherib, ut ſit apoſtrophe Prophetæ ad Deum; quaſi dicat: Permiſiſti quidem ut Sennacherib cum innumera multitudine hominum ingrederetur terram Iuda, ſed non ei dediſti ut victoriam conſequeretur. Itaque Iudæi ab obſidione tot hoſtium liberati, *lætabuntur coram te*, *ſicut qui lætantur in meſſe*, *ſicut exultant victores capta præda*, *quando dividunt ſpolia*. Sed plenius Hieron. referens hæc omnia ad Chriſtum, & populum chriſtianum, ut ſit apoſtrophe ad Chriſtum, hoc ſenſu: Factum eſt tua, & Apoſtolorum prædicatione, ut magna gentium multitudo coniungeret ſe fidei Abrahæ, ſed non ex eo lætificaſti populum Iudæorum, cui eras peculiariter promiſſus; eo quod populus ille invidens ſalutem gentibus, magnam ex gentilium æde ſumpſerit triſtitiam. Hic ſenſus ſive litteralis ſit, ſive tantum myſticus, certior eſt; quia verba illa præcedentia: *Populus qui habitabat in tenebris*, *vidit lucem magnam*, haud dubie pertinent ad Chriſti prædicationem, teſtante Matthæo cap. IV. ſui Evangelii.

V. 6. ET VOCABITUR NOMEN EIUS, ADMIRABILIS, CONSILIARIUS, DEUS, FORTIS, PATER FUTURI SAECULI, PRINCEPS PACIS. Hæc omnia nomina ſunt pueri; de quo præcedit: PARVULUS ENIM NATUS EST NOBIS, ET FILIUS DATUS EST NOBIS, id eſt Chriſti. Sunt autem nomina ſex, & ſingula ſeorſim intelligenda: ſcilicet, *Admirabilis*, propter unionem duarum naturarum in una hypoſtaſi ſeu perſona; aut etiam, quia admirabilia opera in terra facturus eſt, iuxta illud in Evangelio: *Vidimus mirabilia hodie*. Secundo, *Conſiliarius*, quia executor admirabilis conſilii divini de homine perdito ad ſalutem revocando. *Deus*, propter naturam divinam. *Fortis*, quia moriendo diabolum vicit. *Pater futuri ſæculi*, Heb. *Pater uſque*, id eſt pater æternus, ſeu pater ſæculi, & æternitatis. *Princeps pacis*, id eſt auctor pacis, de qua Chriſtus dicit Ioan. XIV. *Pacem meam do vobis*, *pacem meam relinquo vobis*. *Non quomodo mundus dat*, *ego do vobis*. Scilicet pacificat Deum homini, & hominem Deo, immo & hominem ſibiipſi, tollens paulatim pugnam, quæ homini eſt ex peccato inter carnem & ſpiritum.

MARIANAE.

Verſ. 1. PRIMO TEMPORE. Hebraice inchoat hoc Caput ab his verbis: *Et non poterit avolare de anguſtia ſua*; quæ aliis ſunt ultima ſuperioris capitis, & ſic Hebr. habent & explicantur. *Quia* (pro, ſane) *non obtenebratus is qui coarctatus ei*, vel *in ea*, id eſt non diuturna erit afflictio & tenebræ, quas modo patitur. Quin potius, *Primo tempore* (Heb. *ſecundum tempus primum*; ſed *Caph* Heb. Codices habent, ubi Hieron. habuit *Beth*) ALLEVIATA EST, id eſt melius habebit. TERRA ZABULON. Hæc tribus erat ad lacum Geneſareth, ubi Capharnaum, Tiberias, Bethſaida, Corozaim, denique Galilæa inferior. ET TERRA NEPHTHALI. Hæc tribus ad Septemtrionem ulterius ſita, ubi Galilæa ſuperior, quæ & Galilæa Gentium dicitur, quod ad fines Tyri & Sidonis pertingeret. ET NOVISSIMO AGGRAVATA EST; pro, & quæ noviſſimo aggravata eſt, ſcilicet belli malis & captivitatis, nempe remotior regio. VIA MARIS Mediterranei; eo enim alluitur. TRANS IORDANEM: nimirum ad Occaſum, Iordanis & Orientis comparatione. Hæc ergo Galilæa,

quæ

quæ ſere eadem tribus Nephthalim, melius brevi habebit. Quod duobus temporibus contigit, & ſub Ezechia, cum miſit qui monerent ut ad patrias leges redirent, & non pauci ſe Ieroſolymam contulere (Ioſephus Lib. IX cap. XIII.) Deinde & præcipue Chriſti tempore, qui in iis locis diu eſt verſatus, & inde Apoſtolos ſibi adiunxit: quare Matth. IV. 15. hæc verba & locus ad id tempus referuntur.

V. 2. QUI AMBULABAT: *ſedebat*, in Matth. HABITANTIBUS: *ſedentibus*, item in Matth. IN REGIONE UMBRAE MORTIS, id eſt in magnis anguſtiis, quæ inſtar & imago mortis erant. LUX ORTA EST EIS. Lux Evangelii, lux etiam liberationis a belli malis.

V. 3. MULTIPLICASTI GENTEM, NON MAGNIFICASTI. Quidam Codices Hebraici affirmative legunt, *ei magnificaſti lætitiam*: *ei*, ſcilicet genti: ſic Chald. affirmative legit. In libro etiam Maſſoreth notatur ea lectio. Sententia quoque planior ſic redditur, ſed & noſtra lectio ſic explicatur: *multiplicaſti* olim, ſcilicet gentem, & non lætitiam ante adventum huius lucis. Nunc autem LAETABUNTUR. Lætitia ea ſimilis erit meſſorum lætitiæ, cum opimas fruges demetunt; aut victorum, quando ſpolia dividunt.

V. 4. IUGUM ENIM. Hæc eſt lætitiæ materia, quod tyranni imperium abſtuleris, qui ſibi omnes ſubiecerat. VIRGAM HUMERI. Sceptrum ad humerum geritur. SCEPTRUM EXACTORIS, id eſt tributa imperantis & exigentis, quod tyranni ſine fine faciunt, tu ſuperaſti & abſtuliſti SICUT IN DIE MADIAN, id eſt penitus & facile, ut Gedeon fractis lagenis Madianitas vicit: Iudic. VII. 16. præterea ſine ſanguine victoria fuit.

V. 5. QUIA OMNIS VIOLENTA PRAEDATIO. Hebr. *quia omnis pugna pugnantis cum ſtrepitu*. Ideo volo victoriam ſine ſanguine, quia cum ad manus venitur, tumultu plena ſunt omnia & terrore ET VESTIMENTUM MISTUM SANGUINE. Heb. *& veſtis involuta ſanguine*, id eſt fœdata; quaſi dicat: Spolia etiam cæſorum veſtes inutiles ſunt, quippe pollutæ ſanguine, & quaſi inutiles comburuntur.

V. 6. PARVULUS ENIM. Reddit cauſam omnium quæ dixerat. Cur lux orta eſt populo? quare lætantur, ob excuſſum iugum tyranni? quare id placide & ſine ſanguine? QUIA filius Virginis natus eſt, cuius PRINCIPATUS SUPER HUMERUM, id eſt Rex erit, ſceptrum geret, quod humero incumbit. Niſi placet ad crucem referre cum Tertulliano III. contra Marcion. *Inſigne*, ait, *poteſtatis ſuæ crucem humeris tulit, non ut alii Reges capite diadema, aut manu ſceptrum*. VOCABITUR. Heb. *vocabit*: ſed Septuag. Chald. & Pagn. paſſive vertunt, *vocatur*, aut *vocabitur*, ſcilicet parvulus: ſane pro *iikra*, mutatis punctis, legerunt *iiKare*, pro *vocabit*, *vocabitur*. PATER FUTURI SAECULI: ſic Septuag. Heb. *pater æternitatis*. Chald. *vir permanens in æternum Chriſtus*. PRINCEPS PACIS. Ecce quare ſine ſanguine victor tyranni extitit. Hieronymus pro his ſex nominibus ait Septuag. poſuiſſe ſolum, *Et vocabitur nomen eius magni conſilii Angelus*. Verum, cum modo in Græcis Codicibus legantur alia nomina, efficitur, non Hieronymum eſſe falſum, ſed noſtros Græcos Codices non ex pura Septuag. verſione eſſe; quod alio loco eſt a nobis diſputatum.

V. 7. MULTIPLICABITUR EIUS IMPERIUM. Heb. *ad multiplicandum imperium*, pro, *multiplicabitur imperium*, ut Hieron. Ipſis terræ finibus deſcribetur. Pſal. II. 8. *Poſtula a me, & dabo tibi gentes*. ET PACIS NON ERIT FINIS. Ampliato imperio, & uno totius orbis capite, pax ſempiterna erit, ſicut & *regni finis non erit*: Pſal. CXLIV. 3. Luc. I. 33. ZELUS DOMINI, id eſt amor Dei erga homines. *Mem* in voce *multiplicabitur* למרבה *lemarbeh*, præter regulam clauſa, MARIAE Virginis nomen indicare ait Galatin. Lib. VII. cap. XIII.

V. 8. VERBUM MISIT DOMINUS, ſcilicet præcepit, ut hoc regnum David, quod obtinuit Chriſtus, eſſet in domo Iacob in tribu Iuda. Id voluit Deus. ET CECIDIT IN ISRAEL; ſed deinde factum eſt, ut decideret in Iſrael, quando decem tribus ſibi Regem conſtituerunt. Unde illis ſuperbiendi occaſio. Et Propheta ex hoc principio redit ad vaticinandum contra illos.

V. 9. ET SCIET, quod ſequitur verſ. II. nam oratio pendens eſt,

V. 10,

V. 10. LATERES CECIDERUNT; quaſi dicat: Si mœnia lateritia diruerunt hoſtes, nos pro eis fortiora ſubſtituemus. SED QUADRIS LAPIDIBUS, ſeu ſectis aut politis; ſic ædificia firmiora fiunt. SYCOMOROS, pænultima longa, ſed ex *ſyco*, id eſt *ficu*, & *moro* compoſita vox: & ſane utrique arbori ſycomori ſunt ſimiles. Quidam *ſycomorum* dictam putant, quaſi *ficum fatuam*, & pænultimam etiam producunt, propter ω in voce μῶρος, quod non ſequimur. Senſus eſt: ſi hoſtis ſuccidit viles arbores, pro iis cedros nobiliores arbores reponemus.

V. 11. HOSTES RASIN. *Raſin* in genitivo eſt. SUPER EUM, aut contra eum, ſcilicet *Raſin*; quaſi dicat: Vos confiditis in viribus Raſin, illum deprimet & occidet Aſſyrius: IV. Reg. xv. 9. IN TUMULTUM VERTET, id eſt faciet, ut Raſini hoſtes omnia impleant tumultu, ut fit in bello. Hebr. *& hoſtes eius* (ſcilicet Raſini) *commiſcebit Deus*; id eſt, faciet ut omnes ex omnibus partibus concurrant contra eum.

V. 12. SYRIAM AB ORIENTE. Heb. *Aram* qua voce Aſſyrios intelligo, nam Syria non eſt ad Orientem Iraelis, ſed Septemtrionem. Ii Raſin proſtrato Philiſthæis iuncti. DEVORABUNT ISRAEL TOTO ORE, id eſt pleno ore, avide.

V. 14. INCURVANTEM ET REFRAENANTEM diſperdet Deus. Heb. *ramum incurvum* (id eſt, כפה *chiphah*) *& iuncum*, id eſt fortes & debiles, nulli parcet. Pro *refrenantem*, Hieronymus in Commentariis legit *depravantem*, & utramque vocem *incurvantem* & *depravantem* iungit cum CAUDAM. Ergo perdet Dominus caudam, id eſt Prophetam incurvantem, id eſt mendacem: quod proximo verſu magis explicatur.

V. 16. BEATIFICANT adulatores, pſeudoprophetæ. SEDUCENTES. Sic Sept. & Chald. Hebr. *errare facientes*, ſed perinde eſt. PRAECIPITATI, abſorpti, id eſt perditi, in exitium cadent. Grave adulationis malum; ſæpius regna quam hoſtes evertit.

V. 17. NON LAETABITUR ſuper adoleſcentulis, id eſt non parcet eis, quod ætati debebatur: neque miſerebitur pupillorum & viduarum, omnes una clade involvet. STULTITIAM. Chald. *mendacium*. Septuag. *iniuſta locuti ſunt hypocritæ*, falſi prophetæ.

V. 18. SUCCENSA EST, pro *ſuccendetur*, Septuag. IMPIETAS, id eſt impii, quales Iſraælitæ ſunt. VEPREM ET SPINAM VORABIT. Ignis impios conſumet, ii ſunt vepres & ſpinæ. IN DENSITATE: quaſi cum ignis corripit denſos ramos ſilvæ. ET CONVOLVETUR SUPERBIA FUMI. Heb. *& elevabunt ſe altitudo fumi*, id eſt quaſi altitudo fumi; ſcilicet ex eo incendio fumus excitabitur; aut erit altitudo ſeu ſuperbia impiorum inſtar fumi, qui cito diſſipatur.

V. 19. IN IRA, id eſt propter iram Dei. CONTURBATA. Heb. *obſcurata*, exciſa eſt terra. VIR; pro, unuſquiſque fratri ſuo non parcet.

V. 20. ET DECLINABIT. Heb. *& rapiet*; quaſi dicat: Non ſolum in fratres & propinquos graſſabuntur, in eos ſævient; ſed poſtquam ad dextram & ſiniſtram undique prædas egerint, & non fuerint ſaturati, UNUSQUISQUE CARNEM BRACHII SUI, id eſt propinquos ſpoliabit. MANASSES EPHRAIM, ſcilicet ſpoliabit, qui fratres ſunt Ioſeph filii. Ii ipſi iuncti ſimul, ipſi inita ſocietate Iudæ tribum invadent, ſpoliabunt.

MALVENDAE.

Verſ. 1. ET NON POTERIT AVOLARE DE ANGUSTIA SUA: PRIMO TEMPORE ALLEVIATA EST, &c. Sic Hebræa iſta coniungunt, & unico verſu compingunt, a quo paſſim Hebræi caput novum exordiuntur: qui ſane primus verſus adeo obſcurus eſt, ut plane videri poſſit difficultatis inſuperabilis; nos tantum interpretationes iudicio noſtro veriſimiliores reponemus: I *Quia non erit ei obſcuratio ſecundum anguſtiam, quæ fuit ei tempore primo ab eo, qui alleviare fecit terram Zabulun, & terram Naphthali, & ultimo ab eo, qui aggravare fecit; via maris trans Iarden Ghelil gentium.* II. *Nec evaſit ille, cui hæc accidit anguſtia: nam ſicut prius ſuſtulit hoſtis terram Zabulun, & terram Naphthali; ita poſtea deterius aget, nempe ad viam maris, tranſitum Iordanis, & Galilæam gentium.* III. *Etenim non expediet ſeſe is, qui ſe in anguſtia huiuſmodi coniecit: quemadmodum ſuperiore*

tempore, dum leviter affligebat terram Zabulun, & terram Naphthali*, poſtea vero gravius afflixit: via maris ultra Iordanem in finibus gentium.* IV. *Quoniam non defatigatio ad hanc, quæ anguſtia ei,* vel *ad hanc anguſtiam, quæ ei eſt: iuxta tempus primum alleviavit ad terram Zebulun, & ad terram Nephthali, & poſtremo aggravabitur*, id eſt gravius veniet via maris, vel *per viam maris, ultra Iordanem in Galilææ gentium*, vel *regio, circumterritorium gentium.* Hebræi huius verſus ſenſum ita concipiunt: *Quia non obſcuratio ſecundum quod preſſura ei*; id eſt, non fuerunt tenebræ calamitatum & miſeriarum terræ Iſraelis ſicut anguſtia hæc: *nam ſecundum tempus primum alleviare fecit*, id eſt denigrare, alleviari terram habitatoribus Tiglaht-Phileſer, *terram Zebulun & terram Naphthali*: ut ſcribitur II. Reg. xv. 29. & I. Paralipom. v. 26. *& poſterius aggravare-fecit*; id eſt, graviorem & maiorem deportationem fecit Salmanaſer II. Reg. XVII. 6. reliqui totius Iſraelitici populi; quaſi dicat: Gravior erit iſta obſcuratio & afflictio Iudæorum, de qua loquor, quam cum a Tiglath Phileſere, aut a Salmanaſere afflicti ſunt. Tremellius, & Iunius ita hunc verſum reddunt: *Nam non erit obſcuratum, cui fuerit anguſtatum*, imperſonaliter: ſive *nam non obſcurabitur, quæ affecta fuerit anguſtia, ſicut tempus hoc prius levius affecit in terra Zebulunis & in terra Naphthali, & poſterius illud affecit gravius: via maris, ſecundum Iardenem, Galilææ gentium*, ſeu *populoſa*. Exponunt, *Nam*, &c. Tertia pars concionis, conſolatio, qua pii ex Iehuda & Iſraele confirmantur adverſus futuras calamitates. Sunt autem huius conſolationis (qua Propheta tranſit ætiologice rationem explicans, cur ligari conteſtationem & obſignari inter diſcipulos ſuos præceperit Iehova ſupra cap. VIII. 16.) univerſe argumenta tria: primum eſt ab inſtabilitate prædictarum afflictionum, ne forte defatiſcantur piorum animi, toto hoc capite, & verſibus quatuor primis ſequentis capitis: ſecundum eſt, a miſero caſu excidioque ipſorum hoſtium, qui populum Dei malis affecerint, ſequente capite inde a verſ. 5. tertium & ſummum eſt, a promiſſione regni Chriſti, in quo fons ineſt liberationum omnium, cap. XI. Quod autem ad primum hunc conſolationis locum obſervandum eſt, proponit in genere conſolationem totam duobus primis verſibus, non fore nimirum perpetuas illas oppreſſiones, quibus erat populus Dei caſtigandus: deinde confirmatur hic conſolationis locus a benevolentia Dei erga populum ſuum propter venturum Chriſtum, uſque ad verſ. 5. *Non obſcurabitur*, &c. id eſt, poſtquam multa incommoda fuerit perpeſſa terra promiſſa tota, non ſemper manebit in illis, ac veluti perpetuis tenebris obruetur, ſed liberabitur tandem Eccleſia per Chriſti adventum. *Sicut tempus prius*, nimirum quo mox Tiglath-Phileſer rex Aſſyriæ ab Achazo conductus Iiſraelitas erat invaſurus II. Reg. xv. 29. *Levius affecit*, quam ſequens tempus affecturum eſt: nam pars tantum Iiſraelis deportata, & terræ occupata eſt, ibidem. *In terra Zebulunis, & in terra Naphthali*, id eſt Iiſraelitas, per ſynecdochen: ſed horum potiſſimum fit mentio, quia ab his cœpit tum calamitas per Aſſyrios, tum liberatio per prædicationem Evangelii Chriſti, ſequente verſu: *& poſterius illud* tempus *affecit gravius*, quo Salmanaſer totum Iſraelem invaſurus erat, occupaturus, & deportaturus, II. Reg. XVII. 6. *Via maris ſecundum Iardenem*, &c. In ablativo accipiunt *via*; quaſi dicat, In via maris ſecundum Iardenem ubi eſt Galilæa. Sequitur definitio certiſſima liberationis per Chriſtum, quia Propheta exponit exortum ac veluti primam lucem Evangelii ibi cœpturam eſſe nominatim, ubi cœperat calamitas; & locum verbis apertiſſimis circumſcribit, prout accommodat Matthæus IV. 16. His enim verbis definitur inferior Galilæa, non autem ſuperior, ut plerique exiſtimant: quæ ſecundum Iardenem protenditur, ad mare Tiberiadis ſive lacum Genezareth adiacet, & feraciſſima regio eſt, teſte Moſcheh Deuteron. XXXIII. 23. ac proinde populoſiſſima. *Galilææ gentium*, ſeu *populoſa*. Quod plerique appellationem hanc tribuunt ſuperiori Galilææ, quia gentibus eſt contermina, habet quidem ſpeciem, ſed locutio exemplo caret: præterea a circumſtantiis abeſt, quæ modo poſitæ ſunt; ac poſtremo diſcedit ab interpretatione Matthæi. Nam has omnes circumſtantias nobis quidem conſtat, non

ad

ad ſuperiorem, ſed ad inferiorem Galilæam pertinere. Fefellit illos quidem nomen *gentium*: ſed nos amphiboliam interpretatione noſtra ſuſtulimus, dicendo *populoſa*. Hactenus Interpretatio Tremellii, & Iunii.

Forerius priorem partem verſus capiti ſuperiori annectit cum Noſtro: *Quoniam non facta avolare*, vel *non fiet avolare*, ſeu *ut avolet, quæ ei effuſa eſt*; id eſt, caligo, quæ ſuperfuſa eſt ei terræ, non fiet ut avolet, hoc eſt non effugabitur, non evaneſcet, ſed perdurabit, & perpetua erit. Ut indicet ſempiternam Iudæorum cæcitatem, & calamitatem, in qua hodieque perdurant. Verum non placet hic ſenſus, nam Heb. *caligo*, eſt ſemineum, & participia vel nomina cum quibus a Forerio conſtruitur, maſculina. Sequitur deinde, & caput per ſe nonum orditur: *In primo tempore vilis fuit terra Zebulun, & terra Naphthali, & noviſſimo honorata fuit via maris trans Iordanem Galilææ gentium*. Olim, inquit, Zabulonitæ & Naphthalinitæ, totuſque ille Galilææ tractus uſque ad Tyrum, viles fuerunt, non gloria rei militaris, non nobilitate ſanguinis, non ſcientia aut artibus ullis clari, omneſque Galilæi contemptibiles erant, unde illud: *Num tu Galilæus es? Scrutare & vide, quod a Galilæa propheta non ſurgit*: Ioann. VII. 52. & illud: *A Nazareth poteſt aliquid boni eſſe?* Ioann. I. 46. at noviſſimis temporibus regio illa illuſtrata fuit præſentia, habitatione, conſuetudine, doctrina, & miraculis Domini: præſertim via maris, id eſt qua verſus mare Galilææ & ultra Iordanem itur. Hunc ſenſum videtur probare interpretatio Matth. IV. 14. & 15. Verum nullo pacto congruit cum vaticiniis Iahakobi Geneſ. XLIX 13. & 21. & Moſis Deuteronom. XXXIII. 18. & 23. & laudatione Ioſephi III. Belli, cap. II. quibus locis mirifice virtus & præſtantia Galilæorum prædicatur, ſecus multo quam Forerius ſtatuit. In Evangeliis quidem non eorum vilitas, ſed infidelitas, & ſingulariter odium Chriſti, qui Galilæus exiſtimabatur, vituperatur. Sed expendamus verba.

ET NON POTERIT AVOLARE. Heb. *Quia non* מועף *mughaph*, quidam participium paſſivum ex Hiphil faciunt: *Quia non avolare factus*, vel *avolatus*. Alii: *Quia non obſcuratus, obtenebratus*: vel *defatigatus, delaſſatus*. Plerique nomen eſſe malunt: *Quia non obſcuritas, obteneb ratio, obſcuratio*, vel *defatigatio, delaſſatio, laſſitudo*: aiunt proprie eſſe obſcuritatem, quæ defatigationem ſequitur: ſed hic potius ſignificationem tenebrarum quam laſſitudinis quadrare, quod ſequente verſu tenebrarum & lucis fiat mentio. DE ANGUSTIA SUA. לאשר מוצק לה *laaſcher, mutzak, lah*. Prior vox *laaſcher*, poteſt reddi *cui*, vel *ſecundum quod*, vel *ad quam*: *mutzak*, *pahul* ex Hiphil eſſe nonnulli volunt, *preſſus, arctatus, tortus, anguſtiatus*, a verbo צוק *tzuk*: ſi vero a יצק *iatzaK, fuſus, confuſus*. Plerique nomen eſſe malunt, *preſſura, anguſtia, coarctatio, tortio, tortura*. לה *lah, ei*, femineum, id eſt terræ Iſraelitæ vel Iudææ. Avenarius hanc pericopem ita reddit: *Quia non obtenebrans erit*, id eſt non condolebit, *ei cui tortio infertur*. Hoc eſt, non condolebit terræ ipſi afflictæ. PRIMO TEMPORE. Noſter pro *Caph*, legit *Beth*, *in tempore primo*. Sed more Latinorum abiecit *in*. At Hebraica exemplaria nunc conſtanter habent *Caph*: *Secundum tempus primum*; vel *ſicut tempore primo*. Et ſane *Caph*, & *Beth* ſunt litteræ quam ſimillimæ, & una pro altera facile ſubſtituitur, nec ſenſum omnino alterat. ALLEVIATA EST. Verbum קלל *kalal*, in Hiphil הקל *hekel*, tametſi intranſitive interdum poſitum inveniatur, ac frequentius active, *alleviare fecit, alleviavit*, ſcilicet habitatoribus; vel pondere, aut honore, vel exiſtimatione, *vilem, levem habuit, reputavit, ſprevit*: plerique, *levius affixit*, ut ſit allevare de pœna, & oppreſſione, ut ſumitur id verbum I. Reg. XII. 4. TERRA ZABULON. ארצה *artzah* cum *He* finali, *in terram, ad terram*, ſeu *in terra Zebulun*. Sic mox, *in terram Naphthali*; quæ littera vel emphatica eſt, vel metonymica, ut habitatores ſeu incolas terræ deſignet. AGGRAVATA EST. כבד *cabad*, etiam ex Hiphil הכביד *hicbbid*, oppoſitum præcedenti verbo *kalal*, id eſt *aggravare fecit, aggravavit*. Quidam in bonum accipiunt, honore, gloria, maieſtate illuſtrem reddidit: plures in malum, gravius afflixit, ut I. Reg. XII. 14. quod aptius remur: & utrumque verbum in Hiphil non parvam

vim habet, ut illud magnam alleviationem, hoc vero magnam aggravationem deſignet: utriuſque verbi ſuppoſitum vel Deus eſt, vel tempus. VIA MARIS. Heb. per *Athnach* antecedens, diſiungitur a præcedente membro. Quidam in nominativo accipiunt, vel appoſitive, ſcilicet *via maris*, vel ſubaudita coniunctione, *& via maris*. Alii in ablativo: *via maris*, vel *in via*, aut *per viam maris*. Hanc Brocardus ita deſcribit: *Per hanc civitatem Cedar iuxta montem Sanir, & per littus maris Galilææ tranſit via ducens ad Occidentem, quam Iſaias vocat viam maris: quod trans Iordanem in Galilæa gentium iuxta littus maris procedat. Ab hoc loco, ubi Iordanis mare influit, uſque in Cedes Nephthalim ſunt quatuor leucæ*, &c. Alii vero Sacri topographi in hunc modum: *Via maris cuius in prophetia Iſaiæ, & in Evangelio Matthæi fit mentio, indeque nomen habet, quod e Syria in occidentem ad mare magnum, ſeu mediterraneum ducat, publica quædam via eſt: quæ initium a Syria ſumens, per montana Traconitidis regionis, & civitates Cedar, & Corozaim, atque Iordanem fluvium, tandemque urbem Capharnaum tranſit; illincque per littus maris Galilææ procedens, iuxta civitates Bethſaidam, Nephthalim, Sephet, & Naaſon præterit, & per Galilæam gentium, ac vallem Aſor, quæ nunc S. Georgii appellatur, Ptolomaidem decurrens, merces ſuas in univerſum occidentem diſtrahendas, ad mare magnum exonerat*. Quidam *viam maris* intelligunt loca maritima lacus Chinereth, ubi fuerunt Capharnaum, Bethſaida, Tiberias, Tharicheas. TRANS IORDANEM. Intelligunt reſpectu Aſſyriorum, de quibus hic hiſtorice eſt ſermo. Alii, *quæ ducit ultra Iordanem*. Nonnulli: *ſecundum Iordanem*. Aptius accipietur: *via tranſitus Iordanis*, ſeu *via vadi Iordanis*, id eſt via, qua Iarden traiicitur, quæ erat celebris ac frequens ad influxum eius in mare Chinereth, iuxta Capharnaum, & Chorozaim. Nam עבר *gheber*, proprie eſt nomen, *tranſitus*, licet plerumque pro præpoſitione ſumatur. GALILAEAE GENTIUM. Euſebius, & S. Hieronymus in Locis Hebraicis, & paſſim alii, hanc Galilæam ſuperiorem accipiunt, cuius maiorem partem tribus Nephthali occupavit; *gentium* vero dictam, vel quod in ea Salomon viginti civitates Hiramo regi Tyri dederit I. Reg. IX. 11. vel quod Paleſtinæ fere extima, complures gentes confines haberet: ab occidente Tyrios & Sidonios; ab ortu Traconitas; a ſeptemtrione Syros. Tremellius, & Iunius, uti ſuperius vidimus, Inferiorem Galilæam potius intelligi volunt, quæ ſecundum Iardenem prætenditur ad mare Tiberiadis: quam ſane ſententiam argumentis haud ſpernendis confirmarunt. Sed utriuſque Galilææ ſitum, fines, opulentiam, frequentiam accurate Ioſephus Lib. III. Belli, cap. II. explicavit. Nonnulli annotant, *terram Zebulon* hic, & *viam maris ſecundum Iardenem*, idem omnino eſſe duplicatis vocibus, & Galilæam Inferiorem, ſeu Iudæorum intelligi. Ceterum *terram Naphthali*, & *Galilæam gentium*, idem etiam prorſus eſſe, & Galilæam ſuperiorem diſtinctis nominibus indicari: unde hic ſubaudiendam eſſe coniunctionem, *& Galilææ gentium*. Non eſt dubium Naphthalitas ad ſuperiorem, Zebulunitas vero ad interiorem Galilæam pertinuiſſe. Vide Ioſue XX. 9. Hanc nos interpretationem in tanta obſcuritate, aliis præferimus. S. Matthæum IV. 14. & 15. hunc locum Iſaiæ vel primario & hiſtorico prophetico ſenſu de Chriſto interpretatum, vel ſublimiori & arcaniori ad Chriſtum accommodaſſe, nemo pius inficias ierit: ſervata tamen veritate hiſtorica cladis Iſraelitarum per Aſſyrios.

V. 2. POPULUS, QUI AMBULABAT IN TENEBRIS, &c. Quidam hunc verſum reddunt: *Populus eius*, ſcilicet terræ Zebulunis & terræ Nephthali, hoc eſt Zebulunitæ & Naphthalitæ, *qui ambulant in tenebris*; id eſt, non tantum corporalibus, ſed etiam ſpiritualibus malis, velut denſis tenebris obruuntur: *videbunt lucem magnam*; id eſt, incipient videre atque percipere lucem liberationis ſuæ, unde ceteris etiam Iſraelitarum partibus effulgebit: nam in partibus illis primum prædicavit Chriſtus, lucem ſuam cum hominibus communicans, & ibi fecit prima miracula: *ſuper confidentes in terra umbræ lethalis, lux ſplendebit*. UMBRAE MORTIS. Vide in Iob. III. 5. id eſt in exitialibus tenebris calamitatum, & miſeriarum.

V. 3. MULTIPLICASTI GENTEM, ET NON MAGNIFICASTI LAETITIAM. Exponunt:

nunt: Id eſt, non omnibus Iſraelitis, & Iudæis illuxit vera lux Evangelii; nam multi fuerunt Iudæi ſecundum carnem, ſed in pluribus eorum non fuit beneplacitum Deo: neque omnium, ſed pauciſſimorum fuit gaudium Evangelii. I. Petri I. 8. *Credentes autem exultabitis gaudio ineffabili & glorificato*. LAETABUNTUR CORAM TE, SICUT QUI LAETANTUR IN MESSE. Sic Ioan IV. 35. & ſequentibus. SICUT EXULTANT VICTORES CAPTA PRAEDA, &c. Evangelii exultationem comparat cum gaudio victoriæ militum, ut Pſal. XLV. & Pſal. XLVI. Quidam hunc verſum ita reddunt: *Amplificans hanc gentem, non magnificaſti lætitiam: lætabuntur coram te, quaſi letitia quæ agitatur in meſſe, ut qui exultant partientes prædam*. Notant, promiſſionis præcedentis de liberatione & ſalute populi cauſam nunc demum exponi per ſyncriſin, ſeu comparationem, ut diximus in verſ. I. Eſſe autem hanc ſyncriſin ſive comparationem inſtitutam inter ſuperiorem adminiſtrationem, quæ præceſſit adventum Chriſti, & illam, quæ eſt in regno ipſius: Tota, inquit, ſuperior adminiſtratio varia fuit, ſecundis, adverſis; lætis, triſtibus; duris, facilibus; turbulentis, quietis; omnibus denique rebus inſtabilibus, adeo ut ne magnificentiſſimæ quidem victoriæ ſuo luctu vacaverint; ſed alia eſt conditio regni huius, quod ſuſcepturus eſt Chriſtus, eoque Eccleſiam ſuam illuſtraturus; in eo pax futura eſt ſempiterna. Huius comparationis prius membrum tribus verſibus continetur: poſterius vero verſ. 6. & 7. ætiologice; quaſi dicat hoc verſu: *Cum populum* tuum inſigni aliquo bono, victoria, aut honore auxiſti, lætitiam tamen ſtabilem minime præſtitiſti: nam *lætabuntur coram te, quaſi lætitia*, &c. id eſt, nullam lætitiam conſecuti ſunt *ἀκονιτί ϗ ἀναιμωτί*, ſine ſudore & ſanguine, ſed permagno illis conſtitit: nam ardui labores lætitiam brevem anteiverunt, ut ſudores meſſem, & pugnæ graves ſpolia; quod etiam duobus ſequentibus verſibus exornatur: ſed tempore Evangelii aliter ſe habebunt, & procedent omnia. ET NON MAGNIFICASTI LAETITIAM. Hebræi legunt: *& ei magnificaſti lætitiam*, nimirum ei genti. Atque hunc eſſe volunt unum de quindecim Scripturæ locis, in quibus *Lo* cum *Aleph*, ponitur pro *Lo* cum *Vau*, id eſt *ei*; & Latinam lectionem ut cum hac congruat, nonulli interrogative accipiunt, ut ſenſum reddat affirmativum; quaſi dicat: Auxiſti populum credentem, & eidem multam amplamque lætitiam addidiſti. Sed prior ſenſus negativus eſt rectior.

V. 4. IUGUM ENIM ONERIS EIUS: id eſt, oneroſum, grave, moleſtum. ET VIRGAM HUMERI EIUS, ſeu *baculum*, id eſt inſigne magiſtratus, quod ad humerum reclinatum geſtari ſolet: unde dicti ſunt apud Græcos *rabduchi*, id eſt *bacilliferi*, qui baculos aut virgas geſtant; apud Latinos *lictores*, qui faſces ferunt. Poſſis reddere: *extenſionem humeri eius*, id eſt latum humerum eius, hoc eſt robur & fortitudinem, ſeu potentiam eius. ET SCEPTRUM EXACTORIS EIUS. Heb. *& virgam angariantis, exigentis, in ea*. Quidam: *qua adigit cum ea*. Alii: *& ſceptrum exactoris cum ipſo* exactore *proſtraviſti*. Nonnulli: *& virgam exactoris in eo*, ſcilicet populo vel gente, id eſt vires eorum, qui tyrannidem in populum Dei exercebant. Plerique iugum oneroſum, virgam; ſceptrum exactoris, legem accipiunt, a cuius ſervitute & veluti tyrannide nos Chriſtus eripuit. Alii aptius liberationem a poteſtate, imperio, iugo, peccati, ſatanæ, mortis, inferni, tenebrarum per Chriſtum hic cani intelligunt. Quidam reddunt: *Cum iugum oneris illius, & virgam humeri illius; ſceptrum opprimentis illum contriveris*; id eſt, quoties liberaveris populum tuum ab exterorum tyrannide: quæ metaphoris duabus, & iugi & ſcepteri figuratur: *ut die Midianitarum*, quo divina victoria ab Iiſraelitis reportata eſt: quam etiam propter nobilitatem in exemplum protulit Propheta, & iterum etiam adducet infra cap. X. 26. Vide Iudicum VII. Aliqui exponunt: Ibi enim ſolus Deus pugnavit, ut hic contra exercitum Sancheribi. Nos ea potiſſimum ratione memoratam hic Gedeonis victoriam exiſtimamus, quod quam ſimillima victoriæ Chriſti fuerit, nimirum per paucos, eoſque infirmos, & ope divina: ſic Chriſti victoria per paucos diſcipulos eoſque imbecilles, ut in ſolidum tota gloria Deo aſſeratur: quod myſterium magnifice exequitur Paulus I. Corinth. I. 26. & ſeqq.

V. 5.

V. 5. Quia omnis violenta praedatio cum tumultu, &c. Hunc verſum varie alii ex Heb. reddunt: I. *Nam omnis qui pugnat, pugnat cum commotione; & veſtimentum volutatum in ſanguinibus, erit ad combuſtionem cibus ignis.* II. *Nam omnis pugna pugnantium fuit cum impetu, veſteſque fuerunt inquinatæ ſanguine: ipſa quoque urbs fuit incenſa & abſumpta igni;* quaſi dicat: Pugna fuit acris, ſive pugnatum eſt acriter contra hoſtes, nec pugna fuit incruenta; nam ipſi tandem cæſi ſunt, & urbs capta fuit & incenſa. Hoc vel proprie accipiunt de excidio Iehudæorum vel per Nabuchodonoſorem, vel per Titum: vel metaphorice de magno prælio Chriſti contra Satanam, peccatum, mundum, mortem, infernum, quo penitus everſum eſt iſtorum imperium. III. *Omne quidem prælium, quod fit per præliantem, fit cum ſtrepitu & volutatione veſtimenti in ſanguine:* hoc vero bellum *erit per combuſtionem & devorationem ignis.* Nimirum in die pentecoſtes, inflammante Spiritu ſancto igneis linguis corda hominum, ac deinceps continuo per ignem illum, quem Dominus Ieſus in terram mittere venit, nempe Evangelium. IV. *Equidem omnis profligatio profligantis fit ſtrepitu tumultuoſo, & volutatione veſtimenti in ſanguine: at hoc bellum erit aduſtione & devoratione ignis.* V. *Quia omnis conculcatio conculcantis cum commotione*, ſeu *fragore, & veſtimentum volutatum in ſanguinibus, & erit in combuſtionem & cibus ignis*; id eſt, Omnes conculcatores, qui proculcant, & ſtragem edunt cum commotione & ſtrepitu, omnes ſanguinarii milites, qui occiſorum ſanguine conſperſa arma & veſtes gerunt, cedent igni divino illi, quem Chriſtus mittet in terras: Nulla, inquit, ferocia, nulla barbaries, nulla vis erit, aut crudelitas, quæ ſtare poſſit ante ignem illum Spiritus ſancti. VI. *Quando tota conflictatio confligentis in concuſſu, & veſtimentum volutatum in cædibus, etiam abierit in exuſtionem, pabulum ignis*; id eſt, Quando Chriſtus tota inimicorum ſuorum caſtra divinitus inter ſe commiſſa tamquam igne accenſo, cum rebus ſuis omnibus conſumpſerit virtute ſua: *in concuſſu*, id eſt repentino motu, qualem inter ipſos Midianitas excitavit Deus, ut obverterent gladium alter in alterum. VII. *Omne enim prælium præliantis eſt cum conflictu, & veſtium cruentatione: at iſtud erit per incendium & devorationem ignis*, ſcilicet ab angelo in Aſſyrios: infra cap. x. 16. Quia omnis violenta praedatio cum tumultu. סאון, סאון *ſeon*, *ſeon*, prius eſt nomen, ſecundum participium, quæ hic tantum, nec alibi leguntur. Exponunt: *Quia omnis bellator bellat cum tremore*, vel *omne bellum bellantis eſt cum tremore*. Hebræorum nonnulli ex notione Chaldaica reddunt: *Quia omne calceamentum calceantis cum ſtrepitu*, &c. ut indicet omnia arma, & indumenta militum ceſſura igni, omnia eorum inſtrumenta ac ſupellectilem combuſtioni tradenda. Alii: *Quia omnis menſura menſurantis cum tremore*, id eſt eius, qui malum rependit. Quidam: *Quia omnis clamans clamantis cum ſtrepitu*. Nec deſunt, qui: *Quia omnis violentia violentantis*, vel *exitium, exitium afferentis*: a tranſpoſito אסון *aſon*, Geneſ. xlii. 4. quod Noſter ſecutus videtur. Forſterus annotat: סאן *ſaan*, *conculcavit, proculcavit, ſtragem fecit, qualis fieri ſolet in prælio. Legitur autem participium præſens ſeon, Iſaiæ* ix. *Quia omnis conculcatio conculcantis cum ſtrepitu: ſaon, & in ſtatu regiminis ſeon, conculcatio, ſtrages, vis, violentia lethalis & mortifera. Cur autem huic verbo hanc tribuo ſignificationem, movet me nomen* רעש *ragbaſch, commotio. Deinde quod in Chaldæo nominaliter calceos ſignificat a calcando dictos, Exod.* iii. 5. Detrahe calceos tuos. *Tertio, quia cognationem habet ſignificatione cum verbo* אנס *anas, & nomine aſon, quæ coactionem violentam ſignificant.*

V. 6. Parvulus enim natus est nobis. Alii: *Nam puer datus eſt nobis.* Altera pars ſyncriſeos, ſeu comparationis, ut dictum eſt in verſum 3. *Puer*, id eſt Ieſus Chriſtus, is de quo prophetaverat ſupra cap. vii. 14. Etſi puerum fortaſſe altera etiam de cauſa nominavit, nimirum ut tenuitatem & infirmitatem, quæ illi in ſpeciem futura erat, oſtenderet, ut Zachar. ix. 9. qua ratione amplius hæc comparatio illuſtratur. Iam hic Propheta aperit bonorum omnium, quæ dixerat, fontem & originem, nempe Incarnationem Filii Dei: hinc lux, hinc meſſis, hinc victoria, hinc deiectio tyrannidis, & ignis ille divinus, cui omnis

mnis vis ceſſura erat: nam qui Filium ſuum dedit, quid non cum illo nobis donaret? Et filius datus est nobis. Dei videlicet, qui ſolus vocavit nomen illius, Pſal. II. 7. & Hebræor. I. 5. cum illum nobis traderet. Et factus est principatus super humerum eius. Alii reddunt: I. *ſuper cuius humerum imperium erit*; id eſt, qui quamvis ſit puer, habet tamen humeros aptos & robuſtos imperio quamvis maximo ſuſtinendo. II. volunt eſſe Hebraiſmum, *principatus ſuper humerum*, id eſt magnus & ſummus principatus: Matth. XXVIII. 18. III. *cuius humero adſit principatus*; id eſt, cui nullum umquam iugum imponi poſſit, ſed qui obtineat ampliſſimum & conſtantiſſimum imperium: ut accipitur infra cap. XXII. 22. Hoc enim membrum eſt antitheron iugi illius & virgæ, quæ humero populi incubuiſſe dicitur ſupra verſ. 4. Huius autem regni conditionem deinceps explicat, primum a vocatione Dei, hoc verſu; deinde ab effectu, verſu ſequente. Et vocabitur nomen eius. Hebr. active, ויקרא *vocabit*, id eſt Deus, vel quiſque ex Eccleſia: ſed nimis eſt pervagatum tertias perſonas activas Hebræis ſæpe ſumi imperſonaliter ſeu paſſive, ut ſunt exempla paſſim obvia: vide Forſteri Lexicon, pag. 742. Quidam: *Cuius nomen vocat Iehova, admirabilem*, &c. Iehova æternus Pater æterni Filii: nam ſolus Deus hæc nomina magnifica poteſt dare & accipere, ut ipſe dicitur infra cap. XLII. 8. & cap. XLVIII. 11. Admirabilis. פלא *phele*, proprie eſt abſtractum, *arduum*, *arduitas*; ſed emphatice pro concreto ponitur, *quammaxime arduus*, *admirabilis*, *admiratione dignus*, *mirificus*, *miraculorum patrator*, *thaumaturgus*; quaſi dicat, Rebus ſuſcipiendis & gerendis admirabilis, excelſior quam ut eum ratione comprehendere vel aſſequi poſſis. Quidam accuſandi caſu: *Admirabilem*, cum natura ipſius, tum operibus univerſis, atque in primis erga Eccleſiam explicatis: eſt enim Deus, qui facit mirabilia ſolus: Pſal. LXXI. 18 & CXXXV. 4. Consiliarius: vide Proverb. VIII. 14. Deus el, *Fortiſſimus & Potentiſſimus Deus*: vide Geneſ. XIV. 18. Fortis. גבור *gbibbor*, *Præpotens*, *Prævalidus*, *Heros*, *Heroicus*, *Gigas*, *Robuſtiſſimus*. Pater futuri saeculi. אבי *abi*, *Pater*, habet *Iod* paragogicum, emphatice, id eſt magnus parens & auctor. Forſterus exponit: *Pater æternitatis*, id eſt qui regnum æternum, & vitam æternam inchoat, & conſumat, abolita morte, & victa univerſa vi diaboli, tum mundi, & inferorum poteſtate. Tremellius, & Iunius: *Patrem æternitatis*, qui idem ſempiternus eſt, idem in omnibus æternitatis auctor. Prınceps pacis. Exponunt: Id eſt princeps pacificus, felix, fortunatus, cui omnia ex voto ſuccedunt adverſus mundum, diabolum, mortem, pro ſe & ſuis electis. Alii, id eſt auctor omnimodæ proſperitatis. Plerique in accuſativo, *principem pacis*, id eſt auctorem & effectorem pacis noſtræ, omnes in uno corpore reconciliantem Deo per crucem, peremptis inimicitiis per eam, Epheſior. II. 16. ut ſine metu e manu inimicorum noſtrorum liberati ſerviamus ipſi: Lucæ I. 74.

V. 7. Multiplicabitur eius imperium, et pacis non erit finis. למרבה *lemarbeh*, nonnulli volunt eſſe participium Hiphil verbi רבה *rabah*, cum præfixo *Lamed*, nota dativi, ſeu accuſativi: *multiplicanti*, ſeu *ad multiplicantem principatum*; & participium pro infinitivo poni: *ad multiplicandum principatum*, ſeu pro nomine infinito: *Ad multiplicationem*, ſeu *propagationem imperii*, & *paci non erit finis*. Id eſt, propagabit imperium & felicitatem ſine fine, immenſum, infinitum. Ut multo verius de Filio Pater dicere poſſit, quam Iupiter de Romanis AEneid. I.

> *Huic ego nec metas rerum, nec tempora pono.*
> *Imperium ſine fine dedi.* —

Aliqui reddunt: *Ad proferendum imperium*, & *ad pacem, quæ finem non habet*. Plerique tamen nomen eſſe malunt: *Multiplicationi*, *multitudini*, *amplitudini*, *multiplicitati*, *propagationi*, *illius principatus*, vel *ampliſſimo & multiplici principatui eius*, & *paci nullus erit finis*. Vide Lucæ I. 32. & 33. In *marbeh*, ſcribitur *Mem* clauſum, ſeu finale, contra naturam ſcriptionis Hebraicæ, quæ initio & medio dictionum ſemper ponit *Mem* apertum, in fine

Digitized by Google

ne autem clauſum. Permulti exiſtimant id non vacare myſterio. Quidam per *Mem* clauſum, tempus deſignari putant adventus Meſſiæ, nempe 600. annorum, qui ab Iſaiæ tempore eo uſque effluxerint, quem numerum littera *Mem* finalis denotat. Sed a tempore huius concionis ad Chriſtum pluſquam 700. anni ex certiſſima Chronologia decurrerunt. Alii, clauſam & integram virginitatem Mariæ indicatam putant. Vide Galatinum Lib. IV. cap. XIX. & Buxtorfium in Lexico, pag. 702. Verum hic de Imperio Chriſti, non de virginitate Matris agitur. Nonnulli, Imperium Chriſti undique clauſum & munitum ope divina, deſignari volunt; vel quod regnum Chriſti primum anguſtum & intra limites Iudææ concluſum, foret ampliſſime inter gentes multiplicandum; aut quod regnum Chriſti omnes terminos terræ erat concluſurum & comprehenſurum. Sed prudentiſſime Forerius myſterium hic irridet & flocciſacit, & ſcribæ potius lapſum reputat: cuius ſententiam & ipſi Maſſoretæ probant, cum legendum monent cum *Mem* aperto. SUPER SOLIUM DAVID, ET SUPER REGNUM EIUS SEDEBIT. Non eſt Heb. *ſedebit*, ſed illud multi ſubaudiunt: alii cum *multiplicationi principatus* iungunt; quaſi dicat, Multiplicabitur eius imperium ſuper ſolium, vel in ſolio Davidis, &c. UT CONFIRMET ILLUD. Heb. *ad apparandum*, *ſtatuendum*, *ratificandum*, *ſtabiliendum*, *certo firmandum illud*. IN IUDICIO ET IUSTITIA. Quidam hanc partem reddunt: *ſtabiliendo illud*, & *fulciendo illud iure & iuſtitia*. Vide de his duabus vocibus Gen. XVIII. 19. ZELUS DOMINI EXERCITUUM FACIET HOC. Aliqui exponunt, *zelus*, *zelotypia*, *æmulatio*, *ſtudium*, *amor Iehovæh*, quo amavit, & zelatus eſt populum ſuum, ne ipſius poſſeſſio devolveretur ad alienos, *faciet hoc*, id eſt omnia præcedentia, quæ dicta ſunt hoc capite. Vel mittet Filium ſuum Incarnatum, Ioann. III. 16. *Sic enim Deus dilexit Mundum, ut Filium ſuum unigenitum daret*; quaſi dicat Propheta, Amor Dei erga homines faciet ut Chriſtus naſcatur. Quidam reddunt: *Zelus Iehovæ exercituum facturus eſt illud*; id eſt, Hæc Deus Pater in Chriſto effecturus eſt propter nomen ſuum.

V. 8. VERBUM MISIT DOMINUS IN IACOB, ET CECIDIT IN ISRAEL. Notant, eſſe hic exordium novæ prophetiæ adverſus regnum Iſraelis. Hoc, inquit Iſaias, hæc res, hæc prophetia a Domino dirigitur in Iahakob, & certo eveniet ipſi Iſraeli. Quidam reddunt: *Verbum miſit Dominus Iahakobo*, & *accidit Iſraeli*. Exornatio præcedentis conſolationis prophetica eorum temporum, quibus iudicia Dei fuit perpeſſurus populus, donec per zelotypiam Dei miſſus eſt Chriſtus ad liberationem eius, ſumpta occaſione a verbis proxime præcedentibus. Continentur autem hac exornatione tria: primum eſt, narratio miſericordiæ Dei, a peccatis populum revocantis verbo, tribus verſibus: ſecundum, prophetica narratio iudiciorum, quæ eventura erant immorigeris verbo, ut minime perderentur pro meritis ipſorum, uſque ad cap. X. tertium, narratio beneficentiæ Dei propter ſeipſum ſervantis reliquias ex populo tam immorigero, verſibus quatuor prioribus ſequentis capitis. *IahaKobo*, id eſt toti populo, Iudæis & Iſraelitis.

V. 9. ET SCIET OMNIS POPULUS. Aliqui: *Et cognoverunt populus iſte totus*, Iudæorum. EPHRAIM. Diſtincte ponunt; id eſt, Iſraelitæ, per ſynecdochen, ut ſupra cap. VII. 2. Exponunt: Id eſt, ſcient Iehuda & Ephraim, ſcilicet verbum, quod miſit Dominus in Iahakobum; hoc eſt, ſcient Deum eſſe veracem, qui hæc prædixit. Alii: & *cognoverunt*, ea ſcilicet, quæ verſ. 11. & ſequentibus dicuntur. Nonnulli iungunt cum extremo verbo verſus: *Et ſciunt populus ... dicere*; ac volunt eſſe ironiam, qua utimur in eos quos punimus, præſertim in ſuperbos & contumaces: ſicut ſi filius conſuevit dicere, Nihil timeo patrem; cum eum pater verberat, dicit: Scies deinceps dicere, Nihil patrem timeo; quaſi dicat, Scies poſthac quam improbe locutus fueris. Sic Deus verberaturus Iſraelitas, ait: Scient poſtea contumaces illi quam ſuperbe & arroganter locuti fuerint, verſu ſequente. IN SUPERBIA ET MAGNITUDINE CORDIS, DICENTES. Quidam: *in faſtu & magnitudine cordis dicere*. Alii: *qui elatione & inſolentia animi dicunt*. Sic infra cap. X. 12.

V. 10.

Digitized by Google

V. 10. LATERES CECIDERUNT, SED QUADRIS LAPIDIBUS AEDIFICABIMUS. Alii ex Heb. I. *Lateritia corruerunt*; id eſt, muri vel ædificia ex lateribus, corruerunt: *ſed quadro lapide ædificabimus*. II. *Lateritia opera ceciderunt, ſed lapide cæſo extruemus*: proverbiale dicendi genus, quo pervicaces in Deum utuntur; quaſi dicant: Utcumque nos miſere attriverit Deus, tamen vel ipſo invito res noſtras magnificentius inſtaurabimus, & ſuperabimus iudicia eius, telatciemuſque virtute noſtra: ſic Malach. I. 4. idem dicitur membro ſequente. SED QUADRIS LAPIDIBUS AEDIFICABIMUS. Heb. & גזית *ghazith ædificabimus*; id eſt, *vulſionem, lævigationem, politiem ædificabimus*, id eſt e lapide vulſo, cæſo, polito, lævigato, dedolato: vide in Exod. XX. 25. SYCOMOROS: vide in I. Reg. X. 27. SED CEDROS IMMUTABIMUS. Heb. *mutare faciemus*. Alii: *ſubſtituemus, ſufficiemus*, in locum ſycomororum.

V. 11. ET ELEVABIT DOMINUS HOSTES RASIN SUPER EUM. Alii ex Hebr. I. *Elevabit autem Iehova hoſtes Reszin ſuper eum*; id eſt, reddet ſuperiores & victores. II. *Et roborabit Iehova hoſtes Retzinis ſuper eum*; id eſt, potentiores & robuſtiores eo reddet. ET INIMICOS EIUS IN TUMULTUM VERTET. Verbum סכסך *ſichſach*, Pihel geminatum, non alibi niſi hic, & infra cap. XIX. 2. legitur. Quidam reddunt: *& inimicos eius implicabit, commiſcebit*; inſtar veprium, ut ſcilicet mutuo ſeſe pungant & lædant. Alii: *& inimicos eius condenſabit, conglomerabit* contra eum, ut ſcilicet denſatis ordinibus, & conglobati undique eum adoriantur. Alii: *& inimicos eius confundet, permiſcebit*, ſubaudi populo ipſius Retzinis; id eſt, efficiet ut inimici regis Syriæ veniant in Damaſcum, & illic habitent; ac in toto regno eius. Avenarius: *& inimicos eius integet*; id eſt, committet ut mutuo inter ſe pugnent. Tremellius, & Iunius ita hunc verſum accipiunt: *Sed eum in editum ſuſtulerit Iehova hoſtes Retzinis contra ipſum, etiam inimicos huius commiſcebit*. Tranſitio a verbo ad iudicia Dei, quia verbo revelato illius prævidet Propheta non fore ut reſipiſcat populus. Eſt itaque in hac continuatione ſermonis paralepſis; quaſi dicat: Sed quandoquidem fruſtra Dominu immiſit verbum, iam audiamus verbera, quibus uſurus eſt. Tres autem illorum gradus pro ratione temporum a Propheta ſtatuuntur: primus, adventu Tiglath-Phileſeris, tribus his verſibus: ſecundus, adventu Schalman-Eſeris utroque, a verſ. 14. ad 18. tertius, adventu Sancheribi & Eſar-Chaddonis in Chizkiiam, & Menaſchem, a verſ. 18. ad finem capitis. *In editum ſuſtulerit*; id eſt, ſuperiores effecerit Aſſyrios II. Reg. XVI. 9. *etiam inimicos huius Iſraelis commiſcebit*; id eſt, faciet ut promiſcue omni ex parte convolent operam dantes Aſſyrio, ut verſus ſequens oſtendit.

V. 12. SYRIAM AB ORIENTE, ET PHILISTHIIM AB OCCIDENTE. Heb. *Aram ab ante, & Pheliſthim a poſt*. Alii: *Syros ab anteriore, & Peliſchthæos a poſteriore*: vide Deuter. XI. 24. TOTO ORE: id eſt, ferarum more in magna fame toto ore hiantium, inhumaniſſime conſumendo, & nulla ratione parcendo, vel avide, & ſummo affectu, & ſtudio ac cura; aut *toto ore*, ſeu acie gladii, hoc eſt crudeliſſime. IN OMNIBUS HIS. Hebr. *Cum omni iſto*. Hiſpanice, *con todo eſto*. Alii: *Omnibus his non eſt averſus furor eius*. Alii: *Non avertetur furor eius; ſed adhuc manus eius erit extenta*, ad feriendum; quaſi dicat, Nondum conquieſcet ira Dei, ſed paratus erit amplius percutere. Sic infra verſ. 17. & 21.

V. 13. ET POPULUS NON EST REVERSUS, &c. Quidam hunc verſum ita reddunt: *Quia hic populus non fuerit reverſus uſque ad ipſum percuſſorem ſuum, & Iehovam exercituum non requiſierint*. Alii: *Nam & populus iſte non redit ad eum qui ſe percuſſit, & Iehovam exercituum non quærunt*.

V. 14. ET DISPERDET DOMINUS AB ISRAEL. Alii: *Exſcindet enim Iehova ex Iiſraele*, per Schalman-Eſerem, II. Reg. XVII. atque hic ſecundus eſt iudiciorum gradus, ut diximus verſ. 11. CAPUT ET CAUDAM; id eſt, ſummum & infimum: metaphora ab animantibus, quæ ſequente verſu explicatur. INCURVANTEM ET REFRAENANTEM. Huius interpretationis ratio ſatis pellucet iis, qui Hebräice norunt. Paſſim tamen reddunt: *ramum & iuncum*; id eſt, fortem quemque, & imbecil-

becillum, ſeu præſtantiſſimum & abiectiſſimum: metaphora a plantis.

V. 15. ET HONORABILIS. Heb. *& levatus*, ſeu *elatus facierum*: ut ſupra cap. III. 3. Quidam: *& auctoritate ſuſpiciendus*, vel *verendo vultu*.

V. 16. ET ERUNT, QUI BEATIFICANT, &c. Hunc verſum varie alii ex Hebr. convertunt: I. *Et qui populum hunc dirigunt, ſeductores ſunt; & qui diriguntur, deglutiuntur*, vel *erunt abſorpti*; id eſt, in extremam perniciem adducentur. II. *Quod fuerint ductores populi huius ſeductores, & qui ducuntur in eo, obtecti*. AEtiologia a communi corruptione omnium, ut ſupra cap. III. 12. *obtecti* autem dicuntur obvelati & excæcati velo ignorantiæ, doctrinæque falſæ: nam cæcus cæcum dicitur agere. III. *Et erunt, qui beatum prædicant populum hunc, ſeductores; & qui beati prædicantur*, ſeu *quos beatos prædicant, præcipitati*; id eſt, Cum viderit populus rerum eventu ſeſe præcipitatum vel abſorptum in extremam miſeriam, & calamitatibus obrutum, intelliget ſuos falſos prophetas fuiſſe ſeductores ac fallaces; & cum pacem ac felicitatem promitterent, eſſe mentitos: vide ſup. cap. III. 12. IV. *Et erunt, qui beatum prædicant populum iſtum, illi ſeducunt, & qui erant beati prædicati, ſunt præcipitati*. V. *Rectores tui ſunt ſeductores, & qui debebant diripi, ſunt præcipitati*: ſimilis locus eſt ſupra cap. III. 12. PRAECIPITATI. מבלעים *mebullaghim*, proprie. *abſorpti, deglutiti, ingurgitati, præcipitati, devorati, perditi*.

V. 17. SUPER ADOLESCENTULIS EIUS NON LAETABITUR DOMINUS. Heb. *ſuper electis, iuvenibur eius non lætabitur Adonai*. Quidam exponunt: Non læte eos accipiet, aut tractabit, non favebit eis. Alii: *iuvenibus eius non gaudebit Dominus*. Nonnulli, *idcirco de iuvenibus eius non lætabitur Dominus*: ſed velut invitus ſupplicium ſumet de omnibus. ET PUPILLORUM EIUS AC VIDUARUM NON MISEREBITUR. Hebr. *& orphanos eius & viduas eius non inviſcerabit*; id eſt, non intra viſcera ſua condet, vel non intimo viſcerum ſuorum affectu proſequetur, non amplectetur viſceribus miſericordiæ. QUIA OMNIS HYPOCRITA EST. Poſſis reddere: *quia omne eius infectum, pollutum, corruptum; depravatum inter pravis opinionibus, & affectibus*. Alii: *quia omnis ipſe*, vel *totus ipſe hypocrita eſt*, nempe populus, e verſu præcedente. Nonnulli: *quia univerſitas eius eſt hypocrita*. ET NEQUAM. Hebr. *& malefaciens, maleficus, malignus*. STULTITIAM. נבלה *nebalah*: vide in Gen. XXXIV. 7.

V. 18. SUCCENSA EST ENIM QUASI IGNIS IMPIETAS, &c. Diverſimode alii hunc verſum ex Heb. reddunt: I. *Quoniam exarſit quaſi ignis ſeditio, vepres & ſentes abſumet*, ſeu *vepres & ſpinas devorat, & inflammatur in condenſis ſilvæ, atque diſſipantur, ſicut elevatio fumi*. II. *Quoniam ardet impietas haud ſecus quam ignis, qui ſentes & ſpinas devorat, & qui exardet in vepretis condenſis ſilvæ; ſic convolventur ſuperbia fumi*, vel *elevabunt ſe impii, ut fumus ſe elevat*. III. *Nam exardeſcet improbitas velut ignis, qui ſentes ac vepres abſumit, & incendet perplexa ligna ſilvæ; adeo ut in minutiſſimum pulverem abeant elatione fumi*, ſeu *elato fumo*; id eſt, ſuo ipſorum igne in pulverem & fumum abeant. Tertius gradus iudiciorum, quod populus non tantum opprimetur Aſſyriorum dominatu Sancheribo, & Eſar-Chaddone rege, ſed etiam ſua ipſius opera magis ac magis labefactabitur; prout non dubium eſt hos in alios fuiſſe tyrannidis Aſſyriorum adminiſtros: quod malum hoc verſu allegorice denuntiatum, ſequentibus exponitur. ET CONVOLVETUR SUPERBIA FUMI. Heb. pluraliter *& convolventur*, &c. Verbum אבך *abach*, quod hic in Hithpahel ponitur, nullibi alibi in Scriptura legitur. Forſterus ex cognatione aliorum verborum, ait ſignificare, *in modum fumi* ſeu *pulveris vehementer diſpelli*, & difflari, *& diſſipari*. Hebræi, *extolli, elevari, ſuperbire*, exponunt: *& elevaverunt ſe, extulerunt ſe altitudine fumi*. Avenarius: *implicari, intricari, condenſando*; & proprie dici de fumo, qui aſcendendo in altum varie circumgyratur & iactatur. Ex vicino verbo אבק *abaK*, poſſis exponere: *& colluctari ſeſe facient ſuperbia fumi*; id eſt, impetu & vehementia fumi colluctabuntur. Puto hoc verſu ſignificari incendium & fumum ſeditionum.

V. 19. IN IRA DOMINI EXERCITUUM.

Alii

Alii ex Hebr. 1. *In ardore*. 2. *In efferveſcentia*. 3. *In ira fervida*. 4. *In excandeſcentia*. 5. *In tranſitu, exceſſu iræ Iehovæ exercituum*: vide in Pſal. LXXVII. 49. CONTURBATA EST TERRA. Verbum עתם *ghathath* alibi non legitur, niſi hic in Niphal; varie illud reddunt: 1. *obſcurata, obtenebrata eſt*. 2. *vaporata eſt*, hoc eſt vapore offuſa. 3. *incenſa, inflammata eſt terra*. Quidam reddunt: *Præ excandeſcentia Iehovæ exercituum obſcuritas erit terræ*; id eſt, opprimetur adverſitatibus & calamitatibus: ut ſupra verſ. 1. Interpres Chaldæus: *devaſtata eſt terra*, vel ut alia exemplaria legunt: *exuſta eſt terra*. VIR FRATRI SUO NON PARCET. Alii: I. *nemo cuiquam parcet*, vel *alter alteri non parcet*. II *nemo in fratrem ſuum clementia utetur*. III. *vir erga fratrem ſuum non habebunt affectum parcendi*.

V. 20. ET DECLINABIT AD DEXTERAM, &c. Varie alii ex Hebr. hunc verſum transferunt: I. *Et excidet*, vel *ſeparabit, retrahet ſe ad dexteram, & eſuriet: & comedet ad ſiniſtram, & non ſaturabuntur: vir carnem brachii ſui vorabit*; id eſt, privabit opibus fratrem & proximum ſuum. II. *Rapiet ad dexteram, & tamen eſuriet; ad ſiniſtram comedet, ſed non ſatiabitur*: quaſi dicat, Dextera & ſiniſtra rapiet quod edat, neque tamen ſatiabitur: *comedet quiſque carnem brachii ſui*, id eſt opes proximi ſui, ſubaudi, neque tamen ſaturabitur: adeo inexplebilis erit cupiditas. III. *Nam ut ſcindat ad dexteram, tamen eſuriet; & comedat ad ſiniſtram, tamen non ſaturabuntur*; id eſt, licet populus undequaque ſtudeat adipiſci victum, & hic illic conquirat, erit ſemper egentiſſimus: *ſinguli carnem brachii ſui comedent*; id eſt, propinquos & neceſſarios ſuos abſument: auxeſis. IV. *Et decidet ad dexteram*, ſeu *ſuccidet, diſſecabit, & eſuriet; & comedet ad ſiniſtram, & non ſatiabitur: quiſque carnem brachii ſui comedent*; quaſi dicat: Mutuo ſe trucidabunt, familia in familiam inſurget abſque ulla aut amicitiæ aut conſanguinitatis ratione; unuſquiſque ea ſævitia in quoſvis feretur, qua leo aut quævis alia fera & immanis bellua, quæ inter armenta ad dexteram & ſiniſtram ſine ullo diſcrimine iugulat, diſcerpit, neque ſanguine aut cædibus ſatiatur.

V. 20. MANASSES EPHRAIM, ET EPHRAIM MANASSEN; SIMUL IPSI CONTRA IUDAM. Quidam: *Manaſcheh Ephraiimum, & Ephraiim Menaſchun*, ſubaudi, invadet, ſeu comedet, e præcedente verſu: *ſimul iſti contra Iehudam*, inſurgent; ut credibile eſt feciſſe, cum Sancherib Chiſkiiam oppugnavit, & Eſar-Chaddon Menachem deportavit. Sic enim hoſtes opera eorum, quos bello ſuperaverunt; abuti, multis exemplis conſtat: ut I. Samuel. XIV. 21.

MENOCHII.

Verſ. 1. PRIMO TEMPORE ALLEVIATA EST TERRA ZABULON; id eſt, primum leviter ſpoliata, levi plaga afflicta eſt Samariæ pars, tribus ſcilicet Zabulon, & Nephthali (utpote extimæ, per quas Aſſyriis tranſeundum erat ad alias tribus) per Teglathphalaſar regem Aſſyriorum expugnatæ ſunt. Verbum קלל *qalal* ſignificat alleviari, vel pondere, vel divitiis, & exiſtimatione. Hoc accidit tribubus illis ex quibus actæ ſunt prædæ. NOVISSIMO, id eſt poſterius. AGGRAVATA EST, id eſt graviori clade affecta, & vaſtata a Salmanaſar reliqua Samariæ pars, maxime Galilæa, quæ Gentium dicitur: ſublimiori, & potiori ſenſu Chriſtum iam natum intelligit, qui prædatoris celeris munus primum in terra Zabulon, & Nephthalim exercuit, ubi prædicare cœpit; deinde gravius prædatus eſt Galilæam Gentium, aſſidue in ea verſans, prædicans, patrans miracula, pluresque convertens. VIA MARIS. *Via maris*, inquit Adrichomius, in deſcriptione tribus Nephthali, *cuius in prophetia Iſaiæ, libro Tobiæ, cap.* 1 *& Evangelio Matthæi cap.* IV. *fit mentio, indeque nomen habet, quod e Syria in occidentem ad mare magnum, ſeu mediterraneum ducat; publica quædam via eſt, quæ initium in Syria ſumens, per montana Thraconitidis regionis, & civitates Cedar, & Corozaim atque Iordanem fluvium, tandemque urbem Capharnaum tranſit, illincque per littus maris Galileæ procedens, iuxta civitates Bethſaidam, Nephthalim, Sepheth, & Naaſon præterit, & per Galilæam Gentium, ac vallem Aſor, quæ nunc S. Georgii appellatur, Ptolemaidem decurrens,*

merces ſuas in univerſum occidentem diſtrahendas ad mare magnum exonerat. Trans Iordanem: hæc Galilæa dicitur trans Iordanem, reſpectu Syriæ. Galilaeae gentium: ſic dicebatur ea Galilææ pars, quæ vicina erat gentibus, Tyriis nimirum, & Sidoniis.

V. 2. Populus: Galileææ, Zabulon, & Nephthali. In tenebris, infidelitatis, id eſt Iudaiſmi mixti cum Gentiliſmo. Lucem magnam: evangelicam veritatem, & Chriſtum ipſum, qui eſt lux vera quæ illuminat omnem hominem. In regione umbrae mortis: in denſiſſima caligine ignorantiæ, & peccatorum. Lux orta est eis; hoc eſt, Chriſti fides, gratia, & claritas effulſit.

V. 3. Multiplicasti gentem; id eſt, Tu o Chriſte, per te & Apoſtolos tuos ex Iudæis, & Gentibus convertes. Vox Hebræa הרבית *birbitha*, ſignificare etiam poteſt *magnificaſti*, *auxiſti*; quaſi dicat: Multiplicaſti, & auxiſti tuis donis, & beneficiis gentem, ſed non auxiſti lætitiam. Laetitiam: gaudium ex fructu prædicationis; quaſi dicat: Non tam magnus erit fructus concionum Chriſti, & Apoſtolorum, atque res tanta merebatur. Laetabuntur, &c. quaſi dicat, Nihilominus, qui ad Chriſtum converſi fuerint videntes tantam lucem, gratiam, & ſalutem mundo datam, lætabuntur. Sicut qui laetantur in messe: ut lætantur agricolæ cum copioſam meſſem colligunt.

V. 4. Iugum oneris eius: iugum ſervitutis, quo Galilæa gentium premebatur a diabolo, & a peccato. Virgam humeri: virgam, & flagellum dorſo eiuſdem incumbens, & eam affligens, & crucians. Sceptrum exactoris: imperium dæmonis tributa peccatorum a ſuis exigentis. Superasti, o Chriſte, sicut in die Madian: glorioſam de hoſtibus victoriam reportando, ut quondam Gedeon de Madianitis Iud. vii. 22.

V. 5. Quia omnis violenta praedatio cum tumultu; quaſi dicat: Sicut Gedeonis violenta prædatio facta eſt cum tumultu caſtrorum Madian, ut in eiuſmodi rebus fieri ſolet; ita Chriſti prædatio violenta tumultum movit, tum in tartaro, tum in caſtris mundi, & dæmonis. Et vestimentum mixtum sanguine erit in combustionem; quaſi dicat: Sicut veſtes ſanguine cruentatæ, & gladiis perforatæ uſui amplius non ſunt, ſed traduntur igni; ita acies dæmonis profligatæ, & confoſſæ, & ſuo quodammodo ſanguine cruentatæ pabulum erunt ignis.

V. 6. Parvulus enim datus est nobis; qui tam inſignis victoriæ auctor eſt. Filius, Dei, & Virginis. Principatus super humerum eius. Dicitur principatus eſſe in humero, quia magiſtratus, vel pro iis ſatellites, humeris geſtant virgas, vel faſces, quaſi ſigna regiminis, & imperii, & quia ipſi quaſi humeris Rempublicam fulcire videntur. Chriſtus etiam, crucem ſui principatus inſigne, humeris geſtavit. Admirabilis: ſunt enim in Chriſto reconditi & inæſtimabiles rerum mirabilium theſauri. Consiliarius: quia conſilium redemptionis humanæ prudentiſſime, & fideliſſime peregit, & ſanctiſſime conſilia, & documenta hominibus tradidit ad ſalutem pertinentia. Deus. In Hebræo eſt אל *el*, quæ vox Deum ſignificat, quia robuſtus, fortis, & invictus eſt. Fortis. Hebraice eſt גבור *gibbor*, id eſt potens, vir validus quaſi gigas, & ut Vatablus vertit, *Heros fortis*. Pater futuri saeculi. *Pater æternitatis*, ut vertit Vatablus; Adam enim genuit nos tempori; Chriſtus æternitati: Adam genuit nos morti; Chriſtus reſurrectioni: Adam genuit nos terræ; Chriſtus cælo. Princeps pacis: quia pacem inter Deum, & homines conſtituit, & internam animi pacem, & tranquillitatem largitur.

V. 7. Multiplicabitur eius imperium: nam *dominabitur a mari uſque ad mare, & adorabunt eum omnes reges terræ*: Pſal. lxxi. Pacis non erit finis: quamdiu enim ſtabit regnum Chriſti, tamdiu ſtabilis erit pax illa, quam Deus ſuis teſtamento reliquit, & quam mundus ignorat. Super solium David. Regnum Chriſti dicitur ſedes, vel ſolium David, quia regnum eius ſpirituale adumbratum fuit regno temporali Davidis, & quia Davidi ſub typo regni ſui promiſſum fuit hoc regnum Meſſiæ, tamquam filii ſui. Super regnum eius sedebit, id eſt in regno eius regnabit.

In

Digitized by Google

In iudicio, & iustitia, id eſt iuſto iudicio. Zelus Domini, &c. Eſt epiphonema; quaſi dicat: Amor Domini zelotypus, quo nos amat, & amari cupit, hoc faciet.

V. 8. Verbum, &c. A parvulo Emmanuele redit ad ſua tempora, hoc eſt ad excidium Samariæ. Sententia verſiculi eſt: Sicut Deus Iacobo, ſive Iſraeli, hoc eſt decem tribubus, & Samariæ verbo prædixit, & comminatus eſt; ita re ipſa cecidit, id eſt accidit.

V. 9. Et sciet omnis populus: quam imprudenter & temere dixerit, quæ ſequuntur verſic. 10. In superbia; præ ſuperbia, ſuperbe.

V. 10. Lateres ceciderunt, &c. quaſi diceretur, Deſtruxerunt civitatem noſtram lateritiam, non curamus, nam ædificabimus marmoream. Sycomoros, &c. De ſycomoro vide dicta III. Reg. x. 27. Huius hemiſtichii ſententia eadem eſt cum ſuperiori, ſed alio proverbio explicata. Cedros immutabimus, ſubſtituemus.

V. 11. Elevabit Dominus hostes Rasin; id eſt, Deus hoſtes Raſin regis Syriæ, pura Aſſyrios, ſuperiores, & victores faciet. Super eum: primo contra Raſin, huc enim proprie reſpicit vox *eum*: mox deinde contra Ephraim, & Iſrael. In tumultum vertet: vel, ut ſignificat vox Hebraica, *condenſabit*, vel *conglomerabit*, ut ſcilicet conglomerati ipſum adoriantur cum tumultu.

V. 12. Syrus ab Oriente, &c. adiacet enim Syria terræ ſanctæ ab oriente, ut Philiſthæi ab occidente. Toto ore: avide, ut feræ faciunt, cum fame urgentur. Non est aversus furor eius: quia per hanc Aſſyriorum vaſtationem Iſraelitæ non reſipuerunt, nec idololatriam deſeruerunt. Extenta, ad feriendum.

V. 14. Caput, et caudam; incurvantem, & refraenantem, &c. quod dicitur, *incurvantem*, & *refrænantem*, in Hebræo eſt, *Ramum*, & *iuncum*. Caput ramus, & incurvans, vocatur ſenex, ſenator, rector: cauda vero, iuncus & refrænans, vocatur pſeudopropheta, ut patet ex ſequentibus. Senex ergo, & ſenator vocatur caput, quia honorabilis eſt præ ceteris, quos conſilio, vel imperio regit, ut caput regit cetera membra. Idem vocatur incurvans, vel quia dorſum ipſum, & totum corpus curvatur in ſenibus, vel quia alios exemplo, conſilio, & legibus dirigit, aut curvat, ut ratio poſtulat. Vocatur ramus, quia in Republica validus eſt, inſtar roborei rami. Porro pſeudopropheta vocatur cauda, quia viliſſimus, vel quia adulator eſt, ut canes cauda blandiuntur, vel peſtifer, & ſimilis caudæ ſcorpionis. Dicitur refrænans, quia ſuis falſis oraculis, & dogmatibus frænat, & flectit populum. Dicitur etiam iuncus; quia eius frænum eſt innocuum, fragile, futile, & inane, & quia eius doctrina non eſt ſolida, fortis, & robuſta, ſed facile cedens, mollis etiam, & carni iucunda.

V. 16. Qui beatificant populum istum: pſeudoprophetas intelligit, læta prædicentes populo. Praecipitati: in mortem, captivitatem, exitium.

V. 17. Propter hoc: ſcilicet propter pſeudoprophetarum mendacia, & vanitatem populi, qui ſeduci ſe patitur, nec ſe abducit a peccatis. Super adolescentulis eius non laetabitur Dominus: non erit eis propitius, & benevolus, ſed ne illi quidem teneriori ætati parcet. Et pupillorum, &c. ne horum quidem miſerebitur, quos alioqui ſolet peculiari ſtudio protegere, quia hypocritæ ſunt & ſceleſti. Stultitiam. Chaldæus, *mendacium*. LXX. *iniuſta*. In omnibus his, &c. Repetitur hoc ex 12. verſiculo ſuperiore.

V. 18. Succensa est quasi ignis impietas; id eſt, impietas quaſi incendium late populatur regionem. Veprem, et spinam vorabit: ipſa impietas plebem perdet. Et succendetur in densitate saltus: & ipſos etiam proceres & potentes, qui ſimiles ſunt excelſis arboribus, flamma hæc, & peccatorum pœna corripiet. Convolvetur superbia fumi. In Hebræo eſt, *elevabunt ſe ſecundum elevationem fumi*; quaſi dicat, Eorum ſuperbia inſtar fumi diſſipabitur, & evaneſcet. Vel vepres, & ſaltus ſimul altiſſimo igne, & fumo involventur.

V. 19. Conturbata est terra. LXX. *combuſta eſt terra*, & propter incendium calamitatum immiſſarum, conturbata. Vir fratri suo non parcet;

quaſi

Digitized by Google

quaſi dicat, Tanta erit Iſraelitarum tum rabies, & crudelitas, tum fames.

V. 20. ET DECLINABIT, &c. quaſi dicat: Sicut fera famelica ſævit inter armenta, & modo a dextris, modo a ſiniſtris pecus iugulat; ita & ipſi inter fratres, & proximos graſſabuntur. CARNEM BRACHII SUI; filios, fratres, propinquos, eorum bona, aut vitam etiam eripiendo. MANASSES EPHRAIM: una tribus aliam. SIMUL IPSI CONTRA IUDAM; id eſt, qui prius odiis inter ſe diſſidebant, iam contra Iudam conſpirabant. IN HIS OMNIBUS, &c. Vide ſupra num. 12.

TIRINI.

Verſ. 1. *&* 2. PRIMO TEMPORE, id eſt primo omnium, ALLEVIATA EST, id eſt leviter, ſeu levi plaga afflicta fuit, TERRA ZABULON ET TERRA NEPHTHALI, nempe 4. anno Achaz *a*, quando Teglatphalaſſar eas utpote primum obvias expugnavit, & in Aſſyriam *b* tranſmiſit. ET NOVISSIMO tempore, id eſt poſterius AGGRAVATA EST, id eſt graviori clade affecta eſt eadem terra, quando Salmanaſſar omnes etiam reliquias eiuſdem terræ cum ceteris tribubus Iſraeliſis captivas in Aſſyriam *c* abduxit anno 6. Ezechiæ: ita Chaldæus, & paſſim Hebræi: item S. Thomas, Hugo, Vatablus, Adamus, Ianſenius *d* & a Lapide. Atque hic eſt cortex figuræ. Certum autem figurari hic ſpiritualem deprædationem, qua per Emmanuelem Chriſtum eædem terræ Zabulon & Nephthali primo leviter ſpoliandæ ſint & exuendæ ſpoliis peccati, diaboli & inferni: nam Chriſtus conceptus eſt & enutritus in Nazareth, oppido Zabulon, & Apoſtolos pene omnes ex duabus illis tribubus collegit, teſte S. Hieronymo, Baſilio, Cyrillo & Procopio. Deinde luculentiorem inde prædam abſtulit, quando aſſidue ibi prædicans, facienſque innumera miracula, longe plures ex iis locis convertit. Sed hæ tanto lætiores fuerunt prædationes, quanto triſtiores illæ fuerant. Probatur hic ſenſus ex verſ. ſeq. & Matth. IV. 13. ubi idem hic locus Chriſto prædicationem ſuam inchoanti appropriatur. Porro eadem *terra* eſt *Zabulon & Nephthali* cum illa quæ VIA MARIS hic vocatur, ſeu *ora maritima*, quia adiacebat mari, ſeu lacui Tiberiadis. Eadem vocabatur GALILAEA GENTIUM, ut alibi *e* dixi: propter Gentium, nempe Tyriorum viciniatem, ſub quorum imperio aliquando fuerat, unde & erroribus gentiliſmi non parum infecta erat. Qua de cauſa verſ. 2. ſignanter vocatur POPULUS ambulans IN TENEBRIS & REGIONE UMBRAE *f* MORTIS, id eſt denſiſſima caligine infidelitatis, ignorantiæ & peccatorum. Sed iiſdem LUX ORTA EST Evangelii, fidei & gratiæ. Ianſenius, S. Thomas, Hugo, Lyranus & Adamus hunc verſ. 2. & reliquos uſque ad 6. exponunt de piis Iudæis qui ſub Ezechia obſeſſi a Sennacherib, & ad extrema redacti, nova luce recreati ſunt per angelum, cum una nocte cæderet 185. millia Aſſyriorum, & ſic obſeſſos atque anxios liberaret. Quæ ſane figura fuit eius liberationis & gaudii, quod per Chriſtum ſenſerunt pii Iudæi ſequaces ipſius & diſcipuli.

V. 3. MULTIPLICASTI GENTEM Aſſyriorum, ſed NON MAGNIFICASTI LAETITIAM: cum tot cæſis ab angelo, reliqui triſtes & inglorii ad ſuos redierunt. Quæ figura fuit doloris & luctus Synagogæ, dæmonis, totiuſque regni infernalis, cum per Chriſtum tot myriades clientum illorum vel proſtratæ ſunt, vel ad Chriſti caſtra tranſierunt. Illi interim lætantur, &c.

V. 4. IUGUM ENIM ONERIS EIUS, ſcilicet Sennacheribi in figura, diaboli in veritate: ET VIRGAM, ſeu flagellum, quod HUMERIS, ſeu copiis ſuis, ſuo robore & tyrannide in miſeros invehere tentabat: ET SCEPTRUM EXACTORIS; id eſt, imperium & tributum, quod quaſi durus exactor imponere nobis conabatur, SUPERASTI, o Emmanuel, SICUT IN DIE MADIAN *g*; id eſt, ſicut tempore Gedeonis confregiſti Madianitas famoſa illa clade, quæ omnium vocibus celebratur: *dies* enim hic metonymice, cladem eo die illatam ſignificat.

V. 5. QUIA non illa ſola Gedeonis, ſed & alia OMNIS hoſtilis VIOLENTA PRAEDATIO fit CUM ingenti TUMULTU & tumultuoſa ſtrage: ita etiam contigit in illa ſtrage Sennacheribi, & præ omnibus in huius antitypa ſtrage mundanæ ſuperbiæ, peccatorum & dæmonum per Chriſtum edita.

edita. Rurſum, ſicut VESTIMENTUM in bello MISTUM SANGUINE, id eſt humano cruore & tabe infectum, non abluitur, ſed igne comburitur una cum cadaveribus occiſorum, uti combuſſit Gedeon, & alii victores paſſim: ita contigit etiam in cæde Sennacheribi, & in ſtrage per Chriſtum edita: nam & animas & corpora hoſtium ſuorum æternis gehennæ ignibus deputavit: ita S. Hieron. Baſilius, Rupertus.

V. 6. PARVULUS ENIM NATUS EST NOBIS, Emmanuel, Meſſias, Chriſtus, ET FILIUS, cui pater Deus, cui mater virgo, DATUS EST, non angelis, ſed NOBIS hominibus. Sed quantumcumque parvulus corpore & ætate, & externa præcellentia; tamen a primo illius exortu, FACTUS EST PRINCIPATUS SUPER HUMERUM EIUS; id eſt, natus eſt princeps, rex & dominus cæli & terræ, idque propter unionem hypoſtaticam naturæ humanæ cum Verbo divino, quæ faciebat hunc puerum Deum: ita S. Ambroſius *b*, Auguſtinus, Iſidorus & Bernardus. ET VOCABITUR eritque NOMEN EIUS, primo, ADMIRABILIS, propter inæſtimabiles & incomprehenſibiles in eo reconditos theſauros, ſeu divinitatem ſpectes, ſeu humanitatem. Hoc Chriſti nomen præfigurabat angelus ille, Iudicum XIII. qui dicebat: *Quid quæris nomen meum, quod eſt mirabile?* Secundum eſt, CONSILIARIUS, ob infinitam eius ſcientiam divinam, & eximiam humanam, tum beatificam, tum infuſam: quibus ſcientiis norat omnia etiam intima Dei conſilia, & hominibus optima conſilia dedit. Tertium, DEUS. Sic Hebræum *el* vertunt hic LXX. Theodotion, Aquila, Symmachus, Chaldæus, S. Hieronymus, & alii SS. Patres; quin & R. Haccados & plures Hebræi, & noſtri quoque hæretici, Oecolampadius, Strigelius, Leo Tigurinus, Caſtalio, & Genevenſes. Quartum, *gibbor*, id eſt FORTIS, propter omnipotentiam, & exantlatos in carne labores, inquit S. Bernardus. Quintum, PATER FUTURI SAECULI, quia novi & ſpiritualis ſæculi nobis auctor & parens, uti Adam & Noe veteris ſæculi auctores fuerunt & parentes. Vatablus vertit, *pater æternitatis*, quia morte ſua nos genuit reſurrectioni, cælo & æternitati. Sextum, PRINCEPS PACIS, & verus *Salomon*, id eſt *rex pacificus*, omnis *pacis* & felicitatis auctor, fons & largitor. LXX. interſerunt ſeptimum nomen Chriſti, nempe, *magni conſilii angelus*, ſeu nuntius, maxime in arcano incarnationis, paſſionis, inſtitutionis Euchariſtiæ, &c.

V. 7. MULTIPLICABITUR, id eſt multipliciter augebitur & extendetur, nempe non per ſolam Iudæam, ſed & per univerſum orbem terrarum, EIUS IMPERIUM, quod vocatur *ſuperexcellentiæ*, & complectitur omne genus imperii, tum ſpiritualis, tum politici. Unde principes omnes ſubditi ſunt & vaſalli Chriſto etiam qua homini: & potuiſſet qua talis etiam Auguſtum, & omnes alios reges, ſuis regnis & ſceptris privare; ſed noluit in hac vita uti politico imperio, contentus ſpirituali, quod tunc per ſe, nunc per ſuum vicarium Pontificem Romanum in Eccleſia exercet, inquit Epiphanius *i*, & alii Patres. ET PACIS, id eſt felicitatis per Chriſtum in Eccleſiam & pias animas invehendæ: nam Hebræi nomine *pacis* omne bonum deſignant, inquit Lud. Molina *k*, NON ERIT FINIS, neque menſura, neque terminus. Hoc teſtari poſſunt qui ſubacto diabolo, mundo & ſeipſis, pacem perpetuam intus colunt cum Deo. Neque enim hic agitur de excluſione vel debellatione omnium hoſtium, ſed de victoria ex iiſdem continuo procreanda, quæ ſæpe conſiſtit in patienti adverſitatum & hoſtium tolerantia potius, quam in eorumdem profligatione, inquit S. Cyprianus & Tertullianus *l*. SUPER SOLIUM DAVID, ET SUPER REGNUM patris ſui, id eſt ſuper omnem Iſrael, SEDEBIT Chriſtus tamquam rex, id eſt regnabit: neque ſuper Iſrael tantum, ſed & ſuper Gentes omnes, & ſuper univerſum orbem: regnabit, inquam, non regno temporali, politico & mundano; ſed ſpirituali, longe nobiliori & perfectiori, ac per terrenum illud Davidis regnum adumbrato & præfigurato. Hinc ſubdit Iſaias, Chriſtum ſic regnaturum regno ſpirituali, UT CONFIRMET ET CORROBORET ILLUD Davidis regnum corporale. Figura enim confirmatur & roboratur per ſuum figuratum, quando illud impletur. Corroborabit autem IN IUDICIO ET IUSTITIA, id eſt iuſto iudicio, & irreprehenſibili modo, & quidem USQUE IN SEMPITERNUM: nam re-

gnum

gnum Chriſti numquam capiet finem. ZELUS DOMINI FACIET HOC, id eſt ingens indignatio erga hoſtes, & ſingularis φιλανθρωπία, ſeu amor Chriſti erga ſuos cauſa erit eorum omnium quæ hactenus dixi facturum Chriſtum, in incarnatione, paſſione, hoſtium ſpoliatione, &c. ita Cyrillus.

V. 8. VERBUM hoc omne, quod per Iſaiam MISIT DOMINUS prædicandum IN ſeu adverſus, domum IACOB, id eſt adverſus 10. tribus, quæ conſtituebant regnum Samariæ ſeu Iſrael, reipſa CECIDIT IN ISRAEL; id eſt, ſupervenit ita prorſus Iſraelitis: nempe terra illorum ab Aſſyriis vaſtata eſt, &c. LXX. pro *daber*, id eſt *verbum*, mutatis punctis legerunt *deber*, id eſt *peſtis*. Et revera peſtis erat atque exitium Iſraeli quod Iſaias Dei nomine ipſis comminatus fuit, & Aſſyrii intulerunt: ita Sanchez, & fere recentiores.

V. 9. ET SCIET: nempe, ex ipſo eventu & experientia ſentiet, verax fuiſſe verbum quod ei comminatus ſum.

V. 11. ELEVABIT DOMINUS, id eſt ſuperiores & victores faciet, HOSTES RASIN regis Syriæ, quo ſibi confœderato gaudebant Iſraelitæ, & quibuſvis hoſtibus reſiſtendo ſe pares putabant. Ergo SUPER EUM, id eſt contra Raſinum, primo conſurgent & prævalebunt Aſſyrii: ET IN TUMULTUM VERTENT; id eſt, maximo ſtrepitu & impetu obruent omnia in Syria: *Aſcendit enim rex Aſſyriorum* in Teglatphalaſſar *in Damaſcum, & vaſtavit eam, & tranſtulit habitatores eius Cyrenen* in Mediam: *Raſin autem interfecit*. Porro Syris in Mediam abductis ſubſtituit Aſſyrios, ad incolendam Damaſcum & reliqua Syriæ loca. Hos & reliquias Syriorum, qui Iſraelitis erant

V. 12. AB ORIENTE, ET PHILISTHIIM, Iſraelis antiquos hoſtes, AB OCCIDENTE, traxit ſecum Teglatphalaſſar contra Iſraelem, *& devorarunt* eum TOTO ORE, id eſt avidiſſime & crudeliſſime, quaſi biantes toto ore, inquit S. Hieronymus. Id factum cum Nephthalitas, Zabulonitas, & vicinas tribus devictas & ſubactas expilavit Teglat-phalaſſar, & tranſtulit in Niniven, IV. Reg. xv. 29. IN OMNIBUS HIS, ſeu poſt has omnes immiſſas plagas, NON EST AVERSUS FUROR Dei, SED ADHUC MANUS EIUS EXTENTA ad eoſdem Iſraelitas iterum & gravius feriendos. Quia nempe prioribus plagis non reſipuerunt, vitulos aureos & Baalim non deſeruerunt, Deo cæli ſervire noluerunt. Itaque nova per Salmanaſſar *n* devaſtatione,

V. 14. DISPERDET DOMINUS AB ISRAEL CAPUT ET CAUDAM, id eſt ſummos & infimos: INCURVANTEM; Hebraice, *ramum*, qui expanſus ſe ſuaque folia & fructus curvat, id eſt principem ſeu magiſtratum, qui ſuis viribus & imperio curvat & regit ſubditos: ET REFRAENANTEM; Hebraice, *iuncum*, quo in funem plexo ſolent pauperes frænare iumenta. Deſignat equiſonem vel ſtabularium, & metaphorice viliſſimum mancipium; quaſi dicat: Omnes ad unum diſperdendi ſunt, proceres & ſtabularii, domini & ſervi.

V. 15. LONGAEVUS; id eſt, ſenex, ſeu ſenator, ipſe eſt caput, ipſe ramus, ipſe incurvans & incurvus. PROPHETA DOCENS MENDACIUM, IPSE EST CAUDA: viliſſimum reipublicæ membrum, qui falſis promiſſis ſuis & blanditiis, ſicut canes ſua cauda, adulabantur populo, & obſcena ſua vitia tegebant: & ſicut ſerpentes cauda ſua venenum impietatis in alios immittebant.

V. 17. NON LAETABITUR, id eſt non miſerebitur; quaſi dicat: Ne molliori quidem & blandiori ætati parcet: ſed ne miſerabilium quidem perſonarum, ut ſunt *pupilli* & *viduæ*, MISEREBITUR DOMINUS. QUIA OMNIS HYPOCRITA EST; id eſt, omnes ſunt impii & tranſgreſſores legis divinæ.

V. 18. IMPIETAS ENIM in toto Iſraele SUCCENSA EST, latiſſime graſſatur, ubique dominatur QUASI IGNIS, qui in ſilvam immiſſus, primo devorat VEPREM ET SPINAM, ignobiles frutices; ſed mox ad arbores quoque & nobiliores plantas proſerpit; adeo ut SALTUS totus, quantumcumque denſus, *convolvatur* SUPERBIA, id eſt elatione & altitudine, FUMI AC flammæ ad cælum uſque aſcendentis. Sed ut culpa, ſic etiam pœna omnes involvet, inquit S. Hieronymus.

V. 19. VIR FRATRI SUO NON PARCET; nempe preſſus egeſtate, fama, aliiſque miſeriis.

V. 20. DECLINABIT AD DEXTERAM ET SINI-

SINISTRAM, &c. quaſi dicat: Inſtar rabidæ feræ, quæ preſſa fame ſævit inter armenta, & modo a dextris, modo a ſiniſtris pecus iugulat; ita & Iſraelitæ inter fratres & cognatos ſuos graſſaturi ſunt. UNUSQUISQUE CARNEM BRACHII SUI VORABIT, id eſt fratres, cognatos, & proximos amicos ſuos (qui ipſi loco brachiorum eſſe ſolent, alter alterius membra) ſummo odio & crudelitate ſpoliabit opibus, poſſeſſionibus, vita. Etiam MANASSES EPHRAIM, licet germani fratres, ex eodem patre & matre prognati, inter quos maior ſolet eſſe coniunctio & amor, in mutuas tamen ruent cædes, quia iam SIMUL IPSI conſpirant CONTRA IUDAM.

(a) Iſaiæ VIII. 4.
(b) IV. Reg. XV. 29.
(c) Ibid. cap. VII.
(d) Ianſ. in cap. XXV. Concordiæ.
(e) III. Reg. IX. 13.
(f) Pſal. XXII. 4.
(g) Iudic. 7.
(h) Ambr. Lib. III. de Spiritu ſancto cap. 1. Auguſt. Serm. XXVII. de Tempore. Iſid. Lib. I. de Fide cap. VI. Bernard. Serm. IV. ſuper. *Miſſus*.
(i) Epiph. hæreſi XXIX.
(k) Lud. Molina I. p. q. XXVII. a. I. diſp. 2.
(l) Cyprian & Tertull. l. de Patientia.
(m) IV. Reg. XVI. 9.
(n) IV. Reg. XVIII. 9.

GORDONI.

Verſ. 1. PRIMO TEMPORE ALLEVIATA EST TERRA. Notavi in opere Chronolog. ad 3232. & 3259. duo hæc damna ab Aſſyriis illata regno Iſraelitarum: nam primo alleviata eſt (quaſi leviter afflicta) ditio Iſraelitica, quando tribus Zabulon & Nephtali expugnatæ ſunt a Theglathphalaiar, vel Teglath Phul, circa tempora Achaz regis Iuda. Deinde quando circa annum 7. Ezechiæ everſa eſt Samaria, & regnum exciſum translato populo: via maris hæc eſt inter mare Tyberiadis, & Mediterraneum.

V. 2. POPULUS QUI HABITABAT IN TENEBRIS. Galilæa gentium eſt illa ſuperior & vicina Tyriis ac Sidoniis: de his vaticinatur Iſaias prænuncians lucem ibi magnam, Chriſto per Galilæam prædicante, & patrante miracula: vide Matth. IV. 15. Minus recte hoc retulit Ianſenius ad victoriam Ezechiæ contra Sennacherib.

V. 3. MULTIPLICASTI GENTEM. Alloquitur Propheta lucem illam magnam quæ ſuo adventu multiplicat vocatas gentes, ſed non abſtulit dolorem continuum de cæcitate multorum repugnantium Evangelio: vide Rom. IX. ubi Paulus hoc tactus dolore optat eſſe anathema. Lætabuntur tamen aliunde qui converſi ſunt, & gentiles præſertim, ſicut in die victoriæ contra Madian: ſub Gedeone Iudic. VII. Non ceſſat S. Thomas hæc referre ad Sennacherib ſub Ezechia, cui favere etiam videtur hic verſ. 5. Rectius tamen hæc hoſtium ſpolia & exuvias referemus ad victorem Chriſtum, ut iam cœpi dicere, ut optime docet verſ. ſequens.

V. 4. VIRGAM HUMERI. Verba hæc regiam deſignant poteſtatem.

V. 6. PARVULUS ENIM NATUS EST NOBIS. Hic victor eſt parvulus, ſed Deus fortis, tot magnis nominibus inſignitus, quæ alteri non competunt: obſerva in Heb. paronomaſiam ילד ילד *ieled iullad*, parvulus natus, potens eſt, naſcitur imperator, & imperium in humero, ut bonus princeps, qui velut humero ſuſtentat & portat Eccleſiam, ac populum; vel quia inſigne imperii ſui & crucem humero portabit, ex Auguſt. Baſilio & variis Patribus. Septem hæc nomina Emmanuelis belle explicat Bernardus Serm. X. inter parvos: Admirabilis, inquit, eſt in nativitate, conſiliarius prædicatione, Deus in operatione, fortis in ſua paſſione, pater futuri ſæculi in reſurrectione, princeps pacis in beatitudine: & apud Septuaginta, magni conſilii Angelus. Sunt etiam nunc apud Septuag. reliqua nomina, & a principio editionis fuerunt, licet tempore Hieronymi in quibuſdam huius editionis codicibus non eſſent omnia. Conſulat hunc magni conſilii Angelum Chriſtianus in negotio omni, & præſertim in afflictione. Nota, recte verti paſſive, *vocabitur*, & tam Septuag. quam Hieronymus legerunt יִקָּרֵא *iikkare*, *vocabitur*: male ergo יִקְרָא *iikra*.

V. 7. MULTIPLICABITUR EIUS IMPERIUM, ET PACIS, &c. Cum Chriſtus imperat, non erit finis: ille Spiritus pacem dat & conſervat, & regnat ex domo David in Eccleſia per Vicarium. Sic ſolium David obtinuit, ut ſpirituale hoc regnum ſtabiliret; regnat vero iure unionis hypoſtaticæ, redemptionis & meriti.

V. 8. Verbum misit Dominus, &c. Poſt explicatum zelum Domini exercituum (φιλανθρωπία eſt) Iſaias ex zelo iterum digreditur ad peccata nigratæ nationis Iudaicæ, ac præſertim ad ſuperbiam: textus minarum plenus & clarus eſt, uſque ad verſ. 17.

V. 17. Propter hoc, &c. Non miſerebitur, inquit Deus, propter hypocriſin apertam malitiam, & Doctorum ac Prophetarum adulantium mendacia.

Ex Eiusdem Auctario:

Verſ. 4. Superasti. Tu Chriſte ſuperabis: prophetica locutio.

Verſ. 14. & 15. Hanc vaſtitatem & cædem variis explicat metaphoris. Caput & cauda, Heb. *ramus & truncus*. Incurvatus eſt ſenex: refrænatus accipitur ab aliquibus pro pſeudopropheta quia falſo dogmate ipſe ligatur, & alios velut fræno abducit a vero. Denique ad omnes calamitas veniet.

CAPUT X.

Væ condentibus leges iniquas in oppreſſionem pauperum & viduarum: regem Aſſur, virgam furoris Domini, prædicit ob ſuam ſuperbiam & cordis arrogantiam humiliandum: conſolatur Iſrael ne timeat ab Aſſur, reliquias ipſius ad Deum convertendas prædicens.

1. VAE qui condunt leges iniquas: & ſcribentes, iniuſtitiam
ſcripſerunt: 2. ut opprimerent in iudicio pauperes, & vim
facerent cauſæ humilium populi mei: ut eſſent viduæ præ-
da eorum, & pupillos diriperent, 3. Quid facietis in die
viſitationis, & calamitatis de longe venientis? ad cuius confu-
gietis auxilium? & ubi derelinquetis gloriam veſtram, 4. ne
incurvemini ſub vinculo, & cum interfectis cadatis? Super o-
mnibus his non eſt averſus furor eius, ſed adhuc manus eius extenta. 5. Væ Aſſur,
virga furoris mei & baculus ipſe eſt, in manu eorum indignatio mea. 6. Ad gentem
fallacem mittam eum, & contra populum furoris mei mandabo illi, ut auſe-
rat ſpolia, & diripiat prædam, & ponat illum in conculcationem quaſi lutum
platearum. 7. Ipſe autem non ſic arbitrabitur, & cor eius non ita exiſtima-
bit: ſed ad conterendum erit cor eius, & ad internecionem gentium non pau-
carum. 8. Dicet enim: 9. Numquid non principes mei ſimul reges ſunt? num-
quid non ut Charcamis, ſic Calano; & ut Arphad, ſic Emath? numquid
non ut Damaſcus, ſic Samaria? 10. Quomodo invenit manus mea regna idoli,
ſic & ſimulacra eorum de Ieruſalem, & de Samaria. 11. Numquid non ſicut
feci Samariæ & idolis eius, ſic faciam Ieruſalem & ſimulacris eius? 12. Et
erit: cum impleverit Dominus cuncta opera ſua in monte Sion, & in Ieruſa-
lem, viſitabo ſuper fructum magnifici cordis regis (*a*) Aſſur, & ſuper gloriam
altitudinis oculorum eius. 13. Dixit enim: In fortitudine manus meæ feci, &
in ſapienttia mea intellexi: & abſtuli terminos populorum, & principes eorum
deprædatus ſum, & detraxi quaſi potens in ſublimi reſidentes. 14. Et invenit
quaſi nidum manus mea fortitudinem populorum: & ſicut colliguntur ova,
quæ derelicta ſunt, ſic univerſam terram ego congregavi: & non fuit qui
moveret pennam, & aperiret os, & ganniret. 15. Numquid gloriabitur ſecu-

ris

Digitized by Google

ris contra eum, qui ſecat in ea? aut exaltabitur ſerra contra eum, a quo trahitur? quomodo ſi elevetur virga contra elevantem ſe, & exaltetur baculus, qui utique lignum eſt. 16. Propter hoc mittet dominator Dominus exercituum in pinguibus eius tenuitatem: & ſubtus gloriam eius ſuccenſa ardebit quaſi combuſtio ignis. 17. Et erit lumen Iſrael in igne, & Sanctus eius in flamma: & ſuccendetur, & devorabitur ſpina eius, & vepres in die una. 18. Et gloria ſaltus eius, & carmeli eius, ab anima uſque ad carnem conſumetur, & erit terrore profugus. 19. Et reliquiæ ligni ſaltus eius præ paucitate numerabuntur, & puer ſcribet eos. 20. Et erit in die illa: non adiiciet reſiduum Iſrael, & hi qui fugerint de domo Iacob, inniti ſuper eo qui percutit eos: ſed innitetur ſuper Dominum ſanctum Iſrael in veritate. 21. * Reliquiæ convertentur, reliquiæ, inquam, Iacob ad Deum fortem. 22. (*b*) Si enim fuerit populus tuus Iſrael quaſi arena maris, reliquiæ convertentur ex eo: conſummatio abbreviata inundabit iuſtitiam. 23. Conſummationem enim & abbreviationem Dominus Deus exercituum faciet in medio omnis terræ. 24. Propter hoc, hæc dicit Dominus Deus exercituum: Noli timere populus meus habitator Sion, ab Aſſur: in virga percutiet te, & baculum ſuum levabit ſuper te in via AEgypti. 25. Adhuc enim paululum modicumque, & conſummabitur indignatio & furor meus ſuper ſcelus eorum. 26. (*c*) Et ſuſcitabit ſuper eum Dominus exercituum flagellum, (*d*) iuxta plagam Madian in petra Oreb, & virgam ſuam ſuper mare, & levabit eam in via AEgypti. 27. Et erit in die illa: Auferetur onus eius de humero tuo, & iugum eius de collo tuo, & computreſcet iugum a facie olei. 28. Veniet in Aiath, tranſibit in Magron: apud Machmas commendabit vaſa ſua. 29. Tranſierunt curſim, Gaba ſedes noſtra: obſtupuit Rama, Gabaath Saulis fugit. 30. Hinni voce tua filia Gallim, attende Laiſa, paupercula Anathoth. 31. Migravit Medemena: habitatores Gabim confortamini. 32. Adhuc dies eſt, ut in Nobe ſtetur: agitabit manum ſuam ſuper montem filiæ Sion, collem Ieruſalem. 33. Ecce dominator Dominus exercituum confringet lagunculam in terrore, & excelſi ſtatura ſuccidentur, & ſublimes humiliabuntur. 34. Et ſubvertentur condenſa ſaltus ferro: & Libanus cum excelſis cadet.

(a) IV. Reg. xix. 35. Inf. xxxvii. 36. (b) Rom. ix. 27. Infr. xi. 11. (c) Infr. xxxvii. 36 (d) Iud. vii. 27.

BRUGENSIS

ROMANA CORRECTIO.

Verſ. 21. *Reliquiæ convertentur*. Quod præcedit *in veritate*, permaneat finis verſus periodique præcedentis, non adiungatur huic.

COMMENTARIA

MALDONATI.

Verſ. 1. VAE QUI CONDUNT LEGES INIQUAS. Deſcribit peccata populi, quæ ſupra vepres & ſpinas appellaverat. ET SCRIBENTES, Heb. ומכתבים, *& qui dictantes*, עמל כתבו *oppreſſionem* (aut iniuſtitiam) *ſcribere faciunt*; id eſt, qui pronuntiant iniquas ſententias, quibus pauperes opprimantur.

V. 2. Ut opprimerent : להטות מדין דלים, *ut avertant a iudicio. pauperes*; id eſt, ut privent pauperes iure ſuo, ut cadere ſaciant cauſa ſua. Et vim facerent. ולגזל משפט עניי עמי, *& diripiant iudicium pauperum populi mei*, id eſt ſpolient eos iudiciis ac iure ſuo. Ut essent, להיות, *ut ſint* viduae praeda eorum, et pupillos, יבזו, *diripiant*.

V. 3. Quid facietis; id eſt, quid vobis proderunt peccata, opes, vires, fœdera cum hoſtibus Dei? Cum calamitas venerit de longe, id eſt ab Aſſyria. Ubi relinquetis gloriam vestram? id eſt, divitias quibus gloriamini; hoc eſt, ubi eas reponetis, ut poſſint uſui & auxilio vobis eſſe.

V. 4. Ne incurvemini sub vinculo. Heb. בלתי כרע, *ut non corruat ſub vinclo, & ſub interfectis cadant*: perſonæ mutatio & numeri; quaſi dicat, Quid proderunt vobis opes veſtræ, quominus cum vinctis detrudamini in carcerem ab AEgyptiis, & cum interfectis cadatis in bello?

V. 5. Vae Assur. הוי aliqui dicunt hoc loco interiectionem; ſed adverbium vocantis aut exhortantis. Sed melius Hieron. Septuag. interpretantur, *Væ*; minatur enim Deus Aſſyriis fore, ut cum eorum opera ad puniendos Iſraelitas uſus fuerit, ipſos quoque perdat, ut apparet ex verſ. 12. Propterea virgam vocat, quia ſicut pater poſtquam filium virgis cæcidit, eas in ignem proiicit; ita Deus poſtquam per Aſſyrios Iſraelitas caſtigavit, eos ipſos delevit. Et baculus ipse est in manu eius. Heb. ומטה הוא בידם זעמי, *& baculus qui in manu eorum* (Aſſyriorum) *eſt*, (eſt baculus) *indignationis meæ*. Baculum vocat arma Aſſyriorum, quibus ſe ad explendam indignationem ſuam contra Iſrael uſurum dicit.

V. 6. Ad gentem fallacem. חנף, *ſimulatricem*, id eſt ad Iſrael. Et contra populum furoris mei, id eſt contra Iſrael, contra quem incenſus eſt furor meus.

V. 7. Ipse autem (Aſſur) non sic arbitrabitur; id eſt, non intelliget ſe eſſe virgam furoris mei, neque ſe id non facere ſuis viribus, ſed meis. Verum tantum cogitabit de conterendo Iſrael, & de internecione gentium non paucarum, id eſt Iſraelitarum, qui multi numero ſunt; ſibique victoriam attribuet.

V. 8. Dicet enim: Numquid non principes mei simul reges sunt? id eſt, nonne principes viri qui in meo regno mihi ſubditi ſunt, tam potentes ſunt quam rex Iſrael, & rex Iuda? itaque facile eos debellabo.

V. 9. Numquid non ut Charcamis, sic Calano? id eſt, ſicut expugnavi Charcamis, ſic etiam Calano expugnavi; quaſi dicat, Nonne ego ipſe ſum qui Charcamis & Calano duas munitiſſimas urbes expugnavi? Charcamis civitas eſt iuxta Euphratem: II. Paral. xxxv. 20. & Ierem. xlvi. 2. Calano autem civitas eſt Babyloniæ, de qua hoc tantum loco legimus. Et ut Arphad, sic Hemath? (ſub. ego expugnavi.) Arphad inſula eſt in Phœnicia Plinio & Melæ. Emath autem aut Hemat hoc loco vel urbis, vel totius regionis a præcipua urbe ſic appellatæ nomen eſſe poteſt: ut IV. Reg. xxxiii. 23. & I. Paralip. xviii. 3. quas duas regiones rex Aſſyriorum gloriatur a ſe ſubiugatas, ut oſtendat multo facilius ſe poſſe Ieruſalem & Samariam ſubiugare. Illuſtratur hic locus loco altero: IV. Reg. xviii. 33. 34. Numquid non ut Damascus, (a me expugnata eſt) sic Samaria (expugnabitur.) Comparat Damaſcum cum Samaria; quia eiuſdem Syriæ duæ erant potentiſſimæ civitates. Illa ſedes regis Syriæ, quam rex Aſſyriorum vaſtavit: IV. Reg. xvi. 9. Hæc autem regum Iſrael, quam etiam cepit rex Aſſyriorum: IV. Reg. xvii. 6.

V. 10. Quomodo invenit manus mea, id eſt quemadmodum ſubiugavit: invenire poſuit pro acquirere. Regna idoli, id eſt ubi idola colebantur, quæ auxilio illis fore credebantur. Sic et simulacra eorum. Heb. ופסליהם מירושלים ומשמרון, *Et ſculptilia eorum præ Hieruſalem & Samaria*; id eſt, quæ maiora & fortiora, quam Deus qui colitur in Ieruſalem & Samaria: vide IV. Reg. xviii. 33. 34.

V. 11. Numquid non sicut feci Samariae et idolis eius. Non erant idola in Ieruſalem, ſed homo impius idola more ſuo vocat Deum, qui Ieroſolymis colebatur.

V. 12. Eterit. Heb. pro *accidit*. Cum com-

COMPLEVERIT DOMINUS CUNCTA OPERA SUA, id eſt cum caſtigaverit Ieruſalem & Iſrael: vocat opera Domini quæ homines impii faciunt, quia Deus illis tamquam inſtrumentis in bonum utitur. VISITABO. Mutat perſonam, ut Deus ipſe ore ſuo loquens maiorem vim orationis addat. SUPER, על *contra*, FRUCTUM MAGNIFICI CORDIS REGIS ASSUR; aut, ut Heb. eſt, *magnitudinis cordis regis Aſſur*, id eſt ſuperbiæ regis Aſſyriorum. Fructum autem ſuperbiæ vocat lætitiam victoriæ ſeſe inſolenter efferentem, quam Deus ſe viſitaturum dicit, id eſt caſtigaturum, ac depreſſurum. ET SUPER GLORIAM ALTITUDINIS OCULORUM EIUS. Idem aliis verbis dicit: ſuperbia enim in corde reſidet, ſed oculis indicatur.

V. 13. DIXIT ENIM; id eſt, reputavit apud ſe, vel gloriatus eſt ſe ſuis viribus victoriam conſecutum eſſe, ſuoque conſilio omnia perfeciſſe. ET ABSTULI TERMINOS POPULORUM; id eſt, exterminavi populos, vel perrupi in terminos populorum, eoſque ſubieci. ET PRINCIPES EORUM. Heb. ועתידותיהם, & *præparata eorum*, id eſt theſauros eorum deprædatus ſum. ET DETRAXI. Heb. ואוריה, & *deieci*, deturbavi ut potens: יושבים *ſedentes* (ſub. in ſolio regio.) Alii legunt כאביר pro כאביר, id eſt ſedentes in honorifico loco.

V. 14. ET INVENIT QUASI NIDUM. Eleganti metaphora divitias & theſauros diverſorum populorum, quos fortitudinem, id eſt robur & præſidium vocat, comparat nido, homines avibus. Senſus itaque eſt: Non maiore difficultate ego rex Aſſyriorum omnium populorum theſauros diripui, quam ſolet auceps ova fugientibus avibus derelicta diripere. ET NON FUIT QUI MOVERET PENNAM, id eſt qui reſiſteret mihi, ET APERIRET OS, ET GANNIRET: ומצפצף, *qui garriret*, quod avium proprium eſt. Perſeverat in metaphora. Solent enim aves, cum aliquis earum ova tollit, cum aliter reſiſtere non poſſint, pennas ſaltem quatere, & garritu lamentari. Senſus eſt: Nemo fuit qui auſus fuerit movere ſeſe, aut hiſcere contra me.

V. 15. NUMQUID GLORIABITUR SECURIS. Verba ſunt Dei aut Prophetæ contra regem Aſſyriorum docentis non debere eum magis gloriari, quod tot populos viciſſet, quam ſecuris quod multa ligna ſecuiſſet; non enim ipſe, ſed Deus fecit, etſi peccatum ipſius fuit, non Dei. QUOMODO SI ELEVETUR VIRGA, id eſt glorietur CONTRA ELEVANTEM SE; ET EXALTETUR, id eſt efferatur. Heb. כהניף, *ſicut movere* (ſe) *virgam*, id eſt quemadmodum ſi ſe iactaret: כהרים, & *quemadmodum ſi* (ſe) *extolleret baculus*. Nemo tam bene vertit, quam noſter Interpres. QUI UTIQUE LIGNUM EST. Heb. לא עץ, *non lignum*, id eſt qui non eſt ligneus, ſed ferreus, qui multo minus per ſe moveri poteſt. Aut, qui non eſt lignum, id eſt baculus arundineus & fragilis, non ligneus & fortis: ſicut IV. Reg. XVIII. 21. & Iſai. XXXVI. 6. & Ezech. XXIX. 6. Hieron. & Septuag. videntur legiſſe האו עץ pro לא עץ.

V. 16. PROPTER HOC, id eſt quia rex Aſſyriorum tantopere gloriatur. MITTET DOMINUS IN PINGUIBUS. במשמניו, *in pinguia*, aut in pingues eius, TENUITATEM, רזון, *maciem*, id eſt opes & copiam omnium rerum, qua gloriatur (hanc enim vocat pinguedinem) in paupertatem convertet. ET SUBTUS GLORIAM EIUS. Heb. & *ſub gloriam eius*. יקד וקוה כיקוה איש, *accendit incendium*, *ſicut incendium ignis*; id eſt, quaſi igne exuret omnes radices gloriæ eius, id eſt amputabit illi omnes cauſas gloriandi. Sumpta eſt tranſlatio ab agricolis, qui cum aliquam arborem penitus extirpare volunt, non ſolum eam evellunt, ſed radices etiam igne adurunt, ne iterum repullulaſcant: hanc vim habet illa particula *ſubtus*.

V. 17. ET ERIT LUMEN ISRAEL; id eſt, Deus qui illuminator & auxiliator eſt Iſrael, IN IGNE: in ignem ad conſumendos Aſſyrios. ET SANCTUS EIUS, (Iſrael) id eſt, Deus IN FLAMMA. ET SUCCENDETUR. Heb. active: ובערה ואכלה, & *accendet*, & *devorabit vepres eius*, id eſt regis Aſſyrii, de quo ante loquebatur; hoc eſt, milites eius, qui quaſi ſpinæ erant, quibus rex pungebat & vulnerabat omnes gentes: IV. Reg. XIX. Tradunt Hebræi Aſſyrios cæleſti igne intus fuiſſe conſumptos integris veſtibus; propterea dicit Propheta Deum futurum in ignem & flammam.

V. 18. ET GLORIA SALTUS EIUS. Heb. יערו,

Digitized by Google

יערו, *ſilvæ eius*, id eſt Duces exercitus eius, quos altiſſimis Libani cedris comparat; exercitum vero ipſum ſilvæ, quia varii in eo ſunt milites, alii magni, alii parvi, ſicut in ſilva variæ ſunt arbores. ET CARMELI EIUS, id eſt inferiores milites. In Libano altiſſimæ erant arbores, in Carmelo monte humiles, inf. xxix. 17. *Et in brevi convertetur Libanus in Carmel, & Carmel in ſaltum reputabitur*. Senſus ergo eſt, Peribunt Duces & gregarii milites. AB ANIMA USQUE AD CARNEM, id eſt omnino, intrinſecus & extrinſecus conſumentur. ET ERIT TERRORE PROFUGUS. Heb. והיה כמסס נסס, *Et erit, ſicut diſſolvitur vexillifer*; id eſt, ita totus Aſſyriorum exercitus diſſipabitur, ut diſſipari ſolet exercitus, cuius vexillifer defecit. Noſter Interpres ſenſum reddidit. Septuag. vero, καὶ ἔςαι ὁ φεύγων ὡς ὁ φεύγων ἀπὸ φλογὸς καιομένης.

V. 19. ET RELIQUIAE LIGNI SALTUS EIUS. יערו *ſilvæ eius*; id eſt, milites exercitus eius, qui ex clade reliqui fuerint. PRAE PAUCITATE NUMERABUNTUR. מספר יהיו, *numerus erunt*, id eſt facile numerari poterunt. ET PUER SCRIBET EOS; id eſt, qui tardiſſime ſcribit ut puer, facile ſcribet eos, qui pauciſſimi erunt.

V. 20. ET ERIT IN DIE ILLA: NON ADIICIET RESIDUUM ISRAEL, id eſt Iſraelitæ qui ex ea calamitate evaſerint. *Et ii qui fugerint*. H. ופליטת בית־יעקב *& qui ſalvus fuerit ex domo Jacob*. Repetitio ejuſdem ſententiæ. INNITI SUPER EO QUI PERCUTIT EOS, id eſt ſuper rege Aſſyriorum. Videtur hoc loco nomen Iſrael & Iacob non accipi proprie pro decem tribubus, ſed generaliter etiam pro Iuda & Ieruſalem, ut alludatur ad fœdus quod Achaz rex Iuda inivit cum rege Aſſyriorum contra regem Syriæ: IV. Reg. xvi. cum poſtea Ieruſalem ſub Ezechia ab eodem Aſſyriorum rege obſeſſa afflictaque ſit. SED INNITETUR SUPER DOMINUM SANCTUM ISRAEL IN VERITATE, id eſt ſincere, non ſimulate ſicut ante. Declarat fructum caſtigationis Dei.

V. 22. SI ENIM FUERIT POPULUS TUUS ISRAEL QUASI ARENA MARIS, id eſt innumerabilis, RELIQUIAE CONVERTENTUR EX EO; id eſt, quamvis populus Iſrael ſit innumerabilis, pauci liberabuntur ab rege Aſſyriorum. Aut, ut alii exponunt, *ex innumerabili populo, reliquiæ tantum*, id eſt pauci ad Deum convertentur. Ego ab interpretatione D. Pauli diſcedendum non arbitror, qui ad Rom. ix. 27. hunc locum de prædeſtinatione interpretatur in hanc ſententiam: Quamvis populus innumerabilis ſit, tamen reliquiæ, id eſt qui a Deo ut ſalvi ſint, prædeſtinati ſunt, non peribunt cum reliquis, ſed ad Deum convertentur: novit enim Deus in tanta multitudine qui ſunt ſui, eoſque ſalvabit.

V. 23. CONSUMMATIO ABBREVIATA INUNDABIT, id eſt quando conſummatio abbreviata, חרוץ, *deciſa*, ad minutiſſimos calculos; quaſi dicat, Reliquiæ convertentur & ſalvæ erunt ex ea generali calde שוטף quæ inundabit, id eſt quæ inferetur a Domino quaſi torrens aliquis ad vaſtandam univerſam terram: hanc enim hoc loco vim habet verbum inundandi צדקה, pro בצדקה, *in iuſtitia*, id eſt iuſto Dei iudicio. CONSUMMATIONEM ENIM. Reddit cauſam quare dixerit, conſummationem inundaturam terram, quia Deus facturus eſt conſummationem, id eſt conſumpturus eſt omnem terram; aut, perfectam rationem cum omnibus hominibus poſiturus eſt; quaſi dicat, Finem rationum faciet cum omnibus, ut Galli vulgo dicunt. Et pro ſuis quemque meritis, vel caſtigabit, vel liberabit. ET ABBREVIATIONEM. ונחרצה, *& deciſionem*; id eſt, minutiſſimas rationes inibit cum omnibus, decidetque cum illis: numerabit cum illis per fractiones, ut Arithmetici loquuntur. Quod ante dixit כליון, *conſummationem*, nunc dicit כלה, *conſumptionem*: & quod ante חרוץ, *deciſam*, nunc נחרצה, *deciſionem*; id eſt, quod ante dixit, *inundabit*, nunc dicit, *in medio terræ*: & quod ante, *in iuſtitia*, nunc, *Dominus Deus exercituum faciet*: Iuſte enim fit quidquid a Deo fit. Eadem ſententia repetitur iiſdem verbis infra cap. XXVIII. 22. D. Paulus Septuag. verſionem ſecutus, aliis verbis, ſed eodem ſenſu interpretatur hunc locum ad Rom. ix. 28. λόγον γὰρ συντελῶν, καὶ συντέμνων ἐν δικαιοσύνῃ, ὅτι λόγον συντετμημένον ποιήσει κύριος ἐπὶ τῆς γῆς·

V. 24. PROPTER HOC; id eſt, quia Dominus magnam iſtam cladem facturus eſt,

eſt, qua impios aboleat, pios conſervet. Noli timere populus meus habitator Sion, id eſt Ieroſolymitanus, a Assur; id eſt a rege Aſſyriorum, qui te obſidebit. In virga enim percutiet te, id eſt leviter ad caſtigationem, non ad perniciem tui; ego enim ſum qui eo rege tamquam paterna virga uſurus ſum ad corrigendum te. Et baculum suum levabit super te; id eſt, minitabitur tibi mortem, ſed non inferet. Virga verberamus, baculo etiam occidimus. Levare baculum eſt minari mortem, ſicut arcum tendere. Pſal. vii. 13. In via AEgypti. Hebraiſmus, pro, more AEgyptiorum; id eſt, quemadmodum olim Pharao rex AEgypti afflixit te, ſed non perdidit, ita nunc faciet Sennacherib rex Aſſyriorum. Nam ſicut tunc poſt longam vexationem liberavi te ſummerſo exercitu Pharaonis, ita nunc poſt longam obſidionem liberabo te cæſo fugatoque exercitu Sennacherib, IV. Reg. xix.

V. 25. Adhuc enim paululum modicumque, id eſt valde modicum: poſt breviſſimum tempus consummabitur indignatio mea; id eſt, placabor erga te ſumptis dignis de te pœnis. Reddit cauſam cur timere non debeat ab Aſſur, quia antequam ab eo Ieroſolyma capiatur, Dominus placabitur modico tempore. Et furor meus super scelus eorum. H. על תבליתם, *ad abolitionem eorum*, (ſub. convertetur,) id eſt, avertam iram meam abs te, cum te ſatis caſtigavero, & convertam in Aſſyrios hoſtes tuos, per quos te punivi.

V. 26. Et suscitabit super eum. עליו, *contra eum*, id eſt contra regem Aſſur. Dominus exercituum flagellum, id eſt divinitus flagellabit eum. Verbum *ſuſcitabit* hanc vim habet, de improviſo, & unde minime ſperabat, inde verberabitur a Deo. Iuxta plagam Madian in petra Oreb; id eſt, ſicut olim divinitus percuſſit Madianitas in rupe Oreb duce Gedeone, Iudic. vii. Et virgam suam super mare: repetendum ἀπὸ τοῦ κοινοῦ, *iuxta virgam ſuam*; id eſt, ſicut olim levata Moſis virga ſuper mare rubrum merſit AEgyptios, Exod. xiv. Et levabit eam (virgam ſuam) in via AEgypti; id eſt, oſtendet potentiam ſuam contra hoſtes tuos, (hoc enim ſignificat hic levare virgam,) ſicut oſtendit olim in AEgypto: aut, iuxta virgam ſuam. Et levavit eam; ונשאו, id eſt, quam levavit in via AEgypti, id eſt cum veneritis ex AEgypto. Loquitur de ſe Deus per tertiam perſonam.

V. 27. Et erit (fiet tunc) *ut auferatur* onus eius (Aſſur) de humero tuo; id eſt, liberere ab eius obſidione. Et computrescet iugum. חבל, *diſſipabitur iugum*, id eſt exercitus Sennacherib, qui cervicibus tuis imminebat. A facie olei, id eſt propter unctionem regis Ezechiæ; quaſi dicat: Habebo rationem Ezechiæ, qui oleo ſancto meo unctus eſt, liberaboque eum ab hoſtibus.

V. 28. Veniet in Aioth. Alii viam a Propheta deſcribi putant, qua rex Aſſyriorum venturus erat Ieroſolymam, ut eam expugnaret. Ego potius viam, qua conciſa maiore parte exercitus fugiturus erat: nam etſi eadem via fugit qua venerat, ut dicitur infra cap. xxxvii. 35. & IV. Reg. xix. 28. & 33. tamen hic non de eius adventu, ſed de fuga agitur. In Aioth, H. על־עית, *in Aiath*: urbs Iuda eſt, de qua nuſquam niſi hoc loco fit mentio; ſicut & Magron. Apud Machmas commendabit vasa sua. H. יפקיד כליו, *deponet vaſa ſua*, id eſt bellica impedimenta, ut expeditius fugiat. Machmas urbs eſt in confinio Beniamin & Ephraim.

V. 29. Transierunt cursim. Heb. עברו מעברה, *tranſierunt tranſitum*, id eſt curſim, vel, vadum Iordanis. Gabaa sedes nostra. גבע מלון לנו, *Gebaa diverſorium* (ſit) *nobis*, *dixerunt dum fugerent*; id eſt, ne conſiſtamus, donec perveniamus Gabaa, ut tutiores ſimus. Alii vertunt, *In Gabaa diverſorio pernoctabunt*: לנו enim utrumque eſſe poteſt, & verbum & affixum, *nobis*; ſenſus autem eſt idem. Obstupuit Ramah, id eſt territa eſt ſubito adventu regis Aſſyriorum. Ramah eſt urbs Beniamin prope Gabaon, Ioſue xviii. 25. Iud. iv. 5. & xix. 13. Gabaa Saulis fugit. Hæc etiam eſt urbs Beniamin: Ioſue xviii. 28. & II. Reg. xxiii. 29. quæ ideo Saulis dicebatur, quod in ea Saul regiam haberet: I. Reg. x. 26. & xv. 34.

V. 30.

V. 30. Hinni. H. אהלי, *exalta, tolle vocem tuam, filia Gallim*. Aliqui putant unum eſſe Hebraice nomen Bath-Gallim, quæ civitas ſit in eodem tractu. Poteſt autem duplex eſſe ſenſus, vel ut eam civitatem vocem tollere iubeat lætitiæ cauſa propter ſugam regis Aſſyriorum: vel, ut eam iubeat clamare, ut admoneat vicinas civitates, uti caveant a rege Aſſyriorum ſugiente. Attende Laisa. H. הקשיב, *audire fac Laiſam pauperculam Anathoth*, vel, audire fac Laiſa pauperculam Anatheth, ſamam fugientis regis Aſſyriorum. Laiſa erat civitas in Iuda. I. Matth. ix. 5. Anathot autem in tribu Benjamin tria millia paſſuum diſtans a Ieruſalem, patria Ieremiæ, Ierem. I. I.

V. 31. Migravit Medemena. Heb. *Madmenah* urbs in tribu Iuda, I. Paral. II. 49. quam aliqui putant alio nomine vocari Berſabee. Habitatores Gabim confortamini. H. העיזו, *congregabunt ſe*, id eſt parabunt ad fugam.

V. 32. Adhuc dies est ut in Nobe stetur. Nobe erat civitas Sacerdotum in tribu Benjamin, I. Reg. xxi. I. & xxii. 9. & 19. non longe a Ieruſalem. Alii ergo putant ſignificari hoc loco regem Aſſyriorum tam prope ad Ieroſolymam acceſſurum, ut lucente adhuc die ſtet in Nobe, quaſi in proſpectu Ieroſolymæ, indeque mota manu illi minitetur. Ego malim de fuga ſicut cetera interpretari; quaſi dicat: Tanto metu correptus fugiet, ut cum in Nobe pervenerit, poſſitque in ea urbe uno die quieſcere, non audeat, ſed manum moveat ſuper montem filiæ Sion, id eſt, contremiſcat eius metu, dicatque nihil velle ſe contra eam amplius intentare: ſicut vulgo dicitur, Faciet ſignum Crucis, aut, quod lectioni Hebraicæ magis convenit, Movebit manum ſuam mons filiæ Sion, id eſt, Ieroſolyma irridebit regem Aſſyriorum fugientem, ut IV. Reg. xix. 21. *Sprevit te, & ſubſannavit te, virgo filia Sion: poſt tergum tuum caput movit, filia Ieruſalem.*

V. 33. Ecce enim. Reddit cauſam cur Ieroſolyma irriſura ſit ſugientem Aſſyrium, quia Dominus confringet lagunculam in terrore. H. מסעף
פארה במערצה ad verbum, *deramificat ramum in robore*; id eſt, potentia ſua defringet ſublimes ramos, id eſt duces & principes exercitus Aſſyriorum. Septuag. ſenſum aliis verbis reddiderunt, *συνταράξει τὺς ἐνδόξους μετὰ ἰσχύος*. Et excelsi statum, רמי, malim neutro genere, *excelſa ſtatura*, (ligna) succidentur; id eſt, ſuperbi duces Aſſyriorum interficientur.

V. 34. Et subvertentur. H. ונקף *& exſcindet* (Dominus) *condenſa ſilvæ*, id eſt confectas acies exercitus Aſſyriorum, quem ſilvæ denſiſſimæ comparat propter multitudinem militum. Et Libanus cum excelsis. H. באדיר, *forti* (ſub. ferro) vel per fortem (angelum, aut Deum) cadet.

S A.

Verſ. I. Et scribentes; pro, nam ſcribentes. LXX. *ſcribentes enim*.

V. 3. Visitationis, id eſt punitionis Dei. Longe, ſcilicet Aſſyria. Gloriam, id eſt opes, de quibus ſoletis gloriari; quaſi dicat, Quid tunc fiet de rebus veſtris? vel, Quem tunc pecunia exercitum comparabitis, qui vos defendat?

V. 5. Assur. LXX. *Aſſyriis*: poteſt & nominativus eſſe; quaſi dicat, Væ vobis, nam Aſſur, &c. Virga furoris mei, id eſt qua utor ad puniendum iratus. Baculus, ſcilicet quo percutiam vos.

V. 6. Fallacem. Chald. *hypocritam*. LXX. *iniquam*. Furoris mei, id eſt cui ſum iratus. Mandabo. Not. Dei permiſſionem in malis dici mandatum, quia ea in bonum iuſtitiæ ſuæ ordinat: ſic David dixit maledictionem a Deo præceptam: II. Reg. xvi.

V. 9. Mei, id eſt mihi ſubditi. Charcamis, ſcilicet expugnata eſt a me. Emath. LXX. *Arabia*. Samaria, ſcilicet expugnabitur, vel expugnata eſt.

V. 10. Idoli, id eſt ubi coluntur idola. De Samaria, ſcilicet auſeram.

V. 12. Cuncta opera sua, id eſt quidquid deſtinavit facere per Aſſyrios. Magnifici. Chald. *elati*. Altitudinis: notatur faſtus & arrogantia.

V. 14. Derelicta, ſcilicet ab ave.

V. 15. Quomodo, &c. ſcilicet ſic elevatur Aſſur, & exaltatur contra me.

V. 16.

V. 16. PINGUIBUS, id eſt fortibus. TENUITATEM. Chald. *plagam*. SUCCENSA: lege ſic, *quaſi combuſtio ſuccenſa*; quaſi dicat: Conſumam velut igni ſubiecto gloriam eius, id eſt potentiam, ſeu exercitum, quo gloriatur.

V. 17. LUMEN ISRAEL, id eſt Deus. IN IGNE, id eſt velut ignis; ſcilicet ſuos illuminans, & deſcendens, hoſtes perdens. SPINA EIUS, ET VEPRES. Chald. *Principes, & Satrapæ*, ſcilicet Aſſyriorum.

V. 18. SALTUS. Chald. *multitudinis exercitus*. CARMELI, id eſt agri fertilis, ſeu arboribus conſiti, ſcilicet exercitus. Repetitio. AB ANIMA USQUE AD CARNEM, id eſt anima, & corpore. Chald. *animæ cum corporibus*.

V. 19. LIGNI SALTUS. Chald. *bellatorum*. SCRIBET, id eſt poterit deſcribere.

V. 20. PERCUTIT, ſcilicet hoſtis, cui antea ſerviebat.

V. 21. RELIQUIAE, id eſt reliqui, ſeu pauci.

*V.*22.CONSUMMATIO, id eſt perfectio, ſeu conſumptio; ſcilicet re ad paucos eoſque perfectos redacta. LXX. ſic locum hunc totum reddiderunt: *Verbum enim* (accuſativus eſt) *conſummans & abbrevians in iuſtitia* (ſcilicet Deus) *quia verbum abbreviatum Dominus Dominus exercituum faciet in univerſo orbe*. INUNDABIT IUSTITIAM, id eſt affluet iuſtitia.

V. 23. CONSUMMATIONEM. Chald. *conſumptionem impiorum*.

V. 24. IN VIA AEGYPTI, id eſt more AEgypti; quaſi dicat, Ut olim te percuſſit AEgyptus.

V. 25. CONSUMMABITUR, id eſt ceſſabit; ſcilicet contra te, & vertetur contra Aſſyrios. EORUM, id eſt Aſſyriorum, ſcilicet vertetur. VIRGAM; pro, iuxta virgam, ſcilicet qua percuſſit AEgyptios iu mari. IN VIA AEGYPTI, id eſt ut olim percuſſit AEgyptios. Repetitio.

V. 27. COMPUTRESCET. LXX. *corrumpetur*; quaſi dicat, Diſſolvetur. IUGUM, ſcilicet quo te premebat. A FACIE OLEI, id eſt propter Dei miſericordiam. Chald. *a facie Chriſti*.

V. 28. VENIET, ſcilicet Aſſyrius. Deſcribit civitates, per quas Aſſyrius tranſiit iu Ieruſalem. VASA, id eſt impedimenta, ſeu inſtrumenta bellica.

V. 29. SEDES NOSTRA; quaſi dicat: Dicent, ſedeamus hic, & quieſcamus.

V. 30. HINNI, id eſt clama, ſcilicet ad vicinas civitates, adventare hoſtes. FILIA, id eſt congregatio; quaſi dicat, Popule. PAUPERCULA; pro, & paupercula.

V. 31. MIGRAVIT, ſcilicet fugiens.

V. 32. ADHUC DIES, &c. quaſi dicat: Dicent, opportunum eſt ut in Nobe ſubſiſtamus. Chald. *Adhuc dies magnus, & multum tempus ut ingrediatur* (ſcilicet Ieruſalem) *ſtabit Sennacherib in Nobe urbe ſacerdotum contra murum Ieruſulam*.

V. 33. CONFRINGET, ſcilicet Aſſyrios. LAGUNCULAM; pro, ut laguneulam. EXCELSI STATURA. Comparat milites arboribus, & exercitum ſaltui.

ESTII.

Verſ. 5. & 7. VAE ASSUR, VIRGA FURORIS MEI, ET BACULUS IPSE EST, IN MANU EORUM INDIGNATIO MEA. Quæri ſolet, quare Deus permittat malos eſſe in mundo? cum ſecundum iudicium humanum rectius videretur ſe habitura rerum univerſitas, ſi nihil omnino in eo mali eſſet, ſed omnia bona. Quibus reſpondet Aug. Enchiridii cap. XI. dicens: „ In hac rerum univerſitate illud, quod malum dicitur, bene ordinatum, & ſuo loco poſitum eminentius commendat bona, ut magis placeant, laudabiliores ſint, dum comparantur malis. Neque enim Deus omnipotens, cum ſumme bonus ſit, ullo modo ſineret mali eſſe aliquid in operibus ſuis, niſi uſque adeo eſſet omnipotens & bonus, benefaceret etiam de malo." Hæc ille. Benefacit autem Deus de malo multipliciter; vel ut bona malorum comparatione magis placeant: quis enim ſciret quantum, & quam optabile bonum ſit pax, niſi bellorum calamitates tamdiu eſſemus experti? Vel ut mali corrigantur, ut Saulus; vel ut boni per malos exerceantur, mali puniantur.

Utriuſque exemplum habemus in propoſito: nam in populo Iſraelitico, qui tam graviter affligebatur a rege Aſſyriorum, quidam erant boni, quidam mali. Boni exercebantur ad virtutem, mali iuſtam luebant pœnam. Et rurſum inter malos alii flagellis emendabantur, & in

iis commendabatur bonitas divina ; alii duriores evadebant, & in iis declarabatur Dei iuſtitia. Sic ergo aptiſſime Dominus Aſſyrios vocat virgam furoris ſui, etiamſi hoc ipſi Aſſyrii ignorarent, ſicut de Aſſur proximo verſu ſubiungitur : IPSE AUTEM NON SIC ARBITRABITUR, ET COR EIUS NON ITA EXISTIMABIT, SED AD CONTERENDUM ERIT COR EIUS. Perſecutores ergo intendunt everſionem & internecionem, ſed Deus ſuos purgat & probat.

V. 11. NUMQUID NON SICUT FECI SAMARIAE ET IDOLIS EIUS, SIC FACIAM IERUSALEM ET SIMULACRIS EIUS? Ieruſalem eo tempore non habebat ſimulacra: nam ea omnia ſuſtulerat piiſſimus rex Ezechias. Sed loquitur rex impius Aſſur more ſuo, de Deo Ieruſalem, ſicut de diis gentium; neque maieſtate diſtinguens, neque potentia, neque unitate naturæ, cum ille ſit unus, itemque optimus & maximus ; dii gentium autem multi & infirmi.

MARIANAE.

Verſ. 1. VAE QUI CONDUNT LEGES. In Principes & Iudices iniquos invehitur. Excidii Ieruſalem hæc fuit cauſa. SCRIBENTES, INIUSTITIAM: verti poteſt, *& facientes ſcribere*, *laborem fecerunt ſcribere*, id eſt ſententias iniuſtas tabellionibus, ſcribis dictarunt.

V. 2. UT OPPRIMERENT, aut perverterent iudicium tenuium. ET VIM FACERENT. Hebr. *& raperent in iudicio pauperes*. Nimirum in iudiciis non fas ſequuntur, ſed prædæ inopes habent.

V. 3. QUID FACIETIS IN DIE VISITATIONIS, id eſt punitionis. ET CALAMITATIS, ſeu deſolationis. DE LONGE VENIENTIS? ſcilicet ab Aſſyria, quid facietis? GLORIAM VESTRAM, id eſt opes veſtras ubi relinquetis?

V. 4. NE INCURVEMINI SUB VINCULO. Hebr. *Niſi* (prout non) *incurvet ſe ſub vinclo, & ſub occiſis cadant*; quaſi dicat: Quo confugietis, ut non ſitis captivi, aut non occidamini. Altera harum ſors neceſſario vos manet.

V. 5. VAE ASSUR, id eſt, o Aſſur. Vox *Hoi* hortantis vel vocantis adverbium eſſe poteſt. Veni, ut punias hanc gentem. Aut ſic : Væ, ſcilicet vobis : Aſſur eſt virga furoris mei.

V. 6. AD GENTEM FALLACEM. Heb. *ad gentem hypocritam* : ſic Chald. Sept. *nequam*, mittam Aſſyrium.

V. 7. IPSE AUTEM, ſcilicet Aſſur, non exiſtimabit ſe a me mitti. SED AD CONTERENDUM. Hebr. *quia ad diſperdendum in corde eius*; id eſt, credit ſe habere vires, ut multas gentes ſubvertat, neque eſſe iræ meæ inſtrumentum.

V. 9. PRINCIPES MEI SIMUL REGES SUNT; id eſt, ea ſum potentia, ut proceres mei ſint inſtar Regum. UT CHARCAMIS, id eſt ut vici Charcamis, SIC CALANO vincam. *Charcamis* urbs Syriæ in ripa Euphratis, *Calano* urbs Babylonis. ARPHAD inſula Phœniciæ : Plin. Lib. V. cap. III. Mela Lib. I. EMATH, ſive *Hemath* eadem Antiochia, non procul Damaſco; quaſi dicat, Omnes has urbes ſubvertam.

V. 10. INVENIT MANUS MEA REGNA IDOLI. Chald. *Regna quæ colunt idola, inveni, ut perderem, neque idola dii ſui eos liberarunt*, SIC ET SIMULACRA EORUM (ſcilicet perdam) DE IERUSALEM, ET DE SAMARIA. *Eorum*, id eſt Iudæorum.

V. 11. ET SIMULACRIS EIUS, ſcilicet *Ieruſalem*: ſic Chald. & Sept. Hebr. *& doloribus eius*: ſic vocat idola ob moleſtiam, quam cultoribus exhibent: ſic illis faciam ut aliis feci.

V. 12. IN MONTE SION, ET IN IERUSALEM, id eſt poſtquam eas gentes punierit. VISITABO; pro, viſitabit. FRUCTUM. Chald. *opera*. MAGNIFICI CORDIS. Hebr. *magnitudinem cordis*, id eſt ſuperbiam Regis Aſſur viſitabo, non impune abibit.

V. 13. PRINCIPES EORUM. Heb. *theſauros eorum*; vel *repoſita eorum* deprædatus ſum. ET DETRAXI QUASI POTENS. Hebr. *& deieci quaſi potens ſedentes*, aut *habitantes*, id eſt cives. Hieronymus addidit *in ſublimi*. Chald. dixit, *habitantes in arcibus fortiſſimis*. *Omnia evertam*. Verba Aſſur.

V. 14. QUASI NIDUM; id eſt quam facile nidus capitur, ego cepi, aut capiam. FORTITUDINEM, ſeu *ſubſtantiam*. SICUT COLLIGUNTUR OVA, ſcilicet quæ ſunt in nido. NON FUIT QUI.... GANNI-

Digitized by Google

NIRET; aut *garriret*, aut *muſſitaret*. Non erit qui reſiſtat.

V. 15. QUI SECAT IN EA; pro, cum ea ſecuri. A QUO TRAHITUR. Heb. *qui elevat eam*. QUI UTIQUE LIGNUM EST. Hebr. *ſicut elevari baculum non lignum*; pro, quaſi non eſſet lignum. Num ſecuris aut ſerra contra fabrum glorietur? aut baculus contra gerentem? ſic nec Aſſyrius glorietur, quia meum inſtrumentum eſt.

V. 16. IN PINGUIBUS. *Pingues* vocat divites, quos extenuabit. ET SUBTUS GLORIAM. *Gloriam* verſ. 3. vocavit *divitias*. Ergo ignem ſubiiciet opibus. SUCCENSA ARDEBIT, ſcilicet gloria, opes. Hebr. *Incendet incendium ſicut incendium ignis*.

V. 17. IN IGNE. Sept. *in ignem*, id eſt Dominus qui illuminat Iſrael, inſtar ignis erit, eum deſendet. ET SANCTUS EIUS IN FLAMMA; pro, in flammam. Repetitio eſt. DEVORABITUR SPINA EIUS: ſic vocat milites Aſſyrios, quia magna inferunt damna. IN DIE UNA. Noctu Deus delevit Aſſyrios; ſic diem naturalem intellige ex luce & tenebris.

V. 18. ET GLORIA SALTUS EIUS conſumetur. *Gloriam ſaltus* vocat arbores; ſed per arbores, milites aut duces intellige. ET CARMELI EIUS: ſic Hebr. Alii vertunt, *fertiliſſimi campi eius*. Sæpe *Carmel*, *prædium fertile* ſignificat, de quo alio loco. Alioqui *Carmelus* mons in Aſſyria non erat, de qua loquitur. AB ANIMA USQUE AD CARNEM CONSUMETUR, id eſt penitus. ET ERIT TERRORE PROFUGUS. Chald. *& erit confractus & profugus*. Hebraica ſic vertunt quidam, *& erit ſicut diſſolutio vexilliferi*, quo ſcilicet ſublato, diſſipatur exercitus. Alii, *& erit ſicut diſſolutio fugientis*. Videtur loqui de Rege Aſſyriorum, qui cæſo per Angelum exercitu, cum paucis ipſe fugit. Porro vox נסס *noſes*, ſi a נוס *nus* deducatur, *fugientem*, ſeu *profugum* ſignificat.

V. 19. ET RELIQUIAE LIGNI SALTUS EIUS. Hoc eſt, reliquæ arbores, quas ignis non conſumpſerit, id eſt milites pauci erunt, atque ita PRAE PAUCITATE NUMERABUNTUR. Heb. *numerus erunt*, id eſt pauci. Vel puer eos ſcribere & numerare poterit.

V. 20. SUPER EO QUI PERCUTIT EOS, ſcilicet Aſſyrio, non innitetur domus Iacob, neque ex eo rationes & ſpes ſuſpenſas habebunt, ut ſolent ſubditi ex Rege, ſed ex Deo.

V. 22. RELIQUIAE CONVERTENTUR; ſcilicet ad Deum. CONSUMMATIO ABBREVIATA INUNDABIT IUSTITIAM. Paulus ad Rom. IX. 28. pro his verbis ait: *Verbum enim* (in accuſativo) *conſummans & abbrevians in æquitate*. Quod ex Sept. ſumpſit. Hebr. *conſummatio decifa & inundans in iuſtitia*; hoc eſt, Dei decretum deciſum & certum eſt. Quod aliis verbis dixit Paulus, dixere Sept.

V. 23. CONSUMMATIONEM faciet Deus. Sept. *Quia verbum abbreviatum faciet Dominus exercituum, faciet in orbe terræ univerſo*; id eſt, decretum hoc brevi exequetur.

V. 24. IN VIA AEGYPTI, id eſt puniet te, o Aſſur, virga, quemadmodum in AEgypto punivit. Chald. *ſicut in via AEgypti*. Itaque ſupplet adverbium *ſicut*, & bene.

V. 25. SUPER SCELUS EORUM. Hebr. *ſuper ignominiam eorum*. Ergo indignatio conſummabitur mea ſuper vel contra eorum ſcelus & ignominiam.

V. 26. FLAGELLUM. Chald. *plagam*: ſicut *plagam Madian*. De hoc Iudic. VII. 25. ET VIRGAM SUAM, ſcilicet virgam ſuam favorem levabit, ſicut in mari levavit, cum populum eduxit. IN VIA AEGYPTI. Chald. *ſicut in via AEgypti*, id eſt ſicut ibi favit, nunc favebit.

V. 27. ONUS EIUS, ſcilicet Aſſyrii, & iugum. COMPUTRESCET IUGUM A FACIE OLEI, id eſt propter Ezechiam unctum imperium Aſſyriorum computreſcet, aut corrumpetur. Chald. *contereretur populi a facie Chriſti*; *a facie*, id eſt propter Chriſtum, id eſt unctum Ezechiam.

V. 28. VENIET IN AIATH. Nomina ſunt urbium, per quas tranſivit Sennacherib, cum ſecundo Ieruſalem obſedit. VASA SUA, id eſt bellica inſtrumenta ibi reliquit, quo expeditior iret.

V. 29. TRANSIERUNT CURSIM. Hebr. *tranſierunt vadum*, ſcilicet Iordanis. Chald. *tranſierunt Iordanem*. GABA SEDES NOSTRA. Hebr. *Gabaa diverſorio pernoctarunt*. OBSTUPUIT RAMA, GABAATH,

SAULIS FUGIT. Sic Hebr. diſtinguitur hic locus. Porro *Gabaath Saulis* dicitur, ut diſtinguatur a priori Gaba iam poſita. Quare Saulis dicta? quia ibi domum habuit: I. Reg. x. 26.

V. 30. HINNI VOCE TUA. Sic Sept. Hebr. *exalta vocem tuam*; ſcilicet ut vicinæ urbes periculi admoneantur. FILIA GALLIM, aut *Bath Gallim*, ut totum ſit eius urbis nomen. ATTENDE LAISA; ſcilicet audi clamorem vicinæ urbis.

V. 31. MIGRAVIT, id eſt fugit. Heb. *elongavit ſe Madmena*. CONFORTAMINI. Hebr. *congregaverunt ſe*; ſcilicet ut ex compoſito fugerent.

V. 32. ADHUC DIES EST, UT IN NOBE STETUR. Hebr. *adhuc dies in Nob ad ſtandum*, id eſt ante noctem Sennacherib Nobem perveniet, urbem ſacerdotum. Aut ſic, *adhuc dies eſt*, multum tempus ſupereſt, ut perveniatur Ieruſalem, in Nobe conſiſtamus, quieſcamus. AGITABIT MANUM SUAM SUPER MONTEM FILIAE SION. *Super* non eſt Hebr. ſed bere ſuppletur hic & in proximis verbis. *Super* COLLEM IERUSALEM. Movebit autem manum, quaſi contemnens urbem, eiuſque munitiones.

V. 33. CONFRINGET LAGUNCULAM IN TERRORE Deus, id eſt ut lagunculam Aſſyrios confringet. Hebr. *amputabit ramum* (pro, ramos) *in terrore*, id eſt terrefaciet Aſſyrios. In eos enim hæc dicuntur. EXCELSI STATURA. Milites ſtatura arboribus ſimiles ſuccidentur.

V. 34. ET SUBVERTENTUR CONDENSA SALTUS. Hebr. *& excidet* (Deus) *perplexas* (arbores) *ſaltus ferro*. LIBANUS CUM EXCELSIS CADET. Hebr. *& Libanus in forti* (ſcilicet ferro) *cadet*; ſcilicet milites diſſipabuntur, quos arboribus comparat montis Libani, ut ſuperius Carmeli arboribus verſ. 18. comparavit eos.

M A L V E N D AE.

Verſ. 1. VAE QUI CONDUNT, &c. Hunc verſum diverſimode ex Hebr. elucidant: I. *Væ ſcribentibus decreta iniquitatis, & qui ſcribentes, laborem ſcribere fecerunt*. II. *Væ exarantibus decreta iniqua*, id eſt ſententias inique latas a iudicibus: *& ſcribere facientes, mendacium ſcribere fecerunt*; vel *& qui dictantes, mendacium dictarunt*. Hebræorum nonnulli priorem partem huius verſus dictam volunt adverſus actuarios, ſcribas, ſeu tabelliones, quos Notarios vocant, qui ſententias & ſtatuta iniuſta a iudicibus lata ſcribebant & in acta referebant: poſteriorem vero adverſus ipſos iudices & magiſtros ferentes illa. III. e converſo: *Væ iis, qui decernunt decreta iniqua; & ſcribis, qui ſcribunt moleſtiam*: ut prior pars ſit contra Iudices, poſterior contra exceptores. IV. *Væ decernentibus decreta iniqua, & ſcribentibus moleſtiam, quam illi præſcripſerint*. Tertius exornationis locus, ut dictum eſt ſuperiore capite verſ. 8. quo narratur primum gravitas ſcelerum, quibus Iſraelitæ tenebantur, & maledictionem Dei ſibi accerſebant (quod ſpectat ad amplificandam Dei miſericordiam) duobus verſibus: deinde miſericordia Dei ſuccurrentis inopibus ad gloriam ſuam, duobus alteris. Ait ergo: *Væ decernentibus*, &c. id eſt, cum auctoribus maleficiorum, tum etiam miniſtris. V. Forſterus reddit: *Væ conſtituentibus ſtatuta doloris, & ſcribentibus, qui laborem ſcribunt*. Sunt hic duæ voces און עמל *aven*, & *ghamal*, de quibus vide Numer. XXIII. 21.

V. 2. UT OPPRIMERENT IN IUDICIO PAUPERES. Alii ex Heb. I. *Ut pervertant iudicium tenuium*. II. *Ut declinare faciant pauperes a iure*. III. *Ut arceant pauperes a iudicio*. IV. *Ut detrudant tenues a iure*. V. *Ut cadere faciant cauſa inopes*. VI. *Ad inclinandum ſententiam exhauſtorum*, vel ſententia iudiciali exhauſtos. VII. *Ad evertendum de cauſa tenues*. מדין *midin*, vel poteſt eſſe una dictio, id eſt tribunal iudicii, ut Iudic. v. 10. *ad extendere facere*, ſeu *deflectere facere tribunal attenuatorum*: vel eſt *din*, cum præpoſitione *Mi*, *ad extendere*, vel *deflectere facere a iudicio, a cauſa iudiciali, a ſententia definitiva pauperem*, vel *pauperis*; hoc eſt, ut pauperes iuſta cauſa, iure ſuo, ſententia iudiciali evertant.

V. 3. QUID FACIETIS IN DIE VISITATIONIS, &c. Alii hunc verſum ex Heb. reddunt: *Quid facturi eſſetis in die viſitationis e longinquo adventuræ? ad quem confugeritis pro auxilio? aut ubi relinqueritis gloriam veſtram?* Exponunt: *Quid facturi eſſetis*, &c. nimirum ſine me, ſequen-

quente verſu ; quaſi dicat : Nonne peccatis veſtris ipſi conſideritis, deſtituti omni ſpe, & tota gloria veſtra ſpoliati, niſi miſereret me veſtri ? Elegans conteſtatio ad amplificandum Dei miſericordiam erga electos ! *Aut ubi relinqueritis gloriam veſtram* ? id eſt, cuius fidei committeretis ? ubi deponeretis aſſervandam ? *Gloriam*, dignitatem, honorem, ſplendorem, opes, &c.

V. 4. NE INCURVEMINI SUB VINCULO, ET CUM INTERFECTIS CADATIS ? Alii ex Hebr. I. *Ne curvetur pro vinctis, & pro interfectis cadant ?* Quo, inquit, ſe proripient principes tui, ne ſub vincto, ſeu ſub vinctis, aut potius pro vinctis, vel tamquam vincti curventur ? & pro interfectis, id eſt, tamquam interfecti cadant ? II. *Non evadet quiſpiam niſi qui incurvaverit ſe inter vinctos, & inter interfectos ſe proſtraverit* ; id eſt, niſi is qui inter vinctos ſeſe abſconderit, & qui ſe inter interfectos occultaverit, ne vivus putetur : & ita evadat. III. *Niſi forte quiſquam ex vobis incurvet ſe inter vinctos, & ſub interfectis cadat*. IV. *Abſque me incurvaretur infra vinctum, & infra interfectos caderent* ; id eſt, niſi ratione ducerer nominis & veritatis meæ, populus meus fieret omnium longe miſerrimus, & penitus concideretur, mancipio abiectiſſimo, aut cadaveri putri minime comparandus. V. Hiſpanicus Interpres : *Si no ſe inclinaren entre los preſos, y cayeren entre los muertos. Et amenaza en forma de iuramento* : ut ſupra cap. v. 9. SUPER OMNIBUS HIS NON EST AVERSUS FUROR EIUS, &c. vide ſupra cap. IX. 12. Quidam exponunt : Id eſt, necdum conquieſceret ira eius morte, ſed præcipitaret in damnationem æternam.

V. 5. VAE ASSUR, VIRGA FURORIS MEI. Quidam exponunt: *Heu Aſſur*, vel *o Aſſur*, ut *Hoi* ſit compellantis, vel hortantis ; quaſi dicat, Heus Aſſyrii venite perditum Iſraelem. *Virga furoris mei*, id eſt qua utar cum iratus ſumam pœnas de Iſraele. Alii: *Væ Aſſyrio, virgæ iræ meæ*. Secundus locus conſolationis a miſero exitio eorum, qui populum afflixerint, ut diximus ſupra cap. IX. 1. Sunt autem huius denuntiationis contra Aſſyrios tres partes, prima eſt propoſitio ſumma maledictionis Dei contra Aſſyrium, duobus verſibus : ſecunda narratio conſiliorum & factorum Aſſyrii, quibus ſibi creabit malum, a verſ. 7. ad 16. tertia, narratio prophetica cum iudicii, quod adhibiturus eſt Deus pro liberatione populi, a verſ. 16. uſque ad verſ. 28. tum expeditionis totius, itineris, loci, & temporis, quo ſuum illud iudicium effecturus eſt Deus, inde ad finem capitis. *Virgæ iræ meæ* ; id eſt, quo tamquam virga iram meam ſum in Iſraelitas profuſurus. ET BACULUS IPSE EST, IN MANU EORUM INDIGNATIO MEA ; quaſi dicat, Vos Aſſyrii eſtis adminiſtri furoris mei. Alii : *& virga, quæ eſt in manu illorum, ipſa eſt virga iræ meæ*. Quidam : *quamvis in manu eorum baculus eſt indignationis meæ* ; id eſt, quamvis ipſe velut baculo vel fuſte cædentes Iſraelem, exerceant indignationem meam. Occupatio, qua anticipat Deus obiectionem hanc: Atqui ſi virga tua ſunt, quo iure illis maledici poteſt ? Reſpondet Deus: Quamvis utar ipſorum opera, & per iniuſtos adminiſtros iuſtiſſime & ſapientiſſime conſilium meum exequar ; tamen non continuo immunes a maledictione putandi ſunt. Nam bene foret illis, ſi quo conſilio utitur Deus in adminiſtrandis iudiciis ſuis, eodem illi in exequendis ducerentur; verum alius eſt plane eorum animus : ſic paratur tranſitus ad narrationem, verſ. 7. INDIGNATIO MEA, vel *indignationis meæ*. זעם *zagham*, *commotionis animi, furoris, indignationis, excandeſcentiæ, deteſtationis, contemptus, ſpretionis*.

V. 6. AD GENTEM FALLACEM MITTAM EUM. Hebr. *In gentem hypocritam*, ſeu *infictam, immittam ipſum*, id eſt in Iſraelitas & Iehudæos, qui ſpeciem quidem pietatis & religionis præſeferebant, ſed revera contaminati, polluti, infecti intus erant pravis opinionibus & affectibus. ET CONTRA POPULUM FURORIS MEI, vel *excandeſcentiæ meæ* ; id eſt, in quem furorem meum & excandeſcentiam effundere decrevi ; vel *& contra populum in quem excandui* : vide de hac voce ſupra cap. IX. 19. Quidam reddunt : *& contra populum, qui indignationem meam commeruit*. UT AUFERAT SPOLIA, &c. Quidam : *ut prædetur prædam, & ut diripiat rapinam* : quod Propheta ſignificaverat ſupra cap. VIII. 3.

V. 7. IPSE AUTEM NON SIC ARBITRABITUR, &c. Alii hunc verſum ex Heb. transfundunt: I. *Ipſe autem non ſic exiſtimabit, cogitabit, immaginabitur; nec cor eius ita reputabitur: ſed ad perdendum ſe miſſum putabit in corde ſuo, & ad exſcindendum gentes non paucas.* II. *Ipſe autem rem non ſic perpendet, neque ſic cogitabit cor eius; ſed in corde eius eſt ut gentes non paucas vaſtet atque exſcindat*, vel *quia decrevit in corde ſuo perdere & exſcindere gentes, quæ non ſunt paucæ*; id eſt, putat ſibi ſatis virium eſſe ad perdendum Iſraelem numeroſiſſimum. III. *Ipſe vero non ita ſibi proponit, & animus eius non ita cogitat; ſed perdere eſt in animo eius, & exſcindere gentes non paucas.* Narratio ætiologica ut ad verſ. 5. dicebamus, qua exponit Propheta primum glorioſum conſilium invadentis, quinque verſibus: deinde ſuperbiſſimam gloriationem ex victoria, verſ. 12. & duobus ſequentibus: ac poſtremo conteſtationem adiicit, ad excutiendam inanem confidentiam eius, verſ. 15. ARBITRABITUR. De uſurpatione verbi דמה *damah*, in Pihel, ut hic ponitur, vide Iudicum XX. 5. & in Num. XXXIII. 56. AD INTERNECIONEM GENTIUM NON PAUCARUM. Hebr. *ad exſcindendum gentes non parum*, vel *gentium non parum*, id eſt non paucas. Alii, *parum* non cum *gentes*, ſed cum *ad exſcindendum* iungunt; *ad non parum exſcindendum gentes*, id eſt, ad gentes omnino, penitus, funditus exſcindendas.

V. 8. NUMQUID NON PRINCIPES MEI SIMUL REGES SUNT? vel *nonne principes mei pariter reges ſunt?* Exponunt: Nonne duces ſervientes mihi, potentiam & magnitudinem regum æquant? ut II. Reg. XVIII. 24. exponit Rabſchake. Alii: *An non principes mei ſimul univerſi reges ſunt?* id eſt, omnes proceres qui mihi famulantur, reges quoque ſunt, ut rex regum merito dici poſſim: quem titulum reges Perſarum ab Aſſyriis mutuatos par eſt credere, Hezræ VII. 12. Daniel. II. 37.

V. 9. NUMQUID NON UT CHARCAMIS, SIC CALANO, &c. Hunc verſum varie alii ex Heb. accipiunt: I. *Nonne ut Charchemis* vici, vel expugnavi, *ſic & Chalno? An non ut Arphad* vici, ſeu expugnavi, *ſic & Hamath? An non Samaria erit ut Damaſcus?* id eſt, nonne ut expugnavi Damaſcum, ſic expugnabo Samariam? II. *Nonne ut Carcemiſch eſt Chalno? nonne & Arphad, Chamath? an non ut Damaſcus, Schomron?* id eſt, nonne hanc adæquavi illi utcumque fuerit potens? quaſi dicat, Nonne has omnes potentiſſimas & validiſſimas urbes eodem numero & loco habui, ac imperio meo ſubieci? CHARCAMIS, vel *Carchemis*: de quo vide II. Paralip. XXXV. 20. CALANO Heb. *Chalno*, ſive *Chalnech*: de quo vide in Geneſ. X. 10. ARPHAD: de quo vide in II. Regum XVIII. 34. EMATH. Heb. *Chamath*: de quo vide in Geneſ. X. 18. & Numeror. XIII. 22. & Lib. IV. de Antichriſto, cap. XVII.

V. 10. QUOMODO INVENIT, &c. Diverſimode hunc verſum ex Heb. explanant: I. *Quemadmodum invenit manus mea regna idoli*, ſeu idolorum; id eſt, quemadmodum ſuperavi & vici alia regna, in quibus colebantur idola: *ita inveniet ſculptilia eorum, quæ fuerunt allata de Ieruſalaim, & de Somron*; hoc eſt, ita ſuperabit & vincet alias urbes Iehudæ & Iſraelis, in quibus coluntur idola allata de Ieruſalem & Samaria: quod ſoleant reliquæ urbes colere deos ſuarum metropolium. II. *Ut invenit manus mea regna idoli, ſic & ſculptilia eorum, quæ a Ieruſalem & Samaria*; id eſt, ut virtute mea ſuperavi alia regna in quibus coluntur idola: ſic ſculptilia Iehudæ & Iſraelis deſtruam, quorum cultus manavit a Ieruſalem & Samaria. III. *Quandoquidem virtute mea paravi regna idoli, quorum ſculptilia plura & præſtantiora fuerunt quam Ieruſalem & Samariæ*; quaſi dicat, Dii aliarum gentium, qui plures ac præſtantiores erant, non quiverunt eas de manu mea liberare: multo minus poterunt Iehudæorum & Iſraelitarum, qui pauciores & imbecilliores ſunt. IV. *Quemadmodum aſſecuta, nacta, adepta eſt manus mea regna, quodque idoli ſui*, ſeu *idolorum ſuorum, quorum ſculptilia præſtabant*, ſeu *fortiora erant, diis Ieruſchalaimorum, & Schomronis*. Exponunt: Præſtabant, dignitate, facultate, numero, & ſi quid eſt eiuſmodi, quod cenſent idololatræ. Hic verſus coniungendus eſt cum ſequente. INVENIT MANUS MEA REGNA IDOLI: id eſt, potentia mea venit ad regna ut ea apprehenderem & caperem, ſicut rem

quam-

Digitized by Google

quampiam manu; neque eam potuerunt effugere. Vel potius ſit Hebraiſmus, *invenit manus mea regna*; id eſt, per hypallagem, regna venerunt in manum meam, & redacta ſunt in meam poteſtatem. Plerique, *invenit regna*, id eſt conſecuta eſt. IDOLI. אליל *elil*, vide Levit. XIX. 4. & Forſterum pag. XXXIV. ſui Dictionarii: *regna deiculi*, *deaſtri*, *extremæ nihilitatis*: ſic per contemptum vocat idola. Sic verſu ſequente, ut ſupra cap. II. 8.

V. 11. ET SIMULACRIS EIUS. Heb. *& doloribus*, ſeu *terriculis eius*: vide I. Samuel. XXXI. 9.

V. 12. ET ERIT: CUM IMPLEVERIT DOMINUS CUNCTA OPERA SUA. Varie ex Heb. convertunt. I. *Et erit, quando raptim compleverit Adonai omne opus ſuum*; id eſt, ex animi cupiditate compleverit. II. *Et erit, quando ſtudioſe compleverit*; vel cum magno ſtudio ac contentione abſolverit, ſeu perfecerit Dominus omne opus ſuum. III. *Atqui futurum eſt, cum perfecerit Dominus totum opus ſuum*. Repetitio denuntiationis tranſitive ad narrationem ſuperbæ gloriationis ex victoria, ut diximus in verſ. 7. Ex verbo: *cum avarizabit Dominus omne opus ſuum*; id eſt, cum avare, cupide, ambitioſe, avide, executus fuerit, *opus ſuum in monte Tzijonis*; id eſt, caſtigationem inſtitutam abſolverit, obſeſſa Ieruſalem per Sancheribum, tempore Chizkiiæ, cum thraſonice minatus eſt curſionem Ieruſalaimorum. Vide ſimilem locutionem Iob VI. 9. VISITABO SUPER FRUCTUM MAGNIFICI CORDIS REGIS ASSUR. Alii: I. *requiram ſuper fructum magnitudinis*, ſeu *magnificentiæ cordis*, id eſt ſuperbiæ & arrogantiæ, *regis Aſſur*. II. *animadvertam in fructum magnitudinis cordis*, ſeu *inſolentiæ animi*, vel *inſolentis animi*, ut ſupra cap. IX. 9. *regis Aſſyriæ*, id eſt in inſolentiſſimam iactationem; quam oſtendunt proxime ſequentes verſus. ET SUPER GLORIAM ALTITUDINIS OCULORUM EIUS. Alii ex Heb. I. *& ſuper decorem celſitudinis*, ſeu *ſublimitatis oculorum eius*. II. *& in ornatum, elationemque oculorum eius*; hoc eſt faſtum & ſupercilium; quaſi dicat, Graviſſime puniam ſuperbiam, inſolentiam, faſtum, arrogantiam Aſſyrii. Hoc eſt, quod vulgo dicitur: Quamdiu virga neceſſaria eſt, integra ſervatur; quando autem nullus uſus eius iam amplius eſt, & ipſa quoque confringitur, & in ignem proiicitur.

V. 13. DIXIT ENIM: IN FORTITUDINE MANUS MEAE FECI, &c. Hos proxime ſequentes verſus duos confer cum II Reg. XVIII. & XIX. & infra cap. XXXVI. ET IN SAPIENTIA MEA INTELLEXI. Heb. *& in ſapientia mea, quia intellectus fui*. Sic Hiſpanice, *por que ſoy entendido*. Alii: I. *quia intelligentia præditus fui*. II. *quod prudentia inſtructus ſim*. III. *nam prudens fui*, vel *prudentia uſus ſum*. IV. *quia perſpicax fui*. ET ABSTULI TERMINOS POPULORUM. Alii ex Heb. *& amovi, tranſtuli, ſuſtuli, terminos, fines populorum*. ET PRINCIPES EORUM DEPRAEDATUS SUM. Varie ex Heb. I. *& theſauros eorum deprædatus ſum*. II. *& promptuaria eorum, quibus ipſi incubuerunt, deprædatus ſum*. III. *& repoſita eorum diripui*, ſeu *ſepoſita, congeſta*, id eſt opes, & univerſam ſupellectilem. IV. *& præparata eorum*, id eſt quæ magno ſtudio apparaverant, ſeu comparaverant. V. *& penuaria eorum*, &c. VI. *etiam conſtructiſſima loca eorum deprædatus ſum*, id eſt regiones potentiſſimas & munitiſſimas. Eſt autem in tota hac verborum ſerie gradatio elegantiſſima. Ego ut Deuteron. II. 35. verti: *& imminentia, incumbentia eorum diripui*, id eſt loca quæque proxima, & incumbentia ſeu imminentia Ieruſalaimis: vide II. Reg. XVIII. 13. vel *& imminentia eorum*, id eſt quibus ipſi imminebant, incumbebant, nitebantur, fidebant, hoc eſt theſauros, opes congeſtas, & in futurum repoſitas, divitias aſſervatas. Montanus: *& futura eorum perdidi*; id eſt, quæcumque, gentibus vel ad conſervandam, vel ad reſtituendam rem opportuna, utilia, vel alias comparata eſſent, abſtuli: in quo etiam genere futurorum erant auguria, auſpicia, & cetera divinationum genera, quibus gentes futura prænoſcere, ac ſidere conſueverunt. In voce עתידות *ghathidoth*, ſcribitur *Iod*, & legitur *Vau*, *ghathudoth*, ut Maſſoretæ notant. Quidam putant non ſine myſterio poni *Iod* pro *Vau*: ut indicet Aſſyrius ac glorietur, ſe opes, divitias, copias, theſauros, vires populorum vehementer decurtaſſe & attenuaſſe, imminuiſſeque, ut *Iod* eſt ipſum *Vau* decurta-

tum

tum & imminutum. Audacius Forerius: *cubilia eorum diripui*. Et detraxi quaſi potens in ſublimi reſidentes. Alii ex Heb. I. *& deſcendere fecit tamquam potens habitantes*. II. *& dextraxi tamquam gigas ſedentes*, ſubaudi, in ſoliis regiis. III. *& deieci*, ſeu *deturbavi eos*, *qui habitant in locis fortiſſimis*. כאביר *caabbir*, videntur legiſſe pro באביר *baabbir*, nimirum *Beth*, pro *Caph*, quæ ſunt litteræ quam ſimillimæ. IV. Forſterus: *& deieci tamquam robuſtus habitatores*, vel *& opprimebam copioſus habitatores*. Qui ſecutus Sanctem & Hebræos, hæc annotat: *Et pars grammaticorum dicunt, quod Aleph epentheſis interpoſita ſit, & abundet: alii tamen exiſtimant rectius abbir eſſe eius thema, & Caph ſimilitudinis eſſe notam: nec deſunt qui autumant eſſe compoſitum ex* אביר *abbir*, & כביר *cabbir*, *augendæ ſignificationis cauſa*. Vide Sanctis Theſaurum pag. 1127. Huc reſpexerunt Tremellius, & Iunius, cum reddunt: *& deieci ut potentiſſimus habitatores*. *Cabbir*, proprie, *multiplex*, *multus*, *copioſus*, *validus*, &c. vide in Iob VIII. 2. *abbir*, *robuſtiſſimus*, *potentiſſimus*, *ampliſſimus*: vide in Gene. XLIX. 24. Audacter Forerius: *& depoſui*, ſeu *detraxi ſtragulum* quiete *habitantium*, vel *ſedentium*; id enim כביר *cebir*, ſignificat I. Samuel XIX. 13. ut ſubitam hoſtis irruptionem denotet, qui homines adhuc in cubiculis & in ſtragulis deprehenderet. Hiſpanicus Interpres: *y derribe como valiente los que eſtavan ſentados. En repoſo, fundados de muchos annos*.

V. 14. Et invenit quaſi nidum, &c. Hunc verſum ex Heb. varie reddunt: I. *Et invenit veluti nidum manus mea ſubſtantiam*, ſeu *opes*, vel *vires*, *robur*, aut *exercitum*, *copias populorum*: *& ſicut colliguntur ova derelicta in nido, ſic omnem terram ego congregavi: nec fuit, cui moveret alam, aut aperiret os, & garriret*. II. *Et invenit tamquam nidum, manus mea ſtrenuitatem populorum*: *& ſicut qui colligit ova relicta, univerſam terram ego collegi; neque fuit, qui motitaret alam, & aperiret os, ſtrideret*. *Nidum* metonymice capiunt, pro pullis in nido degentibus, ut Deuteron. XXXII. 11. *ſtrenuitatem* vero, pro opibus & facultatibus virtute & ſtrenuitate partis: metaphora ab aviculis, quarum diripiuntur pulli & ova a nido, ut ne quidem ipſæ motitare alam; aut garrire audeant præ metu ac ſtupore. III. *Manus mea invenit copias populorum veluti nidum; & ut colliguntur ova derelicta* a matre, *ſic collegi ego univerſam terram: nec fuit qui vel alam motitaret, aut aperto ore muſſitaret*. IV. *Immo aſſecuta eſt tamquam nidum manus mea* nidum *opulentiæ populorum, & quaſi reciperem ova derelictæ, totam terram ego recepi: neque eſt qui agitet alam, aut aperiat os, aut pipiat*. Thraſonica allegoria, qua Aſſyrius omnia ſibi arrogar, & hoſtes comparat cum aviculis abiectiſſimis: *qui agitet alam*, ad evolandum, aut involandum; *aut aperiat os* ad impetendum me, *aut pipiat*, ad implorandam opem, aut expoſtulationem faciendam.

V. 15. Numquid gloriabitur ſecuris, &c. Alii: I. *Num gloriabitur ſecuris adverſus eum, qui ea ſecat?* id eſt, gloriari debet, aut poteſt, aut ſolet: verba ſunt Prophetæ. II. *An gloriabitur ſecuris contra cædentem ipſa*? ut Aſſyrius contra Deum extulit vocem ſuam, ſicut idem Propheta loquitur II. Reg. XIX. 22. Conteſtatio, ut diximus in verſ. 7. qua Deus Aſſyrium contra evincit imbecillitatis ipſius, ſe cum artifice, illum cum inſtrumento comparans. Quomodo ſi elevetur virga contra elevantem ſe, et exaltetur baculus, qui utique lignum eſt. Heb. nos verbatim reddidimus: (*Secundum agitare baculum ad elevantes eius, ſecundum elevare baculum, non lignum.*) Alii varie: I. *Quomodo ſi elevetur virga contra attollentem ipſam, & exaltetur baculus, qui in iuſtam arborem non excreſcet*; vel *& ſic eam virgam levat, ac ſi levaret baculum, non arborem*, ſeu *elevet baculum, non arborem*, quæ utcumque gloriari poſſet, non baculus. II. *quod perinde eſſet, ac ſi virga ſeſe elevaret contra eum, qui ipſam fert; & baculus ſeſe extolleret quaſi lignum non eſſet*. III. *ut elevatio virgæ eſt in elevante ipſam, nec elevatio ſcipionis eſt in ligno*; ſubaudi, ita hæc Deo tribui debent, non regi Aſſyriorum: vel *Sicut elevatio virgæ eſt penes elevantem illam, ſic elevatio baculi non eſt penes lignum*; id eſt, ut elevatio baculi debet tribui elevanti, ita exaltatio eiuſdem baculi non debet tribui ipſi ligno, ſed elevanti. IV. *quaſi agitaret virga ele-*

vantes

vantes ſe, quaſi elevare baculum non ſit lignum elevare; vel *quaſi qui elevat baculum, non lignum elevaret*, quod a ſe nihil agere poteſt. V. Hiſpanicus Interpres: *Como ſi el bordon ſe levantaſſe contra los que lo levantan? como ſi levara ſe levantaſſe?* VI. *quaſi vero agitaret virga eum, qui tollit ipſam, quaſi attolleret baculus non ligneum*, id eſt hominem iuſta facultate præditum ad movendum ſe, aut efficiendum opus, qua re baculus non poteſt ligneus movere viventem hominem, non autem ligneum, ut baculus eſt.

V. 16. Propter hoc, &c. Alii: *Ideo, idcirco*. Notant eſſe hic tertiam partem denuntiationis contra Aſſyrios, nempe narrationem propheticam bimembrem, ut dictum eſt ſupra in verſ. 5. Continere autem hoc prius membrum narrationem iudicii contra Aſſyrios, quatuor verſibus, & uſum ex iudicio hoc ad populum perventurum, verſ. 20. uſque ad 28. Mittet dominator Dominus exercituum: vel *immittet Dominus ipſe Dominus exercituum*. Exponunt: Nimirum ea nocte, qua percuſſit angelus Iehovæ in caſtris Aſſyriorum centum octoginta quinque millia, II. Reg. xix. 35. & II. Paralipomen. xxxii. 21. In pinguibus eius. Heb. *in pinguedines eius*, ſeu *in pinguiſſimos eius*, id eſt in milites eius robuſtiſſimos & opulentiſſimos, atque potentiſſimos: ſic Iudic. iii. 29. & Pſal. lxxvii. 31. Tenuitatem: vel *maciem, macorem, macritudinem, macilentiam*. Exponunt: Id eſt, luem repente ipſos conſumentem macie. Alii: id eſt, mortem. Et subtus gloriam eius succensa ardebit quasi combustio ignis. Alii ex Heb. I. *& ſub loco gloriæ ſuæ ardebit ardore iuxta ardorem ignis*. II. *& in loco gloriæ ſuæ aduret aduſtio quaſi aduſtio ignis*. III. *& ſubtus gloriam ſuam ſuccendet incendium quaſi incendium ignis*. IV. *& ſub gloria eius aduret adurendo iuxta aduſtionem ignis*. V. *& ſub gloriam eius incendet incendium, ut dum ignis inceditur*. VI. *& in gloria eius ardebit ardendo iuxta ardorem ignis*; id eſt, in loco in quo gloriabitur Aſſyrius, hoc eſt iuxta muros Ieruſalaim, quam obſidebit, abſumetur igni. VII. *& in loco gloriæ eius*, id eſt ubi gloria Dei habitat ante mœnia Ieruſchalaimorum, *ardebit ardor ſimilis ardori ignis*, id eſt lues evidentiſſima confeſtim Aſſyrios tabefaciens. S. Hieronymus hunc verſum ita explanat: *Quia iſta feciſti, & locutus es, quæ ſupra narravi; propterea mittet Dominus angelum ſuum, & una nocte centum octoginta quinque millia de tuo morientur exercitu; ita ut potentiſſimi quique, quos pingues appellat, redigantur in tenuitatem, & in nihili; & ſicut Hebræi tradunt, illæſis veſtibus Aſſyriorum corpora occulto crementur ardore*. Vide II. Reg. xix. 35. Quidam reddunt: *& ſubtus gloriam eius ſucenſio ardebit*, &c. per gloriam iſtam intelligunt magnificum & glorioſum exercitum Aſſyriorum, qui una nocte per ignem in favillam redactus eſt. Sic infra verſ. 18.

V. 17. Et erit lumen Israel in igne, &c. Quidam: *Et erit*, vel *erit enim lux Iſraelis pro igne, & Sanctus illius pro flamma*; id eſt, Deus Iſraelitas illuſtrans & ſanctificans. *Lux*, & *Sanctus*, epitheta ſummi Dei Iiſraelis. Et succendetur, et devorabitur spina eius, ut vepres in die una. Diverſimode alii ex Heb. I. *& comburet & devorabit ſpinam eius, & veprem eius in die una*. Verba ſunt feminea, & ita conſtruenda cum flamma, quæ proxime anteceſſit. II. *& ardebit, & abſumet ſpinas eius & ſentes eius in die una*. Forte, inquiunt, alludit ad ignem, qui perpetuo ardebat, & ſervabatur in templo, quo abſumebantur ſacrificia in cultum Domini inſtituta: erant autem Aſſyrii in circuitu Ieruſalem velut ſpinetum quoddam & ſenticetum, armis hiſpidi, & ad pungendum parati: ſtatuitur velut e templo egreſſus ignis, qui milites abſumpſerit, exercitumque deleverit. Quemadmodum etiam columna ignis Iiſraelitis luci, & AEgyptiis terrori erat: ita ignis templi in lucem, cultum, & ſanctificationem fuit Iudæis, Aſſyriis autem in vaſtationem & conſumptionem. Vide cap. xxxi. 9. III. *quæ incendet & conſumet vepres eius & ſentes eius*, id eſt Aſſyrios, quibus ut ſentibus & vepribus cohorrebat terra, & qui nimium moleſti erant ut ſpinæ: *eodem die*, id eſt eadem nocte, quæ pars eſt diei: ſynecdoche: II. Reg. x. 35.

V. 18. Et gloria saltus eius, et carmeli eius, &c. Heb. *Et gloriam ſilvæ eius, & Carmeli eius*, &c. id eſt, o-

omnes valentes robore, de quibus gloriatur: allegoria: vide II. Paralipom. XXXII. 21. *Silvam* vocat exercitum armatorum cum haſtis, galeis, criſtis, &c. qui denſiſſimam ſilvam refert. ET CARMELI EIUS. Varie alii ex Heb. I. *& carmelum eius*, id eſt copioſum commeatum, & rerum omnium abundantiam, quam ſecum deſerebant. II. *& agri eius conſiti arboribus*. III. *& frugiferi campi eius*. IV. *& arvorum eius*. Carmel enim in Scriptura ſæpe uſurpatur pro campis & arvis fertiſſimis & uberrimis, qualis erat mons Carmelus, aut vallis ei ſubiecta: vide in Levit. II. 14. Hic allegorice intelligit duces ac principes, ſeu magnares ac nobiles exercitus Sancheribi, cuius gregarii milites erant ut ſilva; duces vero ac primores velut arbores agri fertiliſſimi. AB ANIMA USQUE AD CARNEM. Volunt eſſe Hebraiſmum, pro, non ſolum morientur, ſed etiam cadavera eorum vertentur in cinerem. Alii proverbialem locutionem eſſe putant, pro, penitus, omnino abſumet. Nonnulli: *& ſpiritu & carne abſumet*. ET ERIT TERRORE PROFUGUS. Varie alii ex Heb. I. Vatablus ex Kimchi: *& erit ut diſſolutio vexilliferi*, ſeu *quaſi diſſolutio ſigniferi*. II. *quemadmodum diſſolvitur vexillifer*. III. *ficut* caſtra, quæ *diſſolvit vexillifer*. Cum enim diſſolvitur vexillifer, ſive liqueſcit, aut deficit, omnes milites diſſolvuntur & fugiunt; quaſi dicat, Erit tanta clades, quanta eſſe ſolet in exercitu cuius vexillifer cecidit. IV. Forſterus: *& erit ſicut liqueſcentia, liquidum quoddam, quod aufugit*, ſeu *evaneſcit*; ſive *erit ſicut liquor evaneſcens*, vel *& erit velut evaneſcentia, quæ aufugit*. V. Reuchlinus: *& erit quaſi evaneſcens & fugitivus*. VI. Sanctes: *& erit ſicut diſſolutus vexillifer*. VII. Forerius: *& erit ſicut diſſolutio fugientis*. VIII. Avenarius: *& erit ceu liqueſcere vexilliferum*; id eſt, exercitus ille peribit, non aliter quam perire ſolet exercitus liqueſcente & præ metu fugiente vexillifero. IX. Marinus: *& erit ſicut diſſolvere*, vel *diſſolvi cito aufugientis*, ſeu vexilliferi. X. Schindlerus: *& erit ſicut liqueſcit fugiens*, ſeu *ſignifer*; id eſt, ſicut ſignifer terretur, timet, metuit; vel, & erit ſicut liquefacto elevantis, ſeu vexilliferi; id eſt, ſicut cum timet ſignifer, totus exercitus timet. XI. Leo Iudas: *fietque ut ſpulvis teredinis*: quod ego non capio. XII. *eritque Aſſyrius ſicut diſſolvitur* metu *ſignifer*. XIII. Tremellius, & Iunius: *eritque cum tabeſcet profugus*; id eſt, cum rex ipſe profugus, & quidem contentiſſime ſe proripiens fuga, quaſi perſequente igne conſumetur, a filiis cæſus, ut factum eſſe legimus II. Reg. XIX. 36. & 37. & II. Paralipom. XXXII. 21. מסוס *meſos*, quidam infinitivum faciunt, *liqueſcere*, *liquefieri*. Alii nomen, *liquefactio*, *diſſolutio*: quod nonnulli Hebræorum ſine regimine accipiunt: *ſicut liquefactio elevans*, ſeu *aufugiens*; alii in regimine: *ſicut diſſolutio vexilliferi*, vel *aufugientis*. נוסס *noſes*, *a* נוס *nus*, *fugiens*; a נס *nes*, *vexillans*. *Paronomaſia in meſos*, *& noſes*, *ut alias ſolet uti elegans hic Propheta*.

V. 19. ET RELIQUIAE LIGNI SALTUS EIUS, &c. Alii hunc verſum ex Heb. efferunt: I. *Et reſiduum lignum*, vel *& reſiduæ arbores ſilvæ eius paucæ numero erunt*; *& puer ſcribet eas*. II. *Et reliquum ligni ſilvæ eius*, *numerus erunt*, id eſt numerari poterunt, parvo numero erunt, numerabiles erunt; hoc eſt, ex illa exercitus Sancheribi ſtrage pauci admodum evadent, atque adeo parvo numero, ut puer eos deſcribere & numerare poſſit, qui maiores rationum ſummas vix concipere queat. III. *Arbores quoque ſilvæ eius reliquæ ad eum numerum redigentur*, *ut puer eas conſcribere poſſit*. IV. *Sic reliqua ligna ſilvæ illius*, id eſt ſuperſtites Aſſyrii; pergit enim in allegoria; *numeri erunt*, id eſt facile numerabilia, vel *pauca erunt*, *adeo ut puer ſcribere poſſit ea*. De locutione illa, *ligna numerus*, vel *numeri erunt*, vide Geneſ. XXXIV. 30.

V. 20. ET ERIT IN DIE ILLA: NON ADIICIET, &c. Hunc verſum alii ex Heb. reddunt: I. *Eo tempore*, cum ſcilicet Iehova pœnas ſumpſerit de Aſſyriis, *non ultra nitentur reliquiæ Iſraelis*, *& qui evaſerunt de domo Iabakob*, *eo qui ſe percuſſit*: *ſed nitentur Iehovæ Sancto Iſraelis*; id eſt, quem pro Sancto Iſrael colit, & qui Iſraelem ſanctificat: *ex fide*, vel *in veritate*, id eſt ex animo, ſincere, & citra ſimulationem. II. *Erit autem tempore illo*, *ut non pergat ultra reliquum Iiſraelis*, *& qui evadet in domo Iabakobi inniti percuſſori ſuo*: *ſed innitetur Iehovæ Sancto Iiſraelis*,

lis, *fideliter*. Explicatio uſus ad populum perventuri ex præcedente iudicio & liberatione, nimirum fidei, & veræ pœnitentiæ: *percuſſori ſuo*, id eſt Aſſyrio, virgæ percutienti ipſum, baculo indignationis Dei, ſupra v. 5. *Iehovæ ſancto*, qui verſus eſt percuſſionis auctor, virgam ſuam in percuſſionibus occupans, ut ſupra cap. IX. 13. INNITI. Heb. *incumbere*, *reclinari*, *ſuſtentari*, *ſuſtineri*, *fulciri*, *niti*, id eſt fidere: ſic ſtatim. IN VERITATE. אמת *emeth*, *fide*, *certitudine*, *veritate*, *fidelitate conſtantia*, *firmitate*, *ſimplicitate*, *integritate*, *ſinceritate*: ut opponitur opinioni, falſitati, mendacio, ſimulationi, hypocriſi, & operibus, quæ non ex vero, recto, & ſimplici corde fiunt.

V. 21. RELIQUIAE CONVERTENTUR. שאר ישוב *ſchear iaſchub*. Expoſitio nominis, vel ipſiſſimum nomen *Sear-iaſub*, filii Ieſaiæ, myſterio impoſitum, de quo ſupra cap. VII. 3. Alii reddunt: *Reſiduum*, *reliquum*, *revertetur*. Nomen enim illud ſignificabat reliquias Iſraelis & Iabakobi reverſuras ad Chriſtum, & ſalutem conſecuturas.

V. 22. SI ENIM FUERIT POPULUS TUUS ISRAEL QUASI ARENA MARIS, RELIQUIAE CONVERTENTUR EX EO. Repetitur hic idem filii Iſaiæ nomen, *Sear Iaſub*, hoc eſt, *reliquia revertetur*. AEtiologia promiſſionis Dei erga reliquias, ab æterno conſilio, & potentia eius, ut divine exequitur Paulus Romanor. IX. 27. ac ſi dicat: Ut ex tot, tantiſque cladibus Aſſyriorum, Deus reliquias ac Iudæorum voluit eſſe ſuperſtites, ut ex his tandem naſceretur Chriſtus: ſic non omnes voluit ſtrage infidelitatis perire, ſed æterno ſuo decreto ac potentia quaſdam ex eis reliquias ſervavit, quas vera fide & luce Evangelii perſuſas in Eccleſiam, & regnum cælorum traduceret. Reliquias autem appellat paucitatem ex tanto numero Iſraelitarum: non enim omnes reverſuri erant ad Chriſtum, ſed pauci ex eis. CONSUMMATIO ABBREVIATA INUNDABIT IUSTITIAM. Varie alii ex Heb. I. *conſumptio deciſa inundans iuſtitiam*. II. *nam conſumptio definita*, *determinata*, *inundat iuſtitia*. IV. *conſummatio perfecta inundat eos in iuſtitia*; id eſt, Deus iuſto iudicio decrevit ac decidit Iſraelem conſumere ac perdere: conſumptio a Deo deciſa ac decreta in Iſraelem, omnimoda iuſtitia abundat; quaſi dicat, Erit iuſtiſſima ob ſcelera eorum. V. *conſummatio conciſa exundabit iuſtitiam*. VI. *conſumptio deciſa inundare faciet iuſtitiam*. VII. *conſumptionem abbreviatam inundabit iuſtitia*; id eſt, paucul as illas ac breves reliquias ex conſumptione illa ac ſtrage relictas, quæ convertentur ad præpotentem Iehovam, iuſtitia, hoc eſt iuſtificatio & ſanctificatio abunde perſundet: quaſi dicat, Erunt iuſtiſſimi, & ſanctiſſimi, nempe apoſtoli & apoſtolici. Sed non ſatis apte Hebraice accipitur *iuſtitia* ſuppoſitum verbi *inundabit*; nam iuſtitia eſt femineum, & participium inundans maſculeum. VIII. *conſummatio deciſa inundat propter iuſtitiam*. IX. *conſummatio expolita affluens iuſtitia*. X. Tremellius, & Iunius: *conſummationem præciſam conſummabit inundans iuſtitia*, in ablativo; id eſt, quo ſolus Deus fortis potentiſſimus per iuſtitiam ſuam, & propter veritatem ſuam, id præciſe conſummaturus eſt, quod ab æterno definiverit, ut ſequens verſus explicat. *Conſummabit exundans iuſtitia*; id eſt, plene effecturus eſt ſua iuſtitia, ita ut nullo conſilio, nulla vi, non amplius quam exundans amnis, ſiſti aut impediri poſſit; etſi prius in ſpeciem aquulæ iens ſenſim videbatur, ſupra cap. VIII. 6. CONSUMMATIO ABBREVIATA. Heb. *conſumptio deciſa*, *præciſa*. Nos: *acuta*, *acris*, *penetrans*, *vehemens*. Nonnulli pro nomine capiunt: *conſumptio tribulæ*, ſeu *raſtri*, id eſt conſumptio, quæ ceu raſtro & tribula conteret, & confringet, atque conſumet.

V. 23. CONSUMMATIONEM ENIM, &c. Hunc verſum ex Heb. Forſterus ita exprimit: *Conſumptionem & conciſionem*, ſeu *exciſionem ſuſtentator Iehova exercituum faciet in medio totius terræ. Atque hic*, inquit, *obiter notandum eſt, quod Paulus apoſtolus poſtremum hunc locum Iſaiæ citando Romanor.* IX. 28. *verbum hoc* נחרצה *necheratzah*, *exponit per* συντέμνων, id eſt *abbrevians*, *decurtans*. *Et Chriſtus quoque alluſiſſe videtur Matth.* XXIV. 22. *ubi inquit*: ἐκολοβώθησαν, id eſt, *decurtati fuiſſent*. *Similiter in Marco cap.* XIII. 20. ἐκολόβωσε, *decurtaſſet*, *amputata ſcilicet parte aliqua prioris menſuræ*. *Significat igitur hæc vox determinationem*, *deciſionem*, *conciſionem*, *præfinitionem*, *decurtationem*, *vel*

rei, de qua dicitur, vel temporis. Hæc ipſa ex Forſtero excripſere Forerius & Mercerus. Alii: *Quia conſumptionem, & quidem deciſam, determinatam, decretam*, id eſt definitam ac certam, *Dominus Iehovah exercituum faciens*, ſeu *facit*, pro facturus eſt, *in medio omnis terræ*. Reparatio proxime præcedentis ſententiæ. Nonnulli: *Quoniam conſummationem & expolitam*, ſubaudi Eccleſiam, *faciet Dominus Iehova exercituum in medio totius terræ*. Aliqui: *Nam conſummationem, & quidem præciſam*, id eſt præciſe, ut decrevit beneplacito voluntatis ſuæ, *Dominus Iehovi exercituum facturus eſt in medio huius terræ*, vel *in univerſa hac terra*. *Necheratzah*, formam quidem participii habet, ſed quod plerique nominaliter accipiunt. Vide ſimilem locutionem infra cap. XXVIII. 22. quod hic quidam legunt *Iehovi*, quod coniungatur cum nomine Adonai, vide Geneſ. XV. 2. ſic verſu ſequente.

V. 24. PROPTER HOC, HAEC DICIT DOMINUS, &c. Aliqui hunc verſum ex Heb. reddunt: *Idcirco ita ait Dominus Iehovi exercituum: Ne timeto, popule mi habitator Tziionis, ab Aſſyrio*. Apoſtrophe ad populum, ſummam ſuperiorum iudiciorum continens, ad confirmandum ipſum, quatuor verſibus: *Virga ſua percutiet te*; id eſt, ita agitabit te Deus per Aſſyrium, ut per AEgyptium olim maiores tuos: *ſed baculum ſuum efferet pro te via AEgypti*. Sic infra verſ. 26. id eſt, Iehova baculum extendet ad defenſionem & liberationem tui, ut cum Moſcheh baculum iuſſus eſt protendere ad ſecandum mare, Exod. XIII. 16. Quidam idem dici volunt utroque membro: id eſt, virga & baculo Aſſyrii agitaberis. IN VIA AEGYPTI; id eſt, more, ratione, eo modo quo te afflixerunt AEgyptii, ſic te affligent Aſſyrii. Quidam reddunt: *ſicut AEgyptus*.

V. 25. ADHUC ENIM PAULULUM MODICUMQUE, &c. Diverſimode hunc verſum ex Hebr. accipiunt: I. *Adhuc enim paululum paulum*, id eſt intra breviſſimum tempus, *& conſummabitur ira & furor meus*, id eſt pleniſſimum complementum accipiet, ad ſummum pertinget, *ad conſumptionem eorum*, vel in perniciem illorum, ſeu *in abolitionem*, aut *ad everſionem eorum*, videlicet Aſſyriorum; quaſi dicat, Brevi perdam Aſſyrios, & ita iræ meæ finis imponetur. II. *Quia adhuc minus paululum*, vel *valde parum*, vel *poſt puſillum, & minus puſillo, & conſummabitur ardor & ira mea*; id eſt, ad ſummum perveniet, explebitur, ſatiabitur, ut nihil amplius expectandum ſit, neque diutius ferre poſſim: *ſuper inveterata malitia eorum*, Aſſyriorum. III. *At poſt puſillum, minuſque puſillo furor & indignatio mea finietur ad ignominiam eorum*. IV. *Adhuc valde modicum, & conſummabitur indignatio & ira mea ſuper inveterata ſcilicet malitia eorum*. V. *Nam adhuc paulisper, minus puſillo tempore, & conſummata indignatione*, mea ſcilicet, id eſt abſoluta & finita, qua excandui in te, quemadmodum dixit ſupra verſ. 5. & 6. *tum ira mea incumbet conſumptioni iſtorum*: ut effectum eſt die illo, cuius meminit ſupra verſ. 17. ET CONSUMMABITUR INDIGNATIO: vel perficietur, ad ſummum perducetur: vel ceſſabit, finietur. Et utrumque vicinum eſt, nam perducta indignatio ad ſummum effecto iudicio, tunc expletur, perficitur, abſolvitur, finitur. SUPER SCELUS EORUM. תבלית *thablith*, *veternus*, *inveteratum malum*, *inveterata malitia*, *veteratorium ſcelus*: & quia quod veteraſcit & putreſcit, tandem conſumitur, plerique *conſumptionem* exponunt.

V. 26. ET SUSCITABIT SUPER EUM, &c. Hunc verſum alii ex Heb. I. *Et ſuſcitabit ſuper eum Iehovah exercituum flagellum iuxta plagam Midian, in Petra Oreb, & virgam ſuam ut ſuſcitavit ſuper mare*; id eſt, ut percuſſit AEgyptios in mari rubro, *& elevabit eam ſuper eum in via AEgypti*, id eſt more AEgypti, vel eo modo, quo levavit ſuper AEgyptios, ut verſu præcedente. II. *Et excitabit Iehova exercituum contra eum flagellum, quemadmodum in cæde Madianitarum in Petra Oreb, & virgam ſuam levabit ſuper mare in via AEgypti*, vel *& iuxta virgam ſuam; nam levabit eam more AEgypti*; id eſt, percutiet Aſſyrios, quemadmodum percuſſit Madianitas in Petra Oreb, & AEgyptios in mari rubro: nam levabit eam virgam ut percuſſuri ſolent facere, ea via & modo, quo levavit adverſus AEgyptios. III. *Excitabit enim*

con-

Digitized by Google

contra iſtum Iehova exercituum flagellum; *percuſſionem ſimilem Midianitarum ad rupem Horebi*, & *ſimilem baculo ſuo prope mare*, & *tollet*, *auferet*, *iſtum ratione AEgypti*; id eſt, momento Aſſyrios perdet per noctis unius ſpatium, ut Midianitas & AEgyptios olim. *Et ſimilem baculo ſuo prope mare*, quem protendi mare verſus a Moſcheh imperavit Deus, Exodi XIV. 26. & *tollet iſtum* Aſſyrium *ratione AEgypti*, id eſt, eadem ratione qua abſtulit AEgyptium. IUXTA PLAGAM MADIAN: vide hiſtoriam Iudic. VII. & ſupra cap. IX. 4. IN PETRA OREB. Locus clarus cæde Horebi principis Midianitarum, de quo vide Iudic. VII. 25.

V. 27. ET COMPUTRESCET IUGUM A FACIE OLEI. Varie alii ex Hebr. I. *Et diſſolvetur iugum a pinguedine*, vel *propter pinguedinem*: ut ſit metaphora ab animalibus, quæ præ pinguedine & craſſitie laxatis nexibus diſſolvunt iuga; unde quidam reddunt: *quin præ pinguedine laxabitur iugum eius*; quaſi dicat: O Iudæe, eris adeo validus & opulentus, ut facile tyrannidem Aſſyrii excutias. II. *Et corrumpetur*, ſeu *perdetur iugum propter oleum*, ſeu *unguentum*; id eſt, propter unctum tuum Ezechiam, vel in gratiam uncti tui Ezechiæ: ſeu potius in gratiam Meſſiæ, ſeu Chriſti veri Filii Dei. III. *Immo diſturbabitur iugum propter oleum*; id eſt, propter Chriſtum liberaberis, in quo quieſcit ſpiritus Iehovæ, qui unxit eum, infra cap. LXI. I. ſic interpretatur Ionathan Chaldæus. Eſt autem hoc propterea poſitum, ut tranſitio comparetur ad tertium conſolationis locum, cap. XI. quod totum huius promiſſionis eſt exegeticum. S. Hieronymus: *a facie olei*, id eſt Dei miſericordiæ. Hiſpanicus Interpres: *yel iugo ſe empodrecera delante la unction*; id eſt, *por ſer voſotros mis ungidos*.

V. 28. VENIET, &c. Hebr. præteritum: *Venit*, *pervenit*, &c. Notant eſſe alterum narrationis membrum, ut diximus in verſ. 5. & 16. quo Propheta expeditionem totam Aſſyriæ legationis, de qua II. Reg. XVIII. 27. & cap. XIX. 9. mimeticos iter, tempuſque, & locum circumſcribit, quo iudicium hoc effecturus eſt Deus, ad finem uſque capitis. Quidam obſervant deſcribi hic iter Sancheribi ex AEgypto redeuntis verſus Ieruſalaim. IN AIATH. Hebr. *ſuper Ghaiath*. Quidam: *contra Haiath*, *Haiatham regionem verſus*; id eſt, agrum urbis quondam Hai, quæ iam pridem everſa fuerat Ioſue VIII. De oppido *Hai*, vide Ioſue VII. 2. TRANSIBIT IN MAGRON. Heb. *tranſivit in Migron*. Alii: *tranſivit Migrone*, vel *per Migronem*: de quo vide in I. Samuel. XIV. 2. APUD MACHMAS COMMENDABIT VASA SUA. Alii: I. *Michmaſchi depoſuit inſtrumenta*, ſeu *impedimenta ſua*. Exponunt: Michmaſi reliquit partem impedimentorum ſuorum, quo celerius Ieroſolymam contendere poſſet. II. *Apud Michmas recenſebit arma ſua*, vel *in Michmas recenſere faciet arma ſua*. Hiſpanicus Interpres: *en Michmas contara ſus armas*; id eſt, recenſebit exercitum. Poſſis reddere: *apud Michmaſum luſtrabit inſtrumenta ſua*, ſeu exercitum. Hiſpanice, *reconocera ſus armas*. De oppido Michmas, vide in I. Samuel. XIII. 2.

V. 29. TRANSIERUNT CURSIM, GABA SEDES NOSTRA. Alii ex Hebr. I. *Tranſierunt vadum*, *Gheba diverſorio pernoctarunt*. II. *Tranſibunt vadum*, *Gheba noctu divertent*. III. *Traiecerunt tranſitum*: illum de quo I. Samuel. XIII. 23. *Gebali in diverſorium diverterunt*. Erat enim Gebah a meridie contra alterum ſcopulum ex adverſo Michmaſchi, I. Samuel. XIV. 5. לנו *lanu*, Noſter & alii, *nobis*. Plerique præteritum verbi לון *lun*, faciunt, *pernoctaverunt*, *diverterunt*. OBSTUPUIT RAMA. Hebr. *contremuit*, *conturbata eſt*, *tumultuata eſt*, *formidavit*, *trepidavit*, *perterrita fuit Haramah*: de qua vide in Ioſue XVIII. 25. GABAATH SAULIS: de qua vide in Ioſue XVIII. 24. & I. Samuel. XI. 4.

V. 30. HINNI VOCE TUA FILIA GALLIM. Aliqui reddunt: *Exalta*, *intona vocem tuam*. Alii: *Claram ede vocem tuam filia Gallimorum*. Apoſtrophe, quaſi in rem præſentem ventum eſſet, deſcribens miſerabilem & altiſſimum eiulatum: unde צהל *tzahal*, *hinnire*, hoc loco non erit lætitiæ aut petulantiæ, ſed doloris & metus; unde reddere poſſis: *Mugi voce tua*; nam id verbum tauris etiam tribuitur, ut Ierem. L. 11. *Gallim*, vel *Gollimi*, oppidum erat in tribu Biniaminis de quo vide in I. Samuel. XXV. 44. ut etiam

etiam alia omnia præter Laiſchum, quæ commemorantur uſque ad verſ. 32. ATTENDE LAISA, PAUPERCULA ANATHOTH, Ex Hebr. alii varie elucidunt: I. *Attendere fac Laiſam, o tu paupercula Anathoth*; id eſt, tuæ culamirates ab Aſſyrio allatæ, o Anathoth, advertanr Laiſam. II. *Animadverte, Laiſah, afflictam Anathoth*; id eſt, ne tu Laiſa deſpice clamores & eiulatus Anathoth, tibi ſolum conſulens. III. *Fac ut attendat Laiſa humilis Anathoth*. IV. *Arrige aures, Laiſa, & paupercula Anathoth*; id eſt, accommoda aures clamori urbis vicinæ. V. *Fac ut audiatur Laiſchum uſque, o paupercula Hanathoth*, id eſt ad ſummum uſque terminum aquilonarem, & remotiſſimum Terræ ſanctæ, ubi erat Lais, ſeu Dan. Itaque hic Laiſam accipiunt notiſſimam urbem illam, de qua Iudicum XVIII. 27. 28. & 29. Non quod illuc nunc Aſſyrius exercitus venerit, ſed quod illuc uſque fama eius ac terror pervagatus fuerit. Quidam non iſtam Laiſum Borealem terminum Terræ ſanctæ hic accipiunt, ſed aliam non longe ab Ieruſaluimis, cuius meminit Liber I. Machab. cap. IX. 5. Sed eo loco Machabæorum, non *Laiſa*, ſed *Hadaſis* legendum quidam contendunt, ut ibi videbimus. De *Hanathoth* vide Ioſue XXI. 18. Hebr. eſt elegans paronomaſia ענִיה ענתות *ghaniiah ghanathoth: afflicta, oppreſſa, humilis, paupercula Ghanathoth*, ub eadem radice.

V. 31. MIGRAVIT MEDEMENA. Alii ex Hebr. I. *Elongavit ſe Madmenah*. II. *Movit ſe, agitavit ſe*, vel *agitata fuit Madmenah*. III. *Ablata eſt, aufugit Madmenah*. Si hæc eſt illa Madmanah, de qua Ioſue XV. 31. illam conſtat fuiſſe in extremo auſtrali tribus Iuda, in confinio Idumææ: quod huic loco non convenir, niſi altera hæc fuerit in tribu Biniaminis: vel hic *He* ſit locale, hoc ſenſu: *Migravit*, ſcilicet Hanathoth, *in Madmanam*; hoc eſt, metu Aſſyrii fugerint habitatores Hanathothæ in Madmanam, & extremos fines Iehudææ: vide in Ierem. XXVIII. 2. HABITATORES GABIM CONFORTAMINI. Varie alii ex Hebr. I. *habitatores Gabim congregaverunt ſe*, ut fugerent. II. *habitatores Gebimorum ſe confirmarunt*, ad migrandum. Alii imperative: *habitatores Gebim obfirmemini, obfirmate, roborate, fortificate vos*. *Ghebim* poteſt eſſe proprium nomen urbis, formam habens pluralem: *habitatores Ghebimorum*; cuius alibi nomen in Scriptura non exſtar; vel appellativum, *habitatores foſſarum*, id eſt locorum munitorum, *roborate vos*, vel *roboraverunt ſe*, adverſus tantam vim hoſtium. העִיזו *heghizu*, imperativum, vel præteritum, quidam a עזז *ghazaz*, *obfirmare*: alii a עוז *ghuz*, vel עיז *ghiz*, *congregare*, *confugere*, derivant.

V. 32. ADHUC DIES EST, UT IN NOBE STETUR. Hebr. *Adhuc dies in Nob ad ſtandum*. Alii: I. *Adhuc intra diem in Nob ſtabit*. II. *Adhuc ſupererat multum diei, cum venit in Nob*, ut illic ſubſiſteret, ſeu interquieſceret. III. *Unius tantum diei ſpatio Nobi* exercitus hoſtium *ſubſiſtet*. IV. *Adhuc diem Nobi conſtiturus eſt*; id eſt, cum vix dum Nobo profectus ad urbem acceſſerit: de Nobo vide in I. Samuel. XXI. 1. AGITABIT MANUM SUAM SUPER MONTEM FILIAE SION, COLLEM IERUSALEM. Alii: *agitavit manum ſuam contra montem filiæ Tzijonis, collem Ieruſchalaimorum*; id eſt, cum primum ad Ieruſchalaima probro Dominum affecerit, & proſciderit nefariis illis blaſphemiis, de quibus idem propheta II. Reg. XIX. 21. & ſequentibus. Nonnulli: *agitata manu ſua minabitur monti filiæ Tzijonis, colli Ieruſalaim*, quaſi ſcilicet brevi expugnaturus. Aliqui, quod *monti* & *colli* Hebr. nulla præfigatur præpoſitio, in recto vertunt: *agitabit manum ſuam mons filiæ Tzijonis, collis Ieruſalaim*, quod tremore concuſſi fuerint Ieroſolymitani ad adventum exercitus Aſſyrii.

V. 33. CONFRINGET LAGUNCULAM IN TERRORE. Diverſimode alii ex Heb. I. *Deramificat ramum cum robore*. II. *Excidet, amputabit ramum cum violentia*, vel *vi magna*. III. *Amputabit pavore ramum iſtum*. IV. *Collucaturus eſt ramum violenter*; id eſt, tunc temporis Deus Aſſyrios profligabit: quod eadem allegoria ſilvæ a Propheta figuratur, ut ſupra verſ. 18. מסעף *meſagheph*, participium Pihel, aiunt proprie eſſe, *deramans, deramificans, ramos excidens, amputans, collucans*: ſic enim Latini *collucare* dicebant ramos exſcindere. Gallice dicitur *esbrancher*, &

Va-

Valentine, *esbrancar*, vel *esbronjar*. LAGUNCULAM, ſic Noſter ſecutus Aquilam vocem פוארה *phurah*, cum *Vau* & *Aleph* expoſuit: Symmachus & Theodotion, *torcular*, a פור *phur*, ut ſit פורה *phurah*, ſine *Aleph*; quod etiam *dolium* ſignificare aſſerunt: inde פור *pur*, *ſors*, quod in dolium ſeu urnam mittatur: unde nihil mirum aut prorſus alienum, ſi Noſter *lagunculam* dixit; forte ut alluderet ad lagunculas Gedeonis, Iudic. VII. 16. & ſequentibus, & hanc victoriam illi ſimilem indicaret. Plerique tamen *ramum*, vel *frondem* reddunt, a פאר *paar*, *decorare*, quod ſit decor arboris. IN TERRORE. Hebr. *in prævaliditate*, *prævaleſcentia*, *præpotentia*, *vi*, *violentia*, *fortitudine*, *robore*; unde proprie reddes: *deramans ramum in prævaliditate*; id eſt, vel ipſum Sancheribum, vel procerem quemque ex eius exercitu: allegoria. ET EXCELSI STATURA SUCCIDENTUR, ET SUBLIMES HUMILIABUNTUR. Alii: I. *& proceræ ſtaturæ arbores exſcindentur, & ſublimes deiicientur*. II. *Adeo ut proceri ſtatura exſcindantur, & alti deprimantur*.

V. 34. ET SUBVERTENTUR CONDENSA, &c. Alii hunc verſum ex Hebr. diverſimode reddunt: I. *Succidetque arbores perplexas*, vel *ramos perplexos & denſos arborum ſilvæ ferro: & arbores Libani ferro forti cadent*. II. *Et decidet condenſa ſilvæ ferro, & Libanus per prævalidum, aut præpotentem cadet*; id eſt, Aſſyriorum exercitus per angelum. III. *Attondebuntur vepreta ſilvæ ferro; & Libanus ipſe per fortem cadet*, id eſt per angelum. IV. *Et exſcindet denſitates ſilvæ*; id eſt, ipſe Deus opera angeli exſcindet denſas illius ſilvæ arbores, & perplexas, hoc eſt denſos manipulos & cohortes exercitus Aſſyriorum: *& Libanus ipſe*, id eſt ſilva maxima, *forti* ſecuri *cadet*, vel excidetur. V. *Et circumputabit perplexa ſilvæ ferro ſuo: denique Libanus ipſe*; id eſt, quamvis elatiſſimi & numeroſiſſimi, allegoria: *per magnificum caſurus eſt*, id eſt per Deum utentem opera angeli, aut etiam per angelum potentia Dei armatum: nam propterea etiam angeli robuſtiſſimi appellantur Pſalm. LXXVII. 25. itemque virtutes, & poteſtates, potentiæ, imperia, dominiaque, Epheſior. I. 21. & Coloſſ. I. 16. EXCELSIS, Hebr. in אדיר *addir*, id eſt *in præampliſſimo*, *prævalidiſſimo*, *magnificentiſſimo*; ut ſit epithetum Dei, vel angeli: vide in Iud. v. 25. Alii: *in forti*, vel *cum forti ferro*, accipiunt.

M E N O C H I I.

Verſ. I. ET SCRIBENTES, &c. id eſt, & qui ſcribentes leges, eas iniuſtas ſcripſerunt.

V. 3. VISITATIONIS, id eſt punitionis, cum Deus gladium ultionis in vos diſtringet. DE LONGE, id eſt ex Aſſyria. UBI DERELINQUETIS GLORIAM VESTRAM &c. quibus dabitis veſtras divitias, ut exitum evadere poſſitis?

V. 4. NE INCURVEMINI SUB VINCULO: ne captivi abducamini. ET CUM INTERFECTIS CADATIS, ne occidamini. SUPER OMNIBUS HIS, &c. repetitur hæc ſententia, quaſi verſus intercalaris, ut non ſemel capite ſuperiore.

V. 5. VAE ASSUR: minatur Aſſyriis, quia licet flagellum Dei futuri eſſent, tamen caſtigationem Iudæorum, quam Deus iuſte intendebat, ipſi tyrannice executi ſunt, & limites ultionis tranſgreſſi ſunt. VIRGA FURORIS, &c. Deus malis utitur ad plectendos alios malos tamquam virga, aut baculo. IN MANU EORUM INDIGNATIO MEA: Aſſyrii ſunt miniſtri indignationis meæ.

V. 6. GENTEM FALLACEM: Iudæos, qui fidem Deo datam ſæpe fefellerunt. POPULUM FURORIS MEI: eoſdem Iudæos, quibus furor meus iraſcitur.

V. 7. IPSE AUTEM NON SIC ARBITRABITUR: nimirum Aſſyrius Sennacherib, qui non exiſtimabit ſe tantum adhibitum, ut ſit virga Dei ad caſtigandum Iudæos, aliaſque gentes; ſed volet eas omnino delere, putabitque ſuis viribus, ſe auctore, non autem a Deo fieri.

V. 9. NUMQUID NON PRINCIPES MEI SIMUL REGES SUNT? Id eſt, nonne proceres, qui in palatio meo degunt, ſimul Reges ſunt, ita ut merito rex Regum dici poſſim? NUMQUID NON UT CHARCAMIS, SIC CALANO? id eſt, nonne ſicut feci Charcamis, ita etiam feci Calano, utriſque expugnatis? Charcami, ut docet S. Hieronymus, eſt Syriæ urbs, ſita ad ripam Euphratis. LXX. tamen pro Charcamis

camis

camis vertunt : *Regiones quæ ſunt ſupra Babylonem*. CALANO: urbs eſt prope Babylonem, poſtea dicta Cteſiphon, fuitque regia Parthorum, teſte Plinio Lib. VI. cap. XXVI. ET UT ARPHAD, SIC EMATH? Id eſt ſubieci meæ ditioni. Arphad urbs eſt non longe a Damaſco, de qua Ierem. XLIX. 23. Emath eſt duplex, maior, & minor: maior poſtea dicta eſt Antiochia; minor poſtea appellata eſt Epiphania, de qua Amos VI. 15. UT DAMASCUS, SIC SAMARIA, id eſt mihi reſiſtere non potuit.

V. 10. INVENIT MANUS MEA: manus & potentia mea expugnavit. REGNA IDOLI, &c. ut occupavi regna gentium idola colentium, nec eas regiones iuverunt Dii eorum tutelares; ſic eorum ſimulacra evertam in Ieruſalem, & Samaria.

V. 12. ET ERIT, &c. Loquitur Propheta in perſona ſua. IMPLEVERIT DOMINUS CUNCTA OPERA SUA; id eſt, cum uſus fuerit virga Aſſur ad flagellandum Iudæos. Vide IV. Reg. XVIII. 15. VISITABO: requiram, examinabo, & puniam. FRUCTUM MAGNIFICI CORDIS, id eſt cogitationes, & opera ſuperbiſſimi cordis Sennacherib; hæc enim ſunt fructus cordis, ſicut arboris, & radicis ſunt fructus folia, & poma. ET SUPER GLORIAM, &c. *gloria altitudinis oculorum*, eſt elatum ſupercilium, & ſuperbia.

V. 13. DIXIT ENIM: Sennacherib. IN FORTITUDINE, &c. quaſi dicat: Si quid fortiter, aut ſapienter factum eſt, id meæ fortitudini, & ſapientiæ debetur. ABSTULI, id eſt tranſtuli late imperio propagato. QUASI POTENS, id eſt quippe potens.

V. 14. QUASI NIDUM; id eſt, tam facile & cito regna fortiſſima ſubegi, quam ova, & pullos in nido colligit ruſticus. CONGREGAVI: ſubaudi, imperium meum, vel prædam ex omnibus regnis collegi. GANNIRET: obſtreperet, aut obſiſteret. Gannire proprie eſt vulpium; dicitur tamen etiam de canibus, cum ululatus doloris, aut gaudii ſigna edunt. Inde transfertur ad aves, ut idem ſit gannire, quod garrire, aut vocem edere.

V. 15. NUMQUID GLORIABITUR, &c. quaſi dicat: Non tuis viribus Sennacherib hæc peracta ſunt; ego te ut inſtrumento uſus ſum. QUI UTIQUE LIGNUM EST; nec de ſe moveri poteſt.

V. 16. IN PINGUIBUS TENUITATEM. Pingues, validoſque milites, macros, debiles, & imbecilles reddens. SUCCENSA, &c. Verba ſic ſunt ordinanda, *quæ combuſtio ſuccenſa*; quaſi dicat: Conſumam veluti igne ſubiecto gloriam eius, id eſt potentiam, ſive exercitum, quo gloriatur.

V. 17. LUMEN ISRAEL: vel Deum vindicem intelligit, vel angelum exterminatorem, qui Aſſyriorum 185. millia percuſſit. SPINA EIUS, ET VEPRES; id eſt, milites Aſſyriorum, tam maiores, quam minores, ab Angelo occidentur.

V. 18. ET GLORIA SALTUS EIUS, ET CARMELI; id eſt, Duces, & Principes exercitus, ſaltum vocat, quia exercitus armatus, & haſtatus, ſilvam refert; Carmelus autem ob ornatum veſtium, & commeatus abundantiam; nam Carmelus mons uberrimus eſt, & aſpectu iucundiſſimus. AB ANIMA USQUE AD CARNEM, id eſt omnino conſumentur, tum morte præſenti, tum æterna gehennæ. Reſpondet phraſis Italica, *In anima e corpo*. ERIT TERRORE PROFUGUS: fugit enim hac clade ab angelo accepta Sennacherib, & paulo poſt occiſus eſt a filiis, IV. Reg. XIX.

V. 19. RELIQUIAE LIGNI SALTUS; id eſt, reliquiæ exercitus eius adeo pauci erunt, ut catalogum eorum puer ſcribere poſſit. NUMERABUNTUR: prius enim quodammodo innumerabiles eſſe videbantur.

V. 20. RESIDUUM ISRAEL: qui poſt bellorum calamitates erunt ſuperſtites. QUI FUGERINT: qui clades evaſerint. QUI PERCUTIT EOS: Reges idololatras intelligit, qui cum auxilio ſe Iudæis futuros pollicerentur, arma poſtea in eos convertebant. IN VERITATE; ex corde, & fideliter.

V. 21. RELIQUIAE CONVERTENTUR. Hebraice eſt, *Scar Iaſub*, quod erat nomen filii Iſaiæ, ut dictum eſt ſupra VII. 3. eo enim alludit. Significat ergo reliquias paucas Iudæorum, quæ ſtragi huic ſuperfuerant, quaſque figurabat, & ſignificabat nomen filii Iſaiæ, ad Deum eſſe convertendas, tum tempore Ezechiæ, (vide II. Paral. XXX. 11. & 12.) tum maxime tempore Chriſti.

V. 22.

Digitized by Google

*V.*22. Si enim fuerit populus tuus, &c. id eſt, quamvis iuxta promiſſionem Abrahæ factam populus Hebræorum plurimus ſit futurus, tamen pauci evadent incolumes, & ad Deum convertentur. Consummatio, id eſt conſumptio. Abbreviata: quæ ad breves, id eſt ad paucos redegit Iſraelitas. Inundabit iustitiam: magnum iuſtitiæ, & ſanctitatis incrementum. Reſpicit præcipue Propheta tempora Chriſtianiſmi, poſt cladem Iudæorum ſub Tito.

V. 23. Consummationem, &c. ſenſus eſt: Nam ad paucos Deus rediget populum ſuum, quem multæ clades abſument. In medio omnis terrae, id eſt in tota Iudæorum terra, & ubicumque degent Iudæi.

V. 24. In via AEgypti, id eſt ſuo malo, ut olim te percuſſit AEgyptus.

*V.*25. Consummabitur, id eſt ceſſabit, ſcilicet contra te, & vertetur contra Aſſyrios, ut plectat ſcelera eorum.

V. 26. Iuxta plagam Madian, &c. quaſi dicat: Ut Madianitas non armis, ſed pavore dedit in exitium tempore Gedeonis, ita per Angelum cædet caſtra Sennacherib. In petra Oreb: Locus cladis Madianitarum. Vide Iudic. vii.25. Et virgam suam super mare; ſcilicet ſuſcitabit virgam, & flagellum ſuum, quemadmodum illud ſuſcitavit contra AEgyptios, cum illos percuſſit in mari. Levabit eam: virgam attollet ad percutiendum. In via AEgypti: ad eum modum quo percuſſit AEgyptum.

V. 27. Computrescet iugum a facie olei. Vatablus, & Forerius vertunt, *Præ pinguedine laxabitur, & ſolvetur iugum eius*. Ut nodi laxantur oleo inunctis funibus, aut loris, ſic iugum grave Sennacherib, a quo ſe expedire non poterant Iudæi, divinæ miſericordiæ beneficio ſolvetur, immo putreſcet, ut illo iterum non ſint vexandi.

V. 28. Venit, ſcilicet Aſſyrius. In Aiath, &c. Enumerat civitates, per quas Sennacherib erat tranſiturus in Ieruſalem. Commendabit vasa sua: relinquet partem ſarcinarum, & impedimentorum, ut expeditius iter proſequi poſſit Ieroſolymam verſus.

*V.*29. Gaba sedes nostra; quaſi dicerent: Feſtinato opus eſt, nam proxima nocte in Gaba pernoctandum eſt. Obstupuit: numerum exercitus, & eius celeritatem. Gabaath fugit, id eſt cives Gabaath.

V. 30. Hinni, id eſt clama, ſcilicet ad vicinas civitates, & nuncia adventare hoſtes. Filia Gallim: urbs Gallim; Hebræi enim ſpecioſas urbes, filias vocant. Vel, Filia idem eſt ac congregatio, id eſt popule. Attende, &c. nam tibi etiam Laiſa, & tibi Anathoth periculum imminet.

V. 31. Migravit, id eſt incolæ fugerunt. Confortamini: cauſam mox ſubdit.

V. 32. Adhuc dies est, &c. quaſi dicat: Apud vos non ſubſiſtet, ſed tranſibit tantum; licet enim adhuc aliquot diei horæ ſuperſunt, poterimus pergere uſque in Nobe. Agitabit manum suam, &c. cum in Nobe pervenerit, ex qua teſte D. Hieronymo Ieruſalem cerni poteſt, Sennacherib eminus manu agitata, ſanctæ civitati minabitur.

V. 33. Ecce, &c. cum nulla ſpes erit ſalutis. Confringet lagunculam, &c. Vites Aſſyriorum, & exercitum eorum Dominus ea facilitate comminuet, qua frangitur teſtea laguncula. Vel alludit ad lagenas Gedeonis confractas, & ad ſuſos Madianitas Iud. vii. In terrore: plagæ terribilis Aſſyriis immiſſæ. Excelsi statura: fortiſſimi, & maximi quique milites Sennacherib occidentur ab Angelo.

V. 34. Condensa saltus, &c. Vide dicta ſupra num. 8.

TIRINI.

Verſ. 3. Quid facietis in die visitationis, id eſt punitionis a Deo capitibus veſtris imminentis: Et calamitatis, ſeu aſſlictionis, de longe ex Aſſyria venientis? Ubi derelinquetis gloriam vestram, id eſt opes, pompam, dignitates, quibus adeo nunc glotiamini? quid tunc vobis hæc omnia proderunt?

Nota. Quod S. Symmachus Papa dicit *a* hæc Iſaiæ verba prædicta videri de ſede Petri; non intelligit de ſenſu littera-

li, (ut ei affingit Oecolampadius) ſed accommodatitio, quia perinde ei ſubſerviunt, ac ſi de ea fuiſſent prædicta.

V. 4. Ne incurvemini sub vinculo; ſeu ſub iugo, nempe gravati catenis, ut ſolent victi & capti; quaſi dicat: Ne captivi abducamini; ſuple, *quid facietis?* ut præceſſit.

V. 5. Vae Assur. LXX. *væ Aſſyriis*. Minatur Sennacheribo eiuſque exercitui, duas ob cauſas; primo, quod, cum non eſſet niſi inſtrumentum Dei ad puniendos Iudæos, ipſe tamen ſibi tamquam primo auctori & ſupremo domino omnia adſcriberet; ſecundo, quod limites in punitione exceſſerit, non ſolum puniendo Iudæos, ſed & exſcindere volendo. In manu eorum indignatio mea; id eſt, opera & armis Aſſyriorum exequar iram meam, & ſcelera Iudæorum ulciſcar: ita S. Hieronymus, Baſilius, Cyrillus, Procopius & alii.

V. 6. Ad gentem fallacem. Chaldæus, *ad cœtum hypocriticum*, id eſt ad populum Iudaicum duarum tribuum, qui totus ex hypocriſi conflatur: fingens ſub piiſſimo rege Ezechia pœnitentiam, & cultum veri Dei, ſed animo in idola prorſus inclinante & obſtinante. Contra hunc ergo populum furoris mei, id eſt iræ ſeu furori meo devotum, in quem liberis habenis deſæviet furor meus, mandabo regi Sennacherib, ut ponat illum non in excidium, ſed in conculcationem; nempe ut devictum proſternat, conculcet, ignominia afficiat & damno.

V. 7. Ipse autem Aſſyrius non sic arbitrabitur, nec exiſtimabit ſe tantum virgam & inſtrumentum meum eſſe, ac proinde nec ultra limites a me præſcriptos debere proſilire: ſed putabit ſe dominum abſolutum eſſe, & a me independentem, ideoque non curabit ſolum punire Iudæos, ut ego iuſſi; ſed volet eoſdem, & plures cum illis alias gentes prorſus *conterere* et ad internecionem delere.

V. 8. Dicet enim, iactabundus:

V. 9. Numquid non principes mei, ſeu dynaſtæ mihi ſubiecti, simul reges sunt? Quantus ergo ſum monarcha ego, qui tot regibus præſum & impero? Numquid non ut Charcamis *b*. Urbs munitiſſima ad ripam Euphratis, quam Aſſyrio ereptum ibat Nechao rex AEgypti, & iuxta quam vulneratus eſt Ioſias rex Iuda: sic Calano *c*, ſupple, ceſſit armis & imperio meo? urbs prope Babylonem ſita, teſte Hieronymo *d*, poſtea *Cteſiphon* dicta, Parthorum aliquando regia, inquit Plinius *e*. Et ut Arphad *f*, urbs haud procul Damaſco ſita, sic & Emath metropolis poſtea Syriæ, dictaque *Antiochia*, ioquit Ioſephus *g*, & tertia inter urbes Romani Imperii. Damascus regia tum erat Syriæ, ſed eam excidit Teglatphalaſſar *h*, *Samariam* metropolin regni Iſraelitici, 10. tribuum vaſtavit Salmanaſſar *i* anteceſſor Sennacherib.

V. 10. Regna idoli, id eſt regna idolis dedita, non tam expugnavi, quam *inveni* obvia prædæ & lanienæ. Manus non Dei, ſed mea. Similes blaſphemias faſtuoſi tyranni audire erit ex Rapſace præfecto militiæ eius, IV. Reg. XVIII. 19. &c.

V. 11. Sic faciam etiam Ierusalem et simulacris eius; nempe quæ Achaz rex in templum invexerat, IV. Reg. XVI. 10. &c. ſed ea iam ſuſtulerat Ezechias, cap. XVIII. 4. licet Sennacherib id ignoraret.

V. 12. Cum impleverit Dominus cuncta opera caſtigationis ſuæ in monte Sion; id eſt, cum per Aſſyrios ſat afflixerit Ieroſolymam, ſuburbana eius exciderit, opes & ſpolia extulerit, IV. Reg. XVIII. 13. &c. quaſi dicat: Cum ſat uſus fuero virga Aſſyria, tunc virgam ipſam confringam & in ignem abiiciam, ut ſolent facere parentes caſtigatis filiis.

V. 15. Numquid gloriabitur securis contra eam qui secat in ea? Sibine adſcribet quod ligna diſſecuerit? quid puerilius? quid ſtultius? Cur ergo tu, o Sennacherib, qui non es niſi ſecuris & inſtrumentum voluntatis & iræ Dei (licet inſtrumentum animatum & ratione præditum) audes tibi tot victorias aſcribere? Nonne Deus eſt, qui tibi dedit vires, animos, copias, proſperitatem? Nonne ipſe pavorem iniecit Iudæis, aliiſque gentibus, ut tibi reſiſtere

non

by Google

non auderent ? *Propter* has blaſphemias

V. 16. Mittet Dominus in pinguibus eius tenuitatem; id eſt, pinguia & proſpera eius omnia extenuabit, nominatim robuſtos & petulantes milites eius reddet debiles & imbecilles, cæſis illorum 185. millibus una nocte, IV. Reg. xix. 35. Quasi combustio ignis ardebit peſtis, vel alia ſimilis plaga ab angelo una nocte succensa subtus gloriam eius, id eſt ſub glorioſum exercitum illius. Tradunt Hebræi, teſte S. Hieronymo, corpora militum feriente angelo, igne occulto, veſtibus & armis illæſis, exuſta & quaſi in cineres redacta fuiſſe.

V. 17. Et (nam) lumen *Iſraelis*, ſeu Sanctus eius, id eſt Deus, erit ipſis in igne et flamma; quaſi dicat: Ad exurenda caſtra Aſſyriorum non opus erit alio igne quam ipſo vindice Deo, qui vere *ignis conſumens* vocatur a Moyſe *k* & Paulo. Hoc igne Succendetur et devorabitur spina et vepres Iudææ, nempe miles Aſſyrius, in die una, id eſt ſimul.

V. 18. Et gloria saltus eius; id eſt, quidquid gloriæ & maieſtatis habuerit Aſſyrius (hoc enim per ſaltum, ſeu ſilvam frondoſam deſignatur) quidquid item opulentiæ & venuſtatis (quod per Carmelum montem fertiliſſimum & amœniſſimum ſignificatur) ab anima usque ad carnem, id eſt omnino & ex toto, consumetur: et nimio terrore profugus erit & fugibundus, ut narratur IV. Reg. xix. 35. & Tobiæ I. 21. & alibi.

V. 19. Et reliquiae ligni saltus, ſeu exercitus, eius antea innumerabiles, iam prae paucitate facile numerabuntur, adeo ut puer poſſit eos deſcribere, & catalogum eorum texere. Tunc

V. 20. Residuum Israelis, & qui cladem Aſſyriorum effugerint, videntes proſtratas copias Sennacherib, non *adiicient* amplius vel diutius inniti super eo qui percutit & affligit eos, id eſt ſuper rege Aſſyrio, (perſtringit regem Achaz, qui implorabat *l* opem perfidorum Aſſyriorum,) ſed in veritate *innitentur* super Dominum, non ficte, non timide, (ut ſupra v. 6.) ſed *in veritate*, id eſt ſincere & conſtanter.

V. 21. Reliquiae convertentur. Hebraice eſt, *Sear iaſub*, quod erat nomen filii Iſaiæ, ut dixi cap. vii. 3. quaſi dicat: Tum verificabitur id quod filius meus ſuo nomine prophetat, nempe reliquias Iudæorum convertendas ad Deum: primo, tempore Ezechiæ abacto Aſſyrio, ut explicat S. Hieronymus, & Cyrillus; ſecundo, tempore Chriſti, ſubacto dæmone & peccato, ut explicat S. Paulus *m*, & docent Iſidorus, Salmeron & Toletus *n*.

V. 22. Si enim; clarius, *etſi enim*, fuerit populus Israel innumerabilis quasi arena maris; tamen non niſi reliquiae ex eo convertentur ad cultum veri Dei, ſub Ezechia & ad fidem veri Meſſiæ, ſub Chriſto. Consummatio, ſeu conſummata & plena Iudæorum multitudo, abbreviata *o*, id eſt ad brevem & exiguum numerum redacta; Hebraice, *acciſa*, inundabit iustitiam, id eſt, ipſa abundabit iuſtitia, ſeu vera religione, & eamdem in alios quoque derivabit, & inſtar fluminis quaquaverſum diſperget. Quod & in tempus Ezechiæ, & magis in tempora Chriſti ad litteram quadrat.

V. 23. Consummationem enim et abbreviationem. Hendyadis, id eſt conſummationem abbreviatam, de qua iamiam egit; LXX. & ex iis S. Paulus, *verbum abbreviatum*, id eſt rem ſeu numerum acciſum, omnino faciet Dominus in medio omnis terrae; ſeu Iudææ, ſeu totius terræ habitatæ; quaſi dicat, Palam, aperte toto orbe vidente & palpante. Hac ſpe erecta, o Iudæa, bono ſis animo.

V. 24. Virga leviter percutiet te rex Assur Sennacherib, ut ſolent cædi virga filiifamilias, ſed non occidi. Baculum & ſceptrum suum & arma ſua levabit super te, o Ieruſalem, ſed in via AEgypti; id eſt, eo modo, eo ſucceſſu quo ſolet rex AEgypti vos ſuis armis impetere, nempe magno ſtrepitu, ſuperbo hiatu, ſed exiguo damno tuo, maximo ſuo. Nam ut olim ſuper Pharaonem extendit Moyſes virgam ſuam,

reducendo ſuper eum aquas maris rubri; ſic etiam modo levabo *virgam* meam ſuper Sennacherib, & ſimili ultione & plaga illum plectam *in via AEgypti*; id eſt, quo modo olim ſub Moyſe ultio ſumpta eſt de AEgypto: ita Sanchez & plerique alii. Sed non video cur ad litteram id intelligi non poſſit de materiali *via AEgypti*, tum 24. tum 26. verſu: nam Sennacherib cum revera eſſet *in via AEgypti*, obviaturus Tharacæ AEthiopum regi, ex itinere minaces litteras dedit ad Ezechiam regem Iuda, IV. Reg. XIX. 9. & cum rurſus in reditu ex *via AEgypti* pararet oppugnare Ieroſol. adhuc circa *Lachis* exiſtens, cæſus eſt ab angelo, & fugere compulſus.

V. 26. IUXTA PLAGAM MADIAN; id eſt, ſimili pavore quo Madianitæ olim ſub Gedeone proſtrati ſunt, & princeps eorum OREB cæſus eſt IN PETRA, quæ inde nomen retinuit *Oreb*; etiam Sennacherib ſternetur, fugabitur, & a propriis filiis in templo dei ſui iugulabitur, IV. Reg. XIX. in fine.

V. 27. IUGUM ſervitutis, quod humeris veſtris tyrannus partim impoſuerat, tributum annuum *p* imperando, partim impoſiturus erat, Iudæa tota ſubacta; cæſo tyranno COMPUTRESCET, & per conſequens, ceſſabit gravare & lædere: *computreſcet*, inquam, A FACIE OLEI, id eſt per oleum ſuperinfuſum; quaſi dicat: Non tolletur vi & armis, ſed ſine ſtrepitu tyrannus. Sicut enim lora, nodi & funes, ex quibus iugum boum contexitur, ſolent oleo ab agricolis ſuperinfuſo molleſcere, putreſcere, atque ita diſſolvi; ſic ad præſentiam divinæ opis meæ, inquit S. Hieronymus, vel vindictæ meæ, ſine ſtrepitu deficient vires omnes Aſſyrii tyranni, ut prius deletum ſe ſentiat, quam audiat. Allegorice, Chaldæus, iugum dæmonis & peccati tolletur a nobis per & propter Chriſtum, cuius nomen, *oleum effuſum:* Cant. I. 2.

V. 28. VENIET IN AIATH. Aliqui urbem *Hai q* intelligunt: TRANSIBIT IN MAGRON: aliam urbem Iudææ; LXX. *Magedo*. Pulchra hypotypoſi Propheta, ut certitudinem doceat ſuæ prophetiæ, deſcribit hic iter adventantis Sennacherib, & ex AEgypto in Iudæam redeuntis ad obſidendam Ieroſolymam. Ergo nominat urbes quas vel capturus, vel tranſiturus erat. ADUD MACHMAS *r* COMMENDABIT VASA SUA; id eſt, ſarcinas & impedimenta relinquet ad tempus, ut tanto expeditior ſit ad iter proſequendum. Inde enim

V. 29. CURSIM, ſeu citato curſu, TRANSIERUNT ulterius, forſan ſoli equites Aſſyrii, clamantes, Feſtinato opus eſt, GABA SEDES NOSTRA, ſeu diverſorium noſtrum; id eſt, non ante quieſcendum, ſeu pernoctandum, quam in *Gaba* devenerimus. OBSTUPUIT RAMA tanti exercitus tam celerem reditum; & cives GABAATH, regiæ quondam SAULIS, conterriti *fugerunt*.

V. 30. HINNI VOCE TUA, id eſt eiula, conquerere, accerſe vicinarum urbium opem, FILIA GALLIM, unde oriundus *ſ* erat Phalti, cui nupſit Michol uxor Davidis profugi. ATTENDE, & cave tibi LAISA, alias *Lais t*, aut *Leſem*. Sic vocabatur urbs *Dan*. PAUPERCULA ANATHOTH: urbs Levitica, Ieremiæ ortu notiſſima.

V. 31. MEDEMENA eſt *Berſabee*, inquit Adricomius, poſtea dicta *Gibellina*, teſte S. Hieronymo: HABITATORES GABIM, id eſt excelſorum locorum, inquit S. Hieronymus & Sanchez & Alvarez, CONFORTAMINI, id eſt bono animo ſitis. Feſtinans tyrannus non nectet moras vobis expugnandis neceſſarias.

V. 32. ADHUC DIES EST: ſed ante finem diei, decrevit IN NOBE *ſtare*, & cum præambulis copiis diverſari. Urbs erat Sacerdotum, ex qua conſpici poterat Ieruſalem, inquit S. Hieronymus. Ex hac urbe eminus AGITABIT MANUM SUAM, & minabitur excidium *monti Sion*, ſeu Ieroſolymæ.

V. 33. Sed ECCE Deus CONFRINGET inflatam hanc & tumidam LAGUNCULAM, non armis, ſed TERRORE cælitus immiſſo. Alludit ad lagunculas *u* Gedeonis. EXCELSI STATURA, id eſt præſtantiſſimi quique milites Aſſyrii SUCCIDENTUR ab angelo.

V. 34. SUBVERTENTUR CONDENSA *x* SALTUS, id eſt copiæ numeroſæ & compactæ, ut ſunt arbores in ſilvis. ET

LI-

Libanus nemoroſus cum electis cedris ſuis prorſus concidet, nec umquam revireſcet: transferretur enim omnis Aſſyriorum gloria ad Chaldæos. Non ſic arbor Iudaica, de qua cap. ſequ.

(a) Cap. *Aliorum* 9. q. III. & in libro Ennodii.
(b) IV. Reg. XXIII. 29. & II. Paralip. XXXV. 20. & Ierem. XLVI. 2.
(c) Gen. X. 10. & Amos IX. 2.
(d) Hieron. in Loc. Heb.
(e) Plin. Lib. VI. cap. XXVI.
(f) Ierem. XLIX. 23.
(g) Ioſeph. Lib. III. Bell. c. I.
(h) IV. Reg. XVI. 9.
(i) IV. Reg. XVII. 6.
(k) Deut. IV. 24. & Heb. XII. 29.
(l) IV. Reg. XVI. 7.
(m) Ad Rom. IX. 27.
(n) Iſidor. in I. Reg. II. Tolet. & Salmeron in Rom. IX.
(o) Simile Daniel. IX. 24. & Matth. XXIV. 22.
(p) IV. Reg. XVIII. 14.
(q) Ioſue VII. 2.
(r) I. Reg. XIII. 16. I. Mach. IX. 73.
(ſ) I. Reg. XXV. 44.
(t) Iudic. XVIII. verſ. 27. & 29.
(u) Iudic. VII. 16.
(x) Sup. verſ. 17.

GORDONI.

Verſ. I. IN Iudam agit Iſaias; ex communiori interpretatione, ſicut cap. IX. contra Iſrael: de his ergo agit malis quæ ſub Achaz & Ezechia commiſſa ſunt, verſ. II.

V. 5. Vae Assur virga furoris mei. Minatur Aſſyriis cladem. Aſſur deſignat Aſſyrios & Sennacherib, qui fuit flagellum Iudæorum: vide IV. Reg. XIX. 13. mali virga Dei ſunt.

V. 7. 8. & 9. Aſcribit & improperat Sennacherib, quæ fecit contra Iudæos, ſuæ fidens potentiæ. Superbia eſt Aſſur, quam domabit Dominus, ut hic proſequitur Iſaias.

V. 15. Numquid gloriabitur. Pergit increpare ſuperbiam Sennacherib, variis exemplis ſerræ, virgæ, & baculi; ubi verſ. 17. videtur deſignare Angelum qui percuſſit 185. millia Aſſyriorum, IV. Regum, cap. XIX. & erit (inquit verſ. 19.) tam paucus eorum numerus, ut poſſit iniri a puero.

V. 20. & 22. Erit in die illa, &c. Hoc eſt, reliquiæ tum Iſraelis, tum Iudæ convertentur ad Dominum; idque tum ſub Ezechia, tum ſub Chriſto: nec adhærebunt regi Aſſur, ut fecit Achaz, timens Raſin & Phacee, verſ. 22. Deſignat plenam ſalvationem ſub Chriſto.

V. 28. Veniet ex Aiath. Pulchra deſcriptio ſuperbi Sennacherib, venientis ex AEgypto contra Ieruſalem: numerat urbes per quas victor tranſiturus erat; ubi interdum fingit vocem hoſtis loquentis. Hæ urbes varia habent nomina in Scripturis. Sed confringet (verſ. 33.) Dominus exercitum tam facile, ut ſolet confringi laguncula teſtacea, licet ſit numeroſus velut ſaltus, verſ. 34.

Ex Eiusdem Auctario.

Verſ. 4. Incurvari ſub vinculo, eſt abduci in captivitatem.

Verſ. 5. Virga furoris, flagellum Dei.

Verſ. 9. Inducit Regem Aſſur gloriantem de ſua potentia & victoria ex devictis hic recenſitis locis. Charcamis, urbs Syriæ ad Euphratis ripam. Calanus, urbs non longe a Babylone, poſtea dicta eſt Cteſiphon. Arphad, urbs prope Damaſcum. Emath, maior ſcilicet, dicta poſtea Antiochia; minor Emath tandem eſt vocata Epiphania. Nec, inquit, potuerunt reſiſtere Damaſcus & Samaria.

Verſ. 12. Et erit. Senſus eſt: Cum (ait Iſaias) Dominus caſtigaverit Iudæos per Aſſyrios, tunc vertet ſe in Aſſyrium. Vide IV. Reg. XVIII. 15. Interea deſcribitur ſuperbia Aſſur uſque ad verſ. 15. & 16.

Verſ. 16. Gloriatur Aſſur; ſed inaniter gloriatur ſecuris, contra eum qui ſecat. Caſtigabitur verſ. 16. Et lumen Iſrael, nempe Deus vindex, erit ignis comburens Aſſyrium.

Verſ. 26. Oreb. Iud. VII. 25.

Digitized by Google

CAPUT XI.

Vaticinium de Chriſti nativitate, judicio, exaltatione, converſione populorum & gentium ad Chriſtum, & gloria ſepulcri ipſius: item de converſione reliquiarum Iſrael ad Deum, ac fide Gentium.

1. ET egredietur virga de radice Ieſſe, & flos de radice eius
aſcendet. 2. *a* Et requieſcet ſuper eum ſpiritus Domini; ſpi-
ritus ſapientiæ, & intellectus, ſpiritus conſilii, & fortitu-
dinis, ſpiritus ſcientiæ, & pietatis, 3. & replebit eum
ſpiritus timoris Domini. Non ſecundum viſionem oculo-
rum iudicabit, neque ſecundum auditum aurium arguet:
4. ſed iudicabit in iuſtitia pauperes, & arguet in æquita-
te pro manſuetis terræ: *b* & percutiet terram virga oris ſui, & ſpiritu labio-
rum ſuorum interficiet impium. 5. Et erit iuſtitia cingulum lumborum eius:
& fides cinctorium renum eius. 6. *c* Habitabit lupus cum agno: & pardus
cum hœdo accubabit: vitulus & leo & ovis ſimul morabantur, & puer par-
vulus minabit eos. 7. Vitulus & urſus paſcentur: ſimul requieſcent catuli eo-
rum: & leo quaſi bos comedet paleas. 8. Et delectabitur infans ab ubere ſu-
per foramine aſpidis: & in caverna reguli, qui ablactatus fuerit, manum ſuam
mittet. 9. Non nocebunt, & non occident in univerſo monte ſancto meo:
quia repleta eſt terra ſcientia Domini, ſicut aquæ maris operientes. 10. *d* In
die illa, radix Ieſſe, qui ſtat in ſignum populorum, ipſum gentes deprecabun-
tur, & erit ſepulcrum eius glorioſum. 11. Et erit in die illa: Adiiciet Do-
minus ſecundo manum ſuam ad poſſidendum reſiduum populi ſui, quod relin-
quetur ab Aſſyriis, & ab AEgypto, & a Phetros, & ab AEthiopia, & ab
AElam, & a Sennaar, & ab Emath, & ab inſulis maris. 12. Et elevabit ſi-
gnum in nationes, & congregabit profugos Iſrael, & diſperſos Iuda colliget a
quatuor plagis terræ. 13. Et auferetur zelus Ephraim, & hoſtes Iuda peri-
bunt: Ephraim non æmulabitur Iudam, & Iudas non pugnabit contra E-
phraim. 14. Et volabunt in humeros Philiſthiim per mare, ſimul prædabun-
tur filios Orientis. Idumæa & Moab præceptum manus eorum, & filii Am-
mon obedientes erunt. 15. Et deſolabit Dominus linguam maris AEgypti, &
levabit manum ſuam ſuper flumen, in fortitudine ſpiritus ſui: & percutiet
eum in ſeptem rivis, ita ut tranſeant per eum calceati. 16. Et erit via reſi-
duo populo meo, qui relinquetur ab Aſſyriis: ſicut fuit Iſraeli in die illa,
qua aſcendit de Terra AEgypti.

(a) Act. xiii. 23. (b) 1. Theſ. ii. 8. (c) Infr. lxv. 25. (d) Rom. xv. 12.

COMMENTARIA

MALDONATI.

Verſ. 1. ET EGREDIETUR VIRGA DE RADICE. מגזע quod proprie ſignificat truncum arboris, qui exciſis ramis defixus manet radicibus. Qua ſimilitudine docet Propheta, fore ut cum regnum Davidis penitus exciſum eſſe vi-

dea-

deatur ab Aſſyriis & aliis hoſtibus, tamen adhuc maneat truncus aliquis qui repullulaſcat, id eſt reliquiæ illæ, de quibus dixit ſupra cap. x. 21. ex quibus tamquam ex trunco naſcatur Chriſtus. De Chriſto enim hoc caput non Chriſtiani ſolum, ſed & Chaldæus Paraph. & Hebræi omnes interpretantur. De radice Iesse, ישי *Iſai*, qui pater fuit Davidis, id eſt Regum xvi. ac propterea fortaſſe non Davidem, ſed patrem eius nominat, ut imam radicem ſignificet. Aut adeo afflictum iri regnum Davidis, ut quemadmodum quando ille unctus eſt rex, familia Iſai patris eius minime clara erat, tamen regno divinitus dato in magnam veluti arborem cœpit excreſcere; ita cum & regnum abolitum, & familia eius obſcurata eſſe videretur, ex eadem radice pullulaturum Chriſtum, cuius regni non erit finis. Et flos. נצר *ramus*, *ſurculus*. De radice, משרשיו, *de radicibus*, id eſt ex eius poſteris.

V. 2. Et requiescet; id eſt, tamquam in fonte aqua reſidet, ita in eo reſidebunt omnia dona Spiritus ſancti; nos autem omnes de plenitudine eius accipiemus. Hanc habet vim quieſcendi verbum. Quomodo autem hæc dona in Chriſto fuerint, Theologi docent III. Lib. Sent. d. xxxiv.

V. 3. Et replebit eum spiritus. Heb. והריחו, *& inſpirabit ei* (Deus) *timorem Domini*, aut, ut alii verrunt, *odorari faciet eum in timore Domini*, id eſt iudicare, diſcernere: aut, ut alii, *Et olfactio eius*, id eſt iudicium in timore Domini. Non secundum visionem oculorum suorum; id eſt, non ſecundum ea quæ patent, ut homo, ſed ſecundum ea quæ latent, ut Deus: I. Reg. xvi. 7.

V. 4. Sed iudicabit in iustitia, id eſt ſecundum veritatem, non ſecundum ſpeciem, pauperes, id eſt reddet illis ius ſuum, quod ab aliis iudicibus negabatur. Et arguet in aequitate (potentes, oppreſſores pauperum) pro mansuetis; ut manſuetos defendat. Et percutiet terram virga oris sui, id eſt ſententia, quam ore pronunciabit: et spiritu labiorum suorum, id eſt verbo ſuo, imperio ſuo, iudicio, ſententia. Interficiet, id eſt ad mortem damnabit; quod in ultimo iudicio facturus eſt Chriſtus, & de Antichriſto D. Paulus ait II. Theſſ. ii. 8. *Quem Dominus Ieſus interficiet ſpiritu oris ſui*.

V. 5. Et erit iustitia cingulum lumborum eius. Hebraiſmus; id eſt, erit illi iuſtitia propria, & comes individua, arcteque coniuncta, ſicut cingulum arcte nobiſcum iunctum eſt, ut Pſal. lxiv. 7. *Accinctus potentia ſicut veſtimento*. Et fides, id eſt veritas iudicii: idem enim repetit aliis verbis; itaque quam vocaverat iuſtitiam, eam nunc fidem vocat.

V. 6. Habitabit lupus cum agno. Hæc & quæ ſequuntur, non ſunt proprie, ſed metaphorice intelligenda; quaſi dicat, Fore ut poſtquam Chriſtus venerit, feri homines & immanes Evangelica doctrina ita manſueſiant, ut non differant ab agnis & hœdis, id eſt ab ipſis Apoſtolis, per quos convertentur. Simile eſt illud: *Ecce ego mitto vos ſicut agnos inter lupos*: Lucæ x. 3. Et puer parvulus minabit eos: נהג, *reget*: id initio Chriſtianæ Religionis experientia comprobavit, & nunc in Monaſteriis bene conſtitutis animadvertitur, homines qui & natura, & ingenio, & doctrina, & opibus, & honore ſuperbi erant, tam humiles manſuetoſque factos eſſe, ut ab Epiſcopo vel præfecto aliquando iuvene, indocto, ignobili facillime gubernentur.

V. 7. Vitulus et ursus pascentur. Coniungit inter ſe animalia, quæ maxime inimica ſunt, ut ſignificet homines, qui diverſiſſimis erant moribus, fore doctrina Chriſti concordes. Leo quasi bos comedet paleas; id eſt, manſueſcet, delectabiturque non iam carnibus, ut ante, id eſt ferinis moribus, ſed paleis, id eſt mitioribus: ſignificat omnia per Chriſtum in eum ſtatum reſtitutum iri, quo ante peccatum Adami creata ſunt, cum beſtiæ neque hominibus, neque aliis beſtiis nocebant, ſed herba unus omnium cibus erat: vide infra cap. lxv. 25.

V. 8. Et delectabitur, id eſt ludet. Infans ab ubere. Heb. יונק, *lactens* (infans) *iuxta foramen aſpidis*. Et in cavernam reguli qui ablactatus fuerit, id eſt puer paulo maior. Senſus eſt, fore ut nemo ab alio lædatur; quod tunc factum eſt, cum erat cor unum, & anima una: Act. iv. 32. Et nunc ſi Chriſtiane viveremns, fieri deberet.

V. 9.

V. 9. NON NOCEBUNT. In univerſo monte, id eſt in Eccleſia Catholica, QUIA REPLETA EST TERRA, præt. pro fut. id eſt replebitur; quaſi dicat: Quia omnes Deum cognoſcent, & in eum credent, nemo alteri nocebit. SICUT AQUAE MARIS, id eſt ſicut aquæ mare operientes: ita plenitudinem ſignificat.

V. 10. IN DIE ILLA RADIX IESSE, id eſt Chriſtus, qui ex genere Iſai progenitus erit. QUI STAT: אשר עמד, *qui ſtabit in ſignum*; id eſt, qui erit veluti vexillum ad quod omnes populi confugient. IPSUM GENTES DEPRECABUNTUR. Heb. ידרשו, *quærent*. ET ERIT SEPULCRUM EIUS. Heb. מנחתו, *requies eius*, aut manſio eius; id eſt, Eccleſia eius, quæ velut eius domicilium erit, glorioſa erit atque illuſtris. Septuaginta, ἡ ἀνάπαυσις.

V. 11. ET ERIT IN DIE ILLA, id eſt accidet, ut adiiciat Dominus ſecundo manum ſuam, id eſt utatur poteſtate ſua. SECUNDO, id eſt ſicut prius uſus eſt, cum ex AEgyptiorum ſervitute populum ſuum liberaret. AD POSSIDENDUM RESIDUUM POPULI SUI, id eſt ad colligendas, liberandaſque reliquias Iſrael, quæ longa diſperſione, ac ſervitute periiſſe videbantur. QUOD RELINQUETUR AB ASSYRIIS, id eſt quod reliquum erit, (poſſidebit, id eſt liberabit) ab Aſſyriis. AB AEGYPTO ET PHETROS, id eſt ab Arabia Petræa, ut aliqui interpretantur; vel, ut alii, a Parthia. ET AB AETHIOPIA, ET AB ELAM, id eſt Perſia; Elam enim regio erat Perſici regni: Dan. VIII. ET SENNAAR, id eſt ex ea regione Babylonis ubi Nembrod regnavit: Gen. x. 10. ET EMATH, nomen etiam regionis eſt: IV. Regum XXIII. 33. & I. Paralip. XVIII. 3. ET AB INSULIS MARIS. Inſulas putant aliqui ab Hebræis Europam noſtram vocari, non quod his omnibus in locis Iudæi futuri eſſent captivi, ſed quod per omnia loca futuri diſperſi, ex quo perſpici poteſt non eſſe hanc prophetiam ad ſolam Babylonicam captivitatem & liberationem, ſed potius ad collectionem Iudæorum ad Eccleſiam Catholicam per Chriſtum faciendam omnibus ex locis; ut declaratur verſu ſequenti.

V. 12. ET LEVABIT SIGNUM IN NATIONES, id eſt Evangelium, aut Crucem ſuam tamquam vexillum tollet, ad quod ſe omnes recipiant.

V. 13. ET AUFERETUR ZELUS EPHRAIM, ET HOSTES IUDA PERIBUNT. Genitivus paſſivus eſt; id eſt, peribunt hoſtes qui invident Ephraim, & hoſtes Iudæ ſimiliter. Per Ephraim Iſraelem intelligi ſæpe monuimus. Itaque ſenſus eſt, Peribunt hoſtes Iſrael & Iuda. ET EPHRAIM NON AEMULABITUR IUDAM; id eſt, per Evangelium fiet, ut Iſrael & Iuda, & cum hoſtibus, & inter ſe ſumma caritate concilientur: hoc enim eſt quod ſupra dixerat verſ. 6. *Habitabit lupus cum agno*, &c.

V. 14. ET VOLABUNT IN HUMEROS PHILISTHIIM, id eſt in regionem Palæſtinæ, in latera, metaphorice. PER MARE: ימה *verſus mare*, id eſt ad occidentem. SIMUL PRAEDABUNTUR FILIOS ORIENTIS, id eſt orientales; quaſi dicat, Totum orbem terrarum diripient, quod ſpiritualiter per Apoſtolos factum eſt. IDUMAEA ET MOAB, id eſt hoſtes Iſrael & Iuda: quia enim Idumæi & Moabitæ perpetui hoſtes erant eorum, ex parte totum ſignificat. PRAECEPTUM MANUS EORUM. משלוה ידם, *miſſio manus eorum*; id eſt, de Idumæis & Moabitis facient, quidquid voluerint, facient pro tuo imperio. Solemus enim extenta manu imperare; itaque eodem ſenſu noſter Interpres reddidit *præceptum*. Aut extenſio manus eorum, id eſt præda eorum; prædam enim iniecta manu rapimus. ET FILII AMMON OBEDIENTES ERUNT. Heb. משמעתם, *obedientia eorum*; id eſt, Ammonitæ, qui hoſtes Iudæorum erant, obedient Apoſtolis Evangelium prædicantibus.

V. 15. ET DESOLABIT DOMINUS. החרים, *exſcindet*. LINGUAM MARIS, id eſt mare rubrum, quod ſinus quidem eſt ad formam linguæ. Dicitur autem mare AEgypti, vel quia AEgypto vicinum erat, vel, quia in eo AEgyptii ſummerſi fuerant, ſicut,

Icarus Icariis nomina fecit aquis.

Debent autem hæc intelligi non proprie, ſed metonymice: non enim ſignificat iterum mare rubrum dividendum; ſed ita prædicatores Evangelii in omnes oras orbis terrarum penetraturos, ut nulla illis interiecta maria impedimento eſſe poſſint: ſicut olim mare rubrum tranſeuntibus Iudæis impedimento non fuit. ET ELEVABIT MANUM

NUM

Digitized by Google

NUM SUAM, id eſt oſtendet potentiam ſuam. SUPER FLUMEN, Nilum, vel quodvis aliud quod Evangelii curſum impedire poſſet. IN FORTITUDINE SPIRITUS; id eſt, viventi ſui dividet illud in ſeptem rivulos, id eſt in multos, numerus certus pro incerto. Alludit ad hiſtoriam Exod. XIV. 21. ubi & Moſes manum levavit ſuper mare, & Deus excitavit vehementem ventum ad ſiccandum mare. ITA UT TRANSEANT. Heb. והדריך בנעלים, *& tranſire faciet* (per flumen) *cum calceis*; id eſt rediget in minimos rivos, ut etiam a calceatis tranſiri poſſint. Aliqui id de Euphrate interpretantur, ſed malim generaliter de omni fluvio intelligere.

S A.

Verſ. 1. RADICE, id eſt ſtirpe, ſeu progenie. Chald. *filiis*. ET FLOS, &c. Chald. *Et Chriſtus de filiis filiorum eius ungetur*.

V. 2. PIETATIS: ſic etiam LXX. at Heb. *timoris*.

V. 3. ARGUET, ſcilicet peccatores.

V. 4. TERRAM. Chald. *peccatores terræ*. VIRGA. Chald. & LXX. *verbo*. SPIRITU, Chald. *eloquio*.

V. 5. IUSTITIA CINGULUM, &c. quaſi dicat, Hærebit ei iuſtitia perpetuo, more cinguli. Chald. *erunt iuſti in circuitu eius*. ET FIDES. LXX. *& veritas*. Chald. *& fideles accedent ad eum*.

V. 6. HABITABIT, &c. Chald. *In diebus Chriſti multiplicabitur pax in terra, & habitabit*, &c. LUPUS CUM AGNO, &c. quaſi dicat, Feroces alioqui cum manſuetis. MINABIT, id eſt ducet; quaſi dicat, Facile erit cuivis eos regere.

V. 7. PASCENTUR, ſcilicet Dei verbo. LEO QUASI BOS, &c. quaſi dicat: Feroces homines induent manſuetorum mores, viventque ſimul, & eadem utentur menſa. Sermo metaphoricus, qui frequens in Prophetis.

V. 8. AB UBERE, ſcilicet pendens; quaſi dicat, Lactans, vel abſtractus, ſcilicet ablactatus. SUPER FORAMINE, &c. quaſi dicat, Nihil timebitur, quia nihil noxium. ASPIDIS, id eſt ubi ante ſolebat aſpis morari, id eſt noxius converſari.

V. 9 MONTE, ſcilicet Eccleſia. REPLETA EST; pro, repleta erit tunc. SCIENTIA, id eſt cognitione. OPERIENTES, ſcilicet terram; quaſi dicat, Abundantiſſime.

V. 10. RADIX IESSE, ſcilicet Chriſtus qui de radice, id eſt ſtirpe Ieſſe. Chald. *filios filiorum Ieſſe*. QUI STAT, &c. LXX. *qui conſurgit, ut ſit princeps gentium*. SIGNUM, id eſt vexillum, ad quod populi congregentur. IPSUM GENTES, &c. LXX. *in ipſo gentes ſperabunt*. Chald. *ipſi regna obedient*. SEPULCRUM. Heb. & LXX. *requies*. Chald. *manſionis locus*.

V. 11. SECUNDO, ſcilicet per Apoſtolos, qui prius per ſe. RELINQUETUR, ſcilicet non interfectum. PHETROS. LXX. *Babylonia*: AETHIOPIA. Chald. *India*. AELAM, id eſt Chaldæa, ſeu Perſia. SENNAAR. Chald. *Babylonia*. LXX. *ſolis ortu*. EMATH. LXX. *Arabia*.

V. 12. SIGNUM, id eſt vexillum, ſcilicet per Apoſtolos. NATIONES, id eſt Gentes, ſcilicet ad fidem ampiectendam. PLAGIS, id eſt extremitatibus, Heb. *alis*, ſeu *angulis*. Chald. *ventis*. LXX. *alis*.

V. 13. ZELUS, id eſt ſimultas, ſeu invidia.

V. 14. VOLABUNT, ſcilicet Apoſtoli prædicatione. IN HUMEROS. LXX. *in navibus*. Chald. *uno humero in*, id eſt unanimiter contra. PRAEDABUNTUR, ſcilicet captivantes in fidei obſequium. FILIOS ORIENTIS, id eſt Orientales. PRAECEPTUM MANUS, ſcilicet ſequentur; quaſi dicat, Iuſſis obedient.

V. 15. LINGUAM, id eſt ſinum, ſeu oram. Intelligit autem Mare rubrum quod AEgypto propinquum, vel mare AEgyptum alluens. FLUMEN. Chald. *Euphratem*. SEPTEM, id eſt multis. Senſus eſt: Omnia futura Apoſtolis pervia, ſublatis omnibus impedimentis.

V. 16. RELINQUETUR AB ASSYRIIS, id eſt a dæmonum poteſtate liberabitur.

E S T I I.

Verſ. 1. ET EGREDIETUR VIRGA DE RADICE IESSE, ET FLOS DE RADICE EIUS ASCENDET. Manifeſta eſt prophetia de Chriſto, etiam conſenſu Rabbinorum, qui & ipſi hunc locum de Meſſia interpretantur. Quamquam hoc intereſt, quod illi expectent adhuc venturum,

quem nos veniſſe credimus. Duplex autem eſt huius loci expoſitio: una, ut per virgam ipſa Dei genitrix virgo Maria intelligatur; per florem filius eius Chriſtus. Et flos naſcatur de radice, non immediate, ſed per virgam ex radice naſcentem. Huic expoſitioni obſtare videtur, quod virgæ vocabulum apud Heb. non tam ſignificare videatur fruticem, ſeu ſtirpem enaſcentem, quam baculum, aut ſceptrum regale: ſic enim accipitur ſupra cap. IX. *Virgam humeri eius & ſceptrum exactoris eius ſuperaſti.* Item Num. II. *Orietur ſtella ex Iacob, & conſurget virga ex Iſrael.* Itaque altera expoſitio utrumque ad Chriſtum refert, ut in Chriſto, & virga & flos intelligatur: *virga*, propter regnum, *flos*, ſive (ut eſt in Hebræo) *virgultum*, propter inſignem ſanctitatem. Utraque expoſitio pia eſt, & magnam habet ſenſus ſublimitatem.

V. 2. Et requieſcet ſuper eum Spiritus Domini, ſpiritus ſapientiae et intellectus, &c. Calvinus graviter invehitur in imperitiam catholicorum, præſertim ſcholaſticorum, qui ex hoc loco ſtatuunt numerum ſeptenarium donorum Spiritus ſancti. Dicit enim in Hebræo tantum haberi ſex diverſa vocabula, atque ita ad ſummum non ſignificari niſi ſex dona Spiritus ſancti effuſa abunde in Chriſtum, & per participationem communicata credentibus in Chriſtum. Eius reprehenſioni breviter reſpondemus, in Hebræo quidem ſex dumtaxat vocabula diſtincta reperiri, ſed unum bis repetitum; atque ita nihil prohibere, quin quod ita reperitur a Propheta, nihil variet ſignificationem. Eſt autem vox illa, quæ communiter ſignificat timorem Domini: quem cum conſtet eodem modo ſemper accipi, hinc uno loco in textu noſtro vocatur *ſpiritus pietatis*, in alio *ſpiritus timoris*. Sic & in Græco textu apud Septuaginta priori loco ponitur, τῆς εὐσεβείας, & poſteriori τοῦ φόβου θεοῦ, eoſque ſecutus eſt Hieronymus.

M A R I A N AE.

Verſ. 1. Et egredietur virga de radice: ſic Septuag. Alii, *de ſtirpe*, ſeu *trunco*: id גזע ghezah ſignificare aiunt. Et flos de radice eius aſcendet. Sic etiam Septuag. Alii, *& germen*, aut *ſurculus de radice eius germinabit*, aut *creſcet*; ut ſit repetitio: *nezer*, id eſt *flos*, aut *germen*: eſt etiam Heb. urbis nomen, ubi Chriſtus eſt educatus, quam Iudæi *Nezer*, nos *Nazareth* vocamus, & ab ea voce Chriſtus *Nazaræus* vocatur, Matth. II. 23. & ſcribitur per *Zade*, non per *Zain*, ut antiqui *Nazaræi*: ſic Hieronymus hoc loco: Elias in Thiſbi. Nos per *virgam* Mariam intelligimus, per *florem* Chriſtum. Fortaſſis etiam, quoniam de Aſſur punitione eſt locutus ſuperioris cap. fine, nunc virgam ex poſteris Ieſſe prodituram ait, qua Aſſur, aliique impii puniantur. Is eſt Chriſtus Dei filius.

V. 2. Spiritus ſcientiae et pietatis requieſcet ſuper eum: ſic Septuag. Chald. *ſpiritus ſcientiæ in timore Domini*. Heb. *ſpiritus ſcientiæ & timoris Domini*.

V. 3. Et replebit. Heb. *& reſpiratio eius in timore Domini*; id eſt, nihil aliud cogitabit, aut dicet, quam Dei timorem, id eſt eo eſſe repletum: quod poſuit Hieronymus, poſuere Septuag. Non ſecundum viſionem. Heb. *Hic flos, hoc germen de cælo miſſus iudex non accipiet perſonas*. Arguet, id eſt pronuntiabit, diiudicabit, non ſequetur rumores, id eſt *auditus aurium*.

V. 4. Percutiet terram virga oris ſui, id eſt ſuis verbis impios terræ percutiet. Et ſpiritu labiorum, verbis item ſuis & ſententia, quam pronuntiabit.

V. 5. Et erit iuſtitia, id eſt iuſtitia & fide, ut cingulo militari, munitus armatuſque erit. Chald. *Et erunt iuſti in circuitu eius, & fideles accedent ad eum*. Ex hoc pax ſumma conſequetur, atque ita

V. 6. Habitabit lupus cum agno, ſcilicet *anniculo*; id vox Heb. *chebes* ſignificat. Leo. Heb. *catulus leonis*. Et ovis: vox Heb. *altile & ſaginatum* ſignificat. Morabuntur non eſt Heb. ſed ſuppletur. Minabit. Heb. *ducet eos puer*.

V. 7. Vitulus. Septuag. & Chald. *bos*. Pagn. *vacca*. Hæc omnia de Gentibus intellige, quæ vario ingenio & moribus ad Chriſti Eccleſiam concurrent, & erunt amicæ. Comedet paleas: nulli nocebit leo.

V. 9. Non nocebunt, aut *non maleſacient*,

facient; quaſi dicat: Si feræ pacificæ inter ipſas erunt, venatores illas perſequentur? Reſpondet, non erunt ulli in monte meo venatores, qui earum ferarum quietem ſolicitent; omnes enim ſcient quid illis expediat, vitabuntque inſidias. REPLETA EST TERRA SCIENTIA DOMINI, SICUT AQUAE MARIS OPERIENTES, ſcilicet terram, cum reſtagnant, aut *ſicut aquæ mare operientes*, ut Septuag. & Chald. vertunt. Hebraica Hieronymi interpretationem recipiunt, quia *Lamed* ſæpe in ea lingua nota genitivi eſt. Ergo ſcientia erit copioſa ut aqua.

V. 10. IN DIE ILLA, RADIX IESSE. Dicerem *radicem Ieſſe*, ne oratio ſit imperfecta, & *radix* ſumatur pro flore, aut germine, pro Chriſto. QUI STAT IN SIGNUM, in vexillum, ad quod populi concurrerent. DEPRECABUNTUR. Heb. *requirent*. ET ERIT SEPULCRUM EIUS GLORIOSUM. Chald. *locus manſionis in gloria*. Septuag. *& erit requies eius honor*: ſic Heb. ſed *requies* pro *ſepulcro* ſumi poteſt, *ſepulcrum* pro *cruce*. Sane quid cruce glorioſius? Itaque tantus erit hic Princeps, ut eius ignominia ſit honor, gloria, glorioſa.

V. 11. ET ERIT. Tunc colligentur reliquiæ Iſrael ſublata captivitate. SECUNDO. Sane per Cyrum prius ſuum populum liberavit, nunc per Chriſtum. AB ASSYRIIS. Quædam harum gentium nomina nota ſunt, alia ignota, ut PHETROS. Heb. *Pathros*, nempe Geneſ. x. 14. inter filios Meſraim, qui obtinuit AEgyptum, ponuntur, *Phetruſim*, haud dubium ſignificatur ea voce aliqua AEgypti pars. Quare poſt AEgyptum ponitur hic continuo *Phetros*. AELAM fuit filius Sem, Geneſ. x. 21. Ab hoc Perſæ, ſeu Babylonii. SENNAAR. An hi Chaldæi & Babylonii, quod quidam putant? EMATH. Hæc eſt Antiochia, & alio nomine *Reblatha*; & per eam Syriam intelligit, ubi multi Hebræi captivi tenebantur, unde eos eripiet Dominus.

V. 13. AUFERETUR ZELUS EPHRAIM, inimicitia, invidia. NON PUGNABIT, affliget, opprimet Iudam. Nempe regna duo Iuda & Iſrael amica erunt inter ipſa.

V. 14. VOLABUNT IN HUMEROS PHILISTHIIM, id eſt in latus & regionem, ubi Philiſthini fuſi ſunt, eam occupabunt. PER MARE, id eſt ad mare, ad Occidentem. Per *mare* Hebræi *Occidentem* intelligunt. SIMUL PRAEDABUNTUR FILIOS ORIENTIS, id eſt in omnes partes irruent. Apoſtoli ex omnibus plagis gentes Chriſto ſubiecere. IDUMAEA ET MOAB PRAECEPTUM MANUS EORUM, id eſt ad nutum obedient. Heb. *extenſio* aut *præda manus eorum*, id eſt in Idumæam & Moab irruent.

V. 15. DESOLABIT DOMINUS LINGUAM MARIS, id eſt ſinum, aut litus maris AEgyptii; quaſi dicat, Ad Auſtrum etiam Deus impetum dabit. SUPER FLUMEN, ſcilicet Nilum aut Euphratem. IN FORTITUDINE SPIRITUS SUI, id eſt vento vehementi excitato; quaſi dicat, Omnia plana & pervia Apoſtolis erunt.

V. 16. QUI RELINQUETUR AB ASSYRIIS. Hæc verba faciunt, ut per *flumen* Euphratem quidam intelligant, diductum in ſeptem rivos, id eſt multos, ut Apoſtolis omnia ſint plana. Alioqui ordo eorum quæ dicuntur, in Nilum magis conveniebat. Vatablus Euphratem intelligit, Chaldæum ſecutus. Nobis neutrum ſatis erat perſpectum.

MALVENDAE.

Verſ. 1. ET EGREDIETUR, &c. Alii: *Nam prodibit*, &c. Tertius, inquiunt, locus conſolationis, ut dictum eſt ſupra cap. IX. 1. a promiſſione regni Chriſti, qui fons & cauſa eſt liberationum omnium generalium ſingulariumque, corporalium & ſpiritualium. Sunt autem in hoc conſolationis loco deſcriptiones duæ: una eſt perſonæ, officiorumque Chriſti, quinque primis verſibus; altera, effectorum, inde ad finem uſque. Hoc autem verſu allegorice prænuntiatur Chriſtus, & ſtatus ſtirpis regiæ, ex qua naſciturus erat, ut illuſtrior ſit comparatio beneficentiæ Dei cum iudicio proxime præcedente, quod per allegoriam eiuſdem generis eſt adumbratum. S. Hieronymus: *Uſque ad principium viſionis vel ponderis Babylonis, infra cap.* XIII. *omnis hæc prophetia de Chriſto eſt*. VIRGA. חוטר *choter*, *virga*, *virgula*, *virgultum*, *ſurculus*, *rudis*, *rudicula*, *ramus*, *germen ſuccreſcens & pullulans ex arbore*: videtur

cognationem habere cum tranſpoſito חרט *cheret*, *ſtylus*, ut ſignificet virgam gracilem ac tenuem in modum ſtyli. Exponunt: Id eſt, humilis in ſpeciem & abiectus Chriſtus, ut obſervatum eſt ſupra cap. IX. 6. DE RADICE IESSE. Forſterus: גזע *ghezagh*, *ſtipes*, *caudex*, *truncus*, *pars diſſectæ arboris inferior*, *quæ ſupra terram eminet & proſtat*, *ac cui radices adhærent inferne*, *ſicut recte Aquila*, *Symmachus & Theodotion* κορμὸν *verterunt*: *nam ut ex ipſis Scripturæ locis liquet*, *atque Rabbi David Kimchi dextre ſentit*, *proprie ſignificat eam radicis partem*, *non quæ terræ infixa eſt*, *ſed ſupra terram eminet*: *ſicut econtra* שורש *ſchoreſch*, *quæ hic ſubiicitur*, *proprie ea pars arboris ſeu herbæ dicitur*, *quæ ſub terra eſt*, *& Latini radicem vocant*. Idipſum probant Sanctes, Vatablus, Forerius, Mercerus, Avenarius, Schindlerus. Nonnulli Hebræorum reddunt: *de ſemine Iſai*. Alii: *de ſtirpe Iſai*. Tremellius, & Iunius atque Buxtorfius: *ex trunco ſucciſo Iiſchai*, id eſt regia ſtirpe Davidis, quæ tum principatum omnem amiſerit & extincta tota ac ſucciſa videbitur. In ſumma hoc verſu gens ipſa Chriſti, adeoque locus educationis, & ipſe Chriſtus deſcribitur: dona in Chriſtum collata, verſu ſequente; regia vero adminiſtratio & officium eius ſanctiſſimum, tribus aliis. ET FLOS DE RADICE EIUS ASCENDET. Varie alii ex Hebr. I. *Et ſurculus de radicibus eius creſcet*. II. *Et virgultum de radicibus eius germinabit*. III. *Et ſurculus de radicibus eius fructum faciet*. IV. *Et ſurculus e radicibus eius effloreſcet*. Exponunt, *Surculus*, vel *Nazarenus*, educatus in Notzerath, vel Natzareth, ſive Netzer: quæ vox ſignificat *ſurculum*. Sic Chriſtus vocatur metonymice Natzareth, ſeu Netzar, pro Nazareno, quod in ea urbe educatus fuerit, Matth. II. 23. נצר *netzer*, proprie *ſurculus*, inde dictus, quod eius habeatur ratio & obſervetur, conſerveturque ne præcidatur, aut lædatur, alioqui enim præ teneritudine facile confringitur: vel quod ſit reſervatus, & arbori adhuc impactus, & ab ea nondum reſectus, ideoque trahens ſuccum ex eius ſtipite fructificat: ſeu, quod cuſtodia egeat ne a vento deiiciatur aut avellatur. *Plantulam* quidam reddunt. Inde factum nomen urbi Natzareth, dicemus in Matth. II. 23.

V. 2. ET REQUIESCET SUPER EUM. Hebr. *Et reſidebit*, *quieſcet*, *pauſabit*, *repauſabit* (Hiſpanice, *repoſara*) *ſuper eum*. Notant, quod cum in Scripturis dicitur requieſcere ſpiritus Iehovæh ſuper aliquem, perpetuitatem eius muneris ſignificare, ut II. Reg. II. 15. SPIRITUS DOMINI. Hebr. *ſpiritus* IHUH; id eſt, virtus & dona infinita ſpiritus, quæ ſequente accumulatione a Propheta deſignantur. SPIRITUS SAPIENTIAE: vide in Proverb. I. 2. ET INTELLECTUS, ſeu *intelligentiæ*: vide in I. Paralip. XII. 32. ET FORTITUDINIS. גבורה *gheburah*, *virtutis*, *potentiæ*, *roboris*, *fortitudinis*, *prævaliditatis*, *prævaleſcentiæ*, *præpotentiæ*, *ſuperioritatis*, *prædominii*, *victoriæ*, *ſuperlationis*, *animi heroici*. SCIENTIAE. דעת *daghath*, *cognitionis*, *ſcientiæ*, *notitiæ*. Quidam ad divinæ legis cognitionem, & Scripturarum intelligentiam hic aſtringunt: ſed præſtat generaliter accipere, omnium rerum notitiam ad ſuam functionem pertinentium. ET PIETATIS. Hebr. *& timoris Iehovæh*, ſive *reverentiæ*, *cultus*, *religionis*, *venerationis erga Iehovah*. Sic verſu ſequente.

V. 3. ET REPLEBIT EUM SPIRITUS TIMORIS DOMINI. Hebr. ad verbum: *& odorari facere eum in timore Iehovæh*. Alii: I. *& odorari faciet eum in timore Iehovæ*, vel *timorem Iehovæ*; id eſt, parvo iudicio agnoſcet illum, qui fuerit iuſtus & timens Dei. II. *& olfaciet ipſe in timore Iehovæ*, id eſt ſpiritu iudicabit. III. *& odoratus*, *olfactus*, *eius erit in timore Iehovæ*; quaſi dicat, Præditus erit acerrimo & infallibili iudicio, quod erit coniunctum eum timore Domini. IV. *& odoratu ſuo*, ſeu *ſagacitate*, *quam maxime valebit propter timorem Iehovæ*; quaſi dicat, Timor Iehovæ efficit eum ſagaciſſimum in cognoſcendo & iudicando. V. *& ſpirare*, vel *reſpirare eius*, *erit in*, *cum timore Iehovæ*; id eſt, nihil niſi timorem, religionem, ac pietatem erga Iehovam ſpirabit, vel *& ſpirare faciet eum in timore Iehovæ*. VI. *cuius odorari*, vel *odoratus*; id eſt, qui non infirme, tenuiter, atque humanitus ſingula odorabitur & cognoſcet in ſpeciem, ſed recto iudicio penitus omnia cognoſcens iudica-

Digitized by Google

dicabit; *erit coniunctus reverentia Iehovæ*, & reliquis donis Spiritus, quæ modo dicta ſunt: ſynecdochice; ſic enim Hebræi ſolent ab ultimo per hyſteroſin incipere. Nonnulli iungunt cum ſequentibus: *& odorari faciet eum in timore Iehovæ;* id eſt, adeo omnia odorabitur, præſentiſcet, & ſagaciter inquiret, ac deprehendet in timore Domini, ut nec viſione oculorum, nec auditu aurium in iudicio egeat. NON SECUNDUM VISIONEM OCULORUM, &c. Quidam reddunt: *Ob id non ad aſpectum oculorum ſuorum iudicabit, neque ad famam, quæ ad aures eius affertur, arguet*. Alii: *Non autem ad aſpectum oculorum ſuorum iudicabit, neque ad auditum aurium ſuarum corripiet*, ſine notitia, & ceteris donis ad iudicandum neceſſariis; quaſi dicat: Non ſecundum apparentiam, ut vulgo dicitur, iudicabit, ſed iuxta ea quæ certo noverit.

V. 4. SED IUDICABIT IN IUSTITIA PAUPERES, ET ARGUET IN AEQUITATE PRO MANSUETIS TERRAE. Alii: *ſed vindicabit iuſte tenues*; id eſt, æquam ſententiam feret erga pauperes, qui ſententia iudicum opprimi ſolent: *& corripiet ex æquo manſuetos terræ*. Quidam reddunt: *& carpet*, ſubaudi ſceleratos, *ob mites, qui in terra ſunt*; quod nimirum eos vexent & affligant. ET PERCUTIET TERRAM VIRGA ORIS SUI: id eſt, potente verbo ſuo, vel Evangelio. ET SPIRITU LABIORUM SUORUM INTERFICIET IMPIUM. Hebr. *mori faciet*, vel *morte afficiet*, *improbum*, *ſeditioſum*, *inquietum*, *turbidum*, *turbatorem*; vel diſtributive, quemvis improbum; vel ſingulariter, Antichriſtum omnium improborum improbiſſimum, ut certe interpretatur, aut accommodat Paulus II. Theſſalonicenſ. II. 8. Chaldæus Interpres hic pro רשע *raſchagh*, *improbo*, ponit *armillos*, quod eſſe nomen Antichriſti exiſtimat David Pomarius in Germine Davidis. Vide Lib. XIII. de Antichriſto, cap. VI. ubi hunc locum fuſius enarramus.

V. 5. ET ERIT IUSTITIA CINGULUM LUMBORUM EIUS, &c. Vide Pſal. XLIV. 4. & 5. ET FIDES CINCTORIUM RENUM EIUS. Alii: *& fides ipſa cingulum feminum eius*. האמונה *haemunah*, *fides*, *fidelitas*, *conſtantia*, *certitudo*, *veritas*, *firmitas*, *virtus promiſſa*, ſeu *pacta ſervans*: Allegoria cinguli, ſeu zonæ, ſummam & intimam coniunctionem ac perennitatem ſimul cum decore & ornatu ſignificat; quaſi dicat, His virtutibus tamquam ſibi coniunctiſſimis ac familiariſſimis perpetuo exornabitur. Aliqui hic abſtracta pro concretis accipiunt, ac ſi dicat: Incedet ſemper Chriſtus ſuccinctus iuſtis & fidelibus, erunt ei coniunctiſſimi, iiſque ſe ornabit.

V. 6. HABITABIT LUPUS CUM AGNO, &c. Hebr. *Et trahet*, *peregrinabitur*, *verſabitur*, *commorabitur*, *hoſpitabitur lupus cum agno*, vel *apud agnum*. Quidam: *Quapropter commorabitur lupus cum agno*. Altera pars conſolationis ab effectis Chriſti, quæ ad nos pervenient regno ipſius. Sunt autem hæc effectorum genera, primum pacis in univerſitate conſtitutio, & conſervatio, uſque ad verſ. 10. ſecundum, electorum convocatio & adunatio, inde uſque ad verſ. 14. tertium, adverſariorum edomatio ad commoditatem & uſum ſuorum, inde ad finem capitis. Primum hoc porro effectorum genus totum eſt hyperbolicum, & allegoricum, ut infra cap. LXV. 25. *Commorabitur lupus cum agno*, &c. id eſt, potentiſſimi, ferociſſimi; & damnoſiſſimi quique ad Eccleſiam advertentur domiti potentia Chriſti, ac ne trepidi quidem puerulis ſibi ab illis metuent amplius. Conſimilem allegoricam pacis & felicitatis deſcriptionem ex Sibylla Erithræa refert Lactantius Firmianus Lib. VII. Divinarum Inſtitutionum, cap. XXIV. ET PARDUS. נמר *namer*, vide de hac voce in Canticor. IV. 8. ET OVIS. Heb. מריא *meri*, cum *Iod*, & *Aleph* quieſcente. Varie reddunt: 1. *& bubalus*. 2. *& pecus pingue*, ac *ſaginatum*, ſeu *craſſum*, *altile*: vide ſupra cap. I. 11. Huc ſpectat illud Virgilii Ecloga IV.

—— *nec magnos metuent armenta leones*.

ET PUER PARVULUS MINABIT EOS. Quidam: *& puer parvulus dux inter eos futurus eſt*. Hiſpanicus Interpres: *y un niño pequenno los paſtoreara*; id eſt, *ſeran muy faciles de regir*.

V. 7. VITULUS. פרה *pharah*, *iuvenca*, *iunix*, *vacca*, *bucula*: vide in Numer. XIX. 2. PASCENTUR; ſubaudi ſimul, e

ſe-

ſequente membro : quidam, *compaſcentur* : fiduciæ ſummæ, & innocentiæ deſcriptio allegorica. ET LEO QUASI BOS COMEDET PALEAS. תבן *theben*, *ſtramen*: vide in Geneſ. XXIV. 25. id eſt, non amplius in homines aut alias animantes graſſabitur, non erit carnivorus, ſed communi pabulo utetur creatione inſtituto, Geneſ. I. 30. pro eo quod eſt, Inſtaurabuntur omnia..

V. 8. ET DELECTABITUR INFANS AB UBERE SUPER FORAMINE ASPIDIS. Hebræi reddunt: *Et ludet*, *lætabitur lactens*, &c. Forſterus: *Et incumbet cum oblectatione lactens ſuper caverna aſpidis*. REGULI: ſeu *baſiliſci*. De voce צפעוני *tziphghoni*, vide Proverb. XXIII. 32. De baſiliſci natura diſſeruere Plinius Lib. VIII. cap. XXI. Solinus cap. XXX. AElianus Lib. II. Hiſtoriæ Animalium, cap. V. & VII. & Lib. III. cap. XXXI. vide Iulium Cæſarem Scaligerum in Commentariis ad Lib. II. Ariſtotelis de Hiſtoria Animalium. cap. XVIII. pag. 240. Reuchlinus, Forſterus, Marinus, hic *aſpidem* reddunr, ſecuti proculdubio LXX. Forſterus vocem Hebræam a tranſpoſito פצע *phatzagh*, *vulnerare*, deducit, quod alia animantia vulneret, & enecet. Forerius componit ex צפה *tzaphah*, *ſpeculari*, & ענה *ghanah*, *affligere*. quod viſu noceat, & interimat, quod baſiliſco convenit: vide infra cap. XXII. 24. Allegoriam huius verſus, ſequens exponit. ABLACTATUS: proprie, *retributus*: vide in Geneſ. XXI. 8. MANUM SUAM MITTET. Hebr. *miſit*, *iniecit*, *libere extendit*, *protendit*, *intulit*.

V. 9. NON NOCEBUNT, ET NON OCCIDENT, &c. Alii hunc verſum ex Hebr. reddunt: I. *Non afficient malis*, *neque vaſtabunt per omnem ſanctum montem meum*; *plena enim erit terra ſcientia Domini*, *perinde ac dum aquæ maris omnia tegunt*; id eſt, plena erunt omnia cognitione Chriſti, ſeu Evangelio, quod cuncta mala avertit, quodque tam late patebit quam late patet maris ſuperficies. II. *Non afficient malo*, *neque corrumpent in toto monte ſanctitatis meæ*; id eſt, in Eccleſia nihil erit damnoſum, nihil venenoſum aut lethale, ſed diligentibus Deum omnia conferent ad bonum, qui ex propoſito ipſius vocati fuerint, Romanor. VIII. 28. *cum plena erit terra hæc ſcientia Iehovæ*, *velut aquis mare*, ſeu *alveum maris operientibus*: metonymia; quaſi dicat, Erit in Eccleſia mare immenſum cognitionis Dei, ut etiam prophetarur infra cap. LIV. 13. & Ierem. XXXI. 34. III. *Non male afficient*, *neque perdite agent*; id eſt, nec erunt perditis & depravatis moribus; quaſi dicat, Nec alios, nec ſe ipſos perdent aut corrumpent: *in toto monte ſanctitatis meæ*; *quia plena erit terra ſcientia Iehovæ*, *ſicut aquæ mare operientes*. SICUT AQUAE MARIS OPERIENTES, ſubaudi, terram; id eſt, cum mare exundar & operit terras. Quidam: *ſicut aquæ*, *quæ mare tegunt*, id eſt operiunt ſuperficiem maris, vel alveum ipſum maris. *Mare* hic Hebr. eſt in dativo. Ut numerum magnum per arenam ſignificavit ſupra cap. X. 22. ita hic magnam extenſionem & latitudinem, per aquas maris operientes intelligit.

V. 10. IN DIE ILLA RADIX IESSE, &c. Varie alii ex Hebr. I. *Et erit in die illa*, *eum*, *qui egredietur de radice Iſai*, *qui ſtabit in vexillum populorum*, *ipſum gentes requirent*: *eritque requies eius in gloria*. II. *Et erit in die illo*, *radicem Iſai*, *quæ ſtat in ſignum populorum*, *in illam gentes inquirent*, videlicet pro conſilio & auxilio, *& erit manſio eius gloria*. III. *Tunc quoque uſuveniet*, *ut radicem Iſai* (*quæ ſtat in ſignum*, ſeu *vexillum populorum*) id eſt ad quod populi undique congregabuntur, *gentes quoque requirant*; *eritque requies ipſius gloria*; hoc eſt, tranquillum regnum eius erit glorioſum. IV. *Erit etiam tempore illo*, *ut ad eum*, *qui e radice Iiſchai ſtabit in ſignum populorum*, *gentes conſulturæ veniant*, *& ſit requies eius gloria*, vel *requies gloriæ*, ſeu *glorioſa*. Secundum genus effectorum, ut diximus in verſ. 6. ſumptum ex prophetia Iahakobi, Geneſ. XLIX. 1. *ut ſit requies eius glorioſa*, id eſt Eccleſia, domus Dei, in qua requieſcit Chriſtus: ut Pſal. CXXXI. 14. RADIX IESSE, id eſt Chriſtus qui naſcetur ex radice Ieſſe, ſupra verſ. 1. Metonymia. QUI STAT IN SIGNUM, vel *vexillum*, POPULORUM; id eſt, ad quem tamquam ad vexillum confluent omnes populi, quos ipſe quaſi ſublato ſigno crucis, & mortis ſuæ, atque Evangelio coruſcante congregabit & coadunabit

bit

Digitized by Google

bit in caſtra & ordines Eccleſiæ ſuæ militantis: intra verſ. 12. ET ERIT SEPULCRUM EIUS GLORIOSUM. Inſigne vaticinium de gloria, & honore ſepulcri Dominici, quod ſemper hodieque in maximo honore, gloria, & veneratione habetur nedum a toto Chriſtiano orbe, ſed etiam ab ipſis infidelibus, ut innumeræ peregrinationes, itineraria, deſcriptioneſque Terræ ſanctæ evidentiſſime proclamant. מנחה *menchah*, quod hic *ſepulcrum* reddit Noſter, proprie eſt *deſidentia*, *reſidentia*, *repauſatio*, *locus*, *ſedes in qua aliquid quieſcit*, *requies*, *quies*, *quietis locus*. Nonnulli hic eiſdem litteris, mutatis punctis, *minchah* accipiunt pro *dono*, *munere*, *donario*, quod alicui principi honoris cauſa offertur; redduntque: *& erit donum eius*, vel *munus eius glorioſum*; ut indicet, gentes, ac reges gentium, honorificentiſſima & glorioſiſſima dona ac munera oblaturos Chriſto tamquam vero Regi ac Deo: Pſalm. LXVII. 30. & 31. Pſalm. LXXI. 10. Eodem pacto poſſis exponere: *& erit ſacrificium farinacem eius glorioſum*. De ſacro & incruento Miſſæ ſacrificio, quod tanta gloria, honore, ſplendore, magnificentia in toto orbe celebratur. Sed liberior eſt hæc mutatio punctorum. Hic *reſidentia eius*, id eſt Eccleſia, locus reſidentiæ & habitationis Chriſti, in qua ipſe rex, princeps, Sacerdos, Deus verus, ac monarcha præſidet. GLORIOSUM. Hebr. maiore emphaſi in abſtracto, כבוד *cabod*, *gravitas*, *gloria*, *honor*, *dignitas*, *excellentia*, *ſplendor*, *maieſtas*, *claritas*.

V. 11. ET ERIT IN DIE ILLA: ADIICIET, &c. Hunc verſum explanavimus in Antichriſto Lib. IV. cap. XVII. Equidem hic prophetari converſionem gentium uſque ad intimum Orientem, ſynecdochice per nationes hic nominatas ſignificatam, plerique exiſtimant: alii ſingularem Iudæorum reductionem ad Eccleſiam ex his gentibus inter quas commorabantur. Illud primum magis probamus. SECUNDO. Exponunt: Id eſt, ut primo fecerat cum liberaret ex AEgypto. Alii, *ſecundo*, id eſt tandem, poſtremo, in adventu Chriſti. Poſſis exponere, Iterum atque iterum; ut ſæpius manum huic operi adhibuerit. PHETHROS: vide in Geneſ. x. 14. & Lib. IV. de Antichriſto, cap. XVII. AELAM: vide in Geneſ. x. 22. & Lib. IV. de Antichriſto, cap. XVII. SENNAAR. Heb. *Schingbar*: vide Geneſ. x. 10. & Lib. IV. de Antichriſto, cap. XVII. & Lib. VI. cap. VII. EMATH. Hebr. *Chamath*: vide ſupra cap. x. 9. ET AB INSULIS MARIS: & regionibus etiam tranſmarinis; vide in Geneſ. x. 5. Quidam hic reddunt: *& a regionibus tranſmarinis*.

V. 12. ET LEVABIT SIGNUM IN NATIONES, &c. Alii hunc verſum ex Heb. ita reddunt: I. *Et elevabit vexillum in nationibus, congregabitque eiectos, proſcriptos, Iſraelis: & diſperſas animas Iehudah congregabit a quatuor angulis terræ.* II. *Et elevabit ſignum ad gentes, & colliget expulſos Iſraelitas, & diſperſiones Iehudah congregabit a quatuor alis terræ.* III. *Et ſublato ſigno gentibus, accipiat depulſos Iſraelitarum*, ex promiſſione Deuteron. XXX. 4. *& diſperſa membra Iehudæ congreget ex quatuor oris terræ*. Hoc eſt, gentes, & Iehudæos reducet.

V. 13. ZELUS: vel *æmulatio*, *invidentia*, *ſimultas*, *indignatio*. Aliqui hunc verſum ita reddunt: I. *Abſcedet zelus Ephraim, & hoſtes Iuda exſcindentur*; vel *tollentur de medio: neque Iuda hoſtiliter premet*, vel *exagitabit*, aut *affliget more hoſtis*; id eſt, Iudæi non erunt animo hoſtili adverſùs Iſraelitas. II. *Et auferetur æmulatio Ephraim, & adverſarii Iehudæ excidentur: Ephraim non æmulabitur Iehuda, & Iehuda non anget Ephraim.* III. *Et amota invidentia Ephraiimi, hoſtibuſque Iehudæ exciſis, Ephraiim non invideat Iehudæ, & Iehuda non agat hoſtiliter contra Ephraimum*. Sed omnibus ſit cor unum & anima una in Chriſto, Actor. IV. 32.

V. 14. ET VOLABUNT IN HUMEROS PHILISTHIIM, &c. Alii hunc verſum ex Hebr. reddunt: I. *Sed involabunt in humerum Palæſtinorum ad occidentem, & ſimul deprædabuntur omnes filios orientis*, id eſt *Syros: Edom & Moab manus ſuas illis ſubmittent, & filii Ammon illis parebunt*; quaſi dicat: Apoſtoli accepto Spiritu Sancto celeriter conferent ſe in Palæſtinam, Syriam, Idumæam, Moabitidem, & Hammonitidem, ut Evangelium annuntient, & illic velut deprædentur electos Dei, eripientes ipſi ſatanæ. II.

Sed

Sed involent in humerum Peliſchthæorum ad occidentem, una diripiant populos orientis : Edomæi & Moabitæ immiſſio manus ipſorum, & filii Hammonis obedientia ipſorum; vel *in Edomæos & Moabitas immittant manum ſuam, & Hammonitæ obediant eis*; id eſt, mutuas operas præſtent, & communes vires uno conſenſu adhibeant ad ſubiugandos & domandos hoſtes regni ſpiritualis Chriſti : ut olim in adipiſcenda poſſeſſione Terræ ſanctæ (quæ ſymbolum erat ſpiritualis regni) a Deo fuerat imperatum. Iudic. I. FILIOS ORIENTIS. Vide in Geneſ. XV. 19. IDUMAEA ET MOAB PRAECEPTUM MANUS EORUM. Hebr. *Edom, & Moab immiſſio manuum eorum*; id eſt, in Idumæam & Moabitidem regionem immittent manum ſuam. Poſſis reddere: *Edom & Moab erunt miſſio manus*, id eſt functionis eorum. Sic *Miſſiones* vulgo appellamus, cum aliqui in aliquam regionem mittuntur ad prædicandum Evangelium ; quaſi dicat, Apoſtolatus. ET FILII AMMON OBEDIENTES ERUNT. Heb. *& filii Hammonis auditio*, vel *audientia, obauditio eorum*, erunt; id eſt, eos libenter audient : vel *obedientia eorum*, erunt; id eſt, obedient eis; ſeu apoſtoli Hammonitas reddent ſibi morigeros, & obedientes, hoc eſt ad Chriſtum convertent.

V. 15. ET DESOLABIT DOMINUS LINGUAM MARIS AEGYPTI. Alii : I. *Et anathemate percutiet Iehova ſcopulum*, ſeu *promontorium*, quod linguæ figuram refert, *maris AEgypti*. II. *Et excidet Iehovah linguam*, id eſt ſinum, quod ſinus præſeferat figuram linguæ exertæ, excurrendo ſcilicet longius in continentem, *maris AEgypti*, hoc eſt maris rubri, cuius magna pars AEgypto adiacet. III. *Et funditus exſcindet*, id eſt perdet, vel ſiccabit, *linguam maris AEgypti*, hoc eſt mare rubrum, ſeu ſinum Arabicum. IV. *Etiam devovebit anathemati*, ſeu *internecioni ſinum maris AEgypti*. SUPER FLUMEN. Alii: *contra ipſum flumen:* Nilum AEgypti. Alii: *Euphraten*, qui ſimpliciter ſolet *flumen* in Scriptura appellari. IN FORTITUDINE SPIRITUS SUI. Alii ex Heb. *in vehementia, impetu, eruitione, venti ſui:* vel *in collectione, coniunctione, condenſatione venti ſui*. Nonnulli reddunt: *ea inſlante vento ipſius*, nimirum fluenta Nili, quæ mox nominantur; & ipſum mare; quaſi dicat: Ita accumulante aquas vento ipſius, ut omnia cedant & ſe accommodent ad ſalutem populi Dei, quemadmodum fuerat olim factum, Exod. XIV. & Ioſue III. Acceperunt ex verbo: *inflatione eorum vento eius*; ut in בעים *baghiam*, radix ſit בעה *baghah*, & *Mem* ſit affixum. Adito Lexica. ET PERCUTIET EUM IN SEPTEM RIVIS. Alii: *& percutiet illud dividendo in ſeptem flumina*, vel *torrentes*, ſeu *meatus*, aut *alveos*. Sic enim flumina ingentia, quæ vadari non poſſunt, diduci ſolent in plures alveos, ut facile pedibus tranſiri queant. Sic Cyrus proficiſcens Babylonem, Gyndem fluvium magnum in trecentos ſexaginta rivos diduxit, ut Herodotus Lib. I. num. 189. & 190. & Seneca Lib. III. *de Ira*, cap. XXI. Oroſius Lib. II. cap. VI. produnt. Et fortaſſe huc Propheta reſpexit : nam etiam ipſum Euphraten Cyrus foſſis avertit, ut idem Herodotus auctor eſt. Quidam reddunt, *per ſeptena fluenta :* oſtiis ſuis ſeptem irrumpentia in mare, ut de Nilo ſit ſermo, ſeptem ſuis oſtiis nobili. Virgilius VI. AEneidos:

Et ſeptem gemini turbant trepida oſtia Nili.

ITA UT TRANSEANT PER EUM CALCEATI. Heb. *& viare faciet in calceamentis*. Alii: I. *& ambulare faciet tranſeuntes in calceamentis*. II. *& calcare faciet illud cum calceamentis*. III. *& deducet ſuos calceatos*; quaſi dicat : Quia Euphrates poſſet eſſe impedimento electis venientibus ab Aſſyria in Eccleſiam Ieruſalem, dividet illum Dominus in tot partes, ut etiam a calceatis citra ullum aquæ periculum tranſmitti poſſit : & per eum deducet eos, qui ſe recipere voluerint in Ieruſalem. Vide quid ſimile Apocal. XVI. 12. IV. *efficiet ut iter habeat ea calceis populus*. V. *& efficiet illum fluvium pedibus permeabilem*. Hiſpanicus Interpres : *y harà que paſſen por el con çapatos*. Ut vix veſtigia tinguant aqua.

V. 16. ET ERIT VIA RESIDUO POPULO MEO. Heb. *Et erit ſtrata, via trita, regia, aggeſta, actus, reſiduo populi ſui*; hoc eſt, via ampla, regia, publica, facili venient ad Eccleſiam. Aliqui reddunt: *Erit enim agger reliquo populo ſuo*, Ag-

Digitized by Google

Agger Latinis interdum pro aggeſta via: Virgilius V. AEneidos:

Qualis ſæpe viæ deprenſus in aggere ſerpens.

Ubi Servius: *Agger eſt media viæ eminentia, coaggeratis lapidibus ſtrata*. Poſſit hic proprie pro aggere ſeu munimento accipi; quaſi dicat, Veluti aggere munitus ac ſepius erit in Eccleſia tutus ab incurſu hoſtium ſpiritualium. QUI RELINQUETUR AB ASSYRIIS. Alii: *qui relictus fuerit ex Aſſyria*, & Babylone, ceteriſque, de quibus ſupra verſ. 11. ſynecdochice. Hæc autem allegorice dicuntur, ad figurandum liberationem ſpiritualem per Chriſtum, cuius aliæ omnes fuerunt typi, atque particulæ.

MENOCHII.

Verſ. 1. ET EGREDIETUR, &c. Iterum de Chriſto prophetat Iſaias, ad quem ſubinde eius recurrit oratio. VIRGA. Symmachus, & Theodotio verterunt, *Germen*: B. Virginem intelligit. FLOS: eſt Chriſtus Dominus. DE RADICE EIUS, ſcilicet ex ſtirpe Davidis, ad quam B. Virgo, & Chriſtus pertinebant.

V. 2. ET REQUIESCET, &c. vox *requieſcet*, ſignificat firmitatem, copiamque donorum Spiritus ſancti, quæ in Chriſto tamquam in proprio loco requieſcent. SPIRITUS SAPIENTIAE. Sapientia eſt donum, ſeu virtus Chriſtiana, qua contemplamur divina, & æterna, & ſecundum ea de rebus omnibus iudicamus. INTELLECTUS: eſt virtus ſeu donum penetrandi obſcura, maxime in Scripturis. CONSILII. Donum conſilii eſt fere idem quod prudentiæ Chriſtianæ (puta eius pars) qua omnes noſtras actiones honeſte, & Chriſtiane dirigimus; conſilium enim eſt præcipuus actus prudentiæ. FORTITUDINIS: donum, ſeu virtus, qua ardua aggredimur, & difficilia ſuſtinemus, ut ſunt adverſa, & cruciatus tyrannorum, &c. SCIENTIAE: eſt donum, ſeu virtus, qua cognoſcimus temporalia ad ſalutem conducibilia, & modum illis bene utendi. PIETATIS. Donum pietatis complectitur religionem, qua Deum ut ſummum parentem veneramur, & colimus. Complectitur etiam æquitatem, & benevolentiam cum proximis, quaſi cum fratribus, unius Dei communis parentis cauſa.

V. 3. SPIRITUS TIMORIS DOMINI. Timor Domini, eſt filialis reverentia erga Deum, ex amore naſcens. NON SECUNDUM VISIONEM OCULORUM, id eſt non ſecundum externam apparentiam, quæ ſæpe fallit.

V. 4. IUDICABIT IN IUSTITIA PAUPERES; id eſt, inculpatum, & ſincerum iudicium reddet pauperibus, quos potentes ſæpe opprimunt, vel mali iudices contemnunt, & inique condemnant. ARGUET: Scribas, Phariſæos, & ſimiles adverſarios, quorum faſtum, fraudes, & ſcelera *in æquitate*, hoc eſt, iuſte arguet, & increpabit. PRO MANSUETIS TERRAE: humiles, pauperes, & mites, qui ſe eius prædicationi & doctrinæ ſubiicient, defendens. VIRGA ORIS: acri obiurgatione, & increpatione contra obſtinatos peccatores, & hypocritas. SPIRITU LABIORUM: eloquio ſuo. INTERFICIET IMPIUM: evertet impietatem. Vel potius ſermo eſt de Antichriſto, *quem Dominus Ieſus interficiet ſpiritu oris ſui*: II. Theſſ. II. 8.

V. 5. ET ERIT IUSTITIA CINGULUM, &c. quaſi dicat, Iuſtitia, & fides, id eſt veracitas, ſive fidelitas, perpetuo Chriſto adhærebunt, ut humano corpori adhæret cingulum.

V. 6. HABITABIT LUPUS CUM AGNO, &c. Significatur harum beſtiarum allegoria, homines diverſis, & contrariis ingeniis, & moribus præditos ſociabiliter in Chriſti Eccleſia ſimul victuros. PUER PARVULUS MINABIT EOS, id eſt ducet; quaſi dicat, Facile cuivis erit illos regere.

V. 7. LEO QUASI BOS, &c. quaſi dicat: Feroces homines vivent ſimul cum mitibus, & eadem utentur menſa, & cibis corporalibus, & ſpiritualibus, & eoſdem induent mores.

V. 8. DELECTABITUR INFANS, &c. id eſt, infantes vix ab ubere depulſi non horrebunt aſpides, ſed cum eis ludent, & in eorum foveas, & cubilia intrepide manus immittent. Videtur ſignificari fortitudo, & animi conſtantia, qua iuvenes, & pueri, nihil cruciatus, & mortem timentes, cum tyrannis Chriſtianorum hoſtibus congreſſi ſunt. Vel ſignificantur ſimplices fideles, qui dæmones de obſeſſorum corporibus eiecerunt. ET ABLACTATUS,

Digitized by Google

TUS, &c. eſt eiuſdem ſententiæ.

V. 9. NON NOCEBIT, &c. ſcilicet qui prius erant virulentiſſimi idololatræ, iam ad Chriſtum converſi, non amplius nocebunt fidelibus in Eccleſia, quæ eſt mons Dei ſanctus. SCIENTIA DOMINI: cognitione Dei; hoc eſt enim quod dicitur Pſal. XVIII. *In omnem terram exivit ſonus eorum*. OPERIENTES: terram aliquam. Aliqui vertunt, *ſicut aquæ mare operientes*, id eſt alveum maris.

V. 10. RADIX IESSE QUI STAT IN SIGNUM POPULORUM. Eſt Hebraiſmus, quem Latine ita clare exprimas, *Erit radix Ieſſe, ſtans in ſignum populorum*. Radix Ieſſe eſt Chriſtus, qui ex radice illa germinavit. IN SIGNUM POPULORUM: Chriſtus enim in cruce elevatus, vexillum erit cunctos ad ſe convocans populos. *Ego*, inquiebat ille, *ſi exaltatus fuero a terra, omnia traham ad me ipſum*: Ioan. XII. 32. DEPRECABUNTUR: colent & adorabunt ut Deum. ERIT SEPULCRUM EIUS GLORIOSUM: quia ex illo emerſit Chriſtus, glorioſus mortis triumphator; & quia ipſum ſepulcrum tot iam ſæculis colitur, & pie a fidelibus inviſitur.

V. 11. ADICIET DOMINUS SECUNDO, &c. prima enim populi a Deo vocatio, & poſſeſſio, fuit cum Deus Hebræos per Moſen evocavit ex AEgypto, & ſibi devinxit per legem datam: ſecunda, qua Chriſtianos per Chriſtum a diaboli ſervitute liberavit, ſibique in Sion per Evangelium adſtrinxit. QUOD RELINQUETUR AB ASSYRIIS, &c. Recenſet varias provincias, per quas ob bella, & clades diverſas diſperſi ſunt Iſraelitæ colligendi ab Apoſtolis, ut poſſideantur a Chriſto, & ab Eccleſia. A PHETROS: aliqui interpretantur Arabiam Petream, cuius metropolis erat urbs Petra. Alii volunt eſſe Parthos. Alii putant eſſe civitatem AEgypti. LXX. vertunt, *a Babylonia*. AELAM. AElamitæ ſunt Perſæ ab AElam filio Sem, ut docet D. Hieronymus de nominibus Hebraicis in Acta, & in cap. XV. Ierem. & Ioſephus Lib. I. Antiq. cap. VII. SENNAAR: eſt Babylonia. Vide Geneſ. XI. 2. EMATH: ad Libanum ſpectat, non longe diſtans a Damaſco. AB INSULIS MARIS. Sic vocatur Græcia, Italia, Hiſpania, & tota occidentalis orbis plaga.

V. 12. SIGNUM, Crucis.

V. 13. ZELUS EPHRAIM, &c. intelligit ſimultates, & odia, quæ inter decem tribus, quæ nomine Ephraim ſignificantur, & duas reliquas Iuda, & Beniamin interceſſerunt.

V. 14. VOLABUNT: magno fervore ſpiritus, & celeritate ſe conferent Apoſtoli, & Chriſti diſcipuli. IN HUMEROS PHILISTHIIM: in Philiſthæorum regionem Gazam, Aſcalonem, Azotum, &c. PER MARE: littus maris obambulantes, vel ab uno oppido ad aliud per mare navigiis delati. PRAEDABUNTUR: facient animarum prædam, quam ad Chriſtum adducant. FILIOS ORIENTIS: orientales plagas incolentes. PRAECEPTUM MANUS EORUM; id eſt, regio erit expectans nutum manuum eorum quippe illis obediens, & per Chriſtum ſubiecta.

V. 15. DESOLABIT LINGUAM MARIS AEGYPTI. Lingua maris ab Hebræis dicitur ſinus, oſtium, aut brachium maris. Lingua ergo maris AEgypti, vocatur promontorium ſive ſcopulus, in quo ſitum eſt Peluſium. Ex hac etiam regione prædæ agentur, & plaga illa ſalutariter deſolabitur, cum paſſim deſeretur idololatria, & Chriſtianiſmus inducetur. LEVABIT MANUM SUAM, evertentem idololatriam. FLUMEN: Nilum intelligit ſeptemfluum, quare & ſeptem eius rivorum meminit. ITA UT TRANSEANT PER EUM CALCEATI: adeo minuet idololatriam, ut fere ad nihilum redigatur. Sic fluvius ad nihilum redactus eſt, cum ſicco veſtigio, & calceis non detractis tranſiri poteſt.

V. 16. ET ERIT VIA, &c. & populus meus qui ſuperfuerit, a variis cladibus idololatriæ inundatione ſiccata, ad me tranſibit, egoque eos ex erroribus ducam, & ſuperſtitione, ut olim eorum patres ex AEgypto in deſertum eduxi.

TIRINI.

Verſ. 1. DE RADICE IESSE, id eſt ex familia Davidis, quæ ſpoliata iam ſuis regibus quaſi plebeia latebat in terra, EGREDIETUR VIRGA; Symmachus & Theodotion, *germen novum*, nempe B. Virgo Maria, & ex ea FLOS *Chriſtus*, Rex regum, inquit Chaldæus, & communiter SS. Patres, & etiam Rabbini,

Digitized by Google

bini, teſte Hieronymo. Hebraice eſt נצר *netzer*, unde Maldonatus, Ianſenius & alii ex S. Hieronymo Chriſtum putant vocari Nazaræum vel Nazarenum, Matth. II. verſ. ult. Et S. Hieronymus aliquando *a* pro *flos* hic vertit, *Nazaræus de radice eius creſcet*; quaſi dicat, Floridus omni virtute, gratia, ſcientia, ut mox explicat.

℣. 2. ET REQUIESCET SUPER EUM; id eſt, firmiter, conſtanter & quaſi in ſubiecto ſibi proprio manebit SPIRITUS DOMINI ſanctus: nempe ex vi unionis hypoſtaticæ cum Verbo, connaturaliter & neceſſario eſt in Chriſto Spiritus ſanctus, & cum eo dona ipſius *ſeptem*, id eſt omnia, & quidem in nobiliſſimo gradu: unde non tam dona, quam donorum ſpiritus in eo requieſcere hic dicitur. Quamquam ſimpliciter *ſpiritus* per metonymiam pro *re aſpirata*, id eſt pro dono, ſeu virtute infuſa accipiatur. Porro hæc dona primaria Spiritus ſancti, ſeu virtutes a Spiritu ſancto infuſæ (neque enim diſtinguuntur hæc dona niſi ratione, a virtutibus eiuſdem nominis, ut docent paſſim SS. Patres hic a Leone Caſtrio citati,) licet cuivis fideli in iuſtificatione communicentur, ſaltem quæ & quatenus cum virtutibus moralibus eadem ſunt; non tamen communicantur in gradu intenſo vel eminenti, quo modo hic Chriſto communicanda dicuntur, puta excellentiſſimo modo, & in gradu intenſiſſimo, & quidem conſtanter, perpetuo, naturaliter ac neceſſario inhæſura, ut ſupra dixi, quia hoc nulli alteri conceſſum fuit.

SPIRITUS SAPIENTIAE, id eſt donum, ſeu virtus, qua contemplatur divina & æterna, & ſecundum illa de rebus omnibus iudicamus & decernimus: & diſtinguitur in eo a virtute *ſcientiæ*, qua cognoſcimus temporalia, & modum illis bene ad ſalutem utendi. INTELLECTUS, eſt virtus penetrandi obſcura, maxime Scripturam. CONSILII donum, pene idem eſt quod prudentia Chriſtiana, qua omnes noſtras proximorumque actiones honeſte dirigimus: conſilium enim præcipuus eſt actus prudentiæ. Et hæc quatuor priora dona Spiritus Sancti ad intellectum hominis pertinent, & ei inſunt. Tria vero ſequentia inſunt voluntati, puta *fortitudo*, quia quælibet adverſa, etiam martyrium, ſuſtinemus propter Deum: *pietas*, ſeu religio, qua Deum ut ſummum parentem colimus ſumma reverentia; proximis vero quaſi fratribus omnem æquitatem ac benevolentiam exhibemus unius Dei, communis parentis cauſa. Eſt ergo *pietas* pars præcipua iuſtitiæ Chriſtianæ. Denique

℣. 3. SPIRITUS TIMORIS DOMINI, non ſervilis aut hoſtilis, ſed filialis & reverentialis, qui ut fons, ita & complementum eſt omnium virtutum, ut alibi *b* dixi. Hic timor in anima Chriſti naſcebatur ex intima reverentia, & clara cognitione divinæ maieſtatis, & vilitatis ſuæ humanæ naturæ, quæ ex nihilo venerat, & in nihilum reduci poterat, potuiſſetque etiam peccare & damnari, ſi unione hypoſtatica & aliis donis præventa non fuiſſet. Vide hæc fuſius apud. S. Thomam *c* & Doctores Scholaſticos.

Porro his donis plenus Chriſtus, Dominus & iudex univerſi, IUDICABIT NON SECUNDUM VISIONEM OCULORUM, ſeu ſecundum apparentiam externam, quæ ſæpe fallit: NEQUE ARGUET SECUNDUM AUDITUM AURIUM; ſeu ex rumuſculis & relatione aliorum, in qua multus plerumque error.

℣. 4. SED IUDICABIT IN IUSTITIA; iuxta cauſæ æquitatem, quam in ſeipſa, ut eſt, perſpectam habebit, qui etiam *corda ſcrutatur & renes*. Itaque ſincerum iudicium reddet tum omnibus iudicandis, tum maxime *pauperibus*, quos potentes ſolent opprimere, & mali iudices contemnere: ita SS. Irenæus & Hieronymus. ET ARGUET PRO MANSUETIS TERRAE: nempe qui ſeipſos tueri non poſſunt, interim patienter & manſuete ferunt illatas iniurias: hos Chriſtus defendet contra duros & ſuperbos oppreſſores. ET TERRAM; id eſt, terrenos homines, ſeu terræ incolas, ſi ſibi rebelles ſenſerit, PERCUTIET VIRGA ORIS SUI, id eſt acri & libera obiurgatione & increpatione. Sic Phariſæos obiurgavit & Scribas, Matth. XII. 23 & 25 avaros & voluptuarios Lucæ VI. Nec obiurgabit tantum, ſed & INTERFICIET IMPIUM quemvis, cum ei viſum fuerit: neque ad id opus habebit armis aut copiis militaribus, ſed occidet SPIRITU LABIORUM SUORUM, id eſt iuſſu & imperio ſuo. Sic proſtravit copias militares quæ ad ipſum capiendum vene-

rant, Ioannis XVIII. 6. Et cuſtodes ſepulcri Chriſto reſurgente *facti ſunt velut mortui*, Matth. ult. verſ. 4. Et ore Petri Ananias & Saphira occiſi ſunt, Act. V. Et caput omnium impiorum Antichriſtus *verbo oris* Chriſti occidetur cum ſuis ſequacibus, II. Theſſal. II. 8. Et omnes omnino impii ſententiam æternam mortis ex eius ore accipient in die iudicii.

V. 5. ET ERIT IUSTITIA, itemque FIDES, id eſt veracitas, ſeu fidelitas, perpetuo adhærens Chriſto, inſtar *cinguli* LUMBORUM, ſeu balthei, ipſum undique cingens, ſtringens, ornans & roborans. Porro his ſuis virtutibus effectum dabit, ut

V. 6. HABITET LUPUS CUM AGNO. (v. g. Saulus cum Anania, inquit S. Hieronym.) PARDUS CUM HAEDO, LEO *cum ove*, *urſus cum vitulo*; id eſt, homines ante feroces, rapaces, ſuperbi, variis erroribus ac vitiis irretiti, ſimul in eadem Chriſti Eccleſia quiete verſabuntur cum iuſtis, cum humilibus, cum ſimplicibus, cum pauperibus; quaſi dicat: Summa erit inter omnes concordia, pax & fidelitas, & quæ ex illis emanat, rerum omnium abundantia & felicitas. ET PUER PARVULUS MINABIT EOS: nempe ſubordinationem & obedientiam præſtabunt omnes ſuo Prælato & paſtori, etiam ignobili, indocto, imperfecto.

V. 7. LEO QUASI BOS COMEDET PALEAS; id eſt, ſuperbi ante & arrogantes, etiam principes, induent mores, & cibo victitabunt tum corporali, tum ſpirituali vulgarium, humilium, paoperum Chriſtianorum.

V. 8. INFANS AB UBERE matris vix depulſus DELECTABITUR SUPER FORAMINE ASPIDIS: nihil eius congreſſum exhorreſcens, ſed ludibundus, etiam in antrum eius fidenter manum immittens; id eſt, recenter ad Chriſtum converſi, etiam adoleſcentuli & pueri, libere agent cum idolatris, hæreticis, tyrannis, intrepide cum iis congredientes, fidem palam annuntiantes, mortem & martyrium ambientes. Plenæ ſunt exemplis hiſtoriæ etiam noſtri temporis in S. Xaverio, Barzæo *d*, &c. Et quidem initio nocebunt eis tyranni, & multos martyrio afficient, ſed paulatim melius ab eis edocti & cicurati, abiecto infidelitatis veneno, ad Chriſtum converſi.

V. 9. NON NOCEBUNT eis amplius, neque OCCIDENT IN UNIVERSO MONTE SANCTO MEO, id eſt in tota Eccleſia mea: ita S. Hieronymus. Male ergo Lutherus hinc infert, non licere Catholicis occidere hæreticos. Inferre debuiſſet, non occiſum neque læſum iri Catholicos ab hæreticis, nempe iam converſis. Neque hoc in uno alterove terræ angulo fiet, ſed per orbem univerſum. QUIA REPLETA EST TERRA SCIENTIA, ſeu cognitione, DOMINI, non ſcholaſtica Doctorum, ſed catechiſtica rudium, nempe fide in verum Deum & Chriſtum: quæ ſic inundabit totam terram, SICUT AQUAE MARIS illam *operiunt*: S. Heronymus.

V. 10. IN DIE ILLA, ſeu tempore adventus Domini, erit RADIX IESSE. Hebræum שרש *ſores*, non ſolum *radicem*, ſed & *ſurculum* vel *germen* ſignificat, inquit Forerius, Ribera, Alcazar *e* & a Lapide. Unde cap. LIII. 2. ſimili modo *radicem* pro *virgulto* uſurpat Iſaias: *Aſcendet ſicut virgultum, & ſicut radix de terra*: & I. Machab. I. *Exiit ex eis radix peccatrix Antiochus*. Ergo *radix Ieſſe* hoc loco eſt ſtirps, ſeu progenies Ieſſæa, nempe Chriſtus Meſſias. QUI STAT IN SIGNUM POPULORUM, non amplius iam ſub terra latens, neque iuxta terram ſerpens, ſed in altum ſeſe extollens, inſtar ſigni militaris; Hebraice, *vexilli*, ad quod undique omnes adcurrent, ſub quo ſtipendia facient, & cui ſe ducendos, regendos, tuendoſque univerſi populi committent: ſolent enim milites vexillis regi, ſicut naves gubernaculo: unde LXX. hic vertunt, *exurget ut princeps ſit Gentium*: & ita legit S. Paulus ad Rom. XV. 12. Porro principis huius non ſola vita (quam nobiſcum aget) præluſtris erit & glorioſa, ſed ET ERIT SEPULCRUM EIUS GLORIOSUM: Hebraice & Græce, *erit requies eius gloria*. Unde *ſepulcrum* hic non tam locum ſignificat in quo poſitum fuit cadaver Chriſti, quam ipſam mortem, dormitionem, ſeu requiem, quæ fuit cauſa ſepulturæ. Porro mors Chriſto glorioſiſſima accidit; nam ſimul atqoe exſpiravit, anima victrix apud inferos triumphavit: & corpus honorifico conditum ſepulcro, quod etiam angeli ſua præſentia & cuſtodia cohoneſtabant, glorioſum tertia die reſurexit: ita fere S. Hieronymus & Cyril-

Cyrillus. Addit Rupertus, & ex eo Delrius *f*, requiem Chriſti fuiſſe nobis quoque pergloriosam, & noſtræ viciſſim quietis cauſam. Et in huius rei figuram, Lamech filium ſuum vocaſſe *Noe*, a radice נח *noah*, quod eſt, *a defatigatione requieſcere*: & cauſam addidiſſe, quia *ipſe conſolabitur nos*; LXX. Philo & Ioſephus, *faciet nos quieſcere ab operibus & laboribus manuum noſtrarum*. Porro etiam ut littera ſonat, materiale ſepulcrum Chriſti glorioſum fuiſſe, & etiamnum eſſe, conſtat ex rei geſtæ hiſtoria Matth. xxvii. 60. & infinitis miraculis, quæ ad illud ſepulcrum, nobiliſſimo templo ab Imperatrice Helena exornatum, quotidie patrantur, teſte S. Auguſtino, Gregorio Turonenſi, Adrichomio *g* & aliis. Quæ gloria ad hoc uſque tempus, etiam in media Turcarum barbarie continuatur: & perpetuo peregrinorum eo undique tendentium concurſu non parum augetur, inquit S. Bernardus *h*: & annua Eccleſiæ, ſepulcralem Chriſti gloriam in ſanctiore hebdomada per univerſum orbem quanta poteſt pompa celebrantis conſuetudine perpetuo renovatur.

V. 11. ET ADIICIET DOMINUS SECUNDO MANUM SUAM AD POSSIDENDUM RESIDUUM POPULI SUI; id eſt, tempore Chriſti Deus denuo colliget diſperſum populum ſuum, nempe reliquias Iſraelitarum. Primo enim colliget illos diſperſos, quando ſub Cyro & Dario Hyſtaſpis e Chaldæa Perſide & aliis regnis illos in Iudæam remittet. Secundo, quando ſub Chriſto eoſdem ſibi ex omnibus terræ regionibus alleget, maxime poſt mortem & reſurrectionem ſuam, per Apoſtolos & diſcipulos ſuos. Et illa prior collectio ſub Cyro typus & figura erit poſterioris ſub Chriſto. Sicut enim tunc annuente Cyro, ita poſtea vocante Chriſto, quotquot ex Iudæis voluerit, ex longo exilio remearunt in patriam, ſive ex *Aſſyria* (in quam abducti fuerant a Teglatphalaſſar *i* & Salmanaſſar *k*) ſive ex AEGYPTO, in quam multos cum rege Ioachaz abripuit Pharao *l* Nechao: & multo plures ſponte ſua eodem exulatum conceſſerunt cum Ieremia *m* & Baruch; ſive ex PHETROS, id eſt Petra metropoli Arabiæ Petrææ; ſive AB AELAM metropoli Elamiticæ regionis ſupra Eulæum flumen ſitæ, inquit Pererius *n*: ſive A SENNAAR, id eſt Babylonia; ſive AB EMATH prope Damaſcum; ſive AB INSULIS MARIS, puta Græcia, Italia, Hiſpania, & tota Occidentali plaga, quæ ambitu Oceani vallatur: ita S. Hieronymus, Cyrillus, Baſilius, Procopius. In genere vero ſignificat, reliquias Iudæorum, ubicumque gentium & locorum diſperſæ fuerint, inde a Deo evocandas, & in patriam ſuam atque ad Eccleſiam Chriſti convertendas.

V. 12. LEVABIT enim Deus SIGNUM; Hebraice, *vexillum* militare, IN omnes NATIONES; nempe Meſſiam filium, eiuſque crucem. Ad quod ſignum (ut dixit verſ. 10.) confluent undique profugi & diſperſi milites eius, tum Iudæi, tum Gentiles, ut exponi videtur Ioannis xi. 52.

V. 13. ET AUFERETUR ZELUS, ſeu ſimultas & odium, quod huculque fuit inter regnum EPHRAIM, ſeu decem tribuum, & regnum IUDA. Idem prædicit Ezechiel. xxxvii. 17. cum dicit, duo ligna ſimul unienda: ita iidem Patres.

V. 14. ET VOLABUNT; id eſt, inſtar militum involabunt reliquiæ Iudæorum, nempe Apoſtoli & diſcipuli Chriſti, IN HUMEROS & cervices PHILISTHIIM habitantium PER MARE; Hebraice, *ad mare*; Vatablus vertit; *ad Occidentem*. Iudæis enim mare erat ad Occidentem; quaſi dicat: Subigent Chriſto tam Occidentales, quam Orientales populos, & prædas ex iis colligent. Sic Petrus *o* eſt Lyddam & Ioppen Philiſtæa oppida; ſic Philippus eſt *Azotum p*, Philiſthinorum ſatrapiam prædatus. Alii *Gazam* & *Aſcalonem*, ubi valde floruiſſe Eccleſiam Chriſti docent Athanaſius & Chryſoſtomus apud Adrichomium & Baronium. Sic Thomas Apoſtolus prædatus eſt *Indiam*, Bartholomæus *Armeniam*, Matthæus *AEthiopiam*, inquiunt Hieronymus, Baſilius, Cyrillus. Porro inter omnes Orientis regiones IDUMAEA ET MOAB erunt PRAECEPTUM, id eſt ante *q* captum, ſeu primo loco occupabuntur, ut ex Hebræo, LXX. & Chaldæo colligitur. Impletum hoc videtur eo tempore quo poſt cædem S. Stephani, occaſione perſecutionis *r* tunc excitatæ, diſcipuli Chriſti per regiones Iudææ & Samariæ, utique & per vicinas illis regiones Idumææ ac Moabitidis (quæ ordinaria erant exulum Iudæorum refugia,) diſperſi

Digitized by Google

diſperſi fuerunt, & hac occaſione fidem Chriſti iſtic proſeminarunt.

V. 15. ET DESOLABIT DOMINUS LINGUAM MARIS AEGYPTI, id eſt ſinum, ſeu brachium maris, quod e mari in terram inſtar linguæ excurrit, eamque allambit. Hanc *linguam maris AEgypti* Vatablus, Forerius, Maſius, Sanchez & Serarius *t* volunt eſſe ſinum maris rubri, quo Oceanus ſe in terram uſque AEgypti inſinuat. Hunc enim ſinum Hebræi exeuntes AEgypto cum Moyſe, ſicco pede tranſierunt, ut dicitur verſ. ſeq. quaſi dicat: Simili modo ſub tempus Chriſti removebit Deus omnia impedimenta quæ Evangelii propagationi poſſent obeſſe. Sed S. Hieron. Cyrillus & Procopius ad litteram id accipiunt de ſinu Peluſiaco, quem, cum Auguſtus Cæſar Antonium & Cleopatram perſequeretur, ſiccavit Deus IN FORTITUDINE SPIRITUS SUI, id eſt auſtro vehementiſſimo præter morem immiſſo, qui aquas omnes etiam ſeptem rivorum Nili pro magna parte depulit in mare, adeo ut milites Auguſti ſicco pede tranſirent, & Peluſium, aliaque AEgypti clauſtra celerrime occuparent, & exſtinctis Antonio ac Cleopatra ſoli Auguſto monarchiam orbis relinquerent, teſte Strabone, Dione Caſſio & Plutarcho *u*: idque divino conſilio, ut hac ratione aditus Evangelio Chriſti tum in AEgypto, tum in reliquo etiam orbe iam pacifico, & ſub unius monarchiam redacto paulatim pateſieret. Simile quid contigit ſub tempus reductionis Iudæorum e Babylone in Iudæam: nam Euphrates (quem hic per FLUMEN intelligit Chaldæus, & cum eo Sanchez) durante obſidione Babylonis a Cyro per ſeptem foſſas & rivos ab urbe alio derivatus eſt, teſte Herodoto, Xenophonte & Oroſio *x*, atque ita miles ſicco pede in urbem immiſſus eſt, & Baltaſar Chaldæus rex e medio cum ſuis ſublatus, & Cyro ſtabilita monarchia, & Iudæis libertas obvenit. Quæ figura fuerunt eorum quæ ſub tempora Chriſti obventura Eccleſiæ Iſaias hic prædicit.

(a) Hieron. ad Pammachium, de optimo genere interpretandi Scriptur.
(b) Pſal. cx. 9.
(c) I. II. q. lxviii. & III. p. q. vii. a. 6.
(d) Turſellinus in Vita Xaverii Lib. II. cap. vi. & vii. Nic. Trigautius in Vita Barziæ Lib. II. cap. xix.

(e) Ribera & Alcaz. in Apoc. v. 5.
(f) Rupert. & Delrio in Geneſ. xvi.
(g) Aug. XXII. de Civ. cap. viii. Greg. Tur. de Gloria Mart. cap. vii. Adrich. de Terra ſancta p. 177.
(h) Bern. ad milites. cap. xi.
(i) IV. Reg. xv. 29.
(k) Ibib. c. xvii. 6.
(l) xxiii. 34.
(m) Ieſem. xliii. 5.
(n) Perer. in cap. viii. Daniel. Lib. IX. q. iv.
(o) Act. ix. & x.
(p) Actor. viii. verſ. ult.
(q) Sic Cicero *præceptum* uſurpat III. Tuſculanar. & Lib. II. Officior. & Virgil. ecloga iii.
(r) Actor. viii. 1.
(ſ) Iſaiæ xvi. 3. &c. Ruth. 1. 1. Abdiæ 10. & ſeqq.
(t) Serar. in Ioſue xv. 2.
(u) Strabo Lib. XVII. Dio Caſſius Lib. V. 51. Plutarch. in Antonio.
(x) Herod. in Clio. Xenoph. Lib. VII. Oroſ. Lib. II. cap. vi.

GORDONI.

Verſ. 1. ET EGREDIETUR VIRGA DE RADICE IESSE. Hebr. ויצא חטר *veiatſa choter* מגזע *migezahh*, vox Hebraica deſignat truncum exſtantem, ſed inutilem; radicem tamen trunci adhuc vivam; quaſi dicat: Reges tunc exſtantes eſſe truncum inutilem; vivere tamen in optima radice Ieſſea, quæ refloreſcet & proferet Chriſtum. Porro expende τὸ נצר *netſer*; eſt flos, aut ſurculus, quo referri poteſt in titulo crucis נוצרי *notſeri*, *Nazarenus*, quaſi floridus, ſcilicet virtute, ſi vim nominis ſpectes. Septuaginta, ῥάβδος καὶ ἄνθος, ſicut in Vulgato. Ceterum radix in præſentia eſt domus David; virga eſt Beata Virgo Maria; flos eſt Criſtus Dominus, נצר & נוצרי.

V. 2. ET REQUIESCET SUPER EUM SPIRITUS DOMINI: τὸ *requieſcet*, hoc eſt firmiter & plene replebit eum, velut locum & ſuppoſitum ſibi magno iure proprium; & ut cap. ix. 6. ἀναπαύσεται apud Septuaginta. Ceterum aliqui intelligunt Spiritum Sanctum in ſubſtantia: hoc quidem certum eſt, cum Chriſtus ſit Deus; tamen mens Iſaiæ eſt de donis Spiritus Sancti, quæ ſunt ſeptem, primaria ſcilicet, quæ quomodo diſtinguantur, tum inter ſe, tum a virtutibus eiuſdem nominis, dixi in opere Theologico: nam ſunt etiam aliquæ virtutes pietatis, fortitudinis, & ſapientiæ, certe ſub hac ſaltem ratione, qua animum perficiunt: dona

dona vero; ut ſunt a Spiritu Sancto, fuere vero in Chriſto excellentiſſimo modo: ſuſe de hac re recentiores Interpretes.

V. 3. 5. NON SECUNDUM VISIONEM OCULORUM IUDICABIT. Hoc eſt, Chriſtus non iudicabit ex hoc quod prima ſpecie apparet, ſcrutator cordium eſt: iuſtitiam exercebit, & fides cinctorium lumborum, hoc eſt veracitas & fidelitas. Hebr. אמונה *emuna*: erit vero ut cingulum, ſcilicet adhærens illi perpetuo, ut adhæret cingulum.

V. 6. HABITABIT LUPUS CUM AGNO. Iſaias non intelligit ad litteram hæc animalia, ſed eos qui per hæc animalia intelliguntur: certe vocationem gentium, & Iudæorum intelligit ſub Chriſto, & conſpirationem in unam fidem, ſub unitate Eccleſiæ, ut habet Clemens Alexan. VI. Strom. vel intellige ſub unitate Eccleſiæ futuros ſimul bonos & malos, variis vitiis obnoxios; atque etiam gentes barbaras, ferocitate depoſita, venturas ad hanc unitatem & pacem, ut frequentius ſentiunt Patres. ET PARVULUS, inquit, MINABIT EOS; nempe humilis doctor, concionator, Apoſtolus reget eos: ita Hieron.

V. 7. QUASI BOS COMEDET PALEAS. Feroces miteſcent, & cibis manſuetorum aſſueſcent, dum ſubiicient ſe doctrinæ ſimplici Eccleſiæ, & fidei rudimentis.

V. 8. ET DELECTABITUR INFANS, &c. Qui infantibus ſimiles ſunt & ſimplices, vivent familiariter cum iis qui antea præ ferocitate comparabantur aſpidibus & venenatis regulis: nec lædentur, quia repleta erit terra ſcientia Dei, & fide vera Chriſti. Immo verſ. 9. ſicut aquæ maris operiunt terras, ita gratia & doctrina Chriſti operiet populos: Aug. de Unitate Eccleſ. cap. VII.

V. 10. IN DIE ILLA, RADIX IESSE. Chriſtus ſcilicet in die exiens, & ſtans in ſignum populorum (Hebr. נס *nes*, hoc eſt *vexillum*) & in cruce exaltatus, Chriſtus trahet omnes ad ſe: deprecabuntur eum gentes, & ſepulcrum eius erit glorioſum. Sunt hæc plena miraculis, nota orbi terrarum & clara: ſupra de nativitate.

V. 11. ET ERIT IN DIE ILLA: ADIICIET DOMINUS SECUNDO. De hac ſecunda reductione populorum ad Deum certatur. Plerique intelligunt de primo Chriſti adventu, & de ſecundo; alii de reductione ſub lege Moſaica, & ſub Evangelica: apta ſatis eſt explicatio. Fietque hæc evocatio ex variis provinciis, & locis etiam hic verſ. 11. recenſitis; ET AUFERETUR (verſ. 13.) ZELUS, hoc eſt contentio & odium inter Iudam & Iſrael, ex Hieronymo & Cyrillo; nempe quando cœpit coaleſcere Eccleſia ex Iudæis & Iſraelitis: plene autem fiet hæc unio in fine mundi, Ezech. XXXVII. 17.

V. 14. ET VOLABUNT IN HUMEROS PHILISTHIIM. Hæc optime ad tempora Niceni Concilii referri poſſunt.

V. 15. & 16. ET DESOLABIT, &c. Nihil legi Emmanuelis obſtabit; non maria, non flumina: præcones verbi tranſibunt calceati, ſeu facile. Lingua maris eſt Hebræis ſinus aut brachium maris, ut eſt mare rubrum. Flumen hic optime videtur Nilus: aliqui linguam maris interpretantur ſcopulos & promontoria longe excurrentia in mare.

CA-

C A P U T XII.

Canticum laudis & gratiarum actionis pro liberatione
& beneficiis Chriſti ſalvatoris.

1. ET dices in die illa : Confitebor tibi Domine, quoniam
iratus es mihi : converſus eſt furor tuus, & conſolatus
es me. 2. Ecce Deus ſalvator meus, fiducialiter agam,
& non timebo : *a* quia fortitudo mea, & laus mea Do-
minus, & factus eſt mihi in ſalutem. 3. Haurietis aquas
in gaudio de fontibus ſalvatoris: 4. & dicetis in die illa :
Confitemini Domino, & invocate nomen eius : notas fa-
cite in populis adinventiones eius : mementote quoniam excelſum eſt nomen
eius. 5. Cantate Domino quoniam magnifice fecit : annuntiate hoc in uni-
verſa terra. 6. Exulta, & lauda habitatio Sion : quia magnus in medio tui
ſanctus Iſrael.

(a) Exod. xv. 2. Pſal. cxvii. 14.

C O M M E N T A R I A .

M A L D O N A T I.

Verſ. 1. ET DICES IN DIE ILLA, id eſt canes ſequens carmen. CONFITEBOR TIBI, id eſt gratias agam tibi ſemper, QUONIAM IRATUS ES MIHI, &c. id eſt, quia cum iratus mihi eſſes, placatus eſt furor tuus & conſolatus es me.

V. 2. ECCE DEUS SALVATOR : ישעתי, *ſalus mea*, FIDUCIALITER AGAM : אבטח, *confidens ero & bono animo, neque timebo*. QUIA FORTITUDO MEA, ET LAUS MEA, וזמרה, *& cantio mea Dominus*, id eſt ſuis erga me beneficiis, materiam canendi eius laudes mihi præbet.

V. 3. HAURIETIS AQUAS IN GAUDIO, id eſt iucundas & ſuaves. DE FONTIBUS SALVATORIS, הישעה, *ſalutis*, id eſt perpetuas ex ſalute veſtra. Metaphorice, beatitudinem aut dona Spiritus ſancti vocat aquas; fontem ſalutis, gratiam Chriſti; quaſi dicat : Non liberabimini ad tempus, ſicut olim cum ab AEgyptiis, & aliis hoſtibus liberati eſtis ; ſed fruemini perpetua iucunditate ſalutis veſtræ, quaſi aquis fontis perpetuo ſcaturientis : *Qui enim biberit ex hac aqua quam ego dabo ei, non ſitiet iterum, ſed fiet in eo fons aquæ vivæ ſalientis in vitam æternam*: Ioan. IV. 14.

V. 4. NOTAS FACITE : docete populos, ADINVENTIONES EIUS, עלילותיו, *ſtudia eius*, id eſt præclara eius facinora. MEMENTOTE : הזכירו, *in memoriam* (omnibus) *revocate*.

V. 5. CANTATE DOMINO, id eſt laudes dicite, QUONIAM MAGNIFICE FECIT : כי גאות עשה, *quia magnificentiam fecit*, id eſt res magnificas & præclaras. ANNUNTIATE HOC. Hebr. מודעת זאת, *ſcitum hoc eſt*, aut ſit; id eſt, divulgetur hoc & ſciatur in univerſa terra.

V. 6. EXULTA ET LAUDA. ורני, *& canta* : HABITATIO, יושבת, *habitatrix* SION, id eſt civitas Ieroſolymitana : QUIA MAGNUS IN MEDIO TUI; id eſt, res magnas faciet ſanctus Iſrael, id eſt Chriſtus qui ſanctificet Iſrael.

SA.

S A.

Verſ. 1. CONFITEBOR, id eſt benedicam, ſeu laudabo. CONVERSUS, ſcilicet in miſericordiam. Chald. & LXX. *averſus*. CONSOLATUS, ſcilicet per incarnationem ſeu redemptionem. Chald. & LXX. *miſertus*.

V. 2. SALVATOR, ſcilicet Ieſus. FIDUCIALITER AGAM. Chald. & LXX. *confidam in eo*. FORTITUDO. LXX. *gloria*. LAUS MEA, id eſt quem laudem.

V. 3. AQUAS. Chald. *doctrinam novam*. FONTIBUS, ſcilicet Apoſtolis, ſeu Evangeliis. SALVATORIS, ſcilicet Ieſu.

V. 4. CONFITEMINI, id eſt benedicite, ſcilicet laudando, gratias agendo. ADINVENTIONES, id eſt conſilia. Chald. *opera*. LXX. *glorioſa*, ſcilicet conſilia, ſeu opera. EXCELSUM. Chald. *forte*. LXX. *exaltatum*.

V. 5. CANTATE DOMINO. LXX. *laudate nomen Domini*. MAGNIFICE. Chald. *magnalia*. LXX. *excelſa*. ANNUNTIATE HOC. Chald. *manifeſtum eſt hoc*. Hoc. LXX. *hæc*.

V. 6. HABITATIO. Chald. *congregatio*. LXX. *habitator*. SANCTUS, ſcilicet Chriſtus, qui Sanctus ſanctorum, ſuoſque ſanctificat.

E S T I I.

Verſ. 1. CONFITEBOR TIBI DOMINE, QUONIAM IRATUS ES MIHI, CONVERSUS EST FUROR TUUS, ET CONSOLATUS ES ME. Senſus eſt: Gratias tibi ago, quia poſtquam iratus mihi fuiſti, converſus eſt furor tuus & placatus, & ſic conſolatus es me. Simile eſt quod dicit Paulus Rom. VI. *Gratias Deo, quod fuiſtis ſervi peccati, obediſtis autem ex corde in eam formam doctrinæ, in quam traditi eſtis*. Phraſes ſunt Hebraicæ. Vide noſtra ad Roman. VI.

V. 3. HAURIETIS AQUAS IN GAUDIO DE FONTIBUS SALVATORIS. Scilicet novi teſtamenti tempore fideles hauriunt aquas de fontibus Salvatoris; dum abundantiam gratiæ & donorum Spiritus ſancti percipiunt ex ſacramentis novi teſtamenti. Unde patet ex hoc loco, Concilia Florentinum & Tridentinum rectiſſime definiviſſe, ſacramenta novæ legis non ſignificare tantum, ſed & continere gratiam. Et clarius Hugo Victorinus ante annos amplius quadringentos Lib. I. de Sacramentis part. IX. cap. III. in ſacramentis velut quibuſdam vaſculis antidota ſpiritualia homini porrigi teſtatur. Senſus ergo eſt: *Haurietis aquas de fontibus Salvatoris*; id eſt, multiplicem gratiam e ſacramentis velut vaſis ac fontibus ſeu puteis aquam vivam continentibus. Vide IV. Sent. diſt. 1.

M A R I A N AE.

Verſ. 1. ET DICES. Quicumque fueris liberatus. CONFITEBOR TIBI DOMINE, id eſt laudabo. QUONIAM IRATUS ES, id eſt poſtquam iratus fueras. CONVERSUS EST FUROR TUUS. Chald. & Sept. *averſus eſt furor tuus*. CONSOLATUS. Chald. & Sept. *miſertus eſt noſtri*.

V. 2. DEUS SALVATOR MEUS. Sic Sept. Hebr. *ſalus mea*. LAUS MEA. Heb. *canticum*; ſupple, meum, id eſt materia cantici. Quem laudare volo, DOMINUS. Hebr. *Dominus Deus*: ſic Goth.

V. 3. HAURIETIS AQUAS IN GAUDIO DE FONTIBUS, id eſt doctrinam novam ab Apoſtolis accipietis. SALVATORIS: ſic Sept. Hebr. *de fontibus ſalutis*, id eſt ſalutaribus. Poſſumus & per *fontes*, Sacramenta intelligere.

V. 4. NOTAS FACITE ADINVENTIONES EIUS. Chald. *opera*. Sept. *glorioſa*. Tu iunge utraque, & dic, *opera glorioſa nota facite*, publicate. MEMENTOTE. Heb. *recordari facite*, id eſt nuntiate.

V. 5. MAGNIFICE FECIT. Hebr. *magnificentiam fecit*, id eſt opera magnifica.

V. 6. EXULTA. Sic Chald. & Sept. pro, *exalta*, ſcilicet vocem, ut eſt in Hebr. HABITATIO SION. Hebr. *habitatrix Sion*. Chald. *congregatio*. Iunge utraque ſic, *Congregatio, quæ habitas in Sion*. LAUDA, cane, erumpe in laudes. IN MEDIO TUI SANCTUS ISRAEL, ſcilicet Chriſtus eſt in medio tui, id eſt inter homines, & cum hominibus eos ſua ſanctitate ſanctificans.

Digitized by Google

MALVENDAE.

Verſ. 1. ET DICES IN DIE ILLA. Concluſio laudativa totius concionis, ut dictum eſt ſupra cap. VIII. 1. Continet duo laudationis genera pro duabus partibus ſalutis acceptæ a Deo per Chriſtum: unum eſt liberationis a malo, duobus verſibus; alterum, infinitæ beneficentiæ, quam in Chriſto percipiunt credentes ac pii fideles, verſibus quatuor reliquis. CONFITEBOR TIBI DOMINE, &c. Alii ex Hebr. I. *Gratias ago tibi, o Iehovah, quoniam iratus eras mihi, ſed mutato vultu miſertus es mei*, per incarnationem Filii tui. II. *Celebrabo te, Iehova, quia iratus fuiſti mihi, ſed averſa ira tua conſolaris me:* verbo & opere. III. *Celebrabo te, o Iehova, quoniam ira commotus fueras in me: converſa eſt ira tua, & conſolatus es me*. IV. *Laudabo te, o Iehovah, ſummis laudibus efferam te: quamvis iratus ſis mihi; avertetur furor tuus, & conſolaberis me*: vel *quod tametſi iratus fueris mihi, averſus eſt tamen furor tuus, & conſolatus es me*.

V. 2. ECCE DEUS SALVATOR MEUS. Hebr. *Ecce Deus fortis ſalus mea*. Tremellius & Iunius, reclamantibus exemplaribus EL per *Segol*, & non *Tſeri* legentes, reddunt: *Ecce ad ſalutem meam*, nimirum ad Deum præſentem præſentia gratiæ. Propoſitio fiduciæ in Deum ad futurum tempus, propter præſentiam, naturam, officium, gratiamque Dei; & anteactam experientiam eius. Vide Exod. XV. 2. FIDUCIALITER AGAM, ET NON TIMEBO. Hebr. *confidam*, vel *fidam eo, & non expaveſcam*. QUIA FORTITUDO MEA. Hebr. *obfirmatio mea*, vel *robur meum*. ET LAUS MEA DOMINUS. Hebr. *& cantio, canticum, carmen eſt Iah Iehovah*: זמרת *zimrath*, quidam accipiunt in regimine, ut forma præſefert, *& cantio ipſius Iah, Iehovæ*; id eſt, ipſi convenit, ipſum decet. Alii, *zimrath* pro זמרתי *zimrathi*, poſitum volunt, ac deficere *Iod* notam affixi, quod occultatur in *Cametz* ſub *Res*; cum ſi conſtructum eſſet, debuiſſet eſſe cum *patach*: vide Sanctis Theſaurum colum. 587. *& cantio mea*, vel *cantus meus Iah Iehova*. Plerique tamen formam abſolutam faciunt: *& cantus* eſt *Iah, Iehova*: vide de voce *zimrath* in Exod. XV. 2. *Iah Iehova*. Proprie eſt Eſſentius Eſſentii, Ens Entis, Deus Dei, id eſt æternus Filius æterni Patris, in aſſumpta humana natura decurtatus, imminutus, Deus de Deo. Vide Exod. XV. 2. & Pſalm. LXVII. 5. quaſi dicat: Qui propter beneficia in me collata, ingentem mihi materiam & occaſionem laudum præbet. ET FACTUS EST MIHI IN SALUTEM. Quidam: *qui fuit mihi ſaluti*. ישׁיעה *ieſchughah*, prope ipſum nomen ישוע *ieſchuagh*, quod proprium fuit Salvatoris noſtri; quaſi dicat, *Et fuit mihi in Ieſum*; ut huc proculdubio reſpexerit divinus vates. Sic verſu ſequente.

V. 3. HAURIETIS AQUAS IN GAUDIO DE FONTIBUS SALVATORIS. Tranſitio ad alterum laudationis genus, ex profuſis in Eccleſiam beneficiis Chriſti ſalutaribus; quaſi dicat: Ex Sacramentis tamquam ex uberrimis perennibuſque gratiarum, & beneficiorum fontibus, & ſanguine ipſo ac meritis Chriſti innumera & copioſiſſima chariſmata capietis. *De fontibus ſalvatoris*, ſeu *ſalutis*, vel *Ieſu*, ut verſu præcedente.

V. 4. CONFITEMINI DOMINO, &c. Hunc verſum accepit Iſaias ex Pſalm. CIV. 1. & I. Paralip. XVI. 8. vide ibi expoſitum. Eſt laudatio Dei a maieſtate, operibuſque eius, & ſingularibus in Eccleſiam beneficiis. MEMENTOTE QUONIAM EXCELSUM EST NOMEN EIUS. Alii ex Hebr. I. *commemorate quod excelſum, ſublime, eſt nomen eius*. II. *memoreſque ſitis quoniam exaltatum eſt nomen eius*. III. *narrate, prædicate, dicite publice, palamque, quod nobile & clarum ſit nomen eius*; id eſt, quod ſit clarus & inſignis, quod plurima geſſit unde clarum ſibi nomen comparavit. IV. *commemorate editum eſſe nomen eius*, ſeu *altum eſſe nomen*. V. *commonefacite quod excelſum ſit nomen eius*.

V. 5. CANTATE DOMINO QUONIAM MAGNIFICE FECIT. Hebr. *Modulamini* IHUH *quia ſuperbiam fecit*. Alii: I. *Pſallite Iehovæ quoniam magnificentiam, excellentiam, fecit*; id eſt, res præclaras & magnas geſſit. II. *quoniam magnificum, magnifica fecit*. III. *quoniam excellenter* ac præclare *fecit*. IV. *Pſallendo prædicate Iehovam*, &c.

V. 6. EXULTA, ET LAUDA. Alii: I.

Exal-

Exalta vocem, & clama. II. *Hinni ei iubila*, ſeu *canta*, *ova*. III. *Claram ede vocem*, *& canta*. QUIA MAGNUS IN MEDIO TUI SANCTUS ISRAEL. Alii: *magnum eſſe in medio tui ſanctum Iſraelis*, id eſt Chriſtum omnis ſanctitatis fontem & auctorem, præſidentem in Eccleſia. Nam *eſſe in medio*, interdum idem eſſe in Scriptura quod præſidere, ducem, principem, præfectum eſſe, annotant auctores phraſeon: ut Geneſ. XXIII. 3. vide Pierium Lib. XV. Hieroglyphicorum pag. III.

MENOCHII.

Verſ. 1. ET DICES. O turba converſa, & redempta a Chriſto. IN DIE ILLA: cum ſcilicet videris completa quæ prædixi. CONFITEBOR: laudabo, & gratias agam. IRATUS ES MIHI: cum ob peccata mihi eſſes iratus. CONVERSUS EST FUROR TUUS: in clementiam, & gratiam. CONSOLATUS ES ME, condonans peccata mea; vel per incarnationem, & redemptionem.

V. 2. SALVATOR MEUS: aliqui vertunt, *Ecce Deus Ieſus meus*. NON TIMEBO: cum per Ieſum ſim Deo reconciliata. FORTITUDO MEA: robur meum, quo dæmonis iugum excuſſi. LAUS MEA: materia, & argumentum laudum quibus te celebrabo.

V. 3. AQUAS: ſacræ Scripturæ, doctrinæ Evangelicæ, ſacramentorum, donorum Spiritus, &c. quæ omnia nobis cum Chriſto, & per Chriſtum obvenerunt.

V. 4. ADINVENTIONES EIUS: conſilia & cogitationes eius, quibus nobis ſalutem attulit. EXCELSUM EST NOMEN EIUS: nam, *In nomine Ieſu omne genu flectitur*, *cæleſtium*, *terreſtrium*, *& infernorum*.

V. 5. MAGNIFICE FECIT: res admirandas & ſublimes.

V. 6. HABITATIO SION: cœtus fidelium, Eccleſia. MAGNUS: exaltatus, & glorioſus. IN MEDIO TUI: tibi aſſiſtens, & te protegens. Eſt etiam in medio Eccleſiæ, quia degit in cœtu fidelium tectus ſpeciebus venerabilis Sacramenti. SANCTUS ISRAEL, id eſt Deus Iſrael.

TIRINI.

Verſ. 1. CONFITEBOR, id eſt laudabo te, QUONIAM, id eſt *a* quamvis, IRATUS ES MIHI. Chaldæus: *Pro eo quod peccavi coram te*, *factus eſt furor tuus ſuper me*, nempe ſeveris pœnis caſtigans ſcelera mea: iuſtitiam enim Dei non minus laudare oportet quam eius miſericordiam. Quod cum ex animo facimus, & ſcelera noſtra, eo quod in tantum Deum iniuria ſint, deteſtamur, & veniam per Chriſti merita petimus; ſubito convertitur furor Dei in clementiam & gratiam, & pro ſuppliciis conſolationes & nova beneficia ſubmittit: quæ rurſum novæ laudis eſt materia.

V. 2. ECCE DEUS SALVATOR. *Ieſchuah* ſeu *Ieſus meus*; quaſi dicat: Ecce Ieſus, qui Deus homo tantam mihi e tantis malis ſalutem attulit. Quid ulterius horream? quid timeam? Ipſe FORTITUDO MEA; id eſt, ipſe me roborat adverſus dæmonem, mundum & reliquos hoſtes meos, quorum iugum iam pœnitens excuſſi. Quanta ſit animæ iuſtæ fortitudo, pulchre demonſtrat Proſper *b*, & ego obiter indicavi Cant. 1. 8. ET LAUS MEA, tum active, quia facit me apud omnes laudabilem & glorioſum: tum paſſive, ſeu obiective, quia eſt materia & obiectum laudis, quem laudare aſſiduo & teneor & volo; ET, pro quia, FACTUS EST MIHI IN SALUTEM, id eſt quia merito ipſius factus ſum ſalvus.

V. 3. Ex eiuſdem Ieſchuah, ſeu Ieſu, id eſt SALVATORIS FONTIBUS, omnes quicumque vultis, HAURIETIS quantas voletis AQUAS: primo, ſacræ doctrinæ, ut Cyrillus & Hieronymus exponunt; ſecundo, Sacramentorum, ut Ambroſius & Origenes *c*; tertio, conſolationis, devotionis omniumque donorum & fructuum Spiritus ſancti, ut S. Bernardus *d* & alii. Alludit hic Iſaias ad petram *Horeb*, quæ Moyſis virga percuſſa dedit fontem perennem aquæ ſuaviſſimæ. Item ad fontem Siloe, cui cap. VIII. 6. Emmanuelem compararat. Et Zacharias cap. XIII. inter alia nomina quæ dat Chriſto, vocat eum *fontem patentem*. Et ipſe Chriſtus Ioan. IV. 14. *Qui biberit ex hac aqua, non ſitiet in æternum*.

V. 6. EXULTA; id eſt, quantum potes gaude, & iubila, O HABITATIO SION, id eſt cœtus fidelium, Eccleſia ſancta: QUIA MAGNUS, id eſt potens, glorioſus, excelſus, Deus, IN MEDIO TUI eſt, tibi perpetuo præſens, tibi intime coniunctus, in te dona ſua iugiter dimanans, longe nobiliori modo quam olim ſynagogæ. Alludit ad nomen *Emmanuel*, id eſt nobiſcum Deus.

(a) Proleg. de Idiotiſm. Hebr. n. 12.

(b) Proſper Lib. III. de Vita contempl. cap. xx.
(c) Ambroſ. in Pſ. iv. & xxxvii. Orig. hom. xii. in Num.
(d) Bern. Serm. I. de Nativit.

Ex Gordoni Auctario.

Verſ. 1. DICES: tu turba redempta.
Verſ. 3. HAURIETIS AQUAS: doctrinam Evangelii, & ſanctitatem. Promiſſio eſt facta Chriſtianis.

C A P U T XIII.

Ingens ac truculenta Babyloniorum vaſtatio a Medis.

1. ONus Babylonis, quod vidit Iſaias filius Amos. 2. Super
montem caliginoſum levate ſignum, exaltate vocem, le-
vate manum, & ingrediantur portas duces. 3. Ego man-
davi ſanctificatis meis, & vocavi fortes meos in ira mea,
exultantes in gloria mea. 4. Vox multitudinis in monti-
tibus, quaſi populorum frequentium: * vox ſonitus re-
gum, gentium congregatarum: Dominus exercituum præ-
cepit militiæ belli: 5. venientibus de terra procul, a ſummitate cæli: Domi-
nus, & vaſa furoris eius, ut diſperdat omnem terram: 6. Ululate, quia pro-
pe eſt dies Domini: quaſi vaſtitas a Domino veniet. 7. Propter hoc, omnes
manus diſſolventur, & omne cor hominis contabeſcet, 8. & conteretur. Tor-
ſiones & dolores tenebunt; quaſi parturiens, dolebunt: unuſquiſque ad proxi-
mum ſuum ſtupebit, facies combuſtæ vultus eorum. 9. Ecce dies Domini ve-
niet, crudelis, & indignationis plenus, & iræ furoriſque, ad ponendam ter-
ram in ſolitudinem, & peccatores eius conterendos de ea. 10. *a* Quoniam
ſtellæ cæli, & ſplendor earum, non expandent lumen ſuum: obtenebratus eſt
ſol in ortu ſuo, & luna non ſplendebit in lumine ſuo. 11. Et viſitabo ſuper
orbis mala, & contra impios iniquitatem eorum, & quieſcere faciam ſuper-
biam infidelium, & arrogantiam fortium humiliabo. 12. Pretioſior erit vir
auro, & homo mundo obrizo. 13. Super hoc cælum turbabo: & movebitur
terra de loco ſuo, propter indignationem Domini exercituum, & propter diem
iræ furoris eius. 14. Et erit quaſi damula fugiens, & quaſi ovis: & non erit
qui congreget: unuſquiſque ad populum ſuum convertetur, & ſinguli ad
terram ſuam fugient. 15. Omnis, qui inventus fuerit, occidetur: & omnis,
qui ſupervenerit, cadet in gladio. 16. *b* Infantes eorum allidentur in oculis
eorum: diripientur domus eorum, & uxores eorum violabuntur. 17. Ecce ego
ſuſcitabo ſuper eos Medos, qui argentum non quærant, nec aurum velint: 18.
ſed ſagittis parvulos interficient, & lactantibus uteris non miſerebuntur, &
ſuper filios non parcet oculus eorum. 19. Et erit Babylon illa glorioſa in re-
gnis, inclyta ſuperbia Chaldæorum, *c* ſicut ſubvertit Dominus Sodomam &
Gomor-

Digitized by Google

Gomorrham. 20. Non habitabitur uſque in finem, & non fundabitur uſque ad generationem & generationem: nec ponet ibi tentoria Arabs, nec paſtores requieſcent ibi. 21. Sed requieſcent ibi beſtiæ, & replebuntur domus eorum draconibus: & habitabunt ibi ſtruthiones. & piloſi ſaltabunt ibi: 22. & reſpondebunt ibi ululæ in ædibus eius, & ſirenes in delubris voluptatis:

(a) Ezech. xxxii. 7. Ioel. iii. cap. xv. Matth. xxiv. 25. Marc. xiii. 24. Luc. xxi. 25. (b) Pſal cxxxvi. 9. (c) Gen. xix. 24.

B R U G E N S I S

ROMANA CORRECTIO.

Verſ. 4. *Vox ſonitus Regum, gentium congregatarum*. Non interponas coniunctionem & ante *gentium*.

C O M M E N T A R I A.

MALDONATI.

Verſ. 1. ONUS BABYLONIS. Dixerat Propheta ſup. cap. xi. & xii. converſum eſſe furorem Domini a populo Iudæorum ad eius hoſtes, poſteaquam eum caſtigavit: vaticinatur nunc de ipſorum hoſtium cladibus, ac primum contra Babylonios. Onus Babylonis, id eſt calamitas quæ Babyloni impendit.

V. 2. SUPER MONTEM: על הר, *contra montem*, id eſt contra Babylonem, quam montem vocat, non quod in monte ſita eſſet, ſed propter eius ſuperbiam. Superbi enim in Scriptura montes appellantur. CALIGINOSUM. נשפה, *excelſum*, id eſt elatum, ſuperbum. LEVATE SIGNUM, id eſt vexillum. Alloquitur Deus Medos, ut veniant contra Babylonem, & regnum illud occupent: quod factum legimus apud Danielem cap. v. per Darium. EXALTATE VOCEM: להם, *ad eos*; id eſt, contra Babylonios clamate, ut ſolent clamare milites urbem aliquam direpturi. LEVATE MANUM, id eſt arma ſumite, aut, הניפו, *agitate manum*, id eſt minamini Babyloni everſionem. ET INGREDIANTUR PORTAS DUCES. Heb. פתחי נדיבים, *portas ducum*, aut principum; id eſt, milites Medi invadent domos principum Babyloniorum.

V. 3. EGO MANDAVI SANCTIFICATIS MEIS; id eſt, militibus meis Medis a me præparatis, & publice convocatis: hoc enim ſignificat aliquando ſanctificandi verbum apud Hebræos. ET VOCAVI FORTES MEOS, id eſt Medos & Perſas, quos Deus ſuos vocat, quia iis tamquam inſtrumentis iræ ſuæ utebatur. IN IRA MEA: לאפי, *ad iram meam* (exequendam.) EXULTANTES IN GLORIA MEA, id eſt qui libenter & exultanter mihi obtemperare ſolent, quoties aliquo ſingulari facinore gloriam meam declarare volo.

V. 4. VOX MULTITUDINIS. Depingit Propheta futurum apparatum bellicum Medorum contra Babylonios. DOMINUS EXERCITUUM PRAECEPIT: מפקד, *recenſet exercitum belli*, id eſt ad bellum; quaſi dicat: Videor mihi maiorem quemdam tumultum, & militarem ſtrepitum audire, quam in aliis exercitibus fieri ſolet, quia Dominus ipſe eſt qui exercitum hunc colligit & recenſet.

V. 5. VENIENTIBUS DE TERRA PROCUL: באים, *venient*, aut *veniunt de terra longe diſſita*, id eſt ex Media & Perſia. A SUMMITATE CAELI DOMINUS; id eſt, veniant a terra quæ tam longe videtur diſtare, quam ſummum cælum. ET VASA FURORIS EIUS, id eſt milites qui vaſa ſunt, id eſt inſtrumenta furoris eius.

V. 6. ULULATE QUIA PROPE EST DIES DOMINI, id eſt quo Dominus potentiam ſuam oſtendet: ſicut dies iudicii dies Domini vocatur, II. Cor. i. 14. Philip. i. 6. 10. & I. Theſſ. v. 2. & II. Theſſ. ii. 2. & II. Pet. iii. 10. QUIA VASTITAS. (devaſtatio) A DOMINO: משדי, *ab omnipotente veniet*.

V. 7.

V. 7. PROPTER HOC; id eſt, quia non homo, ſed Deus eſt qui bellum infert, nemo erit, qui non animo & corpore contremiſcat.

V. 8. TORSIONES. Heb. נבהלו, *perterrebuntur* (Babylonii) DOLORES TENEBUNT, יאחזון, *apprehendent* (eos.) UNUSQUISQUE AD PROXIMUM SUUM; id eſt, videns proximum ſuum admirabitur eius pallorem & maciem, aut obſtupeſcet putans eſſe hoſtem, aut attonitus convertetur ad illum neſcius quid loquatur. FACIES COMBUSTAE. Heb. *facies* להבים *flammarum*, id eſt pallidæ, aut uſtulatæ.

V. 10. ET SPLENDOR EARUM. Heb. וכסיליהם, *& ſidera eorum* (cælorum) vel, ut aliqui Hebræi exponunt; *Orion eorum.* OBTENEBRATUS EST SOL IN ORTU SUO; id eſt, ſimul ut ortus eſt, quando maxime lucere oportebat. Præt. pro ſut. id eſt, obtenebrabitur. ET LUNA NON SPLENDEBIT. Heb. לא יגיה אורו, *non faciet lucere nomen ſuum*. Hæc non ideo dicit Propheta, quod re vera ſol eſſet obſcurandus, ſed ut ſignificet tantum eſſe metum omnium hominum, tantam omnium rerum perturbationem, ut neque Orion, neque Luna, neque Sol ipſe lucere illis videatur.

V. 11. ET VISITABO SUPER ORBIS MALA. על תבל רע, *contra orbem malitiam*, id eſt in malitiam orbis terrarum animadvertam: mutatio perſonæ. ET QUIESCERE FACIAM, id eſt ceſſare faciam, cohibebo SUPERBIAM INFIDELIUM, ועל־רשעים, *arrogantiam impiorum*.

V. 12. PRETIOSIOR ERIT. Heb. אוקיר, *pretioſiorem reddam virum auro*; id eſt, efficiam ut tam pauci ex ea clade evadant, ut difficilius ſit hominem reperire, quam aurum. Vel efficiam ut non poſſint Babylonii vitam ſuam auro ab hoſtibus redimere. ET HOMO. Heb. *Et hominem* (pretioſiorem faciam) מכתם אופיר, *auro Ophir*, quæ regio erat optimo auro dives: III. Reg. ix. 28.

V. 13. SUPER HOC. על־כן, *propterea quod*; id eſt, ideo ea quæ ante dicta ſunt fient, quia ego cælum turbabo: ארגיז *concutiam*, *tremere faciam*; id eſt, videbitur hominibus præ perturbatione animi cælum tremere, & terra moveri de loco ſuo. PROPTER INDIGNATIONEM DOMINI, id eſt meam: loquitur de ſe per tertiam perſonam. ET PROPTER DIEM IRAE; id eſt, quia ille erit dies, FURORIS EIUS, id eſt quo oſtendet, aut exſatiabit furorem ſuum.

V. 14. ET ERIT TERRA, id eſt Babylon, QUASI DAMULA FUGIENS: מדח, *expulſa*, eiecta a venatoribus e cubili ſuo. ET QUASI OVIS, ET NON ERIT. Heb. id eſt, quaſi ovis errans, quam non eſt qui congreget, carens paſtore. UNUSQUISQUE AD POPULUM SUUM CONVERTETUR: יפנו, *reſpiciet*; id eſt, a populo ſuo auxilium quæret, neque inveniet. ET SINGULI AD TERRAM SUAM; id eſt, unuſquiſque eorum alienigenarum qui intra Babylonem tunc erunt, conabitur effugere in terram ſuam: ſed omnes occidentur, & qui intus manſerint, & qui ſe in fugam dederint, ut ſtatim declarat.

V. 15. OMNIS QUI INVENTUS FUERIT (in ipſa urbe) OCCIDETUR: ידקר, *confundetur*: ET OMNIS QUI SUPERVENERIT: נספה, *qui ſupererit*; id eſt, qui ex urbe evaſerit ut fugiat, etiam occidetur foras. Forte noſter Interpres verterat, *Omnis qui ſuperaverit*.

V. 17. ECCE EGO SUSCITABO SUPER EOS: עליהם, *contra eos*, MEDOS, QUI ARGENTUM NON QUAERANT: אשר כסף לא יחשבו, *qui argenti rationem non habebunt*, *& qui ipſi auro abundant*, *& quia crudeles ſunt*; id eſt, propter argentum non parcent cuiuſque vitæ.

V. 18. SED SAGITTIS. Heb. וקשתות נערים תרטשנה, *Et arcus* (eorum) *pueros allident*, id eſt arcubus ſuis pueros configent. ET LACTENTIBUS UTERIS. Heb. ופרי בטן, *& fructus ventris non miſereantur*, id eſt mulierum prægnantium, vel infantum recens natorum. ET SUPER FILIIS, id eſt infantibus NON PARCET OCULUS EORUM; quaſi dicat: Neque matribus prægnantibus, neque infantibus iam natis parcent.

V. 19. ET ERIT BABYLON. Heb. צבי ממלכות, *gloria regnorum*, id eſt omnium regnorum primum erat. INCLYTA IN SUPERBIA CHALDAEORUM: תפארת גאון חשדים, *decus ſuperbiæ Chaldæorum*, id eſt cuius pulchritudine Chaldæi ſuperbiunt. SUBVERSA. Heb. *Secundum ſubverſionem Domini Sodomæ & Gomorrhæ*; id eſt, ita ſubvertetur, ſicut ſubvertit Dominus Sodomam & Gomorrham.

V. 20.

Digitized by Google

*V.*20.Non habitabitur: לא־תשב, *non ſedebit in æternum*, id eſt non amplius incoletur. Et non fundabitur: תשכנן, *non habitabit* (in ea civis) Neque ponet ibi tentoria, id eſt, adeo deſerta erit, ut ne Arabes quidem qui paſcendi gregis cauſa in locis etiam incultis ſolent figere tentoria, ibi velint figere. Neque pastores requieſcent. Heb. רבצו, *accumbere faciant gregem ibi*.

V. 21. Sed requieſcent. Heb. *cubabunt ibi* ציים *beſtiæ ſylveſtres*, *quæ non niſi in aridiſſimis locis habitare ſolent*. Et piloſi ſaltabunt: שעירים, *Satyri*, ſylveſtres dæmones.

V. 22. Reſpondebunt ibi. Heb. וענה *& cantabit* ציים *ulula* באלמתיו *in magnificis ædibus eius*, id eſt, ut fuerant ante magnificæ ædes eius (Babylonis.) Et Sirenes: ותנים, *& dracones* בהיכלי שג *in palatiis voluptatis*, id eſt ubi ante fuerant palatia voluptatis cauſa. Similis locus infra cap. XXXIV. 11. & Sophon. II. 14.

S A.

Verſ. 1. Onus, id eſt prophetia de punitione, ſeu calamitate. LXX. *viſio contra Babylonem*: vide cap. XV.

V. 2. Super, id eſt contra. Montem, id eſt ſuperbam Babylonem, niſi forte montem aliquem Perſiæ vel Mediæ intelligat. Caliginoſum, ſcilicet errorum tenebris. LXX. *campeſtrem*. Levate, ſcilicet o Medi & Perſæ. Signum, id eſt vexillum. Portas, ſcilicet Babylonis. Duces, ſcilicet exercitus hoſtilis.

V. 3. Sanctificatis. Chald. *præparatis*, ſcilicet militibus. Gloria mea, id eſt expeditione, quæ cedit in gloriam meam.

V. 4. Montibus, ſcilicet Mediæ & Perſiæ. Regum, ſcilicet Cyri & Darii; ille Perſarum Rex, hic Medorum. Gentium. LXX. *& gentium*. Militiae belli. LXX. *genti bellicoſæ*.

V. 5. Summitate caeli, id eſt extremitate terræ, ubi videtur tangere cælum. Dominus, ſcilicet adeſt ultùrus. Vasa, id eſt inſtrumenta. Terram, ſcilicet Babyloniæ, vel orbem, ut ad diem iudicii referatur, cuius figuræ quædam ſunt præcedentes Dei punitiones.

V. 7. Contabeſcet. LXX. *timebit*.

V. 8. Combuſtae; pro, velut combuſtæ, ſcilicet aridæ, ut ſolent exuſta. Ita dictum a Chriſto, *Areſcentibus hominibus præ timore*.

V. 9. Crudelis, ſcilicet impiis ſæva videtur Dei iuſtitia. De ea, ſcilicet eiectos.

V. 10. Stellae; &c. Iſto loquendi modo ſolet Scriptura maximam calamitatem ſignificare: afflictis enim omnia videntur tenebroſa. Poteſt & ad diei iudicii tenebras referri, de quibus eſt in Evangelio.

V. 11. Infidelium. Chald. *impiorum*. LXX. *iniquorum*; ſcilicet non ſunt iniqui fideles Deo. Arrogantiam fortium. LXX. *iniuriam ſuperborum*. Humiliabo, id eſt deprimam.

V. 12. Pretioſior, &c. quaſi dicat: Rari erunt ſuperſtites, ſeu qui tantam calamitatem evadant: pretioſa quæque rara, ideo pretioſum pro raro. Chald. id de iuſtis Deique amantibus intelligit. Mundo obrizo. Hebr. & Chald. *auro Ophir*. LXX. *lapide ex Ophir*.

V. 13. Super hoc, id eſt ut ulciſcar. Turbabo, ſcilicet tenebris. Movebitur, ſcilicet terræ motu: & hic loquendi modus in Scriptura magnam Dei iram hominumque calamitatem ſignificat.

V. 14. Fugiens, ſcilicet leonem. Ovis, ſcilicet fugiens lupum. Congreget, ſcilicet ut ſervet; quaſi dicat: Fruſtra fugient, nec enim poterunt evadere. Fugient, ſcilicet nec evadent tamen; *omnis enim*, &c.

V. 20. Uſque in finem. LXX. *in æternum*. Uſque ad generationem, &c. LXX. *per multas generationes*, ut ſit explicatio præcedentis, vel repetitio; numquam enim rediit ad priſtinum ſplendorem. Hieronymus ait, ſuo tempore a beſtiis fuiſſe habitatam. Arabs. Chaldæa vicina eſt Arabiæ deſertæ.

V. 21. Beſtiae. Chald. *ſimiæ*. Piloſi. Chald. & LXX. *dæmones*, ſcilicet apparere ſolent dæmones ſpecie hircorum.

V. 22. Ululae: aves ſunt. Chald. *cati*, LXX. *onocentauri*. Sirenes. Chald. *dracones*. LXX. *ericii*. Delubris. Chald. & LXX. *domibus*. Voluptatis, ſcilicet quondam. Chald. & LXX. *eorum*.

ESTII.

Digitized by Google

ESTII.

Verſ. 1. ONUS BABYLONIS, QUOD VIDIT ISAIAS FILIUS AMOS, &c. Onus Hebr. eſt *Maſſah*, quod vocabulum ab interpretibus Græcis varie redditur. Aquila vertit *viſionem*, Symmachus & Theodorio, *ſumptionem*, vel aſſumptionem; idque maxime in minoribus prophetis. Sed in Iſaia Septuaginta vertunt modo *viſionem*, modo *verbum*. Recte & erudite annotat B. Hieron. vocabulum Hebr. proprie ſignificare, *onus*: & ubicumque ponitur in Prophetis, eſſe prophetiam non qualemcumque, ſed quæ gravia & triſtia comminatur, & prænunciat civitati alicui, aut regno, aut populo. Quod genus prophetiæ aptiſſime vocatur *Onus*. Unde D. Hieron. ubique fere vertit, *Onus*; quod etiam faciunt hodierni Interpretes ex Hebræo. Eſt tamen locus Proverb. xxx. & xxxi. ubi hoc vocabulum Hebraicum ab Hieronymo non transfertur *Onus*, ſed *viſio*. Sed ad hoc reſponderi poteſt dupliciter, vel ſpeciem pro genere poſitam; videlicet vocabulum quod ſpeciatim ſignificat prophetiam comminatoriam, pro quacumque prophetia in genere: vel etiam eo loco onus quoddam ſignificatum eſſe, non quidem comminationis, ſed præcepti. Traduntur enim ibi quædam præcepta, quæ ſub interminatione pœnæ ſervanda ſunt, & ita oneris nomine recte etiam cenſentur.

V. 9. & 10. ECCE DIES DOMINI VENIET CRUDELIS, ET INDIGNATIONIS PLENUS, &c. Prædicitur ad litteram everſio Babylonis per Medos & Perſas, & tempus illud vocat Propheta diem Domini crudelem. Sed quia quæ hic interſeruntur a Propheta, non omnia ad litteram conſtat tunc facta fuiſſe, velut quod ait: STELLAE CAELI ET SPLENDOR EARUM NON EXPANDENT LUMEN SUUM: OBTENEBRATUS EST SOL IN ORTU SUO, ET LUNA NON SPLENDEBIT IN LUMINE SUO, hinc neceſſe eſt agnoſcere in hoc loco tranſitum quemdam a typo ad myſterium: nam ſicut Nabuchodonoſor rex Babylonis typum geſſit Diaboli, ita regnum & civitas Babylonis typus fuit regni Diaboli; quemadmodum etiam conſtat ex Apocalypſ. XVIII. ubi per meretricem Babylonicam ſocietas impiorum ſignificata legitur. Itaque excidium Babylonis, quod hic ad litteram prædicitur, ſignificat finem mundi ſecundum præſentem ſtatum, excidium regni Diaboli in fine ſæculi futurum per Chriſtum. Tunc enim proprie futura ſunt ea quæ hic prædicuntur de obtenebratione ſolis, lunæ, & ſtellarum. Nihilominus Hieron. Lib. V. initio, omnia ad litteram docet intelligenda de Babylone, & in ea eſſe completa.

MARIANAE.

Verſ. 1. ONUS BABYLONIS. Sept. *Viſio contra Babylonem*. Prophetia adverſa & triſtis *onus* vocatur. Babylonis excidium per Medos vaticinatur.

V. 2. SUPER MONTEM CALIGINOSUM, id eſt ſuper urbem fumo & vaporibus opacam, nempe Babylonem. Heb. *ſuper montem excelſum*, eadem ſignificatione. *Super*, id eſt contra. LEVATE SIGNUM, id eſt vexillum; pro, vexilla explicare. Milites alloquitur. INGREDIANTUR PORTAS DUCES. *Portas*, ſcilicet Babylonis. In Hebræo eſt regimen, ſic vertunt, *ingrediantur portas nobilium*. Chald. tamen non curans regimen, ait: *Ingrediantur portas qui ſponte ſe offerunt*, id eſt voluntarii milites, qui ſcilicet nullo ſtipendio ſpe prædæ militant.

V. 3. MANDAVI SANCTIFICATIS MEIS. *Sanctificati* vocantur qui parati erant, & ſacramento militari adſtricti. Chald. *mandavi præparatis meis*. IN IRA MEA. Hebr. *ad iram meam*, id eſt propter iram meam. IN GLORIA MEA, aut *celſitudine mea*, ſcilicet qui gloria mea lætantur, vel exultantes expeditione, quæ cædit in gloriam meam.

V. 4. VOX MULTITUDINIS, ſeu *turbæ*. Verba Prophetæ; quaſi dicat: Videor mihi audire turbæ clamores. REGUM. Hebr. *regnorum*. Medi ſcilicet & Perſæ convenerunt contra Babylonem. PRAECEPIT MILITIAE BELLI. Hebr. *recenſet* (Deus) *militiam belli*. Deus ipſe ductor eſt.

V. 5. VENIENTIBUS. Hebr. *veniunt de terra longinqua*. A SUMMITATE CAELI, a ſi-

Digitized by Google

a fine. Hebr. *ab extremo cæli*, a regione remotiſſima, quod Heb. iungitur cum *veniunt a terra longinqua*. DOMINUS, ET VASA FURORIS EIUS; quaſi dicat: Deus & milites inſtrumenta furoris Dei (iuncti ſunt) ad vaſtandum. TERRAM. Dic *terram illam*, propter ה *He* emphaticum.

V. 6. ULULATE, ſeu Babylonii. A DOMINO, ab omnipotente veniet & vaſtitas.

V. 7. CONTABESCET. Hebr. *liqueſcet*. Sept. *timebit omnis anima hominis & cor*.

V. 8. TORSIONES, ſive *anguſtiæ*. FACIES COMBUSTAE. Hebr. *facies flammarum*, *facies eorum*, ſcilicet Babylonis, id eſt combuſtæ præ dolore.

V. 10. QUONIAM STELLAE CAELI. In anguſtia omnia videntur oppleta tenebris. ET SPLENDOR EARUM. Alii pro *ſplendore* vertunt *ſidera*. Chald. *Planetæ*. Pagn. *Oriones*: ſic Sept. NON EXPANDENT LUMEN SUUM. Hebr. *non lucere facient lumen ſuum*, omnia tenebroſa videbuntur.

V. 11. SUPERBIAM INFIDELIUM. Heb. *ſuperbiam ſuperborum humiliabo*.

V. 12. PRETIOSIOR ERIT VIR AURO *obrizo*: id ſignificat vox *Paz*, id eſt nullus redemptioni locus erit. HOMO MUNDO OBRIZO. Hebr. *auro Ophir*; quod ſcilicet erat puriſſimum. Itaque neque nobilis, quem per *virum* intellige, *Enos* Hebr. neque *plebeius*, id eſt *Adam*, redimi poterunt.

V. 13. SUPER HOC, id eſt præterea. Hebr. tamen *propterea*, id eſt propter mali magnitudinem. CAELUM TURBABO. Hebr. *movebo*: ſic videbitur afflictis, vel eſt hyperbole.

V. 14. ERIT QUASI DAMULA FUGIENS. Alii *caprea*, alii *cervus*. ET QUASI OVIS: ET NON ERIT QUI CONGREGET, id eſt ſine paſtore errabunda; quaſi dicat: Omnes qui in ea urbe erunt, fugient quiſque ad populum ſuum, Babylone deſerta.

V. 15. QUI SUPERVENERIT: qui ſe adiunget; hoc eſt, qui manſerint in ea urbe, peribunt, ſive cives ſint, ſive peregrini.

V. 17. SUPER EOS ſuſcitabo Medos, id eſt contra eos: על *hal* id hoc loco ſignificat. QUI ARGENTUM NON QUAERANT. Hebr. *non æſtimabunt*, id eſt donis non cedent, non cupiditate ducentur, ſed ſimultate, ſed ſævitia, quæ acerbior victis eſt.

V. 18. SED SAGITTIS PARVULOS INTERFICIENT. Hebr. *arcus pueros allident*. ET LACTANTIBUS UTERIS. Hebr. *& fructui ventris non miſerebuntur*, id eſt lactantibus, aut prægnantibus; quaſi dicat, AEtas tenera præſidio non erit. SUPER FILIOS, ſcilicet teneros: non parcam eis.

V. 19. BABYLON ILLA GLORIOSA IN REGNIS. Hebr. *gloria* ſeu *decus regnorum*. INCLYTA IN SUPERBIA CHALDAEORUM. Hebr. *gloria*, *ſuperbia Chaldæorum*.

V. 20. NON HABITABITUR USQUE IN FINEM. Hebr. *in perpetuum*. NON FUNDABITUR. Hebr. *non habitabitur*. USQUE AD GENERATIONEM ET GENERATIONEM, id eſt in perpetuum. Repetitio eſt. ARABS. Chaldæa vicina Arabiæ, & Arabes in tentoriis & mapalibus vivebant. NEC PASTORES REQUIESCENT. Heb. *non accubare facient*, ſcilicet greges, ne in mapalia quidem cedet ea urbs.

V. 21. REQUIESCENT IBI BESTIAE: quæ ſcilicet in deſertis vivunt. Chald. *ſimiæ*. DRACONIBUS replebuntur domus. Chald. *muſtelis*. STRUTHIONES. Chald. *filiæ ſtruthionum*. PILOSI. Chald. *dæmones*, ſcilicet ea ſpecie apparent. Alii *fauni ficarii*. Hieronymus ait ſuo tempore Babylonem in ferarum omne genus luſtra abiiſſe, eoque Reges eos ad venationem ire.

V. 22. ULULAE. Chald. *cati*. IN AEDIBUS, ſeu *palatiis magnificis*. SIRENES. Chald. *dracones*. Sept. *ericii*. IN DELUBRIS, ſeu *palatiis voluptatis*: talia ante erant, voluptuoſa, amœna. Summa, harum vocum ſignificationes ipſis Iudæis ſunt ignotæ: nec laborare opus eſt in earum explicatione.

M A L V E N D AE.

Verſ. 1. ONUS BABYLONIS. משא *maſſa*, proprie eſt *levatio*, *levanda*, *onus*, *quod alicui levandum*, *ſeu ferendum imponitur*. Sumitur hic, & aliis eiuſmodi locis, pro gravi, dura, moleſta, & oneroſa prophetia, qua alicui futurum malum prædicitur, quod tamquam

Digitized by Google

onus ferre debeat. Quidam addunt, quod eiuſmodi prophetiæ etiam ipſis prophetantibus eſſent oneroſæ & iniucundæ, nempe adverſa aliis denuntiare: ſed parendum erat Spiritui. Quidam exponunt: *Onus*, ſeu *pondus Babylonis*, quo ſcilicet depreſſurus eſt Babylonios per Medos & Perſas. Alii: *Oneroſa prophetia in Babylonios*. Cum Propheta ſupra cap. v. & vi. ſub finem non obſcure maximam cladem Iudæis, everſionem regni per Chaldæos fore prænuntiaſſet, populum, tempus, expeditionemque futuram ita circumſcribens, ut non poſſet de ea dubitari; nunc demum his duobus capitibus populum Dei conſolatur duobus argumentis, nimirum narratione prophetica iudicii, quo Deus Babylonios perditurus eſt, hoc capite; & narratione reſtitutionis populi, in qua ſit Deum celebraturus, & iudicium in Babylonios decantaturus, ſequente capite. In narratione autem huius capitis (ut nihil interim de inſcriptione dicamus, verſ. 1.) tria ex ordine rerum geſtarum exponuntur: primum eſt proclamatio, qua Medi ad arma, Babylonii ad flebilem eiulatum provocantur, uſque ad verſ. 9. ſecundum eſt narratio malorum, quæ Babylonii divinitus & humanitus perpeſſuri ſunt, inde ad verſ. 19. tertium, eventus ex illa clade a Medis accepta conſecuturus, inde ad finem uſque capitis. Quamobrem huic prophetiæ, & aliis eiuſdem argumenti optime attributa eſt oneris, ſive oneroſæ prophetiæ appellatio.

V. 2. SUPER MONTEM CALIGINOSUM. נִשְׁפֶּה *niſchpheh*, nonnulli cum Noſtro a נֶשֶׁף *neſcheph*, id eſt *tempus obſcurius*, *crepuſculum*, deducunt, *ſuper montem obſcurum*, *tenebroſum*, *caliginoſum*. Perſpicuum errorem id Sanctes appellat: ſed immerito. Aben Ezra: *ſuper montem denigratum*, aut *nigrum*. Ex Chaldaico ſignificato poſſis reddere: *ſuper montem contritionis*, quod ſtatim conterendus eſſet. Plerique tamen a שָׁפָה *ſchaphah*, derivant: *Super montem præcipitatum*, *præcipitem*, *præcelſum*, *eminentem*, *altum*. Fere omnes ipſam Babylonem intelligunt: ſed hæc in plano, non in monte ſita erat, uti ex Herodoto, Strabone, aliiſque in Geneſ. xi. 2. annotavimus. Quidam *montem eminentem* dictam putant propter altitudinem & magnitudinem ædificiorum, ac cum primis immenſam illam turrim, de qua Geneſ. xi. 4. Sive quod urbs munitiſſima eſſet, ut eſſe ſolent quæ in montibus conſtitutæ ſunt. Vide Ierem. li. 25. S. Hieronymus, montem caliginoſum, ſeu tenebroſum appellatam propter ſuperbiam intelligit. Alii, quod nebulas ſpiret ex Euphrate. Forte ob id quod Plinius Lib. II. cap. cvi. tradit: *Campus Babyloniæ flagrat, quadam veluti piſcina iugeri magnitudini*. Et Diodorus Siculus Lib. II. Numer. 71. *Multa ſane Babylonia continet ſpectatu digna, & admiranda: ſed inter hæc non minimum admirationis meretur bituminis copia illic exundantis: quæ tanta eſt, ut non modo tot & tantis ædificiis ſufficiat, verum etiam profuſe populo collectum, pro lignis ſiccatum crematur. Et licet ab innumerabili hominum multitudine, utpote ex fonte ampliſſimo hauriatur, integra tamen eius manet ubertas. Prope fontem iſtum ſcaturigo eſt haud ita magna, ſed mire efficax: vaporem enim ſulphureum & gravem emittit, quo quidquid animantium accedit, ſubita nec opinata morte correptum extinguitur: anhelitu enim diutius compreſſo, & reſpirandi facultate per vim exhalationis interclusa, præfocatur*. Et Servius in Eclogam VIII. Virgilii: *Nam bitumen ex fulmine dicitur procreari: unde iuxta Babylonem, quia frequentia cadunt fulmina, hac re lacus redundant, adeo ut inde fabricent muros*. Ergo vel ab eo quod campus Babyloniæ flagret, vel ab ſcaturigine vaporem ſulphureum exhalante, vel a crebris fulminibus, quibus terra Babylonis icitur, recte intelligitur dici mons nebuloſus. Ceterum alii montem hic eminentem & præcelſum, non Babylonem, ſed Mediam, ac Perſiam, quæ regiones montoſæ ſunt, unde Syrus & Medi ac Perſæ expugnaturi Babylonem venere, accipiunt: de Media Herodotus Lib. I. Numero 110. *Media valde montoſa eſt & edita, ac nemoribus frequens*. De Perſia Q. Curtius Lib. V. cap. iv. *Namque Perſis ab altero latere perpetuis montium iugis clauditur*. Unde locum hunc ita explanant: *Super montem eminentem attollite vexillum*. Tota hæc proclamatio per hypotipoſin ſcripta, quaſi iam in rem præſentem ventum eſſet, primum ex aucto-

ritate

ritate Dei Medos armat, qui diſerte nominantur infra verſ. 17. & bellicam rationem apparatumque deſcribit elegantiſſime, verſibus quatuor: deinde maximam conſternationem Babylonis imperat, verſ. 6. & duobus ſequentibus: nam inde ſolent dari bellorum tumultuumve ſignificationes in montoſis regionibus & inſulis. *Super montem eminentem*, cuiuſmodi eſt Medorum regio, in qua prædicit fore ut arma conclamentur: ſic infra cap. XVIII. 3. LEVATE SIGNUM, vel *attollite vexillum*. Pro more militiæ, ut ſcilicet illuc milites conveniant. Sic Virgilius initio VIII. AEneidos:

Ut belli ſignum Laurenti Turnus ab arce
Extulit.

Sic Romani propoſito in arce ſigno delectus exercituum habebant: de quo more plura Lipſius de Militia Romana Lib. I. Dialogo III. & Stevvechius in Commentariis Lib. I. cap. VI. Vegetii de Re Militari. EXALTATE VOCEM. Heb. *elevate vocem eis*, vel *ad eos*, nempe ad convocandos milites. Alii: *contra eos*, Babylonios. LEVATE MANUM. Heb. *agitate manum*. Hebræi exponunt: *efferte vocem ad illos*, *agitate manum*, metaphorice; id eſt, propinquos voce, & longinquos ſignificatione ad arma convocate. Nam cum diſtantes non poſſumus voce ciere, agitatione & ſignificatione manus advocamus. Fortaſſe alluſit Propheta ad triplex illud militiæ genus, quo poſtea ſunt uſi Romani, de quo Servius initio Lib. VIII. AEneidos ſcribit: *Apud maiores noſtros tria erant militiæ genera in bellis gerendis: nam aut legitima erat militia, aut coniuratio, aut evocatio. Legitima erat militia eorum, qui ſinguli iurabant pro republica ſe eſſe facturos: nec diſcedere niſi completis ſtipendiis, id eſt militiæ temporibus, & ſacramentum vocabatur ut AEneidos II.*

Fas mihi Graiorum ſacrata reſolvere iura.

Aut certe ſi eſſet tumultus, id eſt bellum Italicum ſeu Gallicum, in quibus ex periculi vicinitate erat timor multus, quia ſingulos interrogare non vacabat, qui fuerat ducturus exercitum, ibat ad Capitolium, & exinde proferens duo vexilla, unum roſeum quod pedites evocabat, & unum cæruleum, quod erat equitum, (nam cæruleus color maris eſt, a cuius Deo equum conſtat inventum) dicebat: Qui Rempublicam ſalvam eſſe vult, me ſequatur: & qui conveniſſent, ſimul iurabant: & dicebatur iſta militia, coniuratio. Alii, album & roſeum vexilla tradunt, & roſeum bellorum, album comitiorum ſignum fuiſſe. Fiebat etiam evocatio, nam ad diverſa loca diverſi propter cogendos mittebantur exercitus. Hæc Servius. Eadem habet in VII. AEneidos, ad verſum:

Ipſe vocat pugnas, &c.

De quibus vide fuſius Lipſium & Stevvechium locis citatis. Ergo cum ait Propheta *Levate ſignum*, forte coniurationem indicat: cum vero addit, *exaltate vocem*, convocationem: cum denique, *agitate manum*, legitimam militiam per ſacramentum, ſeu iuramentum, quod manu fiebat, deſignat. Et potuere ſane tria hæc militiæ genera iam ſub Romulo, qui hiſce temporibus regnabat, viguiſſe: quamvis iuramentum ſacramento poſtea acceſſerit. Vide Roſinum Romanarum Antiquitatum Lib. X. cap. III. & Dempſterum in Paralipomenis eiuſdem capitis. SI INGREDIANTUR PORTAS DUCES. Sed quia Heb. *portas* eſt in regimine, paſſim reddunt: & *ingrediantur portas ducum*, נדיבים *nedibim*, vide in Numeror. XXI. 18. Quidam reddunt: *ut ingrediantur portas principum*, ſeu *ingenuorum*; id eſt, invadant & occupent terminos Babyloniorum, qui ex aliena præda erant locupletiſſimi, & luxu principali diffluebant. Aliqui totum hunc verſum ita capiunt: O Medi, inferte ſigna bellica in Babylonem, & ſuper altiſſimas turres eius, aut mœnia ſtatuite; nam primum captæ urbis argumentum eſt, ſi hoſtis ſuper muros vexillum poſuerit: *efferte vocem*, vos, qui primi evaſiſtis in muros; & *vocate*, alios commilitones, ut etiam ipſi ſubeant; & ſi voce non poteſtis, *agitate manum*, eo ſigno excientes *ut duces* exercitus *portas urbis invadant*. Quidam neglecta ſyntaxi, reddunt: *ut ingrediantur portas magnificas*, ut ſane fuerunt Babylonis, de quibus Herodotus Lib. I. Numer. 179. *Eius per ambitum centum portæ ſtabant, æreæ omnes cum cardinibus itidem poſtibuſque*.

V. 3. EGO MANDAVI, vel *præcepi*:

 ætio-

ætiologia ſuperioris clamationis, a decreto, & arcano inſtinctu Dei. SANCTIFICATIS MEIS. Exponunt: Id eſt Medis & Perſis, quos ego deſtinavi atque comparavi ad exequendum iudicium meum. Alii: Militibus ſacramento adactis; vel quod bella olim ſacris ritibus ſuſciperentur: vide Ieremiæ VI. 4. ET VOCAVI FORTES MEOS IN IRA MEA, EXULTANTES IN GLORIA MEA. Alii ex Heb. I. *etiam vocavi robuſtos meos in ira mea, exultantes gloriæ meæ*, vel ob gloriam meam; id eſt, qui exultant cum honore & gloria afficior. II. *etiam vocavi potentes meos*, vel *heroas meos, ad iram meam exequendam, exultantes in excellentia mea*, vel *qui excellentia mea lætantur*. Id eſt, potentia inſtruxi, & excellentia, atque exultabunda alacritate, quæ milites fortes decet.

V. 4. VOX MULTITUDINIS, &c. Hunc verſum alii ex Hebr. reddunt: I. *Vox multitudinis*, ſeu *turbæ*, aut *ſtrepitus, in montibus, inſtar populi ingentis*: verba Prophetæ; quaſi dicat, Videor mihi audire ſtrepitum in montibus inſtar populi multi, &c. *vox fragoris, ac ſi regna gentium coiviſſent*; vel *vox ſonitus regnorum gentium congregatorum*, e regno ſcilicet Medorum & Perſarum: *Dominus exercituum recenſet exercitum bellicum*; id eſt, videtur mihi recenſere. II. *Vox multitudinis in iſtis montibus* Mediæ & Perſiæ auditur *ad ſimilitudinem populi*, *vox tumultus*, ſeu *tumultuoſa*, *regna gentium congregatarum: Iehova exercituum luſtrat exercitum bellicum*. Alii: *numerat exercitum prælii*; id eſt, conveniunt milites frequentia maxima, & Iehova tamquam imperator congregatos luſtrat.

V. 5. DE TERRA PROCUL. Hebr. *de terra longinquitatis*, ſeu *longinqua*, hoc eſt Media & Perſia, quæ quamvis non multum diſtarent a Babylonia, at iſtæ ſecum alias procul diſſitas gentes trahebant: ut de Antonio canit Virgilius VIII. AEneidos:

— *vireſque Orientis, & ultima ſecum*
Bactra vehit.

A SUMMITATE CAELI. Quidam exponunt: Ab ipſo polo Arctico, ſeu Septemtrione. Virgilius I. Georgicorum:

Mundus ut ad Scythiam, Rhiphæaſque arduus arces
Conſurgit, premitur Libyæ devexus in Auſtros.
Hic vertex nobis ſemper ſublimis: at illum
Sub pedibus Styx atra videt, maneſque profundi.

Heb. *ab extremitate*, ſeu *fine cælorum*; id eſt, locis quam longinquiſſimis, ubi terra cælum contingere videtur: emphatica hyperbole. Sic Virgilius IV. AEneidos:

Oceani finem iuxta, ſolemque cadentem
Ultimus AEthiopum locus eſt: ubi maximus Atlas
Axem humero torquet ſtellis ardentibus aptum.

DOMINUS, ET VASA FURORIS EIUS, UT DISPERDAT OMNEM TERRAM. Quidam ex Hebr. *Iehova, & inſtrumenta indignationis ſuæ, ad corrumpendum totam iſtam terram*, Babyloniam. *Inſtrumenta indignationis ſuæ* dicit milites, & omnem apparatum bellicum, quibus iram ſuam executurus eſt.

V. 6. ULULATE. Heb. *Eiulate*, ſeu *ululate*, ſubaudi, Babylonii. Altera pars proclamationis ad Babylonios, ut diximus in verſ. 2. QUIA PROPE EST DIES DOMINI. Hebr. *quia propinquus eſt dies* IHUH, quo ſumpturus eſt pœnas de Babyloniis. Notant eſſe Scripturæ phraſim frequentiſſimam, ut dies Domini dicatur, quo iudicium exercet in improbos. Inde fortaſſe ductam, quod cum diſſimulat, dormire videatur: & ſomnus quieti, dies vero ac vigilia actionibus deſtinata ſit. Et alioqui Hebræis *dies* pro revelatione rerum, inſpectione, & iudicio frequenter uſurpatur: vide Forſteri Dictionarium pag. 320. & Theſaurum Sanctis col. 925. Sic intra verſ. 9. QUASI VASTITAS A DOMINO VENIET. Alii: *Cum vaſtatio ab omnipotente adventura eſt*. Exegeſis eius quod dixerat, *nam propinquus eſt dies Iehovæ*. De voce *ſchaddai* vide in Gen. XVII. 1. Hic reddere poſſis: *tamquam vaſtatio a vaſtatore veniet*, ut ſit alluſio vocum; id eſt, imminet a Deo præpotente & inſuperabili; quaſi dicat, Vaſtatio quæ vitari non poteſt, talis, qualem decet ſupremum vaſtatorem inferre.

V. 7. PROPTER HOC OMNES MANUS DISSOLVENTUR, &c. Alii ex Heb. I. *Idcirco omnes manus debiles erunt*, vel *flacceſcent*: & *omne cor hominis liqueſcet*. II. *Id-*

II. *Idcirco omnes manus remiſſæ ſunt, & omne cor humanum colliqueſcet*; id eſt, infirmabuntur Babylonii & corpore & animo: vide Daniel. v.

V. 8. Et conteretur. Puto Interpretem ſcripſiſſe, *& conterentur*: nam Heb. eſt verbum plurale. Alii: I. *& perterrebuntur*, *trepidabunt*, vel *conturbabuntur*. Torsiones. צירים *tzirim*, iungunt cum verbo antecedente, *terrebuntur*, ſeu *trepidabunt cardines*, ſeu *vertebræ*, aut *compages*, ſcilicet oſſium aut membrorum: 2. *& terrore percellentur formæ*, *imagines*, *idola*, ut infra cap. xlv. 16. Alii ſequenti verbo annectunt: *anguſtiæ*, *tormina*, *cruciatus*, *dolores graviſſimi*, quales parturientium: ſic dicti quod coarctent, & conſtringant, ac premant corpus. Et dolores. חבלים *chabalim*, proprie *funes*, vulgo *chables*; id eſt, dolores intentiſſimi & graviſſimi, quibus homo ceu funibus arctiſſime ligatur & conſtringitur ac plane torquetur, unde ſe extricare non poteſt: *tormenta graviſſima*, unde peculiare quoddam tormenti genus vulgo appellatur *cuerda*, quod fune adhibeatur: vide in II. Reg. xxii. 5. & 6. & in Iob xxxix. 6. Quidam hic reddunt: *tormina & dolores comprehendent*, *corripient eos*. Unusquisque ad proximum suum stupebit. Aliqui: *quiſque de proximo ſuo admiratione rapietur*. Cogitantes ſe prius ingenuos, ſtrenuoſque fuiſſe, & Medis, aliiſque gentibus imperaſſe; iam vero ignavia, torpore, & in miſeram ſervitutem rapi ignominioſiſſime. Nam Aſſyrios & Chaldæos a Medis interdum defeciſſe, partemque Mediæ obtinuiſſe, ſatis conſtat: vide Scaligerum Iſagogicorum Canonum Lib. III. pag. 314. Faces combustae vultus eorum. Hebr. *facies flammarum facies eorum*. Alii: I. *& facies eorum flammas referunt*. II. *facies rubentes uti flamma vultus eorum*. Quidam hoc ad hoſtes Medos & Perſas referunt, qui facies adeo truculentas oſtentabunt, ut flammas fundere videantur. Alii ad Babylonios, quorum facies præ metu, & anxietate imminentis hoſtis exſiccabuntur ac nigreſcent, ac ſi ad flammam exſiccatæ eſſent. III. *facies inflammatiſſima facies eorum futura eſt*, id eſt perfuſa rubore & confuſione maxima; quaſi dicat, Suffundentur rubore & erubeſcent.

V. 9. Ecce dies Domini veniet, crudelis. Hebr. *Ecce dies Iehovæh advenit crudelis*, vel *ſævus*, *atrox*, *ferox*: ſecunda pars narrationis, ut diximus in verſ. 2. ſimiliter per hypotypoſin calamitates Babyloniorum explicans. Crudelis, et indignationis plenus, et irae, furorisque. Alii ex Hebr. I. *ſævus*, *& excandeſcentia*, *atque æſtus naſi*. II. *crudelis*, *& ardor*, *& excandeſcentia atque æſtus naſi*. III. *crudelis*, *& ardor*, *& excandeſcentia vultus*. IV. *crudelis & indignatio*, ſeu *exceſſus iræ*, *& ira furoris*. V. *ſævus & excandeſcentia*, *& accenſa ira*. Quidam exponunt: Id eſt, in quo Deus excandeſcens, & accenſus ira ſæviet in Babylonios. Ad ponendam terram in solitudinem. Alii ex Heb. I. *ad redigendam terram in flatum*, ſive *in afflatum*, *in afflationem*, ſeu *in ſtupendam*, *abominandam deſolationem*. II. Tremellius, & Iunius: *ad diſponendum iſtam terram in deſolationem*. Hoc enim maxime factum eſt, cum Cyrus Euphratem derivavit, & in varias paludes diſtraxit per bonam partem Babyloniæ: prout evidentius exponitur infra cap. xiv. 23. At Herodotus Lib. I. Numero 191. non ait Euphratem derivatum a Cyro in plana Babyloniæ, ſed in repurgatam profundam illam & amplam paludem conſtructam a Nitocri regina, de qua ſuperius Numer. 185. dixerat, immiſſum, ut depreſſo alveo exercitus Babylonem ingredi poſſet.

V. 10. Quoniam stellae caeli, et splendor earum, &c. Quidam reddunt: *Quia ſtellæ cælorum*, *& Oriones*, ſeu *planetæ eorum non ſplendebunt lumine ſuo*. Alii: *Nam ſtella cælorum*, *& ſidera eorum non facient ut luceat lux ſua*. Explicatio ſingularis interminationis, quæ poſita eſt ſuperiore verſu: Cæli, inquit, & terra omnibus adverſabuntur, uſque ad verſ. 14. & Medi non parcent cuiquam, inde ad verſ. 19. Stellæ cælorum, quæ alioqui in Chaldæa ſunt evidentiſſimæ & clariſſimæ, propter patentia camporum æquora, ut ait Cicero Lib. I. de Divinatione, & nubium raritatem. Eſt autem allegoria hoc verſu, ad ſignificandum graviſſimas calamitates, in prophetis frequens. Stellam porro a ſidere hoc loco diſtinguit Propheta, ut Græci aſtera

ra & aſtrum; nimirum ut ſtella ſive aſter ſit ſingulare aliquid; ſidus vero vel aſtrum ſit quiddam ex pluribus ſtellis coagmentatum, cuiuſmodi ſunt ſigna aſtronomica. Ergo כסילים *cheſilim*, hic *ſidera*, *conſtellationes* reddunt. Forſterus: *Atque hoc in loco poſitum eſt valde generaliter pro omnibus aſtris ſplendidis, quæ non ſunt ſingulares ſtellæ: ſicut Latini ſidus a ſtella quoque diſcernunt*. Macrobius Lib. I. in Somn. Scipionis, elucidans verba illa Ciceronis, *Quæ ſidera & ſtellas vocatis*, ait: *Neque enim hic res una gemina appellatione monſtratur; ut enſis & gladius: ſed ſunt ſtellæ quidem ſingulares, ut erraticæ quinque, & ceteræ, quæ non admiſtæ aliis, ſolæ feruntur. Sidera vero, quæ in aliquod ſignum ſtellarum plurium compoſitione formantur: ut Aries, Taurus, ut Andromeda, Perſeus, vel Corona, & quæcumque variarum genera formarum in cælum recepta creduntur. Sic & apud Græcos, aſter & aſtrum diverſa ſignificant: etenim aſter ſtella una eſt; & aſtrum ſignum ſtellis coactum, quod nos ſidus vocamus*. Et Servius initio I. Georgicorum: *Sane ſidus proprie eſt, quod in ſe plures continet ſtellas: ſed a poetis confuſe ponitur*. *Cheſilim* numero multitudinis hic pro conſtellationibus quidam accipi notant, & comprehendere ipſos planetas, qui ut Latinis *errones*, ſic Græcis *planetæ*, ab errando, ſeu fallendo; & Hebraice ab inconſtantia dicuntur. Vide Iob. IX. 9. & cap. XXXVIII. 31. Ego ſuſpicor hoc verſu carpi vanitatem ſideralis ſcientiæ, quam tantopere profitebantur Chaldæi, ut in Daniel. II. 2. annotabimus; quaſi dicat: Ex aſpectu ſtellarum, ſiderumque non poterunt Chaldæi providere & antevertere excidium ſuum; nihil eos iuvabunt aſtronomiæ ſuæ prænotiones. NON EXPANDENT LUMEN SUUM. Alii: I. *non ſplendere facient lumen ſuum*. II. *non ſuſpendent*, *expandent ſuperne cum gloria lucem ſuam*. III. *non laudare facient lumen ſuum*; id eſt, non magnam & claram lucem, ac multa laude dignam emittent. Hiſpanicus Interpres: *no derramaran ſu lumbre*.

V. 11. ET VISITABO SUPER ORBIS MALA, &c. Hunc verſum alii clarius ex Hebr. transfundunt: I. *Et viſitabo orbem ob malitiam, & impios ob iniquitatem eorum: faſtum ſuperborum compeſcam, & tyrannorum elationem deiiciam*. II. *Et animadvertam in orbis habitabilis malitiam, & in improbos iniquitatem ipſorum*, ſeu *& in improborum iniquitatem, faciamque ut ceſſet faſtus ſuperborum, elationemque violentorum deiiciam*, ſeu *deprimam*. FORTIUM. עריצים *gharitzim*, *præpotentium*, *prævalidorum*, *violentorum*, *tyrannorum*.

V. 12. PRETIOSIOR ERIT VIR AURO, ET HOMO MUNDO OBRIZO. Alii ex Heb. I. *Pretioſiorem faciam hominem magis quam aurum obrizum, & hominem quam aurum Ophir*; id eſt, reddam cariores & rariores homines auro obrizo, ac puriſſimo; id eſt, Faciam magnam caritatem & penuriam hominum; quaſi dicat, Pauci evadent a clade Medorum ac Perſarum. II. Forſterus, Forerius, & Mercerus: *Pretioſiorem faciam virum quam aurum purum, & hominem quam maſſam Ophir*; ſcilicet, propter ipſorum raritatem & paucitatem minoris erit pretii aurum optimum quam homines, iuxta vulgare proverbium: *Omne rarum carum*. III. *Pretioſiorem faciam virum auro purgatiſſimo, & hominem maſſa auri ex Ophir*. *Virum & hominem*, ſcilicet Babylonium; id eſt, in expugnatione Babylonis faciam ut miles Medus nulli Babylonio parcat, etiam auro ingentiſſimo & pretioſiſſimo oblato. IV. *Faciam ut pretioſior ſit mortalis auro purgatiſſimo, & homo inſigni auro Ophirino*; id eſt, Medorum Perſarumque animos Babyloniam invadentium ita inflammabo, ut omnibus modis ſuperbos iſtos & violentos perſequantur, neque ullo pretio huc adduci poſſint, ut parcant illorum vitæ, ut dicitur infra verſ. 17. quod non dubium eſt tum demum eveniſſe, cum occupata eſt Babylon, & rex Belſchatzar interremptus. Daniel. V. AURO פז *paz*, vide in Iob. XXVIII. 17. MUNDO OBRIZO. כתםאופיר *cethem ophir*: vide in Iob XXVIII. 16. & cap. XXII. 24.

V. 13. SUPER HOC CAELUM TURBABO, &c. Quidam hunc verſum parentheſi incluſum ita ex Hebr. convertunt: (*Idcirco cælos commoveo, concutitur terra e loco ſuo in excandeſcentia Iehovæ exercituum, & in die accenſionis iræ eius*; vel *& quo die accenditur ira eius*.) Brevis ætiologia, qua Deus hypotheſin iudicii

ſui.

Digitized by Google

ſui venturi in Babylonios confirmat theſi: Idcirco, inquit, id eſt propter malitiam, iniquitatem, faſtum, & violentiam, non poſſum non excandeſcere, & accendi ira, quam cælum & terra ipſa perhorreſcunt, & cum opus eſt, commoventur ad teſtificanda & præſtanda iudicia mea: quod ut fieret evidentius, hunc verſum parentheſi incluſimus.

V. 14. ET ERIT QUASI DAMULA FUGIENS, &c. Aliqui hunc verſum ita ex Hebr. reddunt: I. *Nam erit ut caprea depulſa, & ut pecus nullo colligente: quiſque ad populum ſuum ſpectabunt, & quiſque in terram ſuam fugient*. Ergaſia comminationis, quæ poſita eſt verſ. 12. Nullo, inquit, pretio ſuperbi iſti redimentur: nam fugientes illos perſequentur Medi, hoc verſu: inventos confodient, & antequam confodiant, omnes contumelias atrociſſimas facient vivis illis, atque videntibus, duobus ſequentibus. *Nullo colligente*; id eſt, neque ullus vel ex gentibus, & neceſſariis ipſorum, ut ſequentia verba explicant, audebit iſtorum quemquam in domum ſuam recipere. II. *Et erit*, Babylon ſcilicet, & qui in ea habitat, aut miles externus a Babyloniis conductus, *ceu caprea agitata*, vel *acta in fugam*, perſequentibus ſcilicet canibus: *& ovis, quam nemo colligit: quiſque ad populum ſuum reſpiciet, & quiſque ad terram ſuam confugiet*. QUASI DAMULA FUGIENS. צבי *tzebi*, *caprea*, *capreolus*: vide in Deuter. XIV. 5. eſt animal timidum, velox, fugax. Quidam hic *cervum* vertunt, non ſatis apte. UNUSQUISQUE AD POPULUM SUUM CONVERTETUR, ET SINGULI AD TERRAM SUAM FUGIENT. Hæc plerique accipiunt de milite auxiliari, aut conductitio a Babyloniis, vel de negotiatoribus, & peregrinis, quicumque tum Babylone inventus fuerit. S. Hieronymus: *Poſtquam capta fuerit Babylon, & per portas eius intrarit hoſtilis exercitus, cuncta auxilia & diverſarum gentium turmæ, quibus prius civitas defenſabatur, ad ſuas provincias revertentur*.

V. 15. OCCIDETUR. Heb. *perfodietur, transfodietur, transfigetur, tranſadigetur, tranſverberabitur*. ET OMNIS QUI SUPERVENERIT. Participium נספה *niſpheb*, cum *Samech*, varie exponitur: 1. *& omnis additus, adiunctus, adiectus, adiectitius*, aut *adventitius*, id eſt conductitius aut auxiliaris miles; vel omnis negotiator ſeu peregrinus. 2. *& omnis abſumptus, conſumptus, deficiens*, ſcilicet viribus, vel ætate. 3. *& omnis decrepitus*: ut opponat parvulis, verſu ſequente. 4. *& omnis additus*, id eſt ſuperſtes. Nos diximus: *& omnis contractus*, id eſt comprehenſus, retractus a fuga. Hiſpanicus Interpres: *y qualquier que a ellos, ſe iuntare*. Neſcio cur quidam verterint: *& omnis, qui ſeſe defendere paravit*. De notione verbi ספה *ſapbah*, vide in Geneſ. XVIII. 23.

V. 16. INFANTES EORUM ALLIDENTUR IN OCULIS EORUM. Alii: *Et parvuli eorum illidentur, elidentur, ante oculos eorum*: vide in Pſal. CXXXVI. 9. DIRIPIENTUR DOMUS EORUM. Poſſis reddere: *avellentur*, ſeu *evellentur*, ut maius excidium indicet. VIOLABUNTUR. תשגלנה *tiſchſchagbalnab*, proprie, *pervolutabuntur, ſubagitabuntur, vitiabuntur, ſtuprabuntur, actu venereo violabuntur*. Verbum propriiſſime aiunt ſignificare actum venereum: ſed honeſtatis cauſa hic Hebræi ſubſtituerunt legendum, תשכבנה *tiſchſchacabnab*, *cubabuntur*, vel *concubentur*, hoc eſt, concubitu violabuntur: vide in Deuter. XXVIII. 30.

V. 17. ECCE EGO SUSCITABO SUPER EOS. Alii: *Ecce ego excito contra iſtos*. Concluſio ſuperioris interminationis, in qua iudicium graviſſimum, & gentem nominatim definit, quam ſupra obſcure indicaverat verſ. 2. & tribus ſequentibus. MEDOS. Heb. *Madai*: vide Geneſ. X. 2. Hic exponunt, Id eſt Medorum copias, Cyro duce, Medorum & Perſarum rege. Succeſſionem regni Medorum accuratiſſime deſcribit Diodorus Siculus Lib. II. Numero 83. & ſequentibus, & Euſebius in Chronico. Vixit vero Iſaias huius vaticinii auctor ſub Seſarmo, Artyca, & Arbiane Medorum regibus. NEC AURUM VELINT. Alii: *& ipſo auro non delectabuntur*: vide ſupra verſ. 12.

V. 18. SED SAGITTIS PARVULOS INTERFICIENT. Heb. *& arcus pueros allident*. Alii: *Sed ipſorum arcus pueros collident*, ſeu *elident*; id eſt, ſagittis configent, vel ipſis arcubus pueros cum baculis contundent: aut chordis arcuum pueris fauces

eli-

elident, vel ſtrangulabunt. Et lactantibus uteris non miſerebuntur. Puto Noſtrumſcripſiſſe, *& lactentibus uteri*; nam Heb. eſt: *& fructus ventris non miſerebuntur*, vel *& fructum ventris non viſceribus miſericordiæ complectentur*. Et super filios non parcet oculus eorum. Heb. *non connivebit, non indulgebit, parcet*. Quidam: *filiolis non parcet oculus eorum*.

V. 19. Babylon illa glorioſa in regnis. Heb. *Babel* צבי *tzebi, regnorum*. De voce *tzebi*, vide in II. Samuel. I. 19. Hic reddunt: *Babylon gloria, ornamentum, decus, iucunditas, placiditas, voluptas, deliciæ, deſiderium, nobilitas, regnorum*. Hæc omnia quam vere & apte Babyloni conveniant, facile quis pervidebit, qui ea legerit quæ nos de magnitudine & præſtantia Babylonis ex magnis auctoribus excerpſimus Lib. III. de Antichriſto, cap. XIII. Singulariter Herodotus Lib. I. Numero 178. *Celeberrimi nominis ac validiſſimum oppidum eſt Babylon*. Et paucis interiectis: *Tanta eſt Babylonici oppidi magnitudo, quod ita exornatum eſt, ut aliud nullum eorum, quæ nos novimus*. Curtius Lib. V. cap. I. *Ceterum ipſius urbis pulchritudo, ac venuſtas, non regis modo Alexandri, ſed etiam omnium oculos in ſemet haud immerito convertit*. Plinius Lib. VI. cap. XXVI. Babylon Chaldaicarum *gentium caput, diu ſummam claritatem obtinuit in toto orbe*. Pauſanias Lib. VIII. *Babylon omnium, quas umquam ſol aſpexit, urbium maxima*. Inclyta in ſuperbia Chaldaeorum. Heb. *decor, pulchritudo, ornatus, ſuperbiæ Chaldæorum*. Quidam: *decor & magnificentia Chaldæorum*, id eſt, ob quam gloriari & ſuperbire ſolent Chaldæi. Alii: *ornatus, excellentiaque Chaldæorum*; id eſt, qua urbe mirifice Chaldæi exornantur, ac præcellunt alias nationes. Sicut ſubvertit Dominus Sodoman et Gomorrham. Heb. ex verbo: *Secundum*, vel *iuxta ſubverſionem Dei*, vel *ſicut ſubverſio Dei Sedomam & Hamoram*. Sic nomina apud Hebræos verborum ſuorum conſtructionem obtinent, ut Geneſ. XIX. 7. unde alii reddunt: *ſecundum ſubverſionem, qua ſubvertit Deus Sedom, & Hamorah*. Vel *ſimilis ſubverſioni, qua Deus ſubvertit Sedomum, & Hamoram*. Iam hoc verſu uſque ad finem capitis, continetur tertia pars narrationis, ut diximus ſupra in verſ. I. exponens miſerabilem deſolationem, vaſtitatemque Babyloniæ: quæ non toto uno tempore exhauſta eſt, ſed tamen miſerrime habita, & eo redacta tandem, ut tantum duraret ibi Iovis Beli templum, temporibus Veſpaſiani: vide Plinium Lib. VI. cap. XXVI. & ævo Hadriani, ut auctor eſt Pauſanias Lib. VIII. Numero 264. in Græcis. Ait ergo, *ſimilis ſubverſioni, qua Deus ſubvertit Sedomum & Hamoram*; id eſt, ita vaſtabitur, ut neque ſuis incolis futura ſit commoda ad habitationem vel commorationem, neque exteris & prædonibus egentiſſimis, ac ne pecudibus quidem, cum plane diruta fuerit, ad paſcuum. Primum enim bellis variis attrita eſt, deinde oppreſſa regum poſt Alexandri magni mortem tyrannide, ac poſtremo exhauſta vicinitate Seleuciæ, quam propterea Nicator rex condidit intra lapidem nonageſimum: vide Plinium ibidem, & Strabonem Lib. XVI. pag. 738. Sed de hoc Iſaiæ vaticinio, eiuſque complemento, abunde diſſeruimus in Antichriſto Lib. III. cap. XXIII.

V. 20. Non habitabitur uſque in finem. Heb. *Non ſedebit*, vel *non habitabit*. Sic verbum ישב *iaſchab*, in Kal etiam locis ipſis habitatis tribuitur, ac ſignificat quod Latine dicimus, *non ſtabit, non permanebit, non erit habitabilis, non habitabitur*. Quidam: *non conſidebit in æternum*. Alii: *non habitabit*, ſubaudi in ea homo, vel incola. Sic verbum ſequens. Nec ponet, ſeu *figet*, ibi tentoria Arabs. Nimirum, Attali latrones, Arabum gens, Scenitæ, Nomades Arabiæ, Babyloniæ contermini, de quibus Plinius Lib. VI. cap. XXVI. Nec paſtores requieſcent ibi. Heb. *& paſtores non accubare facient ibi*. Quidam: *& paſtores non facient ut recubent ibi greges*.

V. 21. Beſtiae. ציים *tziim*, proprie *ſicci*; hic accipi notant univerſe pro feris ſeu beſtiis, degentibus in ſiccis, aridis, arenoſis locis, quales ſunt Arabiæ ſolitudines ac deſerta. Quidam ſingulariter *ſimias* eſſe volunt, alii, *dracones*, quod natura aridi & ſicci ſint, ob idque frigidiſſimum elephantorum ſanguinem appetant, ut inquit Plinius Lib. VIII. cap. XII. Alii: *Lamias*. Quidam exiſtimant a Ioanne Apocalypſ. XVIII. 2. reddi *dæmonia & ſpiri-*

tus

Digitized by Google

rus immundos. Plerique *beſtias ſilveſtres*, ſeu *fera animantia* reddunt. Nonnulli, *animalia horrenda*. Draconibus. אוחים *ochim*, Forſterus: *Non pluralis numeri tantum, de cuius ſignificatione plurimum variant Interpretes. Arbitror ego, ſalvo tamen aliorum iudicio, generale eſſe nomen ad omnes aves ferales, quæ alio nomine* איים *iiim, vocantur, & dictas ab* האח *beach, triſta & gemebunda acclamatione, qua invicem & ſimul vociferantur: & habere cognationem cum verbo* אנח *anach, gemuit*. Iſtud ſequuntur Forerius, & Mercerus. Reuchlinus: *Oach, beſtiam quamdam monſtroſi generis ſignificat: ſed quo apud Latinos appelletur nomine*, vel *cuius ſit naturæ, nihil certi potuerunt Interpretes invenire. Hieronymus tranſtulit* draconibus, *Aquila* typhonibus. *Symmachus, & Ionathan Chaldæus verbum ipſum Hebræum ochim, abſque interpretatione dimiſerunt*. LXX. & *Theodotion traduxerunt* clamores, *vel* ſohitus. *Alii*, martichoras, *& Barbari vocant* marder. *Multi Hebræorum dicunt eſſe* feles marinos: *Præceptor meus expoſuit* cercopes, ſimias. *Nicolaus de Lyra putat aves eſſe magnas ſolitudinem amantes*. Sanctes: *Ochim, plurale, ſunt furunculi, ut dicunt nonnulli: alii dicunt eſſe* muſtelas, *quæ vernacula lingua dicuntur* martore, *Gallice* martres: *& in Thalmud appellatur hoc animalis genus* נמיה *nemiiah, & eſt inſtar felis, id eſt* cati. Furunculum Hiſpanice appellamus *Huron*. Pomarius: *Ochim, ſimiæ, feles, muſtelæ*. Avenarius: *Ochim, beſtiæ monſtroſæ, lynces, & dicuntur a ſonora & gemebunda voce*, ſeu *ululatu quo invicem & ſimul vociferantur*. Montanus: *Ochim, viverras docti omnes eſſe aiunt, in quarum genere muſtelæ etiam ſunt: has ſcimus etiam in ruinis & antiquis ædificiis verſari, utpote quæ lacertarum, murium, ſtellionum, & aliorum immundiſſimorum animantium, & inſectorum captu vivant, quorum copia in veteribus ruinis gignitur maxima*. Vatablus: *Ochim, furunculi, viverræ, Gallice, furets*: muſtelas *quidam eſſe volunt*: alii cercopithecos, ſimias caudaras. *Quidam Hebræorum dicunt beſtias eſſe, quas qui vident, obſtupeſcit*. Marinus conjectatur *Ochim* non eſſe nomen alicuius animalis, vel avis, ſed vocem naturalem illorum animantium, quæ paulo ante vocantur *tziim*, de quibus dixerat quod cu- baturi eſſent ibi, & eas domos repleturi his vocibus, *Ochim, Ochim*. Buxtorces, *aves ferales*, vel *animalia terribilia* exponit. Tremellius, & Iunius participium eſſe exiſtimant, ductum ex interiectione אח *ach*, dolentis, id eſt *facientes ach*, hoc eſt, *dolorem & malum hominibus afferentia animalia*; unde reddunt: *& implebunt domos eorum noxia animalia*. Hæc longius annotare placuit, ut quanta ſit iſtius vocis, quæ non alibi in Scriptura reperitur, obſcuritas, perſpicue intelligatur. Nos ſententiam Forſterii magis probamus. Nec prorſus aliene, *bubones* acceperis a *ferali cantu*. Virgilius AEneidos IV.

—— *ferali carmine bubo*.

Struthiones, Heb. *filiæ ſtruthionis*: vide in Levit. xvi. Et pilosi. שעירים *ſchegbirim*, vide in Levit. xvii. 7. Varie hic reddunt: 1. *hirci ſilveſtres*. 2. *Satyri, Fauni*. Solent enim eiuſmodi piloſa & hirſuta ſpectra apparere in locis deſertis: 3. *dæmones*, quod & horridi ſint, & horrorem incutiant apparentibus: & in huiuſmodi hirſutis formis Satyrorum, & hircorum ſoleant ſe præbere viſendos. 4. Aben-Ezra hic annotat, præſtare ut intelligantur aves horrendæ deſertorum locorum, quam hirci ſilveſtres, dæmones, Fauni, aut ſimilia monſtra. Et certe Apocalypſ. xviii. 2. *aves immundæ & inviſæ* videntur intelligi. 5. Nonnulli ea voce comprehendi volunt omne ferum animalis horridumque genus, quale eſt leonum, urſorum, luporum, vulpium, &c. 6. Tremellius, Iunius, Buxtorfius: *& ſcopes, vel copes ſaltabunt ibi. Aves deformes motu Satyrico, olim inauſpicatæ, voce incondita, quarum meminit Homerus ſub initium Odyſſeæ Lib. V. Latini etiam aſiones vocant, Galli appellatione, dominas: quæ avis eſt imitatrix ac paraſita; & quodam genere ſaltatrix, ut loquitur Plinius Lib. X. cap.* xxiii. *Quamobrem nos habita ratione proxime præcedentis membri, & huic adiuncti verbi, malumus ſic interpretari, quam ad Satyros, Faunos, Tragopanades, aut eiuſmodi portenta accommodare*. De *ſcopibus* vide Plinium Lib. X. cap. xlix. & Notas Delecampii ibidem. AElianum Libro XV. de Natura Animalium cap. xxviii. Athenæum Lib. IX. cap. x. Cælium Rhodiginum Lib. XII. Lectionum Antiquarum, cap. xiv. De *Aſione* ſeu

Oto, vide Levit. XI. 19.

V. 22. ET RESPONDEBUNT. Heb. ſingulare, *& cantabit*; pro, & cantabunt, ſeu *alternis canent*. Nonnulli: *& reſponſabunt*. Alii: *& clamabunt*, *vociferabuntur*. ULULAE. איים *iiim*, plerique plurale faciunt ab אי *i*, inſula, & *inſulares*, ſeu *inſulanas aves* exponunt. Alii, *feles*, vel *catos ſilveſtres*; alii, *muſtelas ſilveſtres*: nonnulli, *picas*; quæ Italice *agaſſæ*, & Gallice *piverts*, Hiſpanice *picazas* dicuntur. Aliqui, *ſtriges*. Nec deſunt qui, *bubones*. Forſterus: *aves ferales*, *quæ in ſiccis & deſolatis locis habitant*. Tremellius, & Iunius ſingulare eſſe volunt ab אים *aiam*, & *terrificum animal* exponunt, id eſt *draco*: nam Propheta primum de quadrupedibus, tum de volucribus egit ſuperiore verſu, nunc de reptilium genere. Haud abſurde quis exiſtimarit eſſe plurale nominis איה *aiiah*, certæ ſpeciei avis, de qua vide in Levit. XI. 14. unde poſſis hic reddere: *vultures*, ſeu *accipitres tinnunculos*. Noſter cum aliis *ululæ* dixit, ab interiectione אי *i*, *væ*. Eccle. IV. 10. & X. 16. a clamore & ululatu ſic dictæ. IN AEDIBUS EIUS. אלמנות *almenoth*, idem eſſe volunt quod ארמנות *armenoth*, *Res* in *Lamed* converſa uſu Chaldaico, *palatia*, *arces*, *ædes magnificæ*. Alii *mœnia* interpretantur, conſentiente voce Hiſpanica, *almenas*. Quidam reddunt: *in viduatis palatiis eius*, hoc eſt deſertis & deſolatis: ut ſignificationem habet ab אלמון *almon*, *viduus*, & ארמון *armon*, *palatium*. Aptius reddes: *in deſolatis mœnibus eius*, id eſt in ruinis & parietinis murorum. ET SIRENES. Heb. *& dracones*. תנים *tannim*. Vide in Geneſ. I. 21. proprie eſt ſingulare, *draco*. Quidam reddunt: *& ſerpens*; id eſt, omnis ſerpentis genus: vide Exod. VII. 12. IN DELUBRIS VOLUPTATIS. Heb. *in baſilicis*, *palatiis*, *regiis*, *dominicis*, *aulis*, *templis*, *atriis*, *delicii*, *voluptatis*, *oblectationis*. Aliqui reddunt: *in templis voluptuariis*. Alii: *in palatiis voluptuoſis*.

MENOCHII.

Verſ. 2. ONUS: ſic appellatur a Prophetis prophetia triſtis, & calamitoſa. MONTEM: intelligit Babylonem ob magnificentiam, & faſtum palatiorum, turrium, murorum &c. CALIGINOSUM: quia Babylon loco humido ſita iuxta flumen Euphratem, ex quo elevabatur caligo: vel certe ob caliginem errorum, & idololatriæ. LEVATE SIGNUM. Hic Deus quaſi claſſicum canit, eoque Darium, ac Cyrum cum Perſis, & Medis evocat ad excidium Babylonis. EXALTATE VOCEM: ut facere ſolent milites cum civitatem aliquam invadunt. LEVATE MANUM: contra urbem, veſtro gladio, direptioni, & triumpho devotam.

V. 3. SANCTIFICATIS MEIS: Medis, & Perſis a me deſtinatis, & quaſi conſecratis militibus ad hoc bellum, & ſanctam vindictam Dei complendam. IN IRA MEA: Babyloni iratus. EXULTANTES IN GLORIA MEA: quia ſcilicet ego illis glorioſas victorias dedi.

V. 4. VOX MULTITUDINIS; quaſi dicat: Videor mihi in ſpiritu audire, & videre turbas, & tumultus Perſarum, & Medorum contra Babylonem turmatim advenientium.

V. 5. A SUMMITATE CAELI; quaſi dicat: Venient Perſarum copiæ ab extremitate terræ, ubi videtur terra cælum tangere. DOMINUS, ſcilicet adeſt ulturus ſceleta Babylonis. ET VASA FURORIS EIUS, id eſt inſtrumenta iræ eius, ſcilicet Darius, & Cyrus cum ſuis exercitibus. OMNEM TERRAM, ſcilicet Babyloni ſubiectam.

V. 6. DIES DOMINI: quo ſtatuit Babylonis ſcelera ulciſci. QUASI A DOMINO: vaſtitas, & excidium, quale ab omnipotenti Deo, & ſumme irato timeri poteſt.

V. 7. MANUS DISSOLVENTUR: propter timorem. CONTABESCET: eodem timore, & mœrore propter malorum magnitudinem.

V. 8. TORSIONES, ET DOLORES TENEBUNT: dolore torquebuntur. AD PROXIMUM SUUM: converſus, ut ſolent homines rebus perditis, & afflictis. FACIES COMBUSTAE: aridæ, luridæ & nigræ. Ita dictum a Chriſto, *Areſcentibus hominibus præ timore*: Lucæ XXI. 26.

V. 9. DIES DOMINI: eodem ſenſu, quo n. 6. Ad litteram hæc dicuntur de excidio Babylonis, optime tamen conveniunt etiam extremo iudicii diei. CRUDELIS; ſcilicet impiis ſæva videtur divina iuſtitia, LXX. habent, *inſanabilis*. DE EA, ſcilicet eiectos.

V. 10.

V. 10. Quoniam stellae, &c. eſt hyperbole, & hypallage. Ita affligentur Babylonii, ut cæli & ſtellarum lux illis videatur in caliginem verti.

V. 11. Visitabo, puniam. Super orbis mala: Babylonem intelligit, quia ob frequentiam hominum, opificum, & mercium, quaſi parvus quidam mundus videbatur. Contra impios iniquitatem eorum, ſcilicet viſitabo. Quiescere, ceſſare. Infidelium. Chald. *impiorum*. LXX. *iniquorum*. Fortium, potentium.

V. 12. Pretiosior erit vir auro: ideoque Medi, & Perſæ aurum non accipient, ut vitam, aut libertatem non eripiant. Vide infra n. 17. Et homo, &c. repetitio eiuſdem ſententiæ. Mundo obrizo: auro mundiſſimo, & puriſſimo. Heb. & *auro ophir*, id eſt optimo.

V. 13. Super hoc, id eſt propter hoc, ſcilicet ut ulciſcar. Turbabo, tenebris. Movebitur terra: afflictis enim videtur terra, & cælum moveri, rotari, & confundi. Hic loquendi modus in Scriptura magnam Dei iram, hominumque calamitatem ſignificat.

V. 14. Erit quasi damula fugiens: exercitus Chaldæorum fugiet veniente Cyro, ſicut damula, & ovis inermis, & imbecillis fugit ad rugitum leonis, vel lupi. Qui congreget, ſcilicet ut ſervet; quaſi dicat, Fruſtra fugient, nec enim poterunt evadere. Unusquisque ad populum suum convertetur: loquitur de exteris, & auxiliaribus copiis, quæ Babylonios deſerent, & ad ſuos ſe recipient.

V. 15. Qui supervenerit: *qui ſe adiunget*, ut vertit Pagninus, ſcilicet Babyloniis.

V. 17. Qui argentum non quaerant: vide ſupra numero 12.

V. 18. Super filios: parvulis pueris, & infantibus. Et erit Babylon: exciſa, & everſa

V. 20. Usque in finem. LXX. *in æternum*. Usque ad generationem, &c. LXX. *per multas generationes*: eſt repetitio, vel explicatio præcedentis; numquam enim rediit ad priſtinum ſplendorem. Nec ponet ibi tentoria Arabs: timens latrones, aut feras in ruinis Babylonis latentes, ut patet ex ſequentibus.

V. 21. Pilosi: fauni, & Satyri, dæmones ſcilicet, qui in deſertis locis apparent hirſuti ſpecie hircorum. Saltabunt: ut ſolent hœdi laſcivientes.

V. 22. Respondebunt: alternis canent, hoc eſt, variis locis ut una alteri reſpondere videatur. Ululae: nocturnæ aves. Itali appellant *Barbagiani*. Sirenes. Chald. *dracones*, LXX. *Ericii*, Heb. eſt, תנים *thannim*, id eſt ut ait S. Hieronymus, dæmones, aut monſtra, aut dracones magni, criſtati, & volantes. In delubris voluptatis: *in palatiis voluptuoſis*, ut vertit Vatablus.

T I R I N I.

Verſ. 1. Onus; id eſt, prophetia calamitoſa & triſtis, quam quaſi grave onus & pondus pœnarum imponit Deus & Propheta humeris reorum.

V. 2. Super montem caliginosum, id eſt contra Babylonem, quæ licet in loco campeſtri ſita eſſet, *mons* tamen vocatur ob ſuperbiam & magnificentiam palatiorum, turrium & murorum. *Caliginoſus* autem partim propter idololatriæ & omnium rerum in ea caliginoſam confuſionem, inquit S. Hieronymus; partim propter vapores & denſas nebulas, quæ ex Euphrate & locis paluſtribus, ubi urbs ſita erat, in altum elatæ aerem plerumque nubilum & caliginoſum reddebant, inquit Cornelius a Lapide; idque maxime ex ea urbis parte ubi hortos penſiles induxit Nabuchodonoſor in gratiam Nitocris uxoris ſuæ, de quibus Ioſephus & Curtius *a*. Levate signum militare; Hebraice, *vexillum*: exaltate vocem, id eſt clamare, vociferamini, ut ſolent milites dum in hoſtem invehuntur: levate manum contra Babylonem veſtro gladio, direptioni & triumpho devotam. Voces ſunt Dei quaſi claſſicum canentis, eoque Darium ac Cyrum cum Medis & Perſis ad exſcindendam Babylonem evocantis; unde etiam nominat eos.

V. 3. Sanctificatos suos, id eſt a ſe deſtinatos, & quaſi conſecratos milites ad hoc ſanctum bellum: exultantes in gloria mea, id eſt in glorioſa vindicta & victoria ipſis per me conceſſa. Porro excitis undique ad hanc expeditionem

Perſis & Medis, ſubdit Iſaias: Ecce tibi ſubito

V. 4. Vox MULTITUDINIS IN MONTIBUS, &c. quaſi dicat: Videre & audire illos videor ſummo cum ſtrepitu undique advolantes.

V. 5. A SUMMITATE CAELI, id eſt ab extremitate hemiſphærii noſtri, ubi opinione vulgi, & ex ſententia S. Chryſoſtomi & Lactantii *b*, cælum terminari & terræ connecti videtur. DOMINUS, ſcilicet adeſt accinctus ad ultionem ſcelerum Babylonis: ET VASA, id eſt inſtrumenta iræ & FURORIS EIUS, nempe Cyrus & Darius cum ſuis copiis, armis & equis, quaſi lictores Dei advolant.

V. 8. FACIES COMBUSTAE, id eſt aridæ, luridæ, nigræ ex pavore, mœrore, inedia, perinde ac ſi eſſent combuſtæ. Sic Nahum. II. *Erant ficut nigredo ollæ*: & Ioel. II. *Vultus redigentur in ollam*.

V. 10. STELLAE CAELI NON EXPANDENT LUMEN SUUM. Eſt hyperbole qua Prophetæ ſolent indicare extremam cladem, calamitatem & afflictionem. Afflictis enim ob capitis vertiginem & animi deliquium ex ſpirituum vitalium & animalium retractione ad cor, omnia videntur tenebreſcere, volvi & inverti. Porro in die iudicii hæc etiam ad litteram contingent, ut & illa quæ verſ. 13. dicentur.

V. 12. PRETIOSIOR, id eſt rarior, inquit Adamus, ERIT VIR AURO: nam pene omnes occidentur a Medis & Perſis. Vel *pretioſior*, id eſt carior erit Medis, ut dicit verſ. 17. quaſi dicat: Ferus & barbarus miles malet ſanguinem haurire & vitam perdere, quam in lytrum accipere etiam plurimum auri: ita Vatablus & Sanchez. Pro MUNDO OBRIZO, Hebraice eſt *maſſa auri ex ophir c*.

V. 14. ET ERIT exercitus Chaldæorum, Cyro victore, FUGIENS QUASI DAMULA inermis & imbellis ad rugitum leonis.

V. 19. SICUT SUBVERTIT DOMINUS SODOMAM, ſic ſubvertet & funditus exſcindet gloriam & *ſuperbiam* CHALDAEORUM.

V. 20. NON FUNDABITUR, id eſt non iterum inſtaurabitur Babylon, ſed ſuis involuta manebit ruinis, ut patet uſque in præſentem diem. Nam incenſis & deſtructis palatiis ac turribus Babylonis, tranſlato ad Perſas imperio, deſerta paulatim eſt urbs univerſa, & haud procul inde condi cœpta urbs alia, quæ ſequentibus ſæculis a rege Aſiæ Seleuco *Seleucia* dicta fuit, & in urbem ſplendidam excrevit, Babylone in ruinis ſuis relicta. Quæ non ſolum nullam urbis faciem retinebit, ſed neque ad paſcua utilis erit: NEC PONET IBI TENTORIA ARABS pecoris alendi cauſa: cum tamen *Chaldæa* vicina ſit *Arabiæ*, ac proinde paſtoribus Arabibus admodum opportuna accideret; ſed ob ruinas horridas & hiulcas plenas leonibus & draconibus inacceſſa erit gregibus & paſtoribus.

V. 21. SALTABUNT IBI PILOSI *d*, id eſt Fauni & Satyri; Chaldæus & LXX. *dæmones*, qui in ſilvis & deſertis locis ſolent hirſuti ſpecie hircocervorum, & ſimilium animalium immundorum, quaſi dii nemorum, viatoribus apparere.

V. 22. ET SIRENES. Monſtra aquatica, ore & pube tenus virgines, inferne piſces; qualis noſtro ſæculo in Friſia captus, vixit inter homines multis annis, didicitque nere, inquit a Lapide. Nempe etiam hæc monſtra ex vicino flumine vel lacubus emergent, & terrorem periculumque creabunt accedere volentibus. Similibus pene verbis dicitur Apoc. XVIII. *Cecidit, cecidit Babylon illa magna, & facta eſt habitatio dæmoniorum, & cuſtodia omnis ſpiritus immundi*. Tropologice, ſiren eſt dæmon ad voluptatem illiciens, inquit S. Ambroſius *e* & Baſilius.

(a) Ioſeph. Lib. X. Antiq. cap. [XIII.] Curtius Lib. V.
(b) Chryſoſt. Lactant & alii citati a Ioſeph. Acoſta Lib. I. de Novo orbe cap. I.
(c) II. Par. VIII. 18.
(d) Iſaiæ XXXIV. 14.
(e) Ambr. Lib. IV. in Lucam initio.

G O R D O N I.

Verſ. 1. BAbylonem vocat montem caliginoſum: erat Babylon in loco campeſtri, tamen in hoc vaticinio recte mons vocatur ob ſuperbiam & luxum: & quidem caliginoſus ex natura loci paluſtris, & humidi. Caliginis etiam cauſam dant aliqui: hortos Babyloniorum penſiles, ex Ioſeph. Lib. X. Antiq. cap. XIII.

V. 2.

Digitized by Google

V. 2. Levate signum. Iſaias claſſicum canit, tuba excitans Darium & Cyrum in Babylonios, & e Perſide milites ſanctificaros, ſeu deſtinatos ad hoc bellum: *a ſummitate cæli*]; hoc eſt ab extremo terræ more vulgi putantis cælum terminari ad fines terræ.

V. 6. *& deinceps*. Ululate, &c. Promovet vaticinium de excidio Babylonis, quod auget crebra hyperbole, v. 10. & 15.

V. 20. *uſque ad finem*. Usque ad generationem; ſeu uſque in generationem. Hebr. לנצח *lanetſab*, *in perpetuum*. LXX. *αἰῶνα*. Certe numquam redierunt ad priſtinum ſtatum: ſcribit Hieronymus ſuo tempore habiratam a beſtiis Babylonem. Piloſi hic apud LXX. ſunt dæmones, ut ſolent apparere in ſpecie hircorum; ululæ ſunt aves: pro ululis LXX. habent centauros. Sirenes Ericii ſunt apud LXX.

Ex Eiusdem Auctario.

Verſ. 4. Multitudinem, turmas Perſarum inſurgentium contra Babylonem.

Verſ. 12. Pretioſior; ac ſi diceret: Medi & Perſæ aurum non accipient, ut parcant vitæ hominum.

CAPUT XIV.

Vaticinium de Iudæorum conſolatione & a Babylonica captivitate liberatione, Babyloniorumque contritione: quorum ingens ſuperbia, amplitudo dominii & crudelitas explicantur, una cum punitione Philiſthinorum, ac ceterorum qui ob calamitatem Iudæorum lætati ſunt.

1. PRope eſt ut veniat tempus eius; & dies eius non elongabuntur. Miſerebitur enim Dominus Iacob, & eliget adhuc de Iſrael, & requieſcere eos faciet ſuper humum ſuam: adiungetur advena ad eos, & adhærebit domui Iacob. 2. Et tenebunt eos populi,
& adducent eos in locum ſuum: & poſſidebit eos
domus Iſrael ſuper terram Domini in ſervos & ancillas: & erunt capientes eos qui ſe ceperant, & ſubiicient exactores ſuos.
3. Et erit in die illa: cum requiem dederit tibi Deus a labore tuo, & a
concuſſione tua, & a ſervitute dura, qua ante ſerviſti: 4. ſumes parabolam
iſtam contra regem Babylonis, & dices: Quomodo ceſſavit exactor, quievit
tributum? 5. Contrivit Dominus baculum impiorum, virgam dominantium,
6. cædentem populos in indignatione, plaga inſanabili, ſubiicientem in furore
gentes, perſequentem crudeliter. 7. Conquievit & ſiluit omnis terra, gaviſa
eſt & exultavit: 8. abietes quoque lætatæ ſunt ſuper te, & cedri Libani: ex
quo dormiſti, non aſcendet qui ſuccidat nos. 9. Infernus ſubter conturbatus
eſt in occurſum adventus tui, ſuſcitavit tibi gigantes. Omnes principes terræ
ſurrexerunt de ſoliis ſuis, omnes principes nationum. 10. Univerſi reſpondebunt, & dicent tibi: Et tu vulneratus es ſicut & nos, noſtri ſimilis effectus
es. 11. Detracta eſt ad inferos ſuperbia tua, concidit cadaver tuum: ſubter
te ſternetur tinea: & operimentum tuum erunt vermes. 12. Quomodo cecidiſti de cælo lucifer, qui mane oriebaris? corruiſti in terram, qui vulnerabas
gentes? 13. qui dicebas in corde tuo: In cælum conſcendam, ſuper aſtra
Dei exaltabo ſolium meum, ſedebo in monte teſtamenti, in lateribus Aquilonis.

Digitized by Google

lonis. 14. Aſcendam ſuper altitudinem nubium, ſimilis ero Altiſſimo. 15. Ve-
rumtamen ad infernum detraheris in profundum laci: 16. qui te viderint,
ad te inclinabuntur, teque proſpicient: Numquid Iſte eſt vir, qui conturba-
vit terram, qui concuſſit regna, 17. qui poſuit orbem deſertum, & urbes
eius deſtruxit, vinctis eius non aperuit carcerem? 18. Omnes reges gentium
univerſi dormierunt in gloria, vir in domo ſua. 19. Tu autem proiectus es
de ſepulcro tuo, quaſi ſtirps inutilis pollutus, & obvolutus cum his qui in-
terfecti ſunt gladio, & deſcenderunt ad fundamenta laci, quaſi cadaver pu-
tridum. 20. Non habebis conſortium, neque cum eis in ſepultura: tu enim
terram tuam diſperdidiſti, tu populum tuum occidiſti: non vocabitur in
æternum ſemen peſſimorum. 21. Præparate filios eius occiſioni in iniquitate
patrum ſuorum: non conſurgent, nec hereditabunt terram, neque implebunt
faciem orbis civitatum. 22. Et conſurgam ſuper eos, dicit Dominus exerci-
tuum: & perdam Babylonis nomen, & reliquias, & germen, & progeniem,
dicit Dominus. 23. Et ponam eam in poſſeſſionem ericii, & in paludes aqua-
rum, & ſcopabo eam in ſcopa terens, dicit Dominus exercituum. 24. Iura-
vit Dominus exercituum, dicens: Si non, ut putavi, ita erit: & quomodo
mente tractavi, 25. ſic eveniet: Ut conteram Aſſyrium in terra mea, & in
montibus meis conculcem eum: & auferetur ab eis iugum eius, & onus il-
lius ab humero eorum tolletur. 26. Hoc conſilium, quod cogitavi ſuper om-
nem terram, & hæc eſt manus extenta ſuper univerſas gentes. 27. Dominus
enim exercituum decrevit: & quis poterit infirmare? & manus eius extenta:
& quis avertet eam? 28. In anno, quo mortuus eſt rex Achaz, factum eſt
onus iſtud: 29. ne læteris Philiſthæa omnis tu, quoniam comminuta eſt vir-
ga percuſſoris tui: de radice enim colubri egredietur regulus, & ſemen eius
abſorbens volucrem. 30. Et paſcentur primogeniti pauperum, & pauperes fi-
ducialiter requieſcent: & interire faciam in fame radicem tuam, & reliquias
tuas interficiam. 31. Ulula porta, clama civitas: proſtrata eſt Philiſthæa
omnis: ab Aquilone enim fumus veniet, & non eſt qui effugiet agmen eius.
32. Et quid reſpondebitur nuntiis gentis? Quia Dominus fundavit Sion, * &
in ipſo ſperabunt pauperes populi eius.

B R U G E N S I S

Romana Correctio.

Verſ. 32. *Et in ipſo ſperabunt pauperes populi eius*. Correctores prætulerunt maſculinum *ipſo*, feminino *ipſa*, quod in aliis eſt libris.

C O M M E N T A R I A

M A L D O N A T I.

Verſ. 1. PROPE EST UT VENIAT TEMPUS EIUS (Babylonis,) id eſt, quo Babylonii puniantur, poſtquam per eos Iudæi & Iſraelitæ puniti fuerint. ET DIES EIUS, id eſt quibus deſtruenda eſt, non longe abſunt: vel, DIES EIUS NON ELONGABUNTUR, id eſt non diu ſtabit. MISERABITUR ENIM, id eſt non permittet populum ſuum diutius a Babyloniis dura ſervitute vexari. ET ELEGIT ADHUC; id eſt, non omnes ſinet in captivitate illa mori: ſed aliquas eorum reliquias ſalvas faciet, & in terram ſuam reducet. Hæc & de liberatione Iudæo-

dæo-

dæorum a Babylonica captivitate, & de Eccleſia intelliguntur, quæ ex Iudæis ſimul & gentibus erat colligenda. ET REQUIESCERE EOS FACIET SUPER HUMUM, id eſt in terra ſua, id eſt dabit illis pacem, & tranquillitatem Eccleſiæ. ADIUNGETUR; id eſt, aliqui etiam ex Babyloniis, apud quos captivi fuerant Iudæi, ſequentur eos in terram ſuam revertentes, illiſque ſervient. Myſtice vero, etiam Gentiles Eccleſiæ Catholicæ aggregabuntur; hæc enim eſt domus Iacob.

V. 2. ET TENEBUNT EOS POPULI: ולקחום עמים, *& accipient eos* (Iudæos) *populi* (gentiles) id eſt, ſuis quodammodo manibus apprehenſos reducent in terram ſuam, honoris cauſa eos comitantes, aut neceſſitate eos ſequentes pulſi de ſedibus ſuis. ET POSSIDEBIT EOS, והתנחלום, *& hereditabit eos domus Iacob*; id eſt, tamquam propriam hereditatem eos poſſidebit, SUPER TERRAM. Hebr. *in terra Domini*, id eſt in Ieruſalem. Myſtice, in Eccleſia. ET ERUNT CAPIENTES; id eſt, captivos ducent Babylonios, a quibus ante captivi ducti fuerant, & tributum ab eis exigent, quibus ante tributum ſolvebant.

V. 3. ET A CONCUSSIONE TUA. Heb. ומרגזן *& a tremore tuo*, id eſt ab eo metu, quo ſub Babyloniorum imperio tremebas.

V. 4. SUMES PARABOLAM, id eſt cantilabis allegoricam hanc cantionem in contemptum regis Babylonis. QUOMODO CESSAVIT, id eſt ſuperatus eſt & victus. EXACTOR: rex Babylonis qui a nobis tributa exigebat. QUIEVIT TRIBUTUM. Heb. שבתה מרבה, *ceſſavit exactrix auri*, ſcilicet Babylon, vel auri cupida, vel auro abundans.

V. 5. CONTRIVIT DOMINUS BACULUM, id eſt fregit potentiam & dominationem.

V. 6. CAEDENTEM POPULOS (contrivit Dominus) PLAGA INSANABILI. Heb. בלתי סרה, *& non recedet*, id eſt plaga perpetua. PERSEQUENTEM. Hebr. מרדף בלי חשך, *perſecutionem patientem non prohibuit*; id eſt, eum qui non liberabat, eum qui perſecutionem patiebatur; vel active, מרדף mutatis punctis, ut videtur noſter Interpres legiſſe, *perſequentem ſine ulla prohibitione*.

V. 7. CONQUIEVIT, id eſt paccata eſt, GAVISA EST, Hebr. פצחו רנה, *perſonuerunt laudem*: plur. pro ſingulari, id eſt, tota terra laudem Deo cecinit.

V. 8. ABIETES QUOQUE, id eſt reges, ET CEDRI LIBANI, id eſt potentes principes lætati ſunt ſuper te, id eſt interitu tuo. Reges circumvicinos, quos rex Babylonis ſolebat vexare bellis, metaphorice vocat abietes & cedros, quia ceteris hominibus eminent, ſicut abietes & cedri ceteris arboribus. EX QUO DORMISTI, (dicentes) Heb. שכבת, *iacuiſti*. NON ASCENDIT, id eſt nemo eſt qui nos bellis affligat.

V. 9. INFERNUS SUPER TE. Heb. מתחת, *ſubtus*, turbatus, non ſolum vivi, ſed etiam mortui tuo exitio lætati ſunt, proceſſeruntque tibi obviam in infernum deſcendenti gratulantes de morte tua. Alludit ad morem communem excipiendi magno apparatu reges adventuros. Itaque verbum רגזה, *turbatus eſt*, aut *tremuit*, non ſignificat hoc loco metum, ſed ſubitam lætitiam, qua etiam civitas turbari ſolet adveniente rege. SUSCITAVIT TIBI, id eſt obviam miſit. GIGANTES, Hebr. רפאים, *mortuos*. OMNES PRINCIPES, עתודי, ad verbum, *hirci terræ*, id eſt reges, qui dominantur in terra, ſicut hircus in grege. SURREXERUNT: הקים, *ſurgere fecit*, infernus, de loco ſuo. Fingit per proſopopœiam reges in inferno etiam in ſoliis ſedere, eoſque infernum iuſſiſſe aſſurgere regi Babylonis advenienti ut maximo omnium.

V, 10. UNIVERSI RESPONDEBUNT. Heb. יענו, *acclamabunt*. ET TU VULNERATUS: חלית, *infirmus factus es*.

V. 11. DETRACTA EST, id eſt deiecta: ut Luc. x 15. *Et tu Capharnaum uſque ad cælum exaltata, uſque ad infernum demergeris*. CONCIDIT: המית נבליך, *ſonitus nablorum tuorum* (detractus eſt,) id eſt, delitiæ tuæ perierunt. Synecdoche, ex parte totum. SUBTER TE STERNETUR TINEA, רמה, *vermis*. ET OPERIMENTUM TUUM, Heb. ומכסיך תולעה, *& operiet te vermis*: elegans metaphora & periphraſis lecti; id eſt, ſub te & ſuper te vermes erunt; quaſi dicat: Loco pretioſi ac voluptuoſi lecti quo ante utebare, nunc lectus tuus totus ex vermibus conſtabit: & culcitra & ſtragula erunt vermes.

V. 12.

Digitized by Google

V. 12. QUOMODO CECIDISTI LUCIFER. Notiſſima & ſplendidiſſima ſtella eſt Venus appellata, quæ mane oritur, cui Propheta comparat regem Babylonis propter eius ſplendorem & gloriam. Theologi hunc locum ad Luciferum malòrum angelorum principem transſerunt, qui ſuperbia e cælo cecidit. Heb. בן שחר, *fili auroræ*. CORRUISTI: נגדעת, *deiectus es in terram*: חולש, *qui debilitabas gentes*, id eſt qui alios deiiciebas.

V. 13. QUI DICEBAS. Deſcribit ſuperbiam regis Babylonis. SUPER ASTRA DEI, id eſt altiſſima: ſicut montes Dei dicuntur qui altiſſimi ſunt. SEDEBO IN MONTE TESTAMENTI, מועד, *congregationis*, id eſt in monte Sion, qui Ieroſolymæ eſt, ubi ſolent Iudæi congregari: per hanc autem terreſtrem Ieruſalem, cæleſtem illam intelligit: nam de cælo loquebatur. IN LATERIBUS. Sion comparatione Ieruſalem ad Aquilonem erat.

V. 15. VERUMTAMEN IN INFERNUM DETRAHERIS: תורד, *deprimeris*. IN PROFUNDUM. אל ירכתי בוד, *ad latera laci*; id eſt, quia dixiſti, In cælum conſcendam, in infernum detruderis: quia dixiſti, In lateribus Aquilonis ponam ſolium meum, ad latera inferni deſcendes.

V. 16. QUI TE VIDERINT (in inferno) AD TE INCLINABUNTUR: שנחן, *aſpicient te*, & contemplabuntur; ac dicent: Numquid non iſte eſt qui turbavit, מרגיז, *qui tremefaciebat* terram, & concutiebat terrore regna?

V. 17. VINCTIS EIUS: אסיריו, *vinctis ſuis*; id eſt, iis quos vinctos habebat, numquam libertatem dedit.

V. 18. OMNES REGES. Deſcribit ignominioſam mortem regis Babylonis per comparationem cum ceteris regibus. UNIVERSI DORMIERUNT: שכבו, *iacent*, *iacere ſolent*, id eſt ſepeliri honorifice. VIR IN DOMO. Hebraiſmus, id eſt unuſquiſque in ſepulcro ſuo: eſt enim ſepulcrum domus mortuorum: Pſal. XLVIII. 12. *Sepulcrum eorum domus eorum in æternum*.

V. 19. TU AUTEM PROIECTUS ES, id eſt extractus ex ipſo ſepulcro, in quo iam iacebas, QUASI STIRPS INUTILIS, נתעב, *abominabilis*, aut, ככצר, *ut germen abominabile*, id eſt ut homo, ut generatio indigna ſepulcro. Hebraiſmus, *Ut generatio mala, & adultera*: Matth. XII. 39. aut, כנצר *ut tabes*, ſicut Hieron. interpretatur. Tradunt Hebræi Nabuchodonoſorem effoſſum fuiſſe e ſepulcro ab Evilmerodach filio ſuo, ut Babyloniis non credentibus eſſe mortuum fidem faceret. Ego alium arbitror eſſe ſenſum. PROIECTUS ES DE SEPULCRO TUO; id eſt, ita non haberes ſepulcrum: מ enim negationem ſignificat. POLLUTUS, לבוש, *ſicut veſtis interfectorum, qui gladio confoſſi ſunt*; id eſt, ſicut qui bello ceciderunt non ſepeliuntur, ſed veſtiti ac ſauciati in foſſam aliquam coniiciuntur. ET DESCENDERUNT: יורדי, *deſcendentes*, אל אבני־בור, *ad lapides foſſæ*; id eſt, qui ſicut lapides, aut loco lapidum ad exaggerandam foſſam coniiciuntur. QUASI CADAVER: מבגס, *conculcatum*. Non legimus hoc ulli regi Babylonis accidiſſe, ſed quia Deus prædixit, accidiſſe credendum eſt.

V. 20. NON HABEBIS CONSORTIUM: לאתחד, *non ſociaberis illis*; id eſt, non ſepelieris in ſepulcris regum. NON VOCABITUR; id eſt, non erit diuturna impiorum poſteritas: Pſalm. XXXVI. 28. *Semen impiorum peribit*.

V. 21. PRAEPARATE FILIOS. Vel, præparate filiis, id eſt poſteris eius occiſionem; id eſt, Parate vos, o Medi, ad occidendos poſteros Nabuchodonoſoris regis Babylonis. IN INIQUITATE, Hebr. *propter iniquitatem*. NON CONSURGENT. Futura pro Imperativis: Ne conſurgant; id eſt, ne ſtent, ne vivant, neque hereditate capiant terram, neque impleant faciem (ſuperficiem) orbis civitatibus, id eſt ne multiplicentur, vel, ut alii vertunt, ערים, *hoſtibus*.

V. 22. ET CONSURGAM SUPER EOS: עליהם, *contra eos*. ET PERDAM: לבבל, *Babylonem*, NOMEN ET RELIQUIAS, id eſt uſque ad nomen ipſum & reliquias, penitus ita ut ne nominetur quidem amplius. ET GERMEN ET PROGENIEM: בין ונכר, *filium & nepotem*, id eſt omnes poſteros.

V. 23. ET PONAM EOS: ושמתיה, *ponam eam* (Babylonem) IN POSSESSIONEM, id eſt habitationem HERICII, קפד, *teſtudinis*, id eſt efficiam penitus deſertam. ET SCOPABO, id eſt nihil in ea relinquam.

V. 24.

V. 24. IURAVIT DOMINUS... SI NON, id eſt, quod quemadmodum cogitavi, ita erit. Hebræi poſt verbum iurandi ponunt אם־לא, *ſi non*, pro, quod, & אם, *ſi*, pro, quod non: ut Pſal. XCIV. 11. *Quibus iuravi in ira mea, ſi introibunt*, id eſt quod non introibunt, *in requiem meam*.

V. 25. UT CONTERAM ASSYRIUM. Refertur Dei iuramentum non ſolum ad proximam Prophetiam contra Babylonem, ſed etiam ad ſuperiorem contra Aſſyrios, ſup. cap. x. IN TERRA MEA, id eſt Ieruſalem, quam Dominus, quia ſancta erat, vocat ſuam. ET AUFERETUR AB EIS. Relativum Heb. ſine antecedente, & plur. pro ſing. id eſt a populo meo: refertur ad cap. x. verſ. 27.

V. 26. HOC CONSILIUM QUOD COGITAVI. Heb. היעצה, *quod conſultatum eſt*, id eſt, decretum ut fiat, ſuper, על, *contra*. ET HAEC. Pronomen *hoc*, & *hæc* emphaticum eſt hoc loco; quaſi dicat, Dei conſilium eſt, & Dei manus, ut ſtatim dicit.

V. 27. DOMINUS DECREVIT. Argumentatur a conditione perſonæ: Cum Deus ſit qui hoc decrevit facere, non poteſt non evenire.

V. 28. IN ANNO. Exorditur Iſaias ab hoc loco aliam Prophetiam contra Philiſthæos perpetuos Iudæorum hoſtes. Itaque aliqui putant hoc eſſe debere initium ſequentis capitis. FACTUM EST ONUS ISTUD: patefacta mihi eſt hæc Prophetia quæ ſequitur. Quatuor reges initio Propheta nominavit, quorum tempore vaticinatus eſt, Oziam, Ioathan, Achaz, Ezechiam. Sub Ozia uſque ad VI. cap. ſub Ioathan uſque ad VII. ſub Achaz uſque ad hunc locum; ſub Ezechia uſque ad finem Prophetia deſcribitur.

V. 29. NE LAETERIS PHILISTHAEA OMNIS TU, id eſt nullam tui partem excipio; quod enim dicturus ſum contra te, ad te univerſam ſpectat. QUONIAM COMMINUTA EST VIRGA, מכך, *quæ te percutiebat*; id eſt, quia mortuus eſt Achaz rex Iudæ, qui te debellabat. Philiſthæis perpetuum cum Iudæis bellum erat. Solent autem hoſtes cum rex hoſtium ſuorum moritur, lætari. DE RADICE ENIM; id eſt, ex Achaz qui te affligebat bellis, natus eſt Ezechias qui te multo magis affliget: radicem vocat ſemen, quod hoc eſt in animalibus, quod radix in arboribus. *Coluber* ſerpens eſt venenoſus & nocens; REGULUS autem, id eſt Baſiliſcus, multo venenoſior ac nocentior. ET SEMEN EIUS, ופריו, *& fructus eius* (colubri) id eſt, *filius*, שרף מעופף, *urens volucrem*. Scribit Plinius & Solinus Baſiliſcum ſolo halitu volantes aves interficere.

V. 30. ET PASCENTUR; id eſt, ſaturabuntur, vel quieſcent. PRIMOGENITI PAUPERUM; id eſt, qui maxime pauperes erant ante inter Iudæos, tuis ſpoliis divites fient. ET INTERIRE FACIAM IN FAME, id eſt propter famem, fame RADICEM TUAM, id eſt filios tuos, qui ex radice tua prodierunt; antitheton præcedentis membri. RELIQUIAS TUAS, יהרג, *interficiet* (Ezechias.) Neque neceſſe eſt ut Ezechias ipſe per ſe hoc fecerit. Satis eſt ut eo regnante factum ſit.

V. 31. ULULA PORTA. Portæ nomine totam civitatem ſolent Hebræi ſignificare. Depingit futurum luctum Palæſtinæ propter futuram eius vaſtationem. Imperativi hanc vim habent, *Ulula*, id eſt præpara te ad ululandum. PROSTRATA EST: נמוג פלשת כלך, *diſſoluta es, Palæſtina omnis tu*: vel, ut alii vertunt, *diſſolve te totam*, id eſt para te ut diſſipere. AB AQUILONE ENIM FUMUS VENIET, id eſt bellum vehementiſſimum. Fumum vocat bellicum apparatum, qui bellum præcedit, ſicut fumus incendium: ab Aquilone autem venire dicit, ut impetum maximum declaret; eſt enim Aquilonaris ventus vehementiſſimus, quo flante vix incendium extingui poteſt: ſimul etiam locum deſignat, erat enim Ieruſalem Auſtralis Palæſtinæ. ET NON EST QUI EFFUGIAT: ואין בודד במועדיו, *& ne unus quidem ſolus in agminibus eius* (maneat,) id eſt, veniet cum omnibus ſuis militibus, ita ut nemo remaneat: aut, ut alii vertunt, במועדיו, *in temporibus eius*, (id eſt Ezechiæ) *nemo remanebit, ſed omnes ei obedient ad bellum invitanti milites ſuos*.

V. 32. ET QUID RESPONDEBITUR NUNTIIS GENTIS: מה יענה, reſpondendi verbum hoc loco pro verbo dicendi poni arbitror Hebræorum more, & genitivum *gentis*, paſſive, non active accipi, ut ſit ſen-

Digitized by Google

ſenſus: Quid dicetur nuntiis, qui ad exteras gentes mittentur, ut Lelli exitum nuntient? Dicetur nimirum, QUIA DOMINUS FUNDAVIT, id eſt ſtabilivit, munivit SION, Ieruſalem: ET IN IPSA, id eſt in promiſſione a Deo ipſi facta, aut, in præſidio Dei erga illam, non in eius muris. PAUPERES: non vocat pauperes inopes divitiarum, ſed homines ab humanis præſidiis imparatos.

S A.

Verſ. 1. TEMPUS EIUS. Chald. *tempus interitus Babylonis*. Quidam id ad Chriſtum referunt. ELONGABUNTUR, id eſt differentur. ADVENA. Gentiles intelligit fidem Chriſti recepturos.

V. 2. TENEBUNT, id eſt comitabuntur redeuntem. LXX. *accipient*. Eos, ſcilicet Iſraelitas. ADDUCENT. Id factum præcipiente Cyro & Artaxerxe. Vide I. & II. Eſd. EXACTORES SUOS, id eſt oppreſſores. LXX. *dominantes ſibi*, ſcilicet quondam.

V. 4. PARABOLAM ISTAM, id eſt parabolicum canticum. LXX. *planctum hunc*.

V. 7. TERRA, ſcilicet antea Babyloniis ſubiecta, vel Iudæa.

V. 8. ABIETES, &c. per hæc intelliguntur homines Principes. LIBANI, ſcilicet dicentes, ſcilicet quod ſequitur. DORMISTI, id eſt mortuus es.

V. 9. INFERNUS, &c. quaſi dicat: Deſcendenti tibi in infernum occurrerunt qui illic erant cum tumultu, &c. Deſcriptio eſt metaphorica per ſimilitudinem adventus Principis victi in bello. TIBI, id eſt ut tibi occurrerent: repetitio. GIGANTES, id eſt tyrannos.

V. 12. CAELO, id eſt altitudine gloriæ tuæ. LUCIFER. Chald. *qui eras ſplendidus inter filios hominum*. Id ſolet ad diabolum referri, qui a Deo ſplendidus creatus. MANE ORIEBARIS; id eſt, ut ſtella cum oritur, ita fulgens domo egrediebaris. Chald. *ſicut ſtella lucebas*.

V. 13. ASTRA DEI. LXX. *aſtra cæli*. Chald. *populum Dei*. TESTAMENTI, id eſt Sion, ubi tabulæ legis. Chald. *fœderis*. LXX. *ſublimi*. LATERIBUS AQUILONIS; quaſi dicat, Ad dexteram orbis, id eſt loco digniori.

V. 15. INFERNUM, ſcilicet locum damnatorum. PROFUNDUM LACI. LXX. *fundamenta terræ*. Chald. *extremitatem laci domus perditionis*.

V. 16. AD TE INCLINABUNTUR; ſcilicet ut iacentem videant. LXX. *Super te mirabuntur*.

V. 18. IN GLORIA, id eſt glorioſe. VIR IN DOMO SUA, id eſt quiſque domi ſuæ, ſeu in ſepulcro ſuo.

V. 19. POLLUTUS. LXX. *abominabilis*. OBVOLUTUS, id eſt commiſtus. FUNDAMENTA LACI, id eſt profundum foveæ.

V. 20. CONSORTIUM, &c. quaſi dicat: Non habebis ut illi glorioſam ſepulturam. TUAM, id eſt tibi ſubiectam. LXX. *meam*. TUUM. LXX. *meum*. NON VOCABITUR; quaſi dicat, Delebitur memoria.

V. 21. IN INIQUITATE, id eſt ob iniquitatem. Chald. *propter peccata*. LXX. *pro peccatis*. CIVITATUM, id eſt civitatibus. LXX. *bellis*. Chald. *inimicis*.

V. 22. GERMEN, ET PROGENIEM. Chald. *filium, & nepotem*.

V. 23. TERENS, id eſt excutiens.

V. 24. SI NON, id eſt omnino ſic.

V. 25. ASSYRIUM, ſcilicet exercitum Sennacherib. Vide IV. Reg. XIX. EIS, ſcilicet Iudæis.

V. 28. ONUS, id eſt Prophetia de calamitate. Chald. *onus prophetiæ*. LXX. *verbum*.

V. 29. PERCUSSORIS, ſcilicet Oziæ, vel Achaz. REGULUS; ſcilicet Ezechias filius Achaz, pronepos Oziæ. Chald. totum locum ſic reddidit: *De filiis filiorum Ieſſe egredietur Chriſtus, & erunt opera eius in vobis quaſi ſerpens volans*. ABSORBENS VOLUCREM. Hebr. *ſerpens ignitus volans*. LXX. *ſerpens pennatus*.

V. 30. PAUPERES. Chald. *mites*.

V. 31. AQUILONE, id eſt Aſſyria, vel Iudæa. FUMUS, id eſt moleſtus exercitus. Chald. *malum*.

V. 32. GENTIS; ſcilicet Gentilibus de Chriſto quærentibus. IN IPSO, &c. LXX. *per ipſum ſalvabuntur populi multi*.

ESTII.

ESTII.

Verſ. 12. QUOMODO CECIDISTI LUCIFER, QUI MANE ORIEBARIS; CORRUISTI IN TERRAM, QUI VULNERABAS GENTES? Quis eſt Lucifer iſte, in quem tanta verborum vehementia exclamat Propheta? In verbis ſuperioribus certum eſt Prophetam loqui de rege Babylonis, & comminationem adverſus eum dirigere; ita enim paulo ante ad populum Iudaicum Propheta: *Sumes parabolam iſtam contra regem Babylonis, & dices: Quomodo ceſſavit exactor, quievit tributum?* Unde D. Hieronymus hæc quoque verba ad litteram de rege Babylonis exponit; quem dicit vocari Luciferum per antonomaſiam, quomodo magnum aliquem principem vocaremus Solem Aſiæ, aut Europæ, propter illuſtrem potentiam. Ita ſenſus erit: Tu qui eras inſtar Luciferi ſplendidiſſimus, & inter reges terræ maxime illuſtris, quomodo Lucifer ſtella inter ſtellas omnes primatum tenet luminis. Ac præterea in ſequentibus Hieron. hyperbolem agnoſcit.

Aliorum fere omnium commentarii de principe dæmoniorum exponunt hunc locum: qui haud dubie, vel litteralis, vel ſaltem myſticus eſt huius loci ſenſus. Lucifer ergo fuit diabolus, non poſt lapſum; tunc enim ex Lucifero in teterrimum Dei hoſtem eſt commutatus: ſed ex prima conditione, in qua a Deo ſummis ingenii dotibus fuit cumulatus. Unde additur: *Qui mane oriebaris*; id eſt, in primo ortu tuo inſigniter præ aliis ſpiritibus lucebas. Hinc etiam patet, non admodum convenienter dæmoniorum principem vulgo vocari Luciferum, cum illud nomen magis in bonum, quam in malum angelum competat. Immo Scriptura Sacra, II. Petri 1. illud nomen Chriſto attribuit dicens: *Donec Lucifer oriatur in cordibus veſtris*. Et in Apoc. cap. ult. quoque idem Chriſtus dicit: *Ego ſum ſtella matutina*.

V. 13. QUI DICEBAS IN CORDE TUO: IN CAELUM CONSCENDAM, SUPER ASTRA DEI EXALTABO SOLIUM MEUM, ERO SIMILIS ALTISSIMO. Quid voluerit defector angelus hæc dicendo, & quomodo cadere potuerit, qui in tanta claritudine a Deo creatus erat; vide ad illud Gen. III. *Eritis ſicut Dii, ſcientes bonum & malum*.

MARIANAE.

Verſ. 1. TEMPUS EIUS prope eſt. Heb. *eius* eſt femininum, & refertur ad urbem, de qua agit. Chald. *tempus interitus Babylonis*. MISEREBITUR ENIM DOMINUS IACOB: ut Deus liberet Iacob, opus eſt ut Babylon cadat. ELIGET ADHUC DE ISRAEL. Heb. *in Iſrael*; ſed *in* redundat: ſic Chald. & Sept. *eliget Iſrael*. Aut *de Iſrael*, id eſt partem eius, reſiduos eliget. ADVENA AD EOS adiungetur, pro, advenæ. Hoc accidit, quando e captivitate Babylonica populus rediit. Sed & per Apoſtolos Gentes ſe ad Eccleſiam adiunxerunt.

V 2. ET TENEBUNT. Heb. *accipient*. ET POSSIDEBIT EOS; ſcilicet eos populos, qui adduxerunt Iudæos in terram ſuam, poſſidebunt Iudæi, erunt eorum ſervi. SUPER TERRAM DOMINI; pro, in terra Domini. CAPIENTES. Heb. *captivantes*, qui eos captivaverant. ET SUBIICIENT EXACTORES SUOS. Heb. *& dominabuntur exactoribus ſuis*; ſcilicet eis qui illos oppreſſerant Babylonii.

V. 3. A LABORE TUO, ET A CONCUSSIONE TUA; vel *a dolore tuo, & a tremore tuo* quieſce.

V. 4. SUMES PARABOLAM. Sic vocat, quia ſunt obſcura & allegorica quæ ſequuntur, & canticum difficile. QUIEVIT TRIBUTUM. Heb. *tributum auri*; ſcilicet quod Iſraelitis imperabant, non ſolvent amplius.

V. 5. CONTRIVIT DOMINUS BACULUM: Per *baculum* & *virgam* ſceptrum intelligit, inſigne Regiæ poteſtatis, id eſt contritum.

V. 6. PLAGA INSANABILI Babylonius cædebat populos: ſic Septuag. Heb. *plaga, quæ non recedit*. Chald. *ſine ceſſatione*, id eſt plaga iugi & aſſidua. PERSEQUENTEM CRUDELITER. Heb. *perſecutionem paſſum non probibuit*; id eſt, non avertit perſecutionem. Poteſt Hieronymi interpretatio conſtare, quæ planior & commodior, ſi modo in voce *murdaph* mutentur puncta, & legatur *meradeph*.

Digitized by Google

V. 7. TERRA GAVISA EST, ET EXULTAVIT. Heb. *cecinerunt laudem*, ſcilicet Judæi ob everſam Babylonem.

V. 8. EX QUO DORMISTI; aut *iacuiſti*, id eſt mortuus es. NON ASCENDET QUI SUCCIDAT NOS: homo ſcilicet, aut ſecuris. Pax etiam ſilvis eſt poſt tuam mortem, o Babylonis Rex, abietes & cedri incolumes.

V. 9. INFERNUS. Sic Chald. & Sept. Alii, *ſepulcrum*. CONTURBATUS EST. Heb. *tremuit*. SUSCITAVIT TIBI GIGANTES. Sic Septuag. & Chald. Alii *manes* aut *mortuos* vertunt, quos fingit ſuſcitatos, ut eius tyrannidi reſiſterent, quam mortuus etiam exercere in eos volebat. OMNES PRINCIPES; ſcilicet iam mortui. Heb. *omnes hirci*; ſed per *hircos*, *Principes* intelligit, quos poſt mortem de ſoliis ſurrexiſſe ait; ſcilicet ut illi reſiſterent: ut hirci gregem præcedunt, ſic Principes populos ſuos. OMNES PRINCIPES. Heb. *omnes Reges gentium*, ſcilicet ſurrexerunt. Hi ſunt *gigantes* quos dixit.

V. 10. UNIVERSI RESPONDEBUNT, id eſt loquentur. *Reſpondere*, pro, loqui, Hebraiſmus. VULNERATUS ES. Heb. *infirmatus es*. Videbaris immortalis.

V. 11. CONCIDIT CADAVER TUUM. Heb. *ſonitus nablorum tuorum*, ſcilicet *abiit ad inferos multa lætitia tua*, ut vertunt Septuag. Chald. *ſtrepitus laudis muſicæ tuæ*. *Nebel*, *nablum* ſignificat. *Nebelah*, *cadaver*. Hieronymus hoc ſecutus, *cadaver* dixit. SUBTER TE STERNETUR TINEA. Heb. *vermis*, pro, vermes, id eſt ſub te & ſuper te vermes erunt. *Vermis ſternetur ſub te, & operiet te vermis*: ſic Hebraica habent.

V. 12. CECIDISTI DE CAELO LUCIFER; id eſt, Venus ſtella, quæ ſolem ſæpe præcedit. Græce φωσφόρος, aut ἑωσφόρος, Chald. כוכב נגהא. Interpres dixit, *ſicut ſtella lucens*, cum debuiſſet dicere: *ſicut Venus*, aut *Lucifer inter ſtellas*. Nam vulgo Rabbini eam ſtellam נוגה vocant, propter eximium ſplendorem. Latine *Lucifer* vocatur, quando ſolem præcedit; quando ſubſequitur, *Veſper*. Hoc de dæmone noſtri intelligunt: ſed & de Babylonico Rege poteſt intelligi, qui lucebat divitiis & gloria. QUI MANE ORIEBARIS? ſcilicet ut aurora. Heb. *fili auroræ*. CORRUISTI, proſtratus, exciſus es ad terram.

V. 13. IN CAELUM CONSCENDAM; quaſi dicat, Terræ ſatis habeo: cælum expugnare ſtatuo; aut Deum & eius populum *cælum* vocat; aut certe hyperbole eſt. SEDEBO IN MONTE TESTAMENTI; ſeu *conventus*, ſeu *teſtimonii*, ſcilicet in Ieruſalem dominabor. Porro hic *teſtamentum* ſumitur pro pacto. IN LATERIBUS AQUILONIS, ſive in templo, quod ad plagam Septemtrionalem urbis erat, ſive Babylone, quæ urbs comparatione Ieroſolymæ, Septemtrionalis aliquantum erat.

V. 15. IN PROFUNDUM LACI. Hebraice, *ad latera putei deſcendes*. *Infernum* & *puteum* vocat ſepulcrum.

V. 16. AD TE INCLINABUNTUR, ſcilicet ut te attente proſpiciant, præ caſus admiratione, qui te prius viderunt.

V. 17. QUI POSUIT ORBEM DESERTUM. Heb. *ſicut deſertum poſuit orbem*.

V. 18. VIR IN DOMO SUA, id eſt unuſquiſque in domo ſua mortui ſunt. *Vir* Heb. pro, quiſque. Poſt mortem quieverunt in ſepulcro.

V. 19. PROIECTUS ES DE SEPULCRO TUO. Nabuchodonoſoris corpus iam ſepultum Evilmerodachus filius avibus vorandum expoſuit, quo fidem Chaldæis faceret mortuum eſſe: ſic Hebræi tradunt. QUASI STIRPS INUTILIS. Heb. *abominabilis*. Ecce Hieronymus pro *nezer* vertit *ſtirpem*. POLLUTUS, ET OBVOLUTUS. Heb. *ut veſtis occiſorum*, ſcilicet eiectus es. Solent eas veſtes proiicere. ET DESCENDERUNT AD FUNDAMENTA LACI. Hebraice, *ad lapides putei*, id eſt ad imum ſepulcrum, quod lapidibus ſcilicet eſt ſtratum; ſcilicet eo deſcendunt ii, quorum veſtes proiiciuntur. Eos *lapides* Hieronymus *fundamenta* vocavit. QUASI CADAVER PUTRIDUM, ſeu *conculcatum*, ut Chald. vertit, quaſi dicat: Tu proiectus es ut veſtis occiſi, cuius tamen cadaver ſepelitur. At tu

V. 20. NON HABEBIS CONSORTIUM, NEQUE CUM EIS IN SEPULTURA, ſcilicet eris. Heb. *non unies te cum eis in ſepultura*, id eſt non potieris honore ſepulturæ, quo Reges alii. NON VOCABITUR IN AETERNUM; id eſt memoria peſſimorum & filiorum ex eis æterna non erit, monumenta diſſipabuntur eorum, id eſt memoria tua non manebit.

V. 21. IN INIQUITATE. Propter ini-

qui-

Digitized by Google

quitatem patrum, filios o Medi occidite. Civitatum; pro, civitatibus: de ſuo nomine urbes ne condant. Chald. *impleatur orbis inimicis*: vox עָרִים *barim* utrumque ſignificat, *urbes* & *inimicos*. Ergo filios occidite ob iniquitatem patrum, ne poſſideant terram, & impleant orbem urbibus.

V. 22. Et consurgam super eos, dicit Dominus, contra eos. Et reliquias. Sic Septuag. & Chald. alii, *propinquos*. Et germen, et progeniem. Heb. *& filium & nepotem*; pro, filios & nepotes perdam.

V. 23. Ponam eam in possessionem ericii, ſcilicet Babylonem, aut *teſtudinis*, ut Vatabl. & Schol. Hebræus. In scopa terens. Heb. *ſcopa diſſipationis*, id eſt diſſipante, ſcopabo eam: *ſcopam* pro ſupplicio ponit. Scopis ſolemus flagellare.

V. 25. Et auferetur ab eis iugum eius; id eſt, a Iudæis imperium Aſſyrii auferetur. Ab humero eorum, ſcilicet Iudæorum, tolletur onus illius, ſcilicet Aſſyrii.

V. 26. Haec est manus extenta, id eſt flagellum. Super universas gentes, id eſt contra eas gentes, de quibus eſt locutus, Babylonios, Aſſyrios.

V. 27. Quis poterit infirmare? Heb. *quis irritabit*, aut *diſſipabit quæ Deus decrevit?*

V. 28. Factum est onus istud, id eſt Prophetia dura, quæ ſequitur contra Philiſthæos.

V. 29. De radice enim colubri egredietur regulus. *Regulus* ſerpentis genus eſt maxime venenati. Chald. *de Iſai egredietur Meſſias*: nam *Iſai* vocabatur *Nabas*, id eſt *ſerpens*: II. Reg. xvii. 25. *Ingreſſus eſt ad Abigail filiam Nabas*, id eſt *Iſai*. De quo, eo loco. Putant Hebræi *Iſai* dictum ſerpentem, quia mortuus eſt בעטאהון *Bebitabu* in conſiliis ſerpentis, quibus facti ſumus mortales, ſine ulla alia noxa, ob quam mori deberet. Sententia huius loci erit: Ne lætaris Philiſthæa, quaſi morte Babylonii libera, ex ſtirpe Iſai veniet regulus, id eſt potentior Chriſtus, qui te ſubiiciat. Et semen eius, id eſt filii eius. Absorbens volucrem, id eſt in aves deſæviens. Heb. *ſerpens ignitus volans*. Apoſtolorum velocitas his verbis deſignatur & ardor.

V. 30. Primogeniti pauperum; id eſt, pauperes Iſraelitæ convivia inſtruent. Radicem tuam: interimam, genus tuum a ſtirpe tollam, o Philiſthæa. Interficiam. Heb. *interficiet*, ſcilicet Deus. Mutat perſonas frequens Hebraica lingua.

V. 31. Ulula porta; pro, in porta. Ibi erat forum, & populi frequentia. Clama civitas, id eſt in civitate clama, o Philiſthæa. Prostrata. Heb. *liquefacta*. Ab Aquilone. Ieruſalem Septemtrionalis eſt comparatione Gazæ & Azoti, ubi manſere Philiſthæi. Ex Iudæa veniet exercitus, quem *fumum* vocat, quod ſit moleſtus, & ob nubem pulveris, quem excitat; aut inde venient Apoſtoli inſtar ignis. Iam ignitos ſerpentes eos vocavit. Non est qui effugiat agmen eius. Hebraice, *qui effugiat in temporibus ſuis præfixis*; id eſt, illo tempore nullus locus fugæ erit.

V. 32. Et quid respondebitur nuntiis. Lego Heb. active, *quid reſpondebit?* pro, *& quid reſpondebunt?* ſic Septuag. pro, dicent nuntii. Chald. *annuntiabunt*; ſcilicet qui nuntii ſunt Ieroſolymis: quid nuntiabunt populis, a quibus ſunt miſſi? Nimirum res Iudæorum nuntiabunt; ſcilicet Deum fundaſſe Sion, evertiſſe Philiſthæos. Hieronymus pro *iabaneh*, id eſt *reſpondebit*, legit *iibaneh*, id eſt *reſpondebitur*; quæ verior forte lectio eſt.

MALVENDAE.

Verſ. 1. Prope est ut veniat tempus eius. Heb. *& propinquum eſt ad veniendum tempus eius*. Relativum eſt femineum, id eſt Babylonis, Quidam: *atque tempus eius prope adeſt*. Alii: *prope autem eſt cum adveniet tempus eius*; id eſt, quo incipient hæc mala invadere Babyloniam: cœperunt autem illa poſt ducentos ferme annos quam hæc a Propheta fuerunt pronuntiata, per Cyrum regem Perſarum. S. Hieronymus: *Inſtare dicit tempus, quo ab hoſtibus capienda ſit: poſt captivitatem quippe Ieruſalem non multum tempus in medio; & a Medis Perſiſque vaſtata eſt*. Et dies eius non elongabuntur. Paſſim accipiunt: dies, quibus devaſtanda eſt, non quam longiſſime abſunt. Nonnulli tamen exponunt: &

Digitized by Google

& dies eius non protrahentur, id eſt dies, quibus florebit regnum Babyloniæ, & in Iudæos deportatos tyrannidem exercebit; quaſi dicat, Non durabit diu illorum gloria, aut veſtra calamitas: qui finis eſt metabaticus, ſeu tranſitorius ad narrationem ſequentem. MISEREBITUR ENIM DOMINUS IACOB. Heb. *Quia*, vel *nam inviſcerabit*, vel *in viſcera ſua condet*, ſeu *viſceribus miſericordiæ complectetur Iehovah Iahakobum*, id eſt Eccleſiam ſuam ex captivitate Chaldaica liberatam. Altera pars narrationis, ut dictum eſt ſuperiore capite in verſ. 1 in qua exponitur primum cauſa & forma inſtaurationis, & amplificationis Eccleſiæ, duobus verſibus: deinde uſus promiſſionis Dei perceptæ in Eccleſia, a verſu 3. ad finem uſque capitis. ET ELIGET ADHUC DE ISRAEL. Quidam: *& eliget rurſus Iſraelitas*; id eſt, gentem quæ in ſpeciem fuerat reiecta, & alieno dominio expoſita, perinde recipiet quaſi de integro electa foret: humanitus dictum. S. Hieronymus: *Significat autem tempus, quo Cyrus rex Perſarum captivum populum Ieruſalem redire permiſit, Hezræ* 1. ET REQUIESCERE EOS FACIET SUPER HUMUM SUAM: vel *repauſare*. Quidam reddunt: *quos reponat in terra ipſorum*. ADIUNGETUR ADVENA AD EOS, ET ADHAEREBIT DOMUI IACOB. Alii ex Heb. I. *& copulabit ſe peregrinus eis, adhærebuntque domui Iahakob*. II. *& adiungetur advena ad eos, & apponentur ad domum Iahakob*. III. *adiungetque ſe advena ipſis, & aſſociabunt ſe domui Iahakobi*. Promiſſio vocationis gentium per Chriſtum, in quo demum conſummata eſt inſtauratio, in plenitudine Iudæorum & gentium, ut totus Iſrael ſervetur. Romanor. XI.

V. 2. ET TENEBUNT EOS POPULI, &c. Quidam hunc verſum dilucidius ex Heb. ita reddunt: I. *Tollent*, ſeu *aſſument*, *eos populi, & introducent eos ad locum ſuum, & poſſidebit eos domus Iſrael in terra Iehovæ in ſervos & ancillas: & captivos ducent eos, quorum captivi fuerant; imperitabuntque ſuis exactoribus*. II. *Nam accipient ipſos populi, adducentque eos in locum ſuum, & conſtituent ſe poſſeſſores eorum Iiſraelitæ in terra Iehovæ ut ſervi ſint & ancillæ, & captivos ducent eos, qui captivis abuſi fuerint ipſis, dominabunturque in exactores ſuos*. Allegorica figuratio regni ſpiritualis Chriſti, in quo fideles, ſervi & ancillæ comparantur Domino miniſterio verbi, ut prædixit Ioel. II. 29. infideles vero velut mancipia abiectiſſima coguntur in ordinem, & ſubiiciuntur potentiæ Chriſti, & Eccleſiæ eius. Reſpiciunt autem hæc verba ad hiſtoriam, quæ habetur Hezræ 1 de Cyri mandato, & populorum miniſterio. POSSIDEBIT. Heb. verbum in Hithpahel proprie eſt, *iure hereditario attribuent, vindicabunt, appropriabunt ſibi*.

V. 3. ET ERIT IN DIE ILLA, CUM REQUIEM DEDERIT TIBI DEUS. Quidam: *Et erit, quo die requiem præſtiterit Iehova tibi*, &c. Secundus locus de uſu proxime præcedentium beneficiorum Dei, cum ab Eccleſia fuerint percepta, ut diximus in verſ. 1. Eſt autem hic uſus prædicatio iudiciorum & veritatis Dei, quam præſcribit Eccleſiæ Propheta, ad finem uſque capitis. A LABORE TUO. Proprie: *a dolore tuo*, vel *moleſtia tua*. ET A CONCUSSIONE TUA. Heb. *& a commotione, agitatione, perturbatione tua:* proprie opponitur quieti. ET A SERVITUTE DURA. Proprie, *& a ſervitio perplexo, intricato, rigido, duro, difficili, pertinaci*, quod facile flecti, reſolvi, aut extricari non poſſet. QUA ANTE SERVISTI. Verbum עבד *gbubbad*, ex Puhal diverſimode convertunt: I. *qua*, vel *quo* ſervitio *ſervitum fuit in te*. II. *quam ſerviviſti*. III. *qua ſervitus exercita fuit in te*. IV. *qua duriter actum eſt in te*. V. *qua te abuſum eſt*. Hiſpanice, *con la qual, o por la qual an abuſado de ti*: vide ſimilem locutionem Deuter. XXI. 3.

V. 4. SUMES PARABOLAM ISTAM. משל *maſchal*, *ſententiam gravem, dicterium; apophthegma*: vide in Proverb. I. 1. Quidam, *ut proferas parabolam hanc de rege Babyloniæ*, id eſt cantionem, quæ in ore ſit omnium: ut Numerorum XXI. 27. Sunt autem huius concionis ſeu prædicationis, quæ imperatur Eccleſiæ, partes quinque: prima eſt, propoſitio ſummæ ruinæ Babyloniæ a iudicio Dei, tribus verſibus; ſecunda, narratio ſarcaſtica, qua res omnes creatæ etiam mortuæ utuntur ad ludificandum Babyloniam, a verſ. 7. uſque ad 18. tertia, narratio prophetica iudiciorum, quæ Deus amplius in Babyloniam exerciturus eſt, a verſu 18. uſque ad verſ. 24. quarta, confirmatio a pro-

Digitized by Google

promiſſione, iuramento, & exemplis iudiciorum Dei, verſ. 24. & ſequentibus; ultima, concluſio duobus reliquis. Quomodo cessavit. Propoſitio dialogiſtica, qua per admirationem videntur omnes quærere, qui potuerit fieri, ut rex tantus, & tantum regnum una nocte intercideret. Exactor. Proprie, *angariator*: vide in Exod. III. 7. id eſt, tyrannus ſævus rex Babyloniæ, oppreſſor Iudæorum. Quievit tributum. מדהבה *madhebah*. Forſterus: דהב *dahab*, *Chaldaica vox*, *quæ idem illis*, *& Arabibus ſignificat*, *quod Hebræis* זהב *zahab*, *aurum*. *Sunt enim iſtæ duæ litteræ Zain & Daleth in his duabus linguis Hebræa & Chaldæa commutabiles*. *Inde denominativum madhebah*, *aurarium*, *id eſt aureum tributarium*. Iſtud ſequuntur Reuchlinus, Alſonſus Zamorenſis, Forerius, Avenarius, Pomarius, Schindlerus, Leo Iudas. Quidam: *ceſſavit aurea penſio*, quam ipſa exigebat a ſubiectis nationibus, præcipue a Iudæis deportatis. Sic apud Græcos chryſargyron, vel chryſargyrion dictum eſt quoddam tributi genus, quaſi dicat, *Aurargentum*, vel *argentaurum*, de quo vide Meurſium in Lexico Græco-Barbaro, pag. 627. Et ſane tributum quod Babylon ab aliis gentibus exigebat, coacta eſt ipſa poſtmodum victoribus Perſis reddere. Herodotus Lib. I. Numer. CXCII. *Cuius civitatis quanta ſit potentia*, *cum ex aliis multis declarabo*, *tum vero ex hoc*. *Cum Regi magno omnis plaga*, *cui imperat*, *ſit diſtributa in ipſius tatque exercitus eius alimentum*, *præter tributa*, *ex duodecim*, *quibus annus conſtat*, *menſibus*, *quatuor regio Babylonica*, *octo reliquis eum omnis Aſia alit*: *ita huius regionis potentia tertiam Aſiæ partem æquiparat*. *Et eius principatus*, *quem ſatrapiam Perſæ vocant*, *omnium provinciarum longe eſt optimus*, *adeo ut Tritæchmæ Artabazi filio*, *qui pro rege tributum hoc exigebat*, *ſingulis diebus ſingulæ argenti plenæ artabæ penderentur*. *Eſt autem artaba menſura Perſica*, *capacior quam Atticus medimnus*, *tribus chenicibus Atticis*. Alii vero *madhebah* nomen adiectivum eſſe volunt, exponuntque: *ceſſavit aurea*, *inaurata*, *aurifica*, *dives*, *opulenta*, *auro plena*, *abundans*, vel *auri cupida*, *auri exactrix*, ſeu *congregatrix*. Chaldaica, ſeu Babylonica vox, qua uſum Prophetam volunt ad perſtringendam Chaldaicæ monarchiæ ſuperbiam ex fiducia opum maximarum conſtitutam: quo ſpectat deſcriptio illa Danielis II. & III. & Apocalypſ. XVII. 12. & 13. Hanc interpretationem amplectuntur Kimchi, Sanctes, Vatablus, Marinus, Mercerus, Montanus, Tremellius, Iunius, Buxtorfius, Schindlerus. Sed prior nobis magis probatur.

V. 5. Contrivit Dominus, &c. Alii hunc verſum reddunt: *Fregit Iehova baculum improborum*, *ſceptrum dominantium*. Hypophora, ſeu ſubiectio ad præcedentem admirationem duobus verſibus, exponens quis, quo, quantoque malo affecerit Babylonios, & quamobrem. *Baculum improborum*, id eſt durum imperium, quaſi exerceretur in belluas.

V. 6. Caedentem populos. Alii: *percutientis populos*, id eſt Babylonii, qui percutiebat & vexabat populos indigniſſime, ut exempla multa apud Danielem oſtendunt. In indignatione. Heb. *in excandeſcentia*, *in ira fervida*, *in ira*, *quæ modum tranſgreditur*, *in exceſſu iræ*, in furore tamquam ignis pervadente. Plaga insanabili. Heb. *percuſſione nequaquam diſceſſione*. Alii: 1. *plaga abſque averſione*; id eſt, quæ non poteſt averti, vel a qua non avertit manum qui cædit, ut percuſſionem frequentem & continuam indicet. 2. *læſione aſſidua*, ſeu *continua*; id eſt, qui non ceſſabat percutere. 3. *plaga ſine dimotione*, hoc eſt, *immota permanente*, vel *percuſſione non removenda*, id eſt continua. 4. *percuſſione indeclinabili*, ſeu *inevitabili*. 5. *plaga non recedente*, ſeu *quæ non recedit*, id eſt iugi & aſſidua, indeſinente, perpetua. 6. *plaga eſt immota*; id eſt, plagam iſtam neque amoturus eſt Deus, qui inflixit, inquam, neque ullus effecturus potentia ſua ut amoveatur a Babyloniis. Illud Heb. *percuſſione*, *non diſceſſionis* non iungunt cum *percutientem*, ut ad Babylonium referatur: ſed cum *confregit Iehovah percuſſione immota*. Persequentem crudeliter. מרדף *murdaph*, participium Hophal: *perſequi factum*, *perſecutionem paſſum*, *non prohibuit*, ſcilicet a novis iniuriis & calamitatibus; id eſt, populum Iudæum perſecutionibus afflictum ac depreſſum, novis cumulavit. Aliqui exponunt: Populus perſecutionem paſſus eſt, nec Babylonius ſuos milites aut miniſtros cohibebat ne illi novam inferrent; vel perſe-

cutio-

cutionem populus patiebatur, nec Babylonius eam prohibebat. Nonnulli: *perſecutionem patitur abſque miſericordia*. Quidam: *inſectantem ſine cohibitione*. Sed non ſatis id congruit cum natura coniugationis Hophal, proinde puncta mutant, leguntque מרדף *meraddeph*, participium Pihel, *perſequentem*, *inſectantem*: ut Noſter. Tremellius & Iunius iungunt antecedentibus: *dominans iracunde gentibus*, *agitatur perſecutione*, *quam non cohibebit*. Exponuntque: Id eſt, dominans gentibus in iracundia ſua, hoc eſt ita ſua intoleranda iracundia, quæ etiam adynata, ſeu impoſſibilia hominibus imperabat, & de omnium vita conſcientiaque tyrannice ſtatuebat, ut apud Danielem videre eſt: *quam non cohibebit*, ipſe, aut alius quiſquam. Montanus ad Deum refert: *inſectatus abſque obſcuratione*; id eſt, inſectabitur Deus Babylonios, nemine excepto ab illa inſectatione, nemine per tenebras evadente. חשך *chaſchach*, per *Sin* dextrum legit: cum exemplaria *Sin* ſiniſtrum conſtanter præferant.

V. 7. Conquievit. נחה *nachah*, *conſedit*, *quievit*, *requievit*, *repauſavit*. Quidam: *Quieſcit*, *tranquilla eſt tota terra*, id eſt habitatores totius terræ, metonymice. Altera pars cantionis, ut diximus in verſ. 4. qua per proſopopœiam res omnes & viventes, & ſenſus vitæque expertes inducit Propheta lætitiam agitantes de funeſto caſu Babyloniæ: primum quidem totam hanc terram, hoc verſu; deinde arbores, ſequente verſu; poſtremo vero mortuos, inde ad verſum. 18. Gavisa est et exultavit. Varie alii ex Heb. I. *cecinerunt laudem*. II. *ediderunt ovationem*. III. *eruperunt ovationem*. IV. *iubilaverunt præconium*. V. *fragorem ediderunt cantu*.

*V.*8. Abietes quoque laetatae sunt. Quidam: *etiam abietes lætantur*. Amplificatio a rebus ſenſu carentibus, quibus hyperbolicès per proſopopœiam elegantiſſimam exultatio, & ſermo tribuitur ex tranquillitatis ſenſu. *Abietes*, ex quibus terra & mari magnifica opera conſtruebantur ad regum Babyloniorum libidinem. ברושים *beroſchim*, nos *fraxinos* interpretati ſumus: vide in II. Samuel. vi. 5. Et cedri Libani: ex quo dormisti, non ascendet qui succidat nos. Alii ex Heb. I. *Cedri Libani*, *dicentes*: *Ex eo tempore*, *quo obdormiviſti*, *non aſcendet exciſor contra nos*. II. *Cedri Libani dicentes*: *Ab hinc*, *quo tu tacuiſti*, id eſt mortuus es, *nemo eſt qui aſcendat ad incidendum nos*. III. *Cedri Libani*, *dicentes*: *Ex quo occubuiſti*, *non aſcendit ullus cæſor contra nos*. Reges Babyloniæ ac deinde Perſidis monti Libano præficiebant ſaltuarios: vide in Nehem. ii. 8. Nonnulli allegoriam eſſe putant aliorum regum ac regnorum, ut ſit rex Babyloniæ quaſi lignator intentus ad excidendas arbores Libani, hoc eſt proceſſos reges & regna: quo extincto exultent omnes, quaſi iam tutæ futuræ a cæſore.

V. 9. Infernus subter conturbatus est, &c. Alii totum verſum ita ex Heb. efferunt: I. *Sepulcrum perculſum fuit*, vel *expavit*, aut *contremuit ſub* terra *propter te*, *ad occurſum advenire tui*: id eſt, Metu perculſi ſunt mortui audito rumore adventus tui, cum ad eos mortuus deſcenderes; timuerunt enim ne eos affligeres, ut vivos aliquando afflixeras: *excitavit* ſepulcrum *propter te mortuos*, id eſt fortiſſimos quoſque mortuos ut tibi reſiſterent: *omnes duces terræ excitavit*, *inquam*, *de ſoliis ſuis omnes reges gentium*. II. *Inferi ſubtus commoti ſunt propter te*, *ut tibi advenienti occurrant*, *excitaverunt tibi gigantes*, *omnes hircos terræ*, *excitaverunt*, *inquam*, *de ſoliis ſuis omnes reges gentium*. III. *Infernus de ſubter commotus eſt tibi*, *in occurſum introitus tui ſuſcitans tibi gigantes*: *omnes duces terræ ſurgere fecit de ſoliis ſuis*, *omnes reges gentium*. Infernus autem hic accipitur pro regno & ſtatione inferorum, cui figurate animam tribuit, actiones vivorum, & affectus humanos: primum eum inducit commotum ad adventum Babylonii tyranni, ut ſolent commoveri homines alicuius præpotentis tyranni inopinato adventu: deinde honoris cauſa, admiſta irriſione vehementi, fingit excitantem manes, ut obviam prodeant adventanti regi: & ut omnes mortui reges ei aſſurgant. IV. *Sepulcrum inferne commotum eſt tua cauſa*, *ad occurrendum advenienti tibi*, *excitabit tibi expertes vitæ*, *omnes duces terræ*; *facit ut ſurgant e ſoliis ſuis omnes reges gentium*. Ultimus proſopopœiæ locus, ut obſervatum eſt in verſ. 7. quo ſepulcrum, velut dux

& im-

Digitized by Google

& imperator mortuorum, ſuas omnes copias excitat, ut Babylonium collapſum alloquantur, & velut indignum qui ſepeliatur ſecum, repudient a conſortio ſuo. SUSCITAVIT TIBI GIGANTES. *Rephaim*, *gigantes*, *vitæ expertes*, *mortui*, *interfecti*, *cadavera*, *manes*, *dæmones tortores*, *damnati infernales*. Vide in Proverb. IX. 18. & in Geneſ. XIV. 5. OMNES PRINCIPES TERRAE. עתודים *ghattudim*, proprie, *capri*, ſeu *hirci* maiores, qui gregis duces ſunt. Figurate *duces*, *gubernatores* populi: ſic dicti, quod populo præeant, eique immineant ac incumbant: ut Zachar. X. 3.

V. 10. UNIVERSI RESPONDEBUNT, ET DICENT TIBI. Neſcio cur quidam reddant: *Omnes ipſi cantabunt*, *&* *dicent tibi*. Alii: *Hi omnes alternis te celebrabunt*, *&* *dicent tibi*. Rectius alii: *Hi omnes locuti ſunt*, *dixeruntque tibi*; quaſi dicat: Ubi viderunt omnes mortui regem Babylonis mortuum etiam eſſe, & imbecillem, dixerunt ei. Nonnulli: *Qui omnes loquentes dicant tibi*. Huius ſermonis ficti partes ſunt duæ, una eſt qua faſtum immaniſſimum Babylonii per contentionem exagitant, uſque ad verſ. 15. altera, qua etiam honore, & beneficio ſepulturæ illum indignum iudicant & abiiciunt a ſe, verſibus reliquis, uſque ad 18. ET TU VULNERATUS ES SICUT ET NOS. Alii ex Heb. I. *Etiam tu infirmatus es ſicut nos*. II. *Etiam confectus es morbo ſicut nos*. III. *Et tu dolore affectus es ſicut & nos*. IV. *Etiam tu ægrotaviſti*, *ægritudine affectus fuiſti ſicut nos*. Notant, ironicum eſſe ſermonem per admirationem, tribus verſibus; qui deinde amplificatur per comparationem præſidentis animi, & gloriationis, qua uſi fuerant reges Babylonii verſ. 13. & 14. NOSTRI SIMILIS EFFECTUS ES. Forſterus, & Forerius: *ad nos*, vel *apud nos*, ſeu *ſuper nos in eminentia*, *auctoritate*; *ſuperioritate*, *dominio conſtitutus es*, vel *eras*, aut *fuiſti*: *at nunc deiecta eſt in infernum ſuperbia tua*, ut iungatur ſequentibus. Avenarius: *apud nos ſuperatus es*, *dominatione ſubactus es*, proprie, *dominatus es*, paſſive; hoc eſt, ſub dominium redactus. Nos diximus: *apud nos*, vel *inter nos proverbiatus es*; id eſt, de te iactantur apud nos proverbia, ſeu exempla depreſſi faſtus ac ſuperbiæ, & inconſtantiæ rerum humanarum; quaſi dicatur: Babylonius cecidit de inſigni & ingenti clade monarchæ cuiuſvis, ut catus Babyloniæ abierit in proverbium: vide ſimilem locutionem Pſal. XLVIII. 13.

V. 11. DETRACTA EST AD INFEROS SUPERBIA TUA. Alii ex Heb. I. *Deiecta eſt ad infernum ſuperbia tua*. II. *Depoſita eſt in ſepulcrum magnificentia tua*. III. *Deducitur*, ſeu *detrahitur in ſepulcrum faſtus tuus*; id eſt, cares omni honore ſepulturæ, iuſtaque ipſa (quæ tibi ut potentiſſimo regi fuerant ſolvenda) velut ſepulta iacent, neque adhibentur tibi. Hoc enim non dubium eſt eveniſſe ex hiſtoria, quæ habetur Daniel. V. Sed aptius alii periphraſin mortis eſſe volunt; id eſt, tota excellentia, potentia, gloria, digniras tua morte & ſepulcro extincta fuit. CONCIDIT CADAVER TUUM. Facile alii rationem huius translationis expediunt, neſcio quam apte. Hebræa conſtanter habent: *Sonitus*, *ſtrepitus*, *tumultus nablorum*, ſeu *nabliorum tuorum*, vel *lyrarum tuarum*, ſeu *inſtrumentorum muſicorum tuorum*. Subaudi, detractus eſt in ſepulcrum. Quidam: *cum ſonitu nablorum tuorum*. Exponunt: Id eſt, iam non audiuntur in aula tua inſtrumenta muſica, quibus aulæ regum perſtrepere ſolent ac perſonare. Forte alludit ad hiſtoriam Daniel. III. 5. Alii: *Abiectus es in ſepulcrum ad ſonitum nablorum tuorum*, *&* *aliorum inſtrumentorum muſicorum*. Nam olim funera cum cantu & muſica elata apud pleraſque gentes, conſtat: Macrobius Lib. II. in Somnium Scipionis, cap. III. *Mortuos quoque ad ſepulturam perſequi oportere cum cantu*, *plurimarum gentium vel regionum ſtatuta ſanxerunt*: *perſuaſione hac*, *qua poſt corpus animæ ad originem dulcedinis muſicæ*, *id eſt ad cælum redire credantur*. Vide Matth. IX. 23. & Kirchmannum de Funeribus Romanorum Lib. II. cap. IV. & V. Quidam intelligunt, dici hic a Propheta, iuſta funebria, cantum, & honorem ſepulturæ Babylonio defutura. SUBTER TE STERNETUR TINEA, ET OPERIMENTUM TUUM ERUNT VERMES. Alii ex Heb. I. *ſubter te ſternetur vermis*, *&* *operientes te vermis*, id eſt multitudo vermium; quaſi dicat: Plenus eris vermibus, te ſubtus & ſupra tegent vermes. II. *ſubſternitur tibi lumbricus*, *&* *obtegit te vermis*; id eſt,

cares omni pollinctura; condituraque aromatica, quæ regibus adhiberi ſolet, vermibus & putredini omni ex parte expoſitus.

V. 12. QUOMODO CECIDISTI DE CAELO. Quidam: *Quomodo decidiſti de cælis*, id eſt e ſumma illa velut cæleſti luce & dignitate tua: allegoria dignitatem ſummam figurans commodiſſime. LUCIFER. הילל *helel*, *lucifer*, *ſtella matutina*, ſic dictus a laude, gloria, extollentia, ſuſpenſione, vel expanſione lucis; id eſt, ſtella præveniens ſolem, & ante matutinum exoriens, magnitudine alia ſidera exſuperans, & claritatis tantæ, ut unius huius ſtellæ radiis (præter ſolem & lunam) umbræ reddantur: quam alii Veneris, alii Iſidis, alii Iunonis, alii Martis deum appellavere: ut oſtendit Plinius Libro II. cap. VIII. Naturalis Hiſtoriæ. Quamobrem allegorice ad figurandam dignitatem Babylonii hæc appellatio ipſi attributa eſt. QUI MANE ORIEBARIS. Heb. *fili*, vel *nate auroræ*; id eſt, velut alumnus & comes auroræ, ut pulli hærentes lateribus matrum apud Hebræos nominantur: quemadmodum obſervatum eſt Geneſ. XVIII. 7. & Exod. XXIX. 1. & alibi. Quidam alludere Prophetam voluit ad ſatanam, qui olim ſuperbia ſua decidit de dignitate, in qua creatus fuit a Deo, quem vocat Luciferum, & filium auroræ, quod creatus fuerit in maxima luce & ſplendore gratiæ ac donorum: huic comparat Babylonium, qui ut alter Lucifer e luce ac ſplendore imperii ſui caſurus erat. Nonnulli hic potius reſpectum putant ad caſum ſatanæ e cordibus hominum & imperio, quod exercebat in mundum, cui confertur caſus & interitus Babylonii. Quo etiam reſpexerit Chriſtus Lucæ X. 18. *Videbam ſatanam tamquam fulgur de cælo cadentem*. CORRUISTI IN TERRAM, QUI VULNERABAS GENTES. Alii ex Heb. I. *ſucciſus es ad terram, qui debilitabas gentes*, id eſt exſcindebas: ut Exod. XVII. 13. II. *deiectus es in terram domitor gentium*. III. *detractus es in terram*, vel *proſtratus es ad terram debilitans ſuper gentes*. IV. *ad terram afflictus es*, &c. V. *reſectus es ad terram*, &c. vel *ſucciſus es de terra*, &c. VI. *ſucciſus es uſque ad terram? debilis es ſupra quam gentes?* Altera allegoria a ſimilitudine arboris, cuius nulla exſtent veſtigia: quæ allegoria ſimiliter de Nebucadnetzare dicitur Danielis III. *Debilis es ſupra quam gentes?* id eſt, magis deiectus iuſto iudicio Dei quam umquam gens ulla fuerit: nam aliorum quidem imperiorum, poſtquam everſa ſunt, ſua ſuperfuerunt veſtigia; huius vero ne ipſum quidem nomen, aut tenuiſſima imperii particula manſit. In his verbis ineſt gradatio, cuius cauſa verbum Hebræum accipimus ametabatως, ſeu intranſitive, ut Iob XIV. 10.

V. 13. QUI DICEBAS IN CORDE TUO, &c. Alii hunc verſum ex Heb. explanant: I. *Cum tamen tu in corde tuo ſic cogitaveris: Cælos conſcendam, ſuperne ſecundum ſtellas Dei*, id eſt fulgentiſſimas, *exaltabo ſolium meum, & ſedebo in monte conſtituto*, ſeu *in montem congregationis*, ſive *Eccleſiæ*: mons Tziionis dicitur hic mons congregationis, quod in eo eſſet templum, ad quod conveniebat populus, vel quod eo conveniret populus precationis cauſa; *in lateribus aquilonis*, id eſt in uno e lateribus aquilonis. II. *At tu dicebas cum animo tuo*: alterum membrum contentionis ut dictum eſt in verſu 10. exprobrans gloriationem Babylonis; quaſi dicat: Ubi nunc eſt illa gloriatio tua, qua tu dicebas, Cæleſtem quamdam dignitatem obtinebo? quod ſequentibus verbis proponit thraſonica illa regis gloriatio: *In cælum aſcendam, ſupra ſtellas Dei fortis exaltabo ſolium meum*; id eſt, ſedem, dignitatem, imperium, poteſtatem divinam mihi vindicabo: quod finis ſequentis verſus explicat. *Et ſedebo in monte conventus*; id eſt, Dei ipſius ſedem occupabo, & eumdem mihi aſſumam honorem, qui attributus eſt Deo in monte Tziionis a Iudæa gente: *in lateribus aquilonis*, ad quæ ſpectat mons Tziionis, ſi cum ſitu Ieruſchalaimorum comparetur. Vide in Pſal. XLVII. 3. Kimchi exponit: *ſedebo in monte congregationis*, ſcilicet ubi reges & exercitus ad me congregantur: *in lateribus aquilonis*, id eſt Babyloniæ, Ieremiæ I. 14. ſed præſtant priores interpretationes. SUPER ASTRA DEI EXALTABO SOLIUM MEUM. Quidam: *ſuperius, ſuperne, ad ſtellas Dei attollam thronum meum*. Figurate iſta accipiunt, ut cælum ſit templum Ieroſolymitanum, & ſanctum ſanctorum; ſtellæ Dei, Cherubini propitiatorii: ſuper quæ omnia minabatur Thraſo Babylonicus ſe exal-

Digitized by Google

exaltaturum ſolium ſuum. IN MONTE TESTAMENTI. Heb. *in monte ſtationis*, *conventus*, *Eccleſiæ*. Ita appellatur mons Tziionis propter templum & cultum in eo conſtitutum & ordinatum: nam Moriah iugum & pars Tziionis erar. De voce מועד *moghed*, vide Exod. XXVII. 21. & Forſteri Dictionarium, pag. 336.

V. 14. SUPER ALTITUDINEM NUBIUM. Heb. *ſuper excelſa denſæ nubis*. Forte alludit ad nebulam gloriæ, quæ templum obtegebat, I. Reg. VIII. 10. Totum hunc locum de Luciſero, proprio & hiſtorico ſenſu de Babylonio monarcha accipiendum eſſe, non eſt dubium. Plerique tamen Patrum ſublimiori ac myſtico ſenſu adiuncta proſopopœia, de caſu Luciferi primi angeli apte pieque interpretantur. SIMILIS ERO ALTISSIMO. Coniugatio Hithpahel ſignificatum auget: *ſimilem me faciam Supremo*.

V. 15. VERUMTAMEN AD INFERNUM DETRAHERIS IN PROFUNDUM LACI. Alii: *Verumtamen in ſepulcrum deiicieris*, *ad latera foveæ*. Altera pars ſermonis, ut oſtendimus in verſ. 10. qua exponunt mortui, ne volentibus quidem Medis & Perſis ſepelire Babylonium, paſſuros eſſe mortuos, ſed eum recognitum conſenſu uno e numero ſuo eiecturos propter intolerandam eius tyrannidem. Quidam exponunt: *ad angulos cavernæ*, quaſi indignus loco medio.

V. 16. QUI TE VIDERINT, AD TE INCLINABUNTUR, &c. Alii hunc verſum ex Heb. reddunt: I. *videntes te*, *te proſpicient*, vel *intente aſpicient te*, vel *inclinabunt ſe ad te*, geſtu mirantes ſortem tuam: *te contemplabuntur dicentes*: *Num hic eſt vir ille*, *qui conturbabat terram*, *concutiebat regna*? II. *videntes te*, *ad te proſpicient*, *te diligenter obſervabunt*: *Numquid iſte eſt vir*, *qui commovebat terram*, *qui trepidare faciebat regna*? III. *videntes te*, *inclinabunt ſe ad te*, *ut propius te conſiderent*, *dicentes*: *Anne hic eſt vir iſte*, *qui tremefecit terram*, *& regna concuſſit*? IV. *videntes te*, *conſiderabunt te*, *in te advertent*, *dicentes*: *Hiccine vir ille eſt*, *qui commovebat terram*, *qui continebat regna*? V. *videntes te ad te proſpicient*, *ad te perpendent*: *Num hic vir tremefaciens terram*, *commovens regna*? TEQUE PROSPICIENT. Verbum בין *bin*, hic in Hithpahel notant ſignificare conatum intelligendi, & diligentem, accuratam, & ſtudioſam obſervationem: ut ſupra cap. I. 3.

V. 17. QUI POSUIT ORBEM DESERTUM. Quidam: *qui diſponebat orbem habitabilem ſicut deſertum*. VINCTIS EIUS NON APERUIT CARCEREM. Alii ex Heb. I. *Vinctis eius domum non aperuit*. II. *Vinctos eius non ſolvit ut redirent domum*. III. *Vinctos ſuos non ſalvabit reverſuros domum*. IV. *Vinctis ſuis non aperuit intrinſecus*, id eſt carcerem interiorem; quaſi dicat, Vinctos penitiſſimis carceribus incluſos detinebat.

V. 18. OMNES REGES GENTIUM, &c. Alii ex Heb. I. *Omnes reges gentium*, *omnes*, *inquam*, *iacent cum gloria*, *quiſque in domo ſua*, id eſt in ſepulcro ſuo. Etenim ſepulcrum domus æterna, conſtituta omni viventi, Eccleſ. XII. 5. & Iob XXX. 23. II. *Omnes reges gentium*, *quotquot ſunt*, *occubuerunt*, *glorioſe quiſque domi ſuæ*; id eſt, non ita turpiter ut tu. Tertia pars, prophetica narratio graviſſimorum iudiciorum Dei, cum velut præſentium, quæ Iudæi erant viſuri in regem Babyloniæ, tribus verſibus; tum deinceps amplius eventurorum, verſ. 21. & ſequentibus.

V. 19. TU AUTEM PROIECTUS ES, &c. Alii varie hunc verſum ex Heb. transferunt: I. *Tu autem abiectus es de ſepulcro tuo*, *ut ſurculus abominandus*, *veluti exuviæ interfectorum*, *qui ferro confecti ſunt*, *deſcendentium ad lapides laci tamquam cadavor proculcatum*. II. *Tu autem proiectus es de ſepulcro tuo tamquam ſtirps abominabilis*, *& veſtimentum occiſorum perforatorum gladio*, vel *qui confoſſi ſunt gladio*, *aut qui deſcenderunt ad lapides ſepulcri*, id eſt coniiciuntur in ſepulcrum ſtratum, ſeu conſeptum lapide: *ac veluti cadaver conculcatum*; id eſt, quod in prælio pedibus hominum, & ungulis equorum proculcatur, aut in cœno volutatur. III. *Tu vero abiicieris e ſepulcro tuo*, id eſt in quo alioqui ſepeliendus eſſes, *ut ſurculus abominandus*, *ut veſtimentum interfectorum*, *onuſtorum crebris ictibus gladii*: *ut deſcendentes ad lapides foveæ*, *ut cadaver proculcatum*. Triplex ſimilitudo evidentiſſime deſcribit hoc loco abiectiſſimum ſtatum Babylonii; prima eſt putris ſurculi; ſecunda, veſtimenti undequaque proſciſſi & fœdati ſanguine; ter-

tia cadaveris laniati in partes innumeras, adeo ut non poſſint colligi, quod ita negligitur ut libere proculcetur omnium pedibus, & ne tum quidem ſepeliatur cum fovea præſto eſt, iacens hic illic, ad cippum aut monumentum foveæ deferatur. Et obvolutus cum his qui interfecti sunt gladio. Hebr. *veſtimentum interfectorum*, *oneratorum gladio*, ſeu *onuſtorum crebris ictibus gladii*, vel *confoſſorum*, *perfoſſorum*, *punctorum*, *tranſfixorum gladio*. De ſignificatione verbi מען *taghan*, vide in Geneſ. xlv. 17. Sicut cadaver putridum. Participium paſſivum מובס *mubas*, ex Hiphil, auget ſignificatum; id eſt, *valde proculcatum*, vel *deſpectum*, *inquinatum*, *pollutum tabo*, ſanieque; aut *deprædatum*, *direptum*, ut ſolent cadavera in prælio ſpoliari & nuda relinqui. Quidam iſtud iungunt ſequentibus: *tamquam cadaver conculcatum non unieris cum eis in ſepultura*.

V. 20. Non habebis consortium, neque cum eis in sepultura. Hebr. I. *Non unies te cum eis in ſepultura eorum*; id eſt, Non admittent te in ſua ſepulcra, ſed abiicient; vel non potieris tali honore ſepulturæ, quali reges alii. II. *Non adunaberis illis ſepultura*. Non vocabitur in aeternum semen pessimorum, vel *facinoroſorum*: id eſt, ſeminis improborum memoria diu durare non poteſt. Quidam: *non prædicabitur in ſæculum ſemen maleficorum*, id eſt tuum: ſic tranſitur ad ſequentem narrationis partem.

V. 21. Praeparate filios eius occisioni in iniquitate patrum suorum. Alii: I. *Præparate filiis eius mactationem*, *propter parentum eorum iniquitatem*; id eſt, nepotibus eius cædem; quaſi dicat, Parate vos Medi ut poſteros Nabuchodonoſori interficiatis. II. *Parate filiis eius mactationem*: alter locus narrationis, quo oſtendit Propheta, non ſemel tantum perditum iri Babyloniam, ſed ſæpius etiam in poſterum, donec tota deſerta ſit: quam ob rem ad maiorem emphaſim, primum certi velut milites, adminiſtri iudiciorum Dei accerſuntur, & mandatum accipiunt, ut ſupra cap. xiii. 2. & ſequentibus; deinde iudicium exponit Deus, quod ipſe effecturus eſt, duobus ſequentibus verſibus. Fuerunt autem iſti adminiſtri iudiciorum Dei, cum Medi & Perſæ, tum etiam Macedones, Characeni, Attali, Latrones, Parthi, & alii, de quibus ſparſim in hiſtoriis habetur mentio: *propter iniquitatem maiorum ipſorum*; id eſt, ſimilem omnino ei quam fecerant maiores, ut ſolent accumulare iniquitates, quoſcumque abdicavit Deus: ſic II. Reg. xxiii. 37. Hanc interpretationem comprobant verba proxime ſequentia; quaſi dicat: Æque atque maiores ſui viribus ſuis abuterentur ſuaque amplitudine, niſi hoc facto caveretur. Non consurgent, nec hereditabunt terram, &c. Alii I. *ne conſiſtant*, *neve poſſideant terram*, *& continentem impleant oſoribus*, ſeu pravis & infeſtis hominibus. II. *ne poſtliminio ſurgant*, *& terram occupent*, *ac ſuperficiem orbis arcibus compleant*. III. *ne ſurgentes hereditario iure poſſideant terram*, *& impleant faciem orbis habitabilis civitatibus*. Civitatum, ſeu *civitatibus*, ערים *gharim*, plerique exponunt: *civitatibus*, *urbibus*, *arcibus*: alii, *inimicis*, *hoſtibus*, *adverſariis*: proprie, *excitatoribus*: vide in I. Samuel. xxviii. 16.

V. 22. Et perdam Babylonis nomen. Alii: *& exſcindam*, ſeu *exciſurus ſum Babyloniæ nomen*: iſtarum copiarum, quas modo accerſivi, opera, deleturus ſum gloriam, ac memoriam famamque Babyloniæ. Et reliquias. שאר *ſchear*, *reliquiam*, *reliquum*, *reſtans*, *reſiduum*. Haud recte quidam: *propinquum*, *conſanguineum*; nam id eſt *ſcheer*.

V. 23. Et ponam eam in possessionem ericii. קפוד *kippod*, obſcuræ ſignificationis nomen. Sanctes: *Rabbi David in Commentariis ſcribit eſſe animal*, *quod vulgo dicitur* טרטוגא *tartuga*, *quæ invenitur in loco aquarum*. *Idem Rabbi Ioſeph*, *hoc eſt teſtudo*. *Ipſe vero Rabbi David putat genus eſſe avis deſerta incolentis*. LXX. *ubique ericium verterunt*. *Tartuga Latine eſt teſtudo animal*. *Earum genera ſunt marinæ*, *paluſtres*, *terreſtres*, *& lutariæ*, *quæ in dulci aqua diverſantur*. *In commentariis Rabbi David ſequitur Rabbi Ioſeph*. *Rabbi Selomoh ericium exponit Iſaiæ* xiv. *Sed Iſaiæ* xxxiv. *avem ſcribit eſſe quæ noctu volat*, *quæ vulgo dicitur* Chovette, *Gallice*; *Italice* Siveтta, *vel* Civetta, *Latine* Noctua. *In lingua Iſmaeliti-*

ca,

Digitized by Google

ca, *inquit Rabbi Abraham*, *dicitur kaphid*, *vel kanphad*. Forſterus: *kippod*, *Interpretum alii* exitium, *alii* caſtorem, *alii* fibrum, *cui horrendam morſus vim ſcriptores tribuunt*, *eſſe voluerunt*. *At ego ex circumſtantiis Scripturæ avem ſignificare colligo*, *quæ ſupra paludibus & maribus rapidiſſimo volatu fertur*, *ex hirundinum ſpecie*, *quæ ab abreptis pedibus apodes*, *alias Plinio referente*, *conſona cum Hebrea voce*, *Cypſeli vocantur*, *Germanice*, *Merſchvvalben*. Ergo hic *ericium*, ſeu *herinaceum* reddunt LXX. Noſter, Sanctes, Alfonſus Zamorenſis, Vatablus, Schindlerus. I. *Et ponam eam in poſſeſſionem ericii*. II. *Et ponam eam in poſſeſsionem teſtudinis*; id eſt, Efficiam ut ubi nunc eſt Babylon, ibi ſint multæ pecudes, in quibus ſunt teſtudines. Ita Kimchius, & Vatablus. III. *Ponam eam ut fibri occupent*. Ita Leo Iudas. De *fibro* vide Plinium Lib. VIII. cap. xxx. M. Varronem Lib. IV. de Lingua Latina, cap. xiii. & Feſtum, atque Iulium Cæſarem Scaligerum in Commentariis Lib. II. Ariſtotelis de Hiſtoria Animalium, cap. ii. pag. 12. IV. *Et ponam eam in poſſeſsionem cypſelo*, ſeu *apodi*: ita Forſterus, Forerius, Marinus. V. Tremellius, Iunius, Buxtorfius exponunt: *Et diſponam eam in hereditariam poſſeſsionem*, ſeu *ut ſit hereditaria poſſeſsio anataris*, *& ſtagna aquarum*, id eſt aquilæ vitam agentis circa lacus; quam Græci *morphnon*, & *percnon* vocant: alii *plancum*, de qua Plinius Lib. X. Naturalis Hiſtoriæ, cap. iii. nam hæc interpretatio magis cum hoc loco videtur convenire, & vocis etymologia, ſimiliumque locorum comparatione confirmatur, infra cap. xxxiv. ii. & Tzephaniæ ii. 14. quaſi dicat, Deſertiſſimam efficiam Babyloniam & paluſtrem totam: quod factum eſſe magis ac magis, ex quo tempore Euphrates derivatus eſt Cyri, & Orchoenorum opera, ipſe Ptolemæus teſtis eſt. Ita illi. De derivatione Euphratis per Cyrum egimus ſupra cap. xiii. 9. de altera per Gobarem, Plinius Lib. IX. cap. xxvi. *Sunt*, *qui tradunt Euphratem Gobaris præfecti opere diductum*, *ubi eum diximus findi*, *ne precipiti curſu Babyloniam infeſtaret*. De Orchenis idem Plinius eodem Lib. IX. cap. xxvii. *Sed longo tempore Euphratem præcluſere Orcheni*, *& accolæ agros rigantes*. Et præcedente capite dixerat: *Fluere aliqui ultra Babylonem continuo alveo*, *priuſquam diſtrahitur in irrigua LXXX. XII. mill.* Verum hæ diſtractiones ſeu derivationes Euphratis, non in devaſtationem terræ, ſed in magnum beneficium terræ adornatæ fuerunt. Atqui nos ex etymo vocis magis probamus Forſteri & aliorum interpretationem: *Et ponam eam in poſſeſsionem cypſelo*; nam verbum קפד *kipped*, præcidere & abrumpere ſignificat, unde dictus eſt *kippod*, *cypſelus* voce conſona, ſeu *apos*, a præciſione ſeu abruptione pedum; ſeu quod ungues habeat fortes, quibus abrumpit & incidat: & quod breviſſimo & rapidiſſimo volatu feratur. De *cypſelis* vide Plinium Lib. X. cap. xxxix. Hiſpanice appellamus, *venceios*, *aviones*: Valentine, *falzies*. Et in paludes aquarum. Heb. *& ſtagna*, ſeu *lacus aquarum*. Illuſtrat hunc locum Plinius Lib. V. cap. xxvi. de Euphrate: *Deteriore autem alveo Babylonem quondam Chaldeæ caput petit*, *mediamque permeans*, *item*, *quam Otrim vocant*, *diſtrahitur in paludes*. Ptolemæus Lib. V. cap. xx. de Euphrate, Baarſare, Baſilio fluviis Babyloniæ: *Faciunt autem fluvii & ipſorum divertigia lacus atque paludes*. Arianus Lib. VII. Expeditionum Alexandri, de Euphrate: *Atque ita in magnam altitudinem elatus univerſam circumiectam regionem obruat*, *niſi quis nonnihil diducens in Pallocopam*, *& in paludes ac ſtagna eum exoneret*: *quæ quidem paludes ab hoc alveo initio facto uſque ad regionem Arabiæ proximam*, *per vadoſa loca*, *ac tandem per occultos meatus in mare feruntur*. Facit & Herodotus Lib. I. Numero 193. *Etenim Babylonica regio omnis*, *quemadmodum Ægyptiaca*, *diſſecta eſt in foſſas*, *quarum maxima navibus tranſiri poteſt*. Et scopabo eam in scopa terens. Hebr. *& ſcopabo eam in ſcopa abolendo*, *perdendo*, *deſtruendo*. Quidam: *& everram eam everriculo perditionis*. Alii: *ſcopa quoque vaſtatrice verram eam*; quaſi dicat: Poſt demolitionem rudera ſcopis everram, ut neque reliquiæ ſuperſint. Emphaticus ſermo.

V. 24. Iuravit Dominus exercituum, dicens. Notant eſſe confirmationem ſuperiorum interminationum in Baby-

Babyloniam, primum a iuramento Dei, hoc verſu; deinde ab exemplo iudicii præcedentis contra Aſſyrios, ſequente verſu. SI NON, UT PUTAVI, ITA ERIT. Alii ex Heb. I. *Si non ut imaginatus ſum*, vel *cogitavi*, *ſtatui*, *ita ſit futurum*; ſubaudi, nolite poſt hac credere vatibus meis. II. *Mentiar*, vel *matr mihi ſit*, *diſpeream*, *niſi quemadmodum propoſui mihi*, *ita fuerit*. Eclipſis in iuramentis frequens, ut Numeror. XIV. 35. Hebr. ad verbum: *Si non ſecundum quod ſilui*, *acquievi*, *imaginatus fui*: vide ſimilem locutionem Numer. XXXIII. 56. ET QUOMODO MENTE TRACTAVI, SIC EVENIET. Alii: I. *& ſrcundum quod decrevi*, *ipſum ſtabit*, vel *conſurget*. II. *& ſi non ut ſtatui*, *ita ſit firmum futurum*. III. *& quemadmodum conſilium inivi*, *illud exſtiterit*.

V. 25. UT CONTERAM ASSYRIUM IN TERRA MEA, ET IN MONTIBUS MEIS CONCULCEM EUM; &c. Quidam reddunt: *Cum frangendo Aſſyrium in terra mea*, *ſuper montes meos proculcavero eum*: *tum amovebitur ab iſtis iugum eius*, *& onus eius ab humero iſtius populi mei amovebitur*. Prophetica definitio temporis, quo in Babylonios iudicia ſua exerciturus eſt Deus, nimirum poſtquam perfecerit interminationem, quam prius Aſſyrio denuntiaverat, ſupra cap. X. 26. & 27. Sic priorem illam everſionem Aſſyriorum monarchiæ tamquam ſignum proponit huius longo poſt intervallo eventuræ, ut apud Ieremiam exempla leguntur quamplurima.

V. 26. HOC CONSILIUM, QUOD COGITAVI SUPER OMNEM TERRAM. Quidam hunc verſum ex Hebr. reddunt: I. *Hoc eſt conſilium*, *quod decretum eſt*; *& hæc manus*, *quæ extenta eſt ſuper omnes gentes*. II. *Hoc illud conſilium eſt*, *quod initum fuit contra totam illam terram*, Babyloniam; *& hæc illa manus extenſa contra omnes iſtas gentes*, Babylonicas, & parentes imperio Babylonico. Notant, eſſe hoc & ſequente verſu concluſionem huius prophetiæ de Babylone, ut dictum eſt ſupra in verſ. 4.

V. 27. DOMINUS ENIM EXERCITUUM DECREVIT, &c. Hunc verſum alii ex Hebr. exprimunt: I. *Domino enim exercituum aliquid conſtituente*, *quis ipſum faciet irritum? cumque extenderit manum ſuam*, *quis eam reflectet?* II. *Nam Iehova exercituum inivit conſilium*, *& quis irritum faciet? & manum eius extentam ecquis avertat?* AEtiologia ab ineluctabili Dei omnipotentia: quali utitur Perſa quidam apud Herodotum Lib. IX. Numero 16. his verbis elegantiſſimis: *Hoſpes*, *quidquid ex Deo fieri oportet*, *id homini inevitabile eſt*.

V. 28. IN ANNO, QUO MORTUUS EST REX ACHAZ, FACTUM EST ONUS ISTUD. Alii ex Hebr. *Quo anno mortuus eſt rex Achaz*, *fuit oneroſa prophetia hæc*. Hinc novum caput exordiuntur; exponuntque: Id eſt, Cum Chizkiia ſolus regnare cœpit: nunc demum incipit tempus quartum prophetiarum Ieſchahiæ, nimirum quas Chizkiia regnante prophetavit. Quamobrem ut hoc caput cum præcedente iungatur, neque temporum ratio ferre poteſt, neque argumentum.

V. 29. ONUS ISTUD. Vide ſupra cap. XIII. 1. NE LAETERIS PHILISTHAEA OMNIS TU. Alii: *Ne lætator tu*, *Palæſtina tota*. Etſi hæc denuntiatio ad emphaſim compellat Peliſthæos, non dubium eſt tamen quin ad confirmandam regis novi, Iudæorumque fiduciam hoc modo fuerit enuntiata; quaſi dicat: Non eſt, quod vos, o Iudæi, animum porro abiiciatis, & cedatis potentiæ Peliſthæorum; quin potius bono animo eſtote, nam hoc ego confidenter Peliſthæis denuntio, non eſſe cur lætentur amplius de victoria ſua, de præda, de oppidis captis, II. Chronicor. XXVIII. 18. QUONIAM COMMINUTA EST VIRGA PERCUSSORIS TUI. Alii: *quod confracta fuerit virga percutientis te*; id eſt, quod inde a temporibus Huzziiæ liberum vobis fuerit per ignaviam Achazi in Iudæam involare, depopulari, occupare, conturbare omnia ſine ullo impedimento. *Percutientis te*, id eſt Huzziiæ, qui Peliſthæos affecit malis graviſſimis, II. Chronicor. XXVI. 6. DE RADICE ENIM COLUBRI EGREDIETUR REGULUS. Quidam: *nam e radice ſerpentis*, id eſt ex ſtirpe Huzziiæ, qui vos momordit graviter ut ſerpens (allegoria) *prodit hæmorrhous*, id eſt rex Chizkiia, qui vos admorſurus eſt gravius, immo graviſſimis & immedicabilibus malis ſumma alacritate affecturus: quod ſequens gradatio docet: nam inde a temporibus Chizkiiæ Peliſ-

chthæos

chthæos per ſe tentaſſe quidquam, non meminimus legere. REGULUS. צפע *tzephagh*, *baſiliſcus*, vel *aſpis*, vel *hæmorrhous*: vide ſupra cap. XI. 8. & in Proverb. XXIII. 32. ET SEMEN EIUS ABSORBENS VOLUCREM. Hebr. *& fructus eius Saraph volitans*. Alii: *ſerpens ignitus volans*. Nonnulli: *etiam fructus eius prætervolans*. Vide in Numerorum XXI. 6. Neſcio cur hic quidam *ceraſtem* exponant: nam hic non volat.

V. 30. ET PASCENTUR PRIMOGENITI PAUPERUM. Alii ex Hebr. I. *principes paſcent primogeniti tenuium*, &c. id eſt, tenuiſſimi Iudæi, & ſumme attenuati, attritique calamitatibus, in hoc ſuo rege velut paſtore conquieſcent, & fruentur bono: vide Iob XVIII. 13. II. *Et pauperes depaſcent primogenitos fructus*: ut iſtud membrum alteri ſequenti opponatur, *& interire faciam in fame radicem tuam*, &c. Sed hanc interpretationem non ſatis admittit conſtructio Hebraica. ET INTERIRE FACIAM, &c. Alii: *cum enecavero fame radicem tuam*; id eſt, fame & bello parentes & liberos, magnos & parvos conſumpſero, & cum turres ipſas cuſtodum, tum civitates munitas evertero, quod factum eſt opera Chizkiiæ II. Reg. XVIII. 8. *& reſiduum tuum interfecerit*, ſcilicet Chizkiia.

V. 31 ULULA PORTA, CLAMA CIVITAS: PROSTRATA EST PHILISTHAEA OMNIS. Alii: *Eiula porta*, *exclama civitas*, *diffluere Palæſtinam totam*. Explicatio ſummi illius excidii, quod modo attigerat per proſopopœiam. Quidam: *reſoluta eſt Palæſtina univerſitas tua*. Nonnulli: *nam liquefacta eſt Palæſtina univerſa*, ſcilicet tu. AB AQUILONE ENIM FUMUS VENIET. Quidam: *Ab aquilone*, id eſt ex Iudæa, quæ ratione Peliſchthææ ad aquilonem ſita eſt, *ut fumus advenit*, id eſt tanta celeritate, vi, & acrimonia, ut non magis obſiſtere Peliſchthæi poſſint Chizkiiæ, quam venienti acerrimo fumo & omnia rimanti diligentiſſime, quem ignis iræ meæ accenſus excitabit, & impellet in vos. ET NON EST QUI EFFUGIET AGMEN EIUS. Alii ex Hebr. I. *& non erit ſolitarius in ſtatis temporibus eius*; id eſt, non erit, qui ſolus remaneat temporibus ſtatutis & præfixis ab ipſo Ezechia; quaſi dicat, Omnes cum Ezechia convenient ad condictum tempus in bellum contra Peliſthæos. II. Forſterus, & Forerius: *& non eſt ſolitarius*, id eſt unus, *in conſtitutis eius*, ſive *in turmis*, *agminibus*, *caſtris eius*. Nam מועדים *mogbadim*, interdum ſumitur pro caſtris ſeu agminibus certo numero & ordine conſtitutis, ut Ierem. XLVI. 17. quaſi dicat: Ne unus quidem remanebit in caſtris, aut in tentoriis ſuis, quin ſequatur agmina & turmas Ezechiæ contra Peliſthæos: nemo eam militiam detrectabit. III. *nec eſt*, *qui ſe ſubducat diebus feſtis eius*; quaſi dicat, Nec diebus feſtis abſtinebunt a bello, vel prælio. IV. *& non ſupererit vel unus in cœtibus eius*, quin ſequatur bellum. V. *neque ullus ſeorſim proſpecturus eſt ſibi in cœtibus eius*; id eſt, non molleſcent aut frangentur animi Iudæorum Chizkiiæ miniſtrantium in exequendis Dei iudiciis; ſed procedent cuncti alacerrime nihil proſpicientes ſuis commodis aut otio. Acutius & alienius Montanus Hiſpanice reddit: *No baldara*, ſcilicet aquilo, *en ſus plazos*; id eſt, ſtata tempora huius aquilonis non erunt in caſſum aut in vanum: ſed flabit aquilo ſuis temporibus cum efficientia.

V. 32. ET QUID RESPONDEBITUR NUNTIIS GENTIS? Heb. verbum eſt activum: *Et quid reſpondebit nuntiis gentis?* Varie exponunt: I. *Et quid reſpondebit quiſque nuntiorum gentis?* ſubaudi, exterarum & vicinarum, cum revertentes ad ſuos rogabuntur quid novi afferant a Iudæa. Hoc ſcilicet reſpondebunt: *Iehovam fundaſſe Tziionem*, &c. II. *Quid ergo reſponſurus eſt legatis gentis?* Obſervant eſſe concluſionem huius prophetiæ in Peliſthæos, qua Propheta regem novum informat, quid, qua fiducia ſit Peliſthæorum legatis reſponſurus: *legatis gentis*, Peliſthææ. QUIA DOMINUS FUNDAVIT SION, ET IN IPSO SPERABUNT PAUPERES POPULI EIUS. Alii ex Heb. I. *Quod Iehova fundavit Tziionem*, id eſt firmavit, ſtabilivit, hoc eſt protegit, tuetur, reddiditque eam inexpugnabilem & invictam: *& in ea fiduciam habebunt pauperes populi eius*. II. *Quod Iehova fundavit Tzionem*, *& in ipſa protectionem quærent inopes populi eius*. III. *Iehovam fundaſſe Tziionem*, *ut in eam ſe recipiant*

pau-

pauperes populi ſui, ſcilicet Dei ; id eſt, oſtendet rex nihil ad ſe pertinere quid Peliſthæi obtendant, quid poſſint, quidve poſſideant in Iudæa ; ſed ſe fretum promiſſionibus & potentia Dei procuraturum ſedulo, ut miſeri ſui populi ſedes recuperentur, & tota Iudæa ſarta tecta conſervetur . Evidens typus Eccleſiæ, quæ latibulum, protectio, & aſylum eſt omnibus afflictis.

MENOCHII.

Verſ. 1. TEMPUS, ſcilicet excidii Babylonis. NON ELONGABUNTUR, id eſt cito aderunt. ELIGET DE ISRAEL : Iſraelitas aliquos eliget. SUPER HUMUM SUAM; ſcilicet in Iudæa, ad quam redibunt. ADIUNGETUR ADVENA: creſcente exiſtimatione religionis Iudæorum in patriam redeuntium, gentiles ſe illis adiungent, & fient proſelyti.

V. 2. TENEBUNT EUM, &c. id eſt honorifice comitabuntur redeuntes. ADDUCENT EOS, &c. id factum iubente Cyro, & Artaxerxe, ut patet Eſdræ cap. 1. & 11. POSSIDEBIT EOS DOMUS ISRAEL, &c. poſſidebant eos corporaliter qui ſe preſſi paupertate Iudæis vendebant. Spiritualiter vero ſubiiciebant eos, qui ſacra Iudaica ſuſcipiebant, ex quo intelligitur, quid ſibi velit id quod ſequitur, ERUNT CAPIENTES; &c. EXACTORES SUOS, ſcilicet oppreſſores. LXX. *dominantes ſibi*, ſcilicet quondam cum eſſent in captivitate.

V. 4. SUMES PARABOLAM, ſcilicet parabolicum canticum. LXX. *planctum hunc*.

V. 5. BACULUM IMPIORUM: potentiam intelligit, qua abutebantur Babylonii, dominatu tyrannico prementes Iudæos.

V. 6. IN INDIGNATIONE: iracunde, & furenter.

V. 7. OMNIS TERRA, ſcilicet antea Babyloniis ſubiecta, vel Iudæa.

V. 8. ABIETES: metaphora abietum, & cedrorum, principes, & reges deſignat. SUPER TE: cum quid tibi acciderit, cognoverunt. EX QUO DORMISTI: mortuus es.

V. 9. INFERNUS, &c. quaſi dicat: Deſcendenti tibi in infernum, occurrerunt, qui illic erant cum tumultu, &c. Deſcriptio eſt metaphorica, & poetica, cum ſarcaſmo, & irriſione hoſtili, per ſimilitudinem adventus principis victi in bello. Per infernum, ſepulcrum, & ipſum infernum intelligere poſſumus. SUSCITAVIT TIBI GIGANTES: miſit in occurſum tuum heroes, viros fortes, ac terribiles, ut gigantes, qui ſunt in inferno.

V. 11. STERNETUR TINEA, &c. ut cadaveribus accidit mortuorum, licet ſint principes, aut reges.

V. 12. QUOMODO CECIDISTI DE CAELO LUCIFER : intelligit Regem Babylonis, qui ut Luciferi ſtella clare ſplendebat propter claritatem regiæ dignitatis & famam potentiæ. Solet hic locus bene accommodari d abolo, qui a Deo cum ſplendore gratiæ creatus eſt. QUI MANE ORIEBARIS : qui ut ſtella Luciferi matutina fulgebas gloria, ac maieſtate poteſtatis tuæ.

V. 13. SEDEBO IN MONTE TESTAMENTI; quaſi dicat : Sicut Deus cultus eſt in monte teſtamenti, id eſt in templo Ieroſolymitano antequam deſtrueretur, ita ego ibidem colar. IN LATERIBUS AQUILONIS. Idem templum vocatur *Latera Aquilonis*, quia erat ad Aquilonarem urbis partem ſitum, ut patet ex illo Pſal. XLVII. 2. *Mons Sion latera Aquilonis, civitas regis magni.*

V. 15. IN PROFUNDUM LACI : foveæ ſepulcralis, immo inferni damnatorum : ſic infra eumdem locum appellat, *Fundamenta laci*, n. 19.

V. 16. AD TE INCLINABUNTUR, ſcilicet ut iacentem videant. NUMQUID, &c. ſunt verba mirantium caſum Regis Babylonis.

V. 17. VINCTIS EIUS NON APERUIT CARCEREM, id eſt *vinctis ſuis*, ut vertit Vatablus, id eſt iis, quos vinctos immiſericorditer tenebat, & iniulte.

V. 18. DORMIERUNT IN GLORIA: glorioſe mortui ſunt, & ſepulti. VIR IN DOMO SUA: unuſquiſque in ſepulcro, ſeu Mauſolæo ſuo.

V. 19. PROIECTUS ES DE SEPULCRO; id eſt in ſepulcrum non es illatus. POLLUTUS, ET OBVOLUTUS: ſanie, ſanguine, & cadaveribus occiſorum, vermibuſque inde ſcaturientibus; hoc enim eſt quod dixit nu. 11. *Subter te ſternetur tinea, & operimentum tuum erunt vermes.*

FUN-

Digitized by Google

Fundamenta laci, profunditatem foveæ.

V. 20. Non habebis consortium, &c. quia carebis ſepulcro. Non vocabitur in aeternum semen pessimorum; quaſi dicat: Delebitur memoria ſeminis, & ſtirpis impiorum, nam Baltaſari, de quo hic eſt ſermo, nemo de ſtirpe Nabuchodonoſor ſucceſſit, ſed cum eo omnis regia ſtirps extincta eſt, ut notat D. Hieron.

V. 21. Praeparate filios eius occisioni: decernite ut mactentur filii Baltaſar. In iniquitate patrum suorum, id eſt ob iniquitatem. Non consurgent, id eſt non conſiſtent, non proficient. Neque implebunt faciem orbis civitatum; id eſt, neque multiplicabuntur ſuper faciem terræ, & per civitates orbis.

V. 23. In possessionem ericii. In Hebræo eſt קפד *qipbod*, ſed non conſtat quodnam ſit hoc animal. Aliqui *teſtudinem*, alii *noctuam* interpretantur. Foreirius exiſtimat eſſe aves, quæ ſupra paludes rapidiſſimo feruntur volatu, ex hirundinum genere, quæ quia fere carent pedibus, apodes, vel cypſeli vocantur, & in parietinis nidos ſolent conſtituere. Italice appellamus *Rondoni*: ſed ut alias monui, incerta fere eſt apud Hebræos animalium, ſtirpium, herbarum, gemmarumque interpretatio. Scopabo eam in scopa terens, id eſt, ut vertit Vatablus, *ſcopa vaſtatrice verram eam*.

V. 24. Si non, &c. eſt formula iurandi; quaſi dicat: Si ita ad unguem non evenerit, non habear Deus. Ut putavi: ut cogitavi, ut ſtatui.

V. 25. Ut conteram Assyrium in terra mea: intelligit Sennacherib, hunc enim in terra ſua, hoc eſt in Iudæa contrivit Deus. Redit enim Propheta ad ſua tempora, & ad Sennacherib urbi iam incumbentem, de quo egit cap. VII.

V. 26. Hoc consilium quod cogitavi super omnem terram; id eſt, hæc eſt vindicta, quam exercere decrevi contra omnes gentes Aſſyriis ſubiectas, & cum illis confœderatas contra Iudæos, ut ſunt Syri, Samaritæ, Moabitæ, Idumæi, Philiſthini, & AEgyptii, quibus proinde cladem in ſequentibus capitibus Propheta denunciat.

V. 28. Factum est onus istud. Impleta eſt hæc prophetia contra Philiſthæos. Supra diximus, *Onus* ſignificare prophetiam triſtem, & calamitoſam.

V. 29. Quoniam comminuta est virga percussoris tui. Percuſſores appellat eos, qui Philiſthæos magnis affecerunt cladibus; quaſi dicat: Ne læteris quod iam dudum Samſon, David, Oſias mortui ſint. De radice enim colubri egredietur regulus. Formula dicendi proverbialis, qua ſignificatur minori cladi maiorem ſucceſſuram, & parentibus aſperiores, & nocentiores fore filios; regulus enim, ſive baſiliſcus, dirius habet venenum, quam colubri communes, Samſon, David, & Ozias confertur colubro; Ezechias vero, qui Achaz ſucceſſit, baſiliſco comparatur. Absorbens volucrem, id eſt ſolo quaſi ſpiritu & halitu ſuo afflans, & comburens (hoc enim eſt Hebr. שרף *ſaraph*) enecans, & abſorbens Philiſthæos.

V. 30. Pascentur primogeniti pauperum. Vel primogeniti pauperum idem ſunt ac filii pauperum, vel ſignificantur valde pauperes; quod enim in quaque re præcipuum eſt, ac primarium, illud primogenitum dicitur, ut cum mors appellatur *primogenita*, Iob XVIII. 13. ſignificatur mors maxime dira, & feralis: ſententia ergo verſiculi eſt; Iudæi pauperes prius, & afflicti abundabunt, vos vero Philiſthæi fame peribitis. Radicem tuam: *ſemen tuum*, ut habent LXX. Reliquias tuas: filios tuos.

V. 31. Ulula porta, clama civitas: ululate portæ, & urbes Philiſthinorum. Notat in *portis* magiſtratus, & principes (hi enim ſedebant, & iudicabant in portis) in *civitate* plebem, & vulgus; quaſi dicat, Ululate tam principes, quam vulgus. Ab aquilone: ab Ieruſalem, quæ Philiſthæis eſt ad Aquilonem. Fumus veniet: ſcilicet Ezechiæ regis exercitus copioſus, multum pulveris excitans, ita ut fumus aut nubes videantur. Agmen eius: exercitum eius.

V. 32. Quid respondebitur nunciis gentis: cum ſcilicet, de more, ex vicinis provinciis venient ad Iudæos ſci-

ſciſſatum de ſtatu belli. QUIA DOMINUS, &c. Hæc erit reſponſio, quæ nunciis dabitur. FUNDAVIT SION: Deus regnum Iudaicum fundavit & ſtabilivit. SPERABUNT PAUPERES POPULI EIUS. LXX. *Per ipſum ſalvabuntur humiles plebis*. Facile hæc Sioni ſpirituali, id eſt Eccleſiæ, poſſunt adaptari.

TIRINI.

Verſ. 1. PROPE EST TEMPUS EIUS, ſcilicet excidii Babylonis: nam licet fere 166. annis *a* adhuc abeſſet; tamen hoc tempus exiguum eſt reſpectu æternitatis, immo reſpectu durationis regni alicuius. MISEREBITUR ENIM DOMINUS IACOB, ſeu populi Iſraëlitici, nempe per excidium Babylonis accelerando initium monarchiæ Cyri, a quo ſolvi debebat Iudæorum captivitas. Et redeuntibus in Iudæam ADIUNGETUR ADVENA AD EOS: puta ex Medis, Perſis, Babyloniis multi provocati exemplo ſanctæ vitæ, vel etiam nova felicitate Iudæorum ex exilio in patriam remigrantium, etiam ipſi relictis idolis Ieroſolymam accurrent, deſerviturі vero Deo, inquit S. Hieronymus.

V. 2. ET TENEBUNT; Chaldæus, *tollent*, EOS POPULI externi; quaſi dicat: Honorifice Iudæos reduces excipient aliæ gentes, ſeu vicinæ Iudææ, ſeu remotiores: ita certe iuſſerunt Cyrus, Darius & Artaxerxes reges: I. Eſdræ I. II. &c. Quin & plurimos Chaldæorum iam a Perſis ſubactorum poſſidebunt Iudæi IN SERVOS ET ANCILLAS, ſeu pretio emptas, ſeu ſponte propter inopiam ſe ſubiicientes iis quibus ante dominabantur.

V. 4. QUOMODO CESSAVIT EXACTOR duri tributi & oneris, quo rex Chaldæus gravabat & exhauriebat miſeros Iudæos? QUIEVIT TRIBUTUM? Hebraice, *deſiit aurum tributarium?*

V. 8. ABIETES QUOQUE LAETATAE SUNT. Abietibus & cedris comparat reges & principes a Chaldæo tyranno ſubactos. Hi, inquit, exciſa Babylone, & occiſo tyranno perinde lætati ſunt, ac ſolent naturaliter gaudere arbores, ſi mori contingat lignatorem vel cæſorem illarum.

V. 9. INFERNUS SUBTER; id eſt, incolæ inferni, principes & reges a te occiſi olim, iam præ nimia admiratione caſus tui ſtupentes & *conturbati*, ut feſtivius te adventantem exciperent, irridentes & ſubſannantes obviam occurrerunt TIBI GIGANTES, id eſt heroes & viri illi famoſi ac terribiles, quos tu ante regno & vita ſpoliaras. Et ut adventante rege omnes principes aſſurgunt, eum ſeſſum invitant, & ad primum thronum deducunt: ſic & ipſi tibi tanquam victori ſuo, regi & monarchæ primum, id eſt imum ac teterrimum in inferno locum cedunt, hoc adiecto ſarcaſmo:

V. 10. ET TU, qui putabas te immortalem eſſe, VULNERATUS ES lethaliter, SICUT ET NOS a te vulnerati fuimus.

V. 11. CONCIDIT CADAVER TUUM, id eſt proiectum iacet inſtar canis vel aſini mortui in fimeto, ibi putreſcit vel a feris devoratur. SUBTER TE STERNETUR non aureus tapes, non pretioſa unguenta, ut regum cadaveribus ſubſterni ſolent, ſed TINEA ET VERMES, uti videre eſt in cadaveribus patibulariorum & in prælio cæſorum.

V. 12. QUOMODO CECIDISTI DE CAELO LUCIFER? Intelligit ad litteram regem Chaldæorum, ut docent Hieronymus, Cyrillus, Baſilius, Auguſtinus, Haymo & alii. Non tamen Nabuchodonoſorem, ut iidem volunt, quia is glorioſa morte occubuit, & regio more ſepultus eſt: nec damnatus veroſimillime, ſed ſalvatus fuit, ut dicam Dan. IV. 30. ſed filium eius Balthaſarem, qui turpiter a Cyro & Dario victus & iugulatus fuit, & inter aliorum cæſorum cadavera ſanie & vermibus computruit. Vocatur vero *lucifer*, quia ſplendore & maieſtate imperii inter homines & reges eminebat, ſicut *lucifer* inter aſtra, inquit Cyrillus: & ſicut alius *Lucifer* inter angelos, inquit Ambroſius, Auguſtinus & alii. Simili modo Ezech. XXVIII. ſub typo Cherubini deſcribitur gloria & caſus regis Tyri. Ergo faſtus & caſus angeli Luciferi deſcribitur hic quaſi in parabola, ſeu typo; ſed ad litteram intelligitur faſtus & caſus Balthaſaris: ita Tertullianus, Cyprianus, Athanaſius & alii hic ab Aria Montano citati.

V. 13. & 14. IN CAELUM CONSCENDAM; id eſt, ſummum thronum gloriæ, maie-

Digitized by Google

maieſtatis & honoris, etiam divini comparabo mihi: colar ab hominibus eo cultu & reverentia, qua Deus in cælo colitur ab angelis: ſunt enim hæc ut parabolicæ, ſic etiam hyperbolicæ exaggerationes, SUPER ASTRA DEI, id eſt altiſſima, EXALTABO SOLIUM MEUM: ASCENDAM SUPER ALTITUDINEM NUBIUM, id eſt dominabor omnibus aſtris & nubibus, inde tonitrua & fulmina eiaculabor inſtar Iovis altitonantis. SEDEBO IN MONTE TESTAMENTI; id eſt, ſicut Deus colebatur in templo Ieroſolymitano, priuſquam illud a patre meo Nabuchodonoſore ſubverteretur; ita etiam ego Balthaſar coli volo ut Deus in throno meo, vel in delubris regni mei. Porro templum Salomonis vocatur *mons* propter altitudinem, & *teſtamenti*, ſeu fœderis, propter tabulas legis & arcam fœderis, quæ in eo adſervabantur. Idem templum vocatur hic *latera* AQUILONIS, quia ſitum erat ad Aquilonarem urbis partem, ut dixi Pſal. XLVII. 3. unde LXX. hic vertunt, *montes excelſos qui ſunt ad Aquilonem*.

V. 19. PROIECTUS ES DE SEPULCRO TUO, id eſt procul a ſepulcro tibi more regio ante parato: nempe cum reliquis cæſorum cadaveribus in communem foſſam coniectus eſt, POLLUTUS ET OBVOLUTUS ſanie & ſanguine.

V. 20. NON VOCABITUR; Græce & Chaldaice, *non permanebit*, SEMEN PESSIMORUM; quaſi dicat: Delebitur, extirpabitur memoria ſeminis & ſtirpis tam crudelium & impiorum parentum. Et vero quotquot habuit Balthaſar filios, ſeu legitimos, ſeu naturales (ut veriſimile eſt habuiſſe plurimos ex tot concubinis) ſeu adoptivos, certum eſt ex verſ. ſequen. iuſſu Cyri & Darii occiſos fuiſſe.

V. 23. SCOPABO EAM IN SCOPA TERENS. Vatablus, *ſcopa vaſtatrice terram eam*; quaſi dicat: Ita exacte everrent Perſæ & expilabunt optima quæque Babylonis, ſicut ſtudioſa ancilla ſcopis e pavimento everrit etiam minimum pulviſculum, radendo & atterendo ipſum quoque pavimentum.

V. 25. UT CONTERAM ASSYRIUM Senacherib, veſtris iam humeris incumbentem, IN TERRA MEA ſancta, nempe Iudæa; de quo ſupra cap. VII. ita conteram quoque Chaldæum Balthaſarem. Et iſtius clades pro ſigno vobis ſit cladis etiam huic 150. poſt annis certiſſimo obventuræ.

V. 26. HOC CONSILIUM, hoc decretum eſt divinum SUPER OMNEM TERRAM, id eſt ſuper omnes gentes, quæ una cum hoc Aſſyrio tyranno contra Iudæos arma ſumunt, ut faciunt Syri, Samaritæ, Philiſthini, Moabitæ, Idumæi & Ægyptii, quibus proinde cladem ſequentibus capitibus ordine denuntiat Propheta: ita S. Hieronymus. Et primum Philiſthinis (nam Samaritis & Syris ſupra *b* ſatis fuſe comminatus eſt) occaſione mortis Achaz ſat inſoleſcentibus, prædicit, per filium eius Ezechiam eos attritum & exciſum iri.

V. 29. COMMINUTA EST VIRGA, id eſt regium ſceptrum, PERCUSSORIS TUI: nempe Achaz, ut vult S. Hieronymus, Haymo & S. Thomas. Nam licet is aliquando cladem ingentem a Philiſthæis acceperit, II. Paral. XXVIII. 18. potuit reſtauratis poſtea viribus viciſſim infeſtaſſe & afflixiſſe Philiſthæos, vel ſaltem ultionem paraſſe: cui apparatui cum immoreretur Achaz, & hoc nomine lætarentur Philiſthæi, prædicit Iſaias ipſos per filium Achaz, nempe per Ezechiam, longe gravius afflictum iri. Quibus quaſi radicitus exciſis,

V. 30. PASCENTUR in opimis paſcuis PRIMOGENITI PAUPERUM, id eſt etiam pauperrimi Iudæorum; quaſi dicat: Sub rege Ezechia pax erit & rerum omnium abundantia in Iudæa, etiam apud pauperes. RADICEM TUAM, ET RELIQUIAS TUAS; id eſt, poſteritatem, ſeu proles tuas, o Philiſthæa, INTERIRE FACIAM non tam gladio, quam *fame*, & rerum omnium inopia.

V. 31. ULULA PORTA; id eſt, congregatio principum & iudicum, qui in portis iudicia exercebaris. CLAMA CIVITAS, id eſt congregatio plebis, quæ urbem incolis; quaſi dicat: Plangite quotquot eſtis Philiſthæi tam principes quam plebeii. AB AQUILONE ENIM, id eſt a Ieroſolyma Philiſthinis Aquilonari, FUMUS VENIET: cum *Ezechia* eiuſque copiis militaribus, quæ & pedibus copioſum pulverem, & manibus fumum ar-

que ignem vobis excitabunt: ut narratur Ierem. XXVII. & alibi *c*.

V. 32. Et quid respondebitur nuntiis gentis? ſeu gentium externarum? quaſi dicat: Quæ, putas, ſama toto orbe ſpargetur de hae veſtra clade, & victoriis Iudæorum? Reſpondebitur, ſeu ſpargetur paſſim, quod Dominus fundavit *Sionem*, id eſt Ieroſolymam, eamque ut proprium peculium ſuum amat, protegit, tuetur aſſiduo. Unde mirum non eſt, quod etiam pauperes populi eius, id eſt Iudæi, quando aſſliguntur & opprimuntur, in ipso *ſperent*: ipſum invocent, & ad ipſius opem confugiant, tuti ſemper tali aſylo & præſidio.

(a) Chron. cap. XXIX.
(b) Cap. VII. & ſeq.
(c) IV. Reg. XVIII. 8.

G O R D O N I.

Verſ. 1. PRope est ut veniat tempus eius. Vaticinantur de reditu Iudæorum a captivitate, quando capient, inquit, eos, a quibus ſunt capti. Multi ſane cum Iudæis redierunt Babylonii, qui ſe Iudæis & legi ſubiecerunt: vide Eſdra cap. I. & II. aliunde etiam ad Iudæos multi acceſſerunt, conceſſa libertate a Cyro & Artaxerxe: vide qq. Chronol. cap. XII. XIII. & XV. & ad annum mundi 3444. & deinceps, ubi hiſtoria hæc ordine retexitur.

V. 3. Sumes parabolam. Heb. משל, *maſchal* deſignat proverbium, parabolam, ſententiam. In hoc carmine velut in epitaphio Babyloniæ habes præter rem geſtam, etiam proſopopœiam, dicteria, & (verſ. 9) ſarcaſmum in regem ſuperbum.

V. 12. Quomodo cecidisti de caelo lucifer. Heb. הילל *helil*, *ſtella matutina*, aut *lucifer* a rad. הלל. Ambroſius & Athanaſius hoc intelligunt de caſu Diaboli. Cyprianus intelligit Antichriſtum. Plures tamen & recte intelligunt regem Babylonium: ita Hieron. Baſil. Cyrillus, Haymo, S. Thomas, & Auguſt. Lib. de Doct. Chriſt. cap. XXXVII. quod nomen Luciferi ex communi ſenſu Eccleſiæ competens principi dæmonum (quidquid dicat Calvinus) hic attribuitur ſuperbo regi Baltaſaro, qui ex illuſtri imperio velut e cælo excidit. Ceterum per verba quidem (duplicem enim ſenſum habet quævis parabola) aperte denotatur caſus Diaboli; & ſub hoc velo parabolico deſcribitur Baltaſar, & hic eſt litteralis ſenſus. Sic, inquam, ſenſum dant duplicem parabolæ; hiſtoricum rei narratæ vi verborum, & parabolicum qui hoc loco eſt litteralis: ita eſſe habes ex verſ. 16. & deinceps præclare explicatur tumidus tyranni animus, & ſtirps extincta.

V. 28. In anno quo mortuus est rex Achaz, &c. Succedit iam prophetia contra Philiſthæos: notat annum, quo Achaz patri ſucceſſit Ezechias: ne læteris Philiſthæa, quod mortui ſint percuſſores tui Samſon & David. En, inquit, Ezechiam, qui te percutiet, quod narratur IV. Reg. XVIII. erit virga & coluber (& virga Moſis) vobis *Ezechias*. Nota ex Solino cap. XXXV. dracones Arabicos volare, aves ibices contra illos pugnant: hic regulus ſeu pennatus ſerpens deſævit in aves: erit ergo Philiſthæis Ezechias, ut ſerpens volans. Hoc ipſum allegorice applicatur Chriſto, & eius ſemini Apoſtolis. Eſt hoc loco Hebræis uſitatum proverbium, *De radice colubri egredietur regulus*, cum denotatur ſore, ut ex una calamitate inſequatur alia. Quod verſ. 31. ſubditur, ab Aquilone veniet, deſignat eumdem Ezechiam, quia Ieruſalem Philiſthæis eſt aquilonaris; ſeu Gazæ & Azoto, ubi manſerunt Philiſthæi.

Ex Eiusdem Auctario.

Verſ. 13. Sedebo in monte testamenti; quaſi dixerit Babylonius: Sedebo adorandus ut Deus in loco & templo teſtamenti Ieroſolymis.

Verſ. 20. Non habet conſortium in monumentis qui caret ſepultura. Non vocabitur: erit in oblivione & dedecore.

Verſ. 23. Ericius: infra cap. XXXIV.

Verſ. 29. Hoſtis Philiſtinorum eſt illis ut coluber vel regulus. *Hic* ergo Achaz ſit coluber, *Ezechias* filius ut regulus.

CA-

CAPUT XV.

Moabitarum ruina prædicitur, & compaſſio Prophetæ erga Moab.

1. ONus Moab. Quia nocte vaſtata eſt Ar Moab, conticuit:
quia nocte vaſtatus eſt murus Moab, conticuit. 2. Aſcen-
dit domus, & Dibon ad excelſa in planctum ſuper Na-
bo, & ſuper Medaba, Moab ululavit: *a* in cunctis ca-
pitibus eius calvitium, & omnis barba radetur. 3. In tri-
viis eius accincti ſunt ſacco: ſuper tecta eius, & in plateis
eius omnis ululatus deſcendit in fletum. 4. Clamabit He-
ſebon, & Eleale, uſque Iaſa audita eſt vox eorum, ſu-
per hoc expediti Moab ululabunt, anima eius ululabit ſibi. 5. Cor meum ad
Moab clamabit, * vectes eius uſque ad Segor vitulam conternantem: per aſcen-
ſum enim Luith flens aſcendet, & in via Oronaim clamorem contritionis le-
vabunt. 6. Aquæ enim Nemrim deſertæ erunt, quia aruit herba, defecit ger-
men, viror omnis interiit. 7. Secundum magnitudinem operis, & viſitatio eo-
rum: ad torrentem ſalicum ducent eos. 8. * Quoniam circuivit clamor termi-
num Moab: uſque ad Gallim ululatus eius, & uſque ad Puteum Elim cla-
mor eius. 9. Quia aquæ Dibon repletæ ſunt ſanguine: ponam enim ſuper Di-
bon additamenta; his qui fugerint de Moab leonem, & reliquiis terræ.

(a) Ier. xlviii. 37. Ezech. vii. 18.

BRUGENSIS

ROMANAE CORRECTIONES.

Verſ. 5. *Vectes eius uſque ad Segor vitulam conternantem*. Legendum eſt *conternantem*, quod eſt, agentem annum tertium non, addita littera *S conſternantem*, quod eſt, perturbantem.

Verſ. 8. *Quoniam circuivit clamor terminum Moab*. Non mutes præteritum *circuivit* in futurum.

COMMENTARIA

MALDONATI.

Verſ. 1. ONus MOAB, id eſt Prophetia contra Moab, ut ſup xiii. Hactenus contra Babylonios & Palæſtinos, nunc contra Moabitas, qui ſimiliter Iudæorum hoſtes erant, ac vicini. QUIA כי aliqui accipi putant pro, *certe*; poteſt tamen, ut ſolet, eſſe cauſalis, & ad *Onus* referri: reddit enim cauſam cur Prophetiam hanc *Onus Moab* inſcripſerit, QUIA ſcilicet VASTATA EST, &c. Uſitatum enim eſt apud Heb. ut initium libri cum titulo coniungant. Poteſt etiam referri ad ſequentia, *Quia vaſtata eſt, tacuit*, &c. AR MOAB: aliqui putant unum eſſe nomen præcipuæ urbis Moabitarum; alii duo nomina, ut Lutetia Pariſiorum: vide Deut. II. 10. 18. 29. & Numer. XXII. XV. 27. Noſter Interpres ſeparavit, QUIA AR VASTATA EST, MOAB CONTICUIT, נדמה, paſſive, *in ſilentium converſa eſt*; id eſt, periit penitus, ita ut nemo de Moabitis amplius loquatur,

neque

Digitized by Google

neque ſuperſit ulla eorum memoria: quemadmodum ſi diceret: Quia Lutetia vaſtata eſt, Gallia conticuit; erat enim Ar fortiſſimum præſidium Moabitarum. NOCTE autem dicit, pro, ſubito, ac de improviſo. QUIA NOCTE VASTATUS EST MURUS. Heb. קִיר־מוֹאָב *Kir-Moab*, quod aliqui unum etiam nomen faciunt alterius præcipuæ urbis; alii, Kir eſſe nomen urbis quæ a fortiſſimis muris ita vocata eſt: קִיר enim murum ſignificat, de qua vide infra cap. XVI. 7. Accipiuntur autem hic præterita pro fut. vaſtabitur, & iacebit.

V. 2. ASCENDIT; pro fut. aſcendet, DOMUS, הַבַּיִת; alii interpretantur, *Aſcendet domus* (regia) habet enim ה הידיעה: alii, *Aſcendet* (Moab) *in domum*, id eſt in templum. DIBON, וְדִיבֹן, *& Dibon*. Erat Dibon urbs Moabitarum: Num. XXI. 30. Et Ierem. XLVIII. 18. In qua urbe excelſa erant, id eſt aræ idoli Chamos: Num. XXI. 28. & III. Reg. XI. 7. & IV. Reg. XXIII. 13. & Ierem. XLVIII. 46. Itaque וְדִיבֹן הַבָּמוֹת, interpretor, *In Dibon excelſorum* (ſub. aſcendet Moab.) IN PLANCTUM SUPER NABO, id eſt ut plangat calamitatem Nabo civitatis ſuæ: Ierem. XLVIII. 22. ET SUPER MEDABA, id eſt propter vaſtationem urbis Medaba, quæ Moabitarum etiam erat, Num. XXI. 30. & Ioſue XIII. 9. IN CUNCTIS CAPITIBUS EIUS, (Moab) id eſt, omnes Moabitæ lugebunt. Orientalibus mos erat capillum & barbam in luctum vellere, ſicut Romanis alere: quod videmus Iudæis prohibitum, ne ritus vicinarum gentium imitarentur, Deut. XIV. 1. Vide Iſai. XXII. 12. & Ierem. XVI. 6. & XLVII. 5. & XLVIII. 37.

V. 3. IN TRIVIIS: בְּחוּצֹתָיו, *in plateis eius*; quaſi dicat, Publicus erit luctus: SUPER TECTA; id eſt, nullus locus vacuus erit luctu. ET IN PLATEIS, וּבִרְחֹבֹתֶיהָ, *in triviis eius*, כֻּלֹּה יְיֵלִיל, *univerſa illa* (civitas) *ululabit*, vel *unuſquiſque ululabit*, vel, *unuſquiſque ululabit*; יֹרֵד בַּבֶּכִי *deſcendens in fletum*, id eſt converſus ad lacrymas.

V. 4. CLAMABIT HESEBON. Civitas Moabitarum: Num. XXI. 34. ELEALE ſimiliter in Galaad, utraque a filiis Ruben fundata, Num. XXXII. 37. USQUE IASA. Iaſa civitas erat in finibus Moabitarum; itaque ſenſus eſt, tantum clamorem futurum eſſe, ut per totam regionem audiatur. SUPER HOC. עַל כֵּן, *propterea quod*. Reddit cauſam cur tantus futurus ſit clamor, quia EXPEDITI MOAB, חֲלֻצֵי, *accincti armis*; id eſt, fortiſſimi quique & armati milites etiam vociferabuntur præ dolore. ANIMA EIUS. נַפְשׁוֹ; id eſt, *uniuſcuiuſque animus* יָרְעָה *ululabit*, *gemet*, לוֹ *ſibi*, id eſt ſua quiſque mala planget.

V. 5. COR MEUM AD MOAB. Hebraiſmus; id eſt, videor mihi videre animo cladem illam Moab: vel, miſeret me Moabitarum: amplificatio calamitatis eſt, quod Propheta ipſe dicat ſe eorum miſereri. VECTES EIUS USQUE SEGOR; id eſt, non inveniet ullum locum tutum, quo ſe includat ac defendat uſque Segor, quæ Sodomorum civitas eſt in Moabitarum confiniis, in quam ſe Loth e Sodomis fugiens recepit: Geneſ. XIX. 22. ad quam hiſtoriam videtur Iſaias alludere. Alii בְּרִיחֶהָ, vertunt, *Fugitivi eius*; id eſt, qui fugerint ex Moab, fugient uſque Segor. VITULAM CONTERNANTEM. שְׁלִשִׁיָּה, *triennem*. Segor vocat per appoſitionem vitulam triennem, id eſt civitatem nondum bello edomitam, robuſtam ac florentem, ſicut Ierem. XLVI. 20. vocat AEgyptum vitulam elegantem atque formoſam. PER ASCENSUM LUITH. Luith, alii montem, alii oppidum iuxta Segor eſſe dicunt; quaſi dicat, Uſque ad ipſam Segor flebunt qui fugerint. ET IN VIA ORONAIM: duo vici Moabitarum erant hoc nomine, ut etiam indicat dualis forma. CLAMOREM CONTRITIONIS, id eſt maximum, qualis eſſe ſolet cum aliquis diſcerpitur.

V. 6. AQUAE ENIM NEMRIM. Hæc eſt ea civitas quæ alio nomine dicitur Nemra: Num. XXXII. 3. & cum ceteris Moabitidis urbibus connumeratur, quæ paſcuis abundabant. Significat ergo Propheta tantam calamitatem futuram, ut etiam aquæ, & herbæ in locis maxime irriguis exareſcant, hominesque cogantur alio demigrare.

V. 7. SECUNDUM MAGNITUDINEM OPERIS; id eſt, ſicut ipſi alios hoſtes debellarunt, ita debellabuntur: VISITATIO EORUM eſt eorum ſtrages & everſio. Heb. עַל כֵּן יִתְרָה עָשָׂה, *quia quod reliquum fecerit*, (Moab) id eſt, quidquid

ma-

Digitized by Google

magno labore collegerat, & in theſauris repoſuerat. ופקודתם, *& opes eorum ad torrentem ſalicum portabunt eas* (hoſtes) id eſt, transferent omnes Moabitarum divitias, id eſt ad Euphratem: ponitur fluvius pro tota regione, ſicut ſæpe apud Poetas: aut ipſimet Moabitæ metu hoſtium theſauros ſuos transferent, ut inter ſalices fluvii abſcondant.

V. 8. Quoniam circuivit. Reddit cauſam cur ſint abſconſuri divitias ſuas, quia clamor (hoſtium, aut Moabitarum metu hoſtium) implevit totam regionem uſque ad ultimos terminos. Et usque ad Gallim: civitas erat in finibus Moabitidis. Et usque ad puteum Elim: civitas etiam, ut Exod. xv. 23. & xvi. 1. & Num. xxxiii. 9.

V. 9. Quia aquae Dibon. Hebraice nunc legitur דימון, credibile eſt legendum דיבון ut ſupra verſ. 2. nam & Septuag. ita verterunt, & noſter Interpres ita legit, ſenſuſque eſt melior: cum enim in ea civitate eſſet Chamos idolum Moabitarum, ſignificat fore ut eo confugiant, tantaque ibi multitudo eorum trucidetur, ut fluvii pleni ſint ſanguine. Alii Dibon dicunt eſſe fluvium. Ponam enim super Dibon additamenta; id eſt, faciam ut fluvii creſcant & exundent ſanguine cæſorum: quo ſenſu legendum erit in nominativo quod ſequitur: Iis qui fugerint de Moab, leo (erit paratus.) Vel, *ponam additamenta*, id eſt *ſupplementa*, נוספות, ut ſit vocabulum militare. Supplementa enim dicuntur milites, qui feſſis aliis recentes ſubmittuntur, quorum loco dicit Deus ſe leones ſubmiſſurum, ut qui ab hominibus effugerint, in leones incurrant. Et reliquiis, id eſt iis qui in ipſa Moabitide non fuerint interfecti, parabo leones, a quibus in fuga trucidentur.

S A.

Verſ. 1. Onus Moab. Chald. *onus calicis maledictionis ad propinandum Moab*: ſic ſupra, & inf. LXX. *verbum contra Moab*: ſic ſup. & inf. Vastata est. LXX. *peribit*. Ar, urbis nomen. Chald. *Lebaiath*. Murus. Chald. *urbs*. Conticuit. Chald. *ipſis dormientibus*.

V. 2. Ascendit, ſcilicet Moab. Domus. Chald. *in domos*. Heb. *in Baith*, id eſt *in domum*, ſcilicet templum idoli, quod erat in arce Dibon. Excelsa, id eſt altaria, ſeu loca edita, ubi idola colebantur. Nabo, ſcilicet everſam. Calvitium, &c. ſcilicet evulſis capillis, ſeu tonſis, barbaque raſa, olim mœrorem ſignificabant. Vide Iob 1.

V. 4. Expediti, id eſt armati, ſeu milites. Chald. *accincti*. Ululabunt, ſcilicet depoſitis armis. Eius; pro, eorum, ſeu cuiuſque. Sibi, abundat, more Hebræo.

V. 5. Ad Moab, id eſt propter Moab. Loquitur in perſona Moabitarum. Vectes, id eſt fortes, ſcilicet fugient. Vitulam conternantem, id eſt populum fortem, ſimilemque vitulæ trienni. Heb. Chald. & LXX. *vitulam triennem*.

V. 7. Operis, ſcilicet mali; quaſi dicat, Pro meritis punientur. Visitatio, id eſt punitio. Torrentem salicum, id eſt Euphratem: de quo, *In ſalicibus, in medio eius, ſuſpendimus*, &c. Chald. *mare Occidentale*. Ducent, ſcilicet hoſtes.

V. 8. Circuivit, &c. quaſi dicat, Omnia plena erunt clamore & planctu.

V. 9. Additamenta. Chald. *congregationem exercitus*. Leonem, ſcilicet Nabuchodonoſor. Et reliquiis terrae. Chald. *& reſiduum terræ eorum diripietur*.

E S T I I.

Verſ. 2. Moab ululavit, in cunctis capitibus eius calvitium, et omnis barba radetur. Figurate ex ſigno vult intelligi rem ſignificatam. Nam apud gentiles antiquitus raſura capitis & barbæ erat luctus indicium; maxime ſi quid admodum triſte & lamentabile incidiſſet. Apud Ieremiam omnino ſimilia verba repetuntur adverſum Moab, xlviii. cap. *Omne caput calvitium, & omnis barba raſa erit*. Et Ezech. vii. de populo Iuda, cui extremam calamitatem minatur: *In univerſis capitibus eorum calvitium*: unde etiam apud Iudæos eadem videtur conſuetudo fuiſſe. Et de Iob iam percuſſo ulcere peſſimo, & in luctu conſtituto dicitur cap. 1. *Tonſo capite corruens in terram adoravit*. Ratio autem huius conſuetudinis fuit, quia capilli

Digitized by Google

capilli capitis & barbæ, ad hominis ornatum maxime faciunt. Unde ſicut in luctu ornatus veſtimentorum abiici ſolet, & indui ſaccus, aut nulla veſtis; ita etiam abiiciebant ornatum a natura conceſſum, videlicet pilos capitis & barbæ, ad ſignificandam luctus & mœroris magnitudinem.

V. 5. COR MEUM AD MOAB CLAMABIT: VECTES EIUS USQUE AD SEGOR VITULAM CONTERNANTEM. Pridem legebatur *conſternantem*, quaſi peſſundantem aut conculcantem, ſed vitioſe. Nam legendum eſt *conternantem*, id eſt trimam, vel triennem. Ita enim Hebr. exigunt & Græca & complura MS. Latina, & biblia Sixtina merito correxerunt. Septuaginta habent hoc modo: *Vitula enim eſt triennis*. Quo epitheto Propheta notat civitatem Segor, quæ prius parvula & humilis fuerat, paulatim factam robuſtam, populoſam & potentem, & inſtar vitulæ triennis laſcivam: nam hac ætate vituli valentiſſimi ſunt. Simul indicatur hoc epitheto cauſa everſionis & vaſtationis huius civitatis; quod videlicet propter luxum & laſciviam ſuam hoc meruerit, ut tam gravem ruinam pateretur. Et valde credibile eſt eamdem fuiſſe cauſam ruinæ & miſeriarum tantarum noſtri Belgii.

MARIANAE.

Verſ. 1. AR MOAB. Nomen urbis. CONTICUIT. Pagn. *exciſa eſt*. Vox *nidmah* utrumque ſignificare poteſt. Ego Hieronymum ſequor, & *conticuit* explico: nocte vaſtata eſt ſilentio. MURUS. Vox Hebr. קיר *kir*, *murum* ſignificat, ſed plerique putant eſſe alterius urbis nomen, quæ nocte etiam, & ſilentio etiam eſt vaſtata.

V. 2. ASCENDIT DOMUS; pro *domus*, Hebræi ponunt *domum* in accuſativo hoc ſenſu: Aſcendit Moab domum, id eſt ædem idoli, ut in ea anguſtia eius opem imploraret. Ergo aſcendit in ædem & in Dibon, ubi id fanum erat, & idolum Chamos, id eſt Bacchus, de quo III. Reg. XI. 7. AD EXCELSA IN PLANCTUM. In excelſis ea fana erant, eo ibant, ut lacrymis flecterent idolum. SUPER NABO, ET SUPER MEDABA. Urbes erant Moabitarum commune excidium paſſæ; fortaſſe ab Aſſyriis, quo tempore Iudæam & vicinas regiones vaſtarunt. Tunc votis præcipuus locus, cum vires deficiunt. BARBA RADETUR. Raſura mœſtitiæ ſymbolum etiam inter Græcos.

V. 3. OMNIS ULULATU. Heb. *omnis ululat*: ſic Gothic. DESCENDIT IN FLETUM; pro, ſolvitur in lacrymas; & quo id liberius faciat, ad imos ſpecus e tectis & plateis deſcendet.

V. 4. CLAMABIT HESEBON. *Heſebon* & *Eleale* urbes Moabitarum, *Iaſa* urbs alia ad Mare mortuum, terminus Moabitarum. EXPEDITI, ſive armati. ULULABUNT, clamabunt. ANIMA EIUS ULULABIT SIBI, id eſt vita eius, cuiuſque, *ululabit ſibi*, id eſt propter ſuum periculum. Chald. *ſuper animas ſuas ululant*, nempe exitio proximi.

V. 5. COR MEUM AD MOAB CLAMABIT; etiamſi inimicus ſit Moab, exitio eius commoveor. *Ad Moab*, id eſt propter Moab. VECTES EIUS. Alii, *profugi eius*. Vox Hebr. utrumque ſignificat. Ergo *vectes eius*, ſcilicet rumpentur: aut *profugi eius* ibunt uſque ad Segor. VITULAM CONTERNANTEM; non *conſternantem*, ſed *conternantem*, id eſt trimam. Sept. *triennem*: ſic vocat *Segor*, quod copiis & felicitate laſciviret inſtar vitulæ. LUITH. Nomen loci ſublimis, ad quem aſcendebant cum fletu præſidii cauſa. FLENS ASCENDET, ſcilicet Moab, Hebr. *in fletu*. Itaque omnia luctu plena erunt. Cives in omnes partes diffugient.

V. 6. AQUAE ENIM NEMRIM; ſupple, cor meum ululat tum ob ea quæ dicta ſunt, tum ob aquas Nemrim, quibus ſcilicet irrigabantur prædia, deſertæ aut deſolatæ ſunt, nullo qui colat. QUIA; pro, ex quo, ideo herba aruit. VIROR OMNIS, ſeu *olus*. Irrigua omnia aqua ſublata brevi areſcunt.

V. 7. SECUNDUM MAGNITUDINEM OPERIS, id eſt pro modo peccati erit viſitatio, id eſt punitio, Hebr. *propterea* (ſcilicet ob deſertam terram) *reſiduum* (opes) & *ſubſtantiam eorum*. AD TORRENTEM SALICUM DUCENT EOS; pro, ea, ſcilicet hoſtes. Torrens ille prope Moab erat, quo hoſtes ſpolia deruleruntur, non Euphrates.

V. 8. QUONIAM; pro, ideo ob direptas

ptas

Digitized by Google

ptas opes & alia mala, totus Moab erit clamore plenus. Uſque ad Gallim, & uſque ad puteum Elim perveniet ululatus. Locorum hæc ſunt nomina eo tempore nota; כי particula multa ſignificat, & variis modis explicatur, ut loci ſententia exigit: hic ſumpſi pro, *ideo aquæ Dibon*. Aut certe *quia*; ut Hieronymus vertit, Sept. Chald.

V. 9. QUIA AQUAE DIBON: erat oppidum in finibus Moab. Eius aquæ cæſorum ſanguine plenæ erunt. PONAM ENIM SUPER DIBON, id eſt iuxta Dibon. ADDITAMENTA, adiiciam ad miſerias. HIS QUI FUGERINT DE MOAB, id eſt contra eos qui evaſerint, & contra reliquias terræ. LEONEM, pro leones immittam. Ex ea laniena nihil mirum aquas Dibon ſanguine repleri. Pro *Dibon* Hebr. & Chald. ponitur *Dimon*.

MALVENDAE.

Verſ. 1. ONUS MOAB. Alii: *Prophetia Moab*. Nonnulli: *Oneroſa prophetia Moabi*. Vide ſupra cap. XIII. 1. Ioſephus I. Antiquitatum, cap. XXII. *Moabus, quaſi dicas, A patre, Moabitarum fuit auctor, magnæ gentis etiam noſtra ætate*. Vide in Geneſ. XIX. 37. Obſervant huius prophetiæ de Moab partes præcipuas eſſe tres: prima eſt, propoſitio calamitatum luctuoſiſſimarum, quæ Moabitis erant eventuræ, hoc capite: ſecunda eſt, conteſtatio exprobrans beneficia a Deo oblata, ingratumque Moabitarum animum, quo denuntiatas ſibi calamitates accerſiverunt, capite ſequente ad verſ. 12. tertia, concluſio circumſcribens tempus, quo Deus ſuam illam ſententiam erat executurus, duobus ultimis verſibus eiuſdem capitis. In hac autem propoſitione huius capitis, deſcribuntur cladis initia, duabus ſummis civitatibus per Schalmam-Eſerem excisis, verſ. 1. ut infra cap. XVI. 13. oſtenditur: deinde luctus graviſſimus totam regionem pervadens, uſque ad verſ. 6. commeatus, qui ſupererat, repentina corruptio, verſ. 7. miſerabilis incolarum fuga, verſ. 8. & horrenda ſtrages, verſ. 9. QUIA NOCTE VASTATA EST AR MOAB, &c. Varie alii hunc verſum ex Heb. efferunt. I. *Quia nocte vaſtatus eſt Ar Moab, & ſucciſus eſt: quia, inquam, nocte vaſtatus eſt Kir Moab, & ſucciſus eſt*. II. *Certe*, vel dico, *Quod nocte quadam deſtruetur Ar Moab, & evertetur*: dico, inquam, *quod nocte vaſtabitur Kir Moab, & exſcindetur*. III. diſtinguunt: *Quoniam in nocte devaſtata eſt Ar, Moab ad ſilentium redactus eſt; quoniam in nocte devaſtata eſt Kir, Moab ad ſilentium redactus eſt*; id eſt, quod una nocte devaſtata fuit Ar præcipua Moabitarum urbs; inde factum eſt ut tota provincia Moabitarum conciderit, in ſilentium redacta fuerit, actum ſit de illa: ſic ſequente membro. IV. in ſequentem verſum ſententiam ſuſpendunt: *Cum noctu vaſtata fuerit Har Moabitarum, excisa fuerit; cum noctu vaſtata fuerit Kir Moabitarum, exciſa fuerit: Aſcendet Baithum, & Dibonem* &c. Forſterus reddit: *Quoniam in nocte vaſtata eſt Ar Moab, quietata eſt*, &c. Voluit autem Propheta de induſtria uti iſto verbo נדמה *nidmah*, *in ſilentium*, ſeu *quietem redacta eſt*, *quietata eſt*, & opponere nomini Ar civitati, quæ ab excitatione & vigilia nomen habet, quaſi dicat, Illa excitata quietata eſt. Eamdem antitheſin obſervarunt Forerius & Mercerus. Avenarius exponit: *Quoniam in nocte devaſtatus eſt Har Moabi, perdomitus eſt*, &c. Aucupatur iſte paſſim ſonos vocum, ut hic *domo* cum דמה *damah*, congruit. AR MOAB. De hac urbe vide Num. XXI. 15. Videtur hoc nomine per excellentiam appellata, id eſt *Urbs Moab*; quod omnium urbium Moabitarum eſſet maxima & præcipua, unde & Rabbath Moab fuerit nuncupata. VASTATUS EST MURUS MOAB. Hebr. *Devaſtatus eſt Kir Moab*: Noſter & alii nonnulli *Kir* ut appellativum transferunt, *murus*, *paries*, urbis Moab, nempe murus *Ar Moabi*, de qua paulo ante: nam hæc ſimpliciter quoque dicta eſt Moab, teſte S. Hieronymo, ut ad Num. XXI. 15. obſervabamus. Plerique tamen nomen proprium alterius præcipuæ urbis Moabitarum eſſe cenſent, *Kir Moab*. Unde Tremellius, & Iunius annotant: *Kir Moabitarum, id eſt, Kir Cheres, ſive Kir chareſet, ut nominatur infra cap.* XVI. 7. *&* 11. *quod enim vulgo interpretes confundunt cum Kiro, cuius fit mentio* II. Reg. XVI. 9. *plane abſurdum eſt, cum*

Medorum ſit; hoc vero diſtinctionis cauſa Kir-Moabitarum appelletur, aut Kir-Cheres, id eſt Solis, qui fortaſſe ibi colebatur. Vel forte dicta eſt *Kir-Cheres*, quod muri eius eſſent ex latere coctili firmiſſimi, ut muri Babylonis: vide in II. Reg. III. 25.

V. 2. ASCENDIT DOMUS. הבית *habbaith*, plerique pro nomine proprio accipiunt, vel ut *He* ſit radicale: *Aſcendit Habaitham*; vel ut ſit locale: *Aſcendit in Baitham*. Quidam: *Aſcendet Baiithum*; id eſt, Moab huc illuc circumcurſabit incertus, deos & homines implorans fruſtra. Eſt autem Baiithum oppidum ab inſigni idololatria dictum per excellentiam, quaſi *Dominus*, *AEdes*, *Fanum*, quod alibi dicitur *Behom*, *Bahal-Mehon.* & *Beth-Bahal-Mehon*. Numer. XXXII. 3. & 38. Ioſue XIII. 17. in finibus Reubenitarum, I. Paralipom. v. 8. Alii: *Aſcendet in ædem ipſam*, id eſt, ad templum ſacratum idolo Chamos, quem Deum Moabitæ colebant, Numer. XXI. 29. ET DIBON: de qua vide in Numer. XXI. 30. Hæc prima terræ promiſſæ diſtributione attributa fuit Reubenitis Ioſue XIII. 17. AD EXCELSA. Hebr. *in Bamoth*, vel *Bamothas*: vide in Numer. XXI. 19. & 28. & cap. XXII. 41. Hæc Ioſue XIII. 17. dicitur, Bamoth-Bahalis, id eſt Excelſa Bahalis, quod ibi eſſent ſacella, ſeu ſacraria, vel fana Bahalis, quæ etiam attributa fuit Reubeniti ibidem. IN PLANCTUM. Alii: *ad flendum*; id eſt, cum fletu implorandam opem idolorum. SUPER NABO; vel *Nabo*, de qua vide in Numer. XXXII. 3. & 38. Hæc quoque Reubenitarum fuit, ibidem. ET SUPER MEDABA. Vide Numeror. XXI. 30. & Ioſue XIII. 16. IN CUNCTIS CAPITIBUS EIUS CALVITIUM, &c. Exponunt, Capillum vellent, barbamque præ luctu: quod moris fuiſſe infidelibus oſtendit Moſes Levit. XIX. 27. & XXI. 5. & Deuteron. XIV. 1. OMNIS BARBA RADETUR. Pleraque exemplaria גרועה *gherughah*, cum *Res*, habent: *& omnis barba extracta*, vel *ſubtracta*, *detracta*, *abſtracta*, *adempta*, *diminuta*, *imminuta*. Alia cum *Daleth*, ſimillima littera: *& omnis barba ſucciſa*, *exciſa*; ſed ſenſus ſemper idem conſtat.

V. 3. IN TRIVIIS EIUS ACCINCTI SUNT SACCO, &c. Hunc verſum alii reddunt: I. *In compoſitis eius ſacco erunt accincti, in tectis autem eius & plateis eius quiſque ululabit, atque in fletum ſolvetur*. II. *In compitis eius accingetur cilicio, ſuper tecta eius, & in plateis eius quiſque eiulabit, deiecturus ſe in fletu ſuo.*

V. 4. HESEBON. Hebr. *Chesbon*: de qua vide Numer. XXI. 25. ELEALE. Hebr. *Elghale*: vide Numer. XXXII. 3. Hæc oppida ſimiliter fuerant Reubenitis attributa, Numer. XXXII. 37. & Ioſue XIII. 17. USQUE IASA AUDITA EST VOX EORUM. Hebr. *Iahatz*, id eſt, uſque ad ultimos fines Moabitarum. Locus eſt inſignis clade Sichonis, Numer. XXI. 23. & Meraritarum habitatione, Ioſue XXII. 36. nam Levitis attributa fuit, Ioſue XIII. 18. SUPER HOC EXPEDITI MOAB ULULABUNT, ANIMA EIUS ULULABIT SIBI. Alii ex Hebr. I. *ideo armati Moab vociferabuntur*; id eſt, qui inter Moabitas armis accincti parati erant ſe & patriam tueri, eiuſmodi clamore conſternati, vociferabantur etiam ipſi deſpondentes animum: *anima eius vociferabitur ſibi*; id eſt, quiſque Moabitarum deſpondebit animum. II. *propterea turma Moab triumphabunt*, vel *atque ideo extracti Moab vociferabuntur*: *anima eius mala fuit ei*, id eſt male affecta, afflicta. III. *atque ideo milites Moab vociferabuntur*; *anima eius male ſe habuit*. IV. *atque ideo armati Moab ululabunt*, *anima cuiuſque ululante apud ſe*. V. *& ob id expediti Moabitæ vociferabuntur*, *animus eius*, ſcilicet Moabi, *doluit*, vel *animus Moabi frangetur ſibi*, id eſt ob ſuam calamitatem. VI. *propterea expediti Moabi vociferabuntur*, *anima ſua mala videbitur ipſi*, vel *vitæ ſuæ tædebit ipſum*, *dicendo*. EXPEDITI. חלוצם *chalutzim*, proprie, *extracti ex populo ad militiam*, *accincti armis*, *electi ad bellum*. Hiſpanice, *entre ſacados*, id eſt lectiſſimi quique milites. ULULABUNT. Verbum in Hiphil ſignificatum intendit; id eſt, *valide*, *vehementer vociferabuntur*, *taratantarizabunt*, *claſſicum canent*, *ululabunt*; nam ululatus eſt etiam exercitus. ULULABIT. ירעה *iareghah*, ſi eſt a רוע *Roagh*, vel a רעה *Raghah*, eſt futurum; ſi a ירע *iaragh*, præteritum. Poteſt exponi, *taratantarizabit*,

vel

vel *taratantarizavit*, aut *male habuit*, ſive contereтur, confringetur.

V. 5. Cor meum ad Moab clamabit. Alii: *Cor meum propter Moab vociferabitur*, ut ſint verba Prophetæ; quaſi dicat, Me miſeret ipſius Moab. Nonnulli: *Cor meum in Moabo exclamabit*, ut Propheta loquatur in perſona Moabitarum, hoc modo: Moabitæ iam in corde meo videntur mihi vociferari; ſcio, ſentio in corde meo Moabitas vociferaturos præ calamitate. Quidam hæc verba Moabitis ipſis tribuunt, & præcedentibus iungunt: *Vitæ ſuæ tædebit ipſum*, *dicendo*: *Animus meus Moabum inclamabat*. Ethiopœia emphatica ſtrenuorum Moabitarum tentantium populares ſuos profugientes confirmare; quaſi dicat: Inclamo ex animo, & contendo, quam maxima voce poſſum, ut fugientes revocem, ſed fruſtra. Vectes eius usque ad Segor vitulum conternantem. Exponunt: Id eſt, optimates, ſeu principes eius, qui tamquam vectes muniunt & ſuſtentant populum, ut infra cap. xliii. 14. *uſque ad Segor*, ſubaudi fugiens, quæ Segor eſt ſicut vitula triennis. Illud, *Vitulam conternantem*, plerique iungunt cum *Segor*: alii ad *Moab* referunt: *Cor meum ad Moab clamabit*, *vitulum conternantem*, ut ſit epithetum provinciæ Moabiticæ ob pinguedinem & fertilitatem ſoli. Sed locum varie interpretantur. I. *profugi eius fugient ad Tzohar vitulam triennem*; id eſt, quæ comparari poterat vitulæ trienni, formoſæ, pingui, robuſtæ. II. Exiſtimant verba Hebraica inverſa, ſic eſſe ordinanda: *qui effugient ex ea*, ſubaudi Moabitide, *vitula trienni*, *uſque ad Segor*, ſubaudi, fugient. *Vitulam triennem* vocat, quod regio Moab eſſet potens armis, & in flore, ſtatuque felici. Sic intelligendum eſſe contendunt ex verbis Ierem. xlviii. 34. ſed nec locus ille hanc interpretationem evincit. III. Tremellius, & Iunius: *vectes*, ſeu *clauſuras eius*, *Tzoharem uſque*, *quaſi vitula trima*. Explicant: *Clauſuras eius*, id eſt munitiones limitaneas, quibus aditus & exitus regionum præcluduntur, tamquam vectibus: quamobrem Hebræi *vectes* vocant, Græci [illegible], Latini *clauſuras*, ſive *cluſuras*: unde Suidas *cleſuras* Latinam appellationem ſumpſit, & transformavit in Græcam vocem, quæ ſignificat clavem termini. Vide Gloſſarium Græco-Barbarum Meurſii, pag. 247. *Tzoarem uſque*, de qua Gen. xix. 22. Senſus eſt: Tam magna voce contendo (inquit ſtrenuus Moabita) ut mea vox ipſos Moabitarum terminos, & lacum Aſphaltitem prætervolans, Iudæam quoque perſonet, quæ terminatur Tzohare. *Quaſi vitula trima*. Comparatio elegans ad explicandam vim maximam contentionemque vocis; quaſi dicat, Non clamo, ſed boo, ac velut intono, ut Moabitarum popularium meorum luctum frangam, & animos confirmem: nam certum eſt iuvencam inſuetam iugo, minime effœtam, ac proinde ferociorem, graviores boatus, & valentiores edere; cuiuſmodi fere eſt triennis. Vitulam conternantem. שילשיה *ſchelíſchiiah*, exponunt, *Vitulam triplicem*, *triplicatam*, *triennem*, *trimam*, *tertianam*, *triariam*, *ternariam*. Ex verbo, *vitulam triplicitatis*, *triplicationis*, &c. nempe trium annorum; quod ea ætate iuvencæ ſoleant eſſe elegantiores, robuſtiores, ac petulantiores, ut de equa canit Poeta:

> —— *ut latis equa trima campis*
> *Ludit exultim.*

Indicat vel Moabi, vel Tzoharis fertilitatem, præſtantiam, robur, ferociam, laſciviam. Alii reddunt: *vitulam magnam*, *præcipuam*, *principalem*, *primariam*, *viribus præſtantem*, ex ſignificato nominis שליש *ſchaliſch*: vide in Exod. xiv. 7.

Per ascensum enim Luith flens ascendet, &c. Alii ex Hebr. I. *quia per aſcenſum Luith in fletu aſcendet* quiſque eorum, *in eum*, ſcilicet aſcenſum: *quia in via Horonaim clamorem contritionis ſuſcitabunt*; id eſt, qui effugerint, & periculum evaſerint, recipient ſe partim in Luith, & partim in Horonam, flentes, & horrendum ac miſerabilem clamorem excitantes. II. *quoniam per clivum Luchitæ cum fletu aſcendit*, *quoniam via Choronaimorum clamore fractionis*, vel *fragoris*, ſeu *fragoſo boant*. AEriologia contentionis in clamando, quæ modo dicta eſt: Plane, inquit, mihi ſumma vi boandum eſt, cum hic omnia ſummo luctu perſonent, proinde vix niſi adhibito clamore ſummo, ac ne vix quidem exau-

diri poſſim. *Per clivum Luchitæ*, &c. id eſt, montes & valles eiulatibus ipſorum reboant, ab uno termino ad alterum: nam aſcenſus Luchith Iudæam ſpectabat, deſcenſus vero Choronaimorum, ut nominatur Ieremiæ XLVIII. 5. in altera parte ex adverſo erat. *Boant*. יעוערו *iegbogberu*, futurum, *boabunt*. Hic Propheta, inquiunt, verbo ficto utitur, & cacophono, ad repræſentandam inconditam tumultuantium vocem. Quidam notant, dicendum ac ſcribendum fuiſſe יערערו *iegboreru*, a quadrato עורר *gborer*, *excitabunt*: ſed Prophetam geminaſſe primam litteram pro ultima, & verſione litterarum poſuiſſe *iegbogberu*, pro *ierogbegbu*, a רעע *ragbagb*, infra cap. XVI. 10. *vociferabuntur*, ut in eo tumultu omnia inverſa & perturbata, diſſonis clamoribus fugientium confuſa ſignificaret. Rabbi Scelomoh putat eſſe verbum Chaldaicum, *clamabunt*, quo utuntur doctores Hebræorum in ſignificatione conſtringendi, & conterendi; unde hic exponunt: *clamore contritionis frangent ſeſe*, ſeu *conterent*; id eſt, propter contritionem & cladem ſuam percutient palmam ad palmam, & palmam ſub femur, more vociferantium ac flentium. Kimchi exiſtimat eſſe dictionem extraneam & confictam ad repræſentandam inconditam & confuſam tumultuantium vocem, ut ante dicebamus. LUITH. Heb. *Luchith*. Euſebius & S. Hieronymus de Locis Hebraicis: *Luith*, *huius meminit Iſaias: & eſt uſque hodie vicus inter Areopolim & Zoaram nomine Luitha*: & ſitus quidem optime congruit. Kimchi, montem, vel montanum oppidum eſſe putat, quod ex verbis Prophetæ ſatis colligitur. Fortaſſe ſic dictum, quod in eo optimæ tabulæ vel lapideæ, vel ligneæ cæderentur. ORONAIM. Heb. *Choronaiim*, forma duali, ut videatur eſſe oppidum geminatum, ſuperius & inferius, ut Ieruſalaim. Euſebius & S. Hieronymus in Locis: *Ornaim urbs Moabitarum*. Utriuſque oppidi meminit Ieremias XLVIII. 3. & 5. Ex hoc oppido fuit Sanbalat Choronites, Nehem. II. 10. Ab æſtu vel ardore ſolis nomen habere videtur.

V. 6. AQUAE ENIM NEMRIM, &c. Alii hunc verſum ex Heb. reddunt. I. *Aquæ enim Nimrim in deſolationes erunt: quia aruit herba*, vel *fœnum*, *defecit gramen*, *viride non fuit*. II. *Quoniam aquæ Nimrim deſolatæ erunt*, *unde & viride exareſcet*, *deficiet herba*, *olus nullum ſupererit*. III. *Nam ad aquas Nimrimorum deſolationes erunt*, id eſt rivorum confluentium ad Nimram ſive Beth-Nimram in Gaditarum agro, Num. XXXII. 3. & 36. Hi autem propterea hic nominantur, quod vallem Moabitarum rigant, ubi ſita eſt Nimra attributa Gaditis Ioſue XIII. 27. Ad hos autem rivos Nimræ ait deſolationes futuras, quod exhauriendi illi eſſent & areſaciendi: *exareſcet enim fœnum*, *deficiet tenera herba*, *viriditas non erit*; id eſt, ipſa convallis utut ſit irrigua, tota erit ſterilis: quod elegantiſſima gradatione deſcribit Propheta. De *Nimrim*, ſeu *Nimrah*, vide in Numer. XXXII. 3. & 36.

V. 7. SECUNDUM MAGNITUDINEM OPERIS, &c. Hunc verſum varie ex Heb. convertunt: I. *Ideo divitias*, *quas quiſque fecit*, *& ſubſtantias eorum*, *iuxta torrentem ſalicum deferent*. II. *Propterea reſiduum*, *quod fecit*, ſeu *opes*, *quas quiſque peperit*, *& depoſitum eorum*, ſeu *divitias eorum*, ſcilicet Moabitarum, *deferent* hoſtes Aſſyrii *ad torrentem ſalicum*, ut ſcilicet inter ſe partiantur more militiæ. III. *Itaque*, *quod reſiduum quiſque fecit*, *& depoſitum ſuum*, *ad torrentem ſalicum deportabunt ea*; id eſt, Moabitæ metu hoſtium, divitias ſuas in loca alia devia & occulta transferent. IV. *Ad eumdem modum*, *quidquid reliquum fecerant*, *& quod repoſuerant Arabes*, *ſuper torrentem deportabunt*. V. *Propterea flebit*, *quod quidquid habuit reliqui*, *& quidquid repoſuerat* Moab, *omne illud hoſtes eorum ad torrentem ſalicum ducent*, ubi hoſtis ſpolia dividet. VI. *Idcirco abundantiam*, *quam fecit*, *& divitias eorum*, *ſuper torrentem ſalicum portabunt eas*. VII. *Idcirco utut reſiduum fecerit*: conceſſio ironica, quaſi dicat Propheta: Comportent Moabitæ commeatum arbitratu ſuo, & de cibario ſibi proſpiciant, per me licet; non effugient tamen hæc iudicia Dei: *at repoſitum eorum*, ſive *quæcumque recondiderint*, *in vallem Arabum exportabunt ea*; id eſt, Invadentes agrum & occupantes Aſſyrii, omnia promptuaria veſtra exhaurient, & ad finitimos Aſſyrio regi fœderatos ſpolia aſſervanda devehent: nam propter hoc officium, aliaque huiuſmodi, immunes fuiſſe Arabas

ſten-

oſtenditur ex Herodoto Lib. III. Numero LXXXVIII. & XCI. Vallem autem idcirco nominat, quia ex Moabitarum agro in Arabiam deſertam ibatur per deſcenſum Choronaimorum, in montibus, quos Ptolemæus Lib. V. cap. v. & in IV. Aſiæ tabula vocat *Alſadamos*. MAGNITUDINEM. יתרה *iitbrab*, *ſuperrelictionem*, *ſuperſilitionem*, *ſaltationem*, *abundantiam*, *ſuperabundantiam*, *exuberantiam*, *opes*, *divitias*. ET VISITATIO EORUM. פקודה *pekuddab*, proprie, *viſitatio*, *inſpectio*, *recenſitio*, *requiſitio*. Hic Sanctus Hieronymus in malum ſumit, pro ſupplicio, & plaga. Plerique alii in bonum, pro rebus ipſis, quas qui habet, ſæpe viſitat, atque recenſet, & quarum rationem habet; id eſt, pro repoſitis & reconditis divitiis & opibus, ſeu promptuariis; unde reddunt: *& depoſitum*, *repoſitum*, *recenſitum eorum*. AD TORRENTEM SALICUM. Potes reddere: *ſuper*, *ad Vallem Arabum*. ערבים *gharabim*, & *ſalices* & *Arabes* ſignificare, nimis eſt pervulgatum.

V. 8. QUONIAM CIRCUIBIT CLAMOR TERMINUM MOAB. Heb. in præterito: *Quia circuivit clamor terminum Moab*. Quidam: *Nam circuibit exclamatio illa terminum Moabi*; id eſt, pervadet agrum totum in oras uſque extimas. USQUE AD GALLIM ULULATUS EIUS. Heb. *uſque ad Eglaim eiulatus eius*, ſcilicet Moabi fugientis. Moab enim hic feminee pro regione ſeu provincia, id eſt provincialibus accipitur. De loco *Eglaim* nihil expediunt Interpretes: ego ſuſpicor eſſe locum illum de quo corrupta appellatione Euſebius & S. Hieronymus ſcribunt in Locis Hebraicis: *Abie*, *quæ & Acbalgat*, (pro *Eglaim*) *pro bac Symmachus interpretatur*, *in collibus*: *eſt autem e regione quondam Moab*, *nunc Areopoleos*, *ad orientalem plagam*. Oppidum fuiſſe in terra Moab, diſerte S. Hieronymus in Commentariis huius loci affirmat. Sic dictum ab uliginoſis & paluſtribus locis, Avenarius divinat. Forte a rotunditate nomen accepit. Tremellius, & Iunius reddunt: *ad confluentes uſque eiulatus eius*. *Id eſt*, *ad confluentes fluminis Arnonis*, *quibus definitur terminus Moabitarum*, Numeror. XXI. 15. *Hanc vocem* (inquiunt,) *quam alii propriam faciunt*, *appellative accipiunt*. Sane a גלל *galal*, deduxerunt. Formam dualem habet, quod forte bipartitum oppidum eſſet: in finibus Moabitarum extitiſſe, ſatis hic locus demonſtrat. ET USQUE AD PUTEUM ELIM CLAMOR EIUS. Heb. *& uſque ad Beer-Elim eiulatus*, ſeu *ululatus eius*. Quidam: *etiam Beer-Ilima eiulatus eius*, id eſt Puteum Potentum, a principibus Iiſraelitarum: ſic appellatur locus ille, de quo Numeror. XXI. 16. & ſequentibus, communi Moabitarum appellatione, qui Principes Elim, id eſt Fortes ſeu Potentes, ut Exodi XV. 15.

V. 9. QUIA AQUAE DIBON REPLETAE SUNT SANGUINE. Heb. *Dimon*. S. Hieronymus: *Ne quis ſcriptoris vitium putet*, *& errorem*, *emendare dum vult*, *faciat*, *una urbs & per* m, *& per* b, *litteram ſcribitur*: *e quibus Dimon ſilentium interpretatur*, *Dibon*, *fluens*; *indito utroque nomine propter latices qui tacite fluant*: *uſque hodie indifferenter & Dimon & Dibon hoc oppidulum dicitur*. De *Dibon* vide Numer. XXI. 30. Ceterum plerique diſtinguunt Dimon hic a Dibone illa Numerorum, & fluvium Moabiticæ regionis accipiunt. Tremellius, & Iunius reddunt: *Quod aquæ Dimonis plenæ ſanguine futuræ ſint*. *His verbis* (inquiunt) *alludit Ieſchabia ad hiſtoriam illam*, *quæ legitur* II. *Regum* III. *quaſi dicat*: *Quemadmodum temporibus Iehoſchaphati rivus ille*, *qui a via Edomææ influere tum primum cœpit in agrum Moabitarum*, *non tantum ſpecie ſanguinis rubuit*, *qua decepti ſunt*, *verum etiam ipſorum ſanguine auctus eſt*; *ita quoque deinceps facturus ſum*, *& eo amplius*. *Videtur enim Dimon nomen eſſe illius rivi*, *de quo ternis caſtris bibendum dederat Deus in illa expeditione*, *impoſitum ex eo*, *quod totus rivus eodem die ſanguine Moabitarum infectus eſt*, *& ſanguineus Moabitis viſus*; *eſt enim Dimon*, *ſi interpreteris*, *ſanguineus*: *quo ſpectat alluſio in verbis prophetæ* dimon, *&* dam, *quam Latinis verbis aſſequi non poſſumus*. PONAM ENIM SUPER DIBON ADDITAMENTA, ſeu *addita*, *additiones*, malorum. Quidam exponunt: Id eſt, rivos additos; quaſi dicat, Tunc plurimis, noviſque rivis defluet ſanguis cæſorum Moabitarum in flumen Dimon. Alii reddunt: *cum diſponam in Dimone additamenta*; id eſt, pergam ſanguinem Moabitarum fundere, & amplius fundam: nam utrumque hoc deſignant Hebræi addendi

ſive

ſive pergendi verbo. HIS QUI FUGERINT DE MOAB, LEONEM, ET RELIQUIIS TERRAE. Hæc eſſe additamenta, quæ Deus Moabitis interminatur præcedente membro, S. Hieronymus annotavit. Alii reddunt: I. *iis qui evaſerunt Moabitis, & reliquiis regionis, leonem*. Subaudi, immittam, ſeu diſponam, e ſuperiore membro. II. *evaſioni Moab* ſeu *evadentibus vero Moabitis leonem*, & *reſiduo terræ*; id eſt, faciam ut Moabitarum quicumque fugerint extra terminos ſuos, aut ſi in iis remanſerint, ſint unguibus, dentibuſque ferarum expoſiti, ut de Samaritanis dicitur II. Reg. XVII. 25. *Leonem*, id eſt feras animantes. Synecdoche.

MENOCHII.

Verſ. 1. ONUS MOAB. Chaldæus, *Onus calicis maledicti ad propinandum Moab*. LXX. *verbum contra Moab*. QUIA NOCTE VASTATA EST, &c. Obſcurum eſt hoc, quia modum vaſtationis Scriptura non exprimit, ſed tantum tempus. AR MOAB: metropolis Moabitarum. MURUS MOAB: at intelligit, quod murus erat, & propugnaculum totius provinciæ.

V. 2. ASCENDIT DOMUS; id eſt, ut D. Hieronymus interpretatur, domus, & familia regia aſcendit ad excelſa, ubi ſua colebant, ut ibi regni Moab cladem lamentarentur. DIBON. Tota civitas Dibon, quæ eſt urbs Moabitarum, aſcendit ad eadem excelſa, ut lugeret excidium Habo, & Medaba quæ erant oppida eius provinciæ. ULULAVIT: ut fit in magna calamitate. CALVITIUM, &c. nam capita, & barbam radebant in doloris argumentum, & ſacco ſe induebant.

V. 3. SUPER TECTA EIUS: frequenter enim in tectis degebant, quæ in orientali illo tractu plana fiebant. DESCENDIT IN FLETUM: ut aſcendit flens, ita & deſcendit; nullam enim in idolis opem invenit. Vel ſenſus eſt, omnem ululatum fletus excepit.

V. 4. HESEBON, &c. ſunt urbes ad ditionem Moabitarum pertinentes. EXPEDITI MOAB; id eſt, accincti armis, parati, & expediti ad tuendam patriam, hi fracti animis arma deponent, & ululabunt. ANIMA EIUS ULULABIT SIBI; id eſt quilibet eorum in ſinu ſuo dolebit cladem patriæ, & privatum etiam damnum.

V. 5. COR MEUM AD MOAB CLAMABIT, id eſt propter Moab: ſignificat Propheta ſe malo Moabitarum commoveri, licet hoſtes ſint, quod facit ad eorum calamitatem exaggerandam; quaſi dicat, Doleo, & clamo propter Moabitas. VECTES EIUS, fortes eius milites. USQUE AD SEGOR, ſcilicet fugient uſque ad terminos regni. VITULAM CONTERNANTEM: Segor cuius populus fortis eſt, & ſimilis vitulæ trienni; ea enim ætate vituli, & vitulæ ſaniſſimæ ſunt, & robuſtiſſimæ. PER ASCENSUM ENIM LUITH, &c. Videtur urbs Luith fuiſſe in via ex Moab in Babylonem, ſita in colle; quare Moabitæ abducendi in Babylonem flentes eo aſcenderunt,indeque pervenerunt Oronaim, quæ erat terminus Moab verſus Babylonem; ibi ergo quaſi extremum vale dicentes patriæ, ex intima animi contritione, & dolore clamabant, & flebant. Ita cum D. Hieron. explicat Cornel. a Lapide. Verum quia Luith eſt inter Areopolim, & Segor, ut docet idem Hieron. hoc eſt verſus meridiem, & Chaldæa verſus Aquilonem, ideo credibilius putat Alvarez prædici plorantes ſcanſuros clivum, ut ſe in vertice montis ab hoſtibus tuerentur. Sic Rabbi David, Lyranus, & Vatablus.

V. 6. AQUAE NEMRIM, &c. iuxta quas multi prius habitabant propter earum commoditatem, deſerentur, nec ſuis aggeribus concludentur, ideoque aquæ ſalſæ maris mortui illis adiacentis, influent in eas, & amaras reddent & peſſimas, ut eas vocat Ierem. XLVIII. 34. QUIA, id eſt *unde* conſecutum eſt ut areſceret herba, &c.

V. 7. SECUNDUM MAGNITUDINEM OPERIS, id eſt pro magnis demeritis malorum operum. VISITATIO, punitio. AD TORRENTEM SALICUM DUCENT EOS. Torrens ſalicum, ait S. Hieronymus, vel eſt vallis Arabiæ, per quam ex Moab itur in Aſſyriam, & Babylonem; vel Euphrates, cui adiacet Babylon; ibi enim abundant ſalices, ſic Pſal. CXXXVI. dicitur: *Super flumina Babylonis*, &c. *in ſalicibus in medio eius ſuſpendimus organa noſtra*.

V. 8. CIRCUIVIT CLAMOR TERMINUM MOAB; quaſi dicat, Omnia plena erunt clamore, & planctu. USQUE AD GALLIM:

Digitized by Google

ELIM: Gallim, & Elim duo ſunt oppida in finibus Moabitarum: ſignificatur omnia luctu, & clamoribus complenda.

V. 9. REPLETAE SUNT SANGUINE, cæſorum Moabitarum. PONAM ENIM SUPER DIBON ADDITAMENTA, &c. plagarum; quaſi dicat: Plagas addam ad plagas, ut ſcilicet his qui fugerint de Moab, & reliquiis terræ, id eſt reliquiis Moabitarum profugis inducam leonem, id eſt leones, vel proprie dictos, vel potius leones, id eſt milites Babylonios, feroces inſtar leonum, quos Rex Babylonis in viis diſpoſuit, ut omnes fugientes Moabitas exciperent, captivos facerent, vel occiderent.

TIRINI.

Verſ. 1. NOCTE VASTATA EST AR. Hebraice, *Ir*; Moabitice, *Ar*, id eſt urbs, per antonomaſiam, nempe prima regni *a* & metropolis. Quæ inde poſtea *Areopolis* dicta fuit, ab *Arpolis*, non ab Ἄρεως, id eſt Martis, *polis*. Aliæ Moabitidis urbes illuſtriores erant *Dibon*, *Nabo*, *Medaba*, *Heſebon*, *Eleale*, *Luit*, *Ornam*, &c. quarum hic meminit Iſaias, quas olim Iſraelitæ eripuerant *b* Amorrhæis. Sed iam Moabitæ propter abductos inde in Aſſyriam *c* Iſraelitas per Teglatphalaſſar, eas ſuæ ditioni ſubiecerunt. Eſt autem *Moabitis*, pars *Arabiæ Petreæ* inter Euphratem & mare Mortuum, in qua nunc eſt urbs *Mecba*, itinere tridui a mari Rubro, in qua celebre eſt Mahometis delubrum, de quo vide Adrichomium *d*. NOCTE VASTATUS EST MURUS, ſeu mœnia primariæ urbis MOAB. Addit Chaldæus, *dormientibus* & *ſoporatis* Moabitis dirutam urbem. Cyrillus ex hiſtoricis docet, venientibus Chaldæis muros *Ar* terræ motu corruiſſe, atque ita urbem noctu facile a Chaldæis occupatam fuiſſe. Et recte quidem *noctu* vaſtatur *Moab*, qui noctu ex inceſto concubitu, tenebris & ſilentio involvendo, conceptus eſt, inquit S. Hieron. Unde & exprobrari ſolitum Moabitis, quod eſſent *noctis filii*. CONTICUIT, in Hebræo paſſive ponitur: *tacitus e eſt Moab*, id eſt oblivioni ac ſilentio traditus; nempe ſtirpitus everſus & exciſus, ut nec memoria illius ſuperſit, nec veſtigium. Ergo clade hac imminente,

V. 2. ASCENDIT Moab DOMUS, ſeu *ad domos* (ut eſt in Chaldæo;) ET AD EXCELSA DIBON, ubi erat ara Moab, inquiunt LXX. quaſi dicat: Tota natio confluxit ad fanum *Chamos* idoli Moab; partim IN PLANCTUM, ſeu ut ibi plangant, & opem expoſtulent: partim *in aſylum*, quod is locus inſidiis & vi Chaldæorum tutior videretur. IN CUNCTIS CAPITIBUS CALVITIUM, ET OMNIS BARBA RADETUR. Extremi luctus ſigna, ut alibi *f* dixi. Nec plebeii modo, ſed &

V. 4. EXPEDITI MOAB. Hebraice, *accincti armis*; id eſt, milites, & robuſti omnes, qui prius accincti armis adverſus Chaldæos in aciem prodire volebant, iam fracti animis arma exuunt, & ululant cum ceteris: & quidem non ficto ululatu, ut ſolent *præficæ g*, ſed ſerio & ex intimo corde; quod ſignificatur illis verbis, ANIMA EIUS, ſeu cuiuſque Moabitæ, ULULABIT SIBI.

V. 5. COR MEUM AD MOAB CLAMABIT, nempe compatiens ipſi (inquit Iſaias) ob tantam eius cladem & miſeriam; quia VECTES EIUS, id eſt fortes & robuſti milites, qui ſicut vectes tutari ſolebant portas urbium Moab, iam fugerunt USQUE AD SEGOR, id eſt uſque ad regni terminos, ubi ſita eſt *Segor* olim Lothi refugium *h*, & hucuſque florens civitas, pinguis & petulans, ſicut *vitula conternans*, id eſt *triennis*, ut eſt in Hebræo & Græco. Nam tertium annum ingreſſæ virulæ ſunt florentiſſimæ, pinguiſſimæ & petulantiſſimæ.

V. 6. AQUAE NEMRIM; id eſt, tota regio Nemrim in Moabitide deſeretur. Sic cap. VIII. per *aquas Siloe*, regnum Iuda ſignificavit.

V. 7. SECUNDUM MAGNITUDINEM OPERIS; id eſt, pro menſura demeriti malorum operum Moabitarum, erit ET VISITATIO, id eſt punitio eorumdem. AD TORRENTEM SALICUM, id eſt ad ripas Euphratis conſitas ſalicibus, id eſt in Chaldæam *i*, DUCENT captivos Moabitas, ut iſtic opera ruſtica exerceant.

V. 9. SUPER urbem DIBON, (quæ ultimo loco vaſtata videtur) PONAM ADDITAMENTA, ſupple plagarum; quaſi dicat: Addam illis plagam ſuper plagam: nempe HIS QUI FUGERINT DE MOAB, ET RELIQUIIS TERRAE Moabiticæ profugis

in

in Dibon, inducam LEONEM: puta Nabuchodonoſorem inſtar leonis furentem, ob pertinaciam Dibonitarum; quaſi dicat: Qui ante inſtar tauri ſæviit in alias urbes Moabiticas; in Dibon, propter nimis diuturnam & obſtinatam pertinaciam, longe crudelius, inſtar leonis ſæviet: ita fere Haymo.

(a) Num. xxi. 28. & Deut. ii. 9 & 18.
(b) Num. xxi. 16. &c.
(c) IV. Reg. xv. 29.
(d) Adrichom, de Terra ſancta pag. lxxviii.
(e) Ierem. xlvii. 2. & cap. xlix. 26. & I. Reg. xi. 9. &c.
(f) Deut. xxxii. 42. & Levit. x. 6. &c. xix. 27.
(g) Iob iii. 8.
(h) Gen. xix. 23.
(i) Pſal. cxxxvi. 2.

GORDONI.

Verſ. 1. POſt cladem aliarum regionum ſubiicit hic onus & calamitatem Moab in Arabia petrea. In ea urbes numerabantur Dibon, Nabo, Medaba, Heſebon, Eleale, & Oronaim. Ibi nunc eſt Mechá, ubi Mahometis delubrum; tridui itinere abeſt a mari rubro: de quo Adricho. pag. LXXVIII. noƈte vaſtata eſt Ar: eſt Metropolis Moab.

V. 2. ASCENDIT DOMUS. Aſcenderunt familiæ fugientes ad excelſa: in templum Chamos, idoli opem fruſtra implorantes.

EX EIUSDEM AUCTARIO.

Verſ. 2. DIBBON, urbs Moabitarum; incolæ eius aſcenderunt ad excelſa ut lugerent.

Verſ. 5. Fugient ad Segor & terminos regni. VECTES, fortes milites. CONTERNANTEM, *triennem* ex Heb. & Septuag. Habitatores Segor fortes ſunt ut vitulus triennis: nam vitulus ea ætate maxime valet viribus.

Verſ. 7. SECUNDUM MAGNITUDINEM OPERIS, pro gravitate deliƈtorum luent pœnas. Notat alia ibidem loca.

CAPUT XVI.

Orat emitti agnum, nempe Chriſtum, de petra deſerti: Moab ob arrogantiam & perfidiam humiliabitur, paucis ex eo reliƈtis.

1. EMitte agnum Domine dominatorem terræ, de Petra deſerti ad montem filiæ Sion. 2. Et erit: Sicut avis fugiens, & pulli de nido avolante, ſic erunt filiæ Moab
in tranſcenſu Arnon. 3. Ini conſilium, coge concilium:
pone quaſi noƈtem umbram tuam in meridie: abſconde
fugientes, & vagos ne prodas. 4. Habitabunt apud te
profugi mei: Moab eſto latibulum eorum a facie vaſtatoris: finitus eſt enim pulvis, conſummatus eſt miſer: defecit qui conculcabat terram. 5. Et præparabitur in miſericordia ſolium, * & ſedebit ſuper illud
in veritate in tabernaculo David, iudicans & quærens iudicium, & velociter
reddens quod iuſtum eſt. 6. *a* Audivimus ſuperbiam Moab, ſuperbus eſt valde: ſuperbia eius & arrogantia eius, & indignatio eius, pluſquam fortitudo
eius. 7. Idcirco ululabit Moab ad Moab, univerſus ululabit: his, qui lætantur ſuper muros coƈti lateris, loquimini plagas ſuas. 8. Quoniam ſuburbana
Heſebon deſerta ſunt, & vineam Sabama domini Gentium exciderunt: flagella eius uſque ad Iazer pervenerunt: erraverunt in deſerto, propagines eius
reliƈtæ ſunt, tranſierunt mare. 9. Super hoc plorabo in fletu Iazer vineam
Sabama:

Sabama: inebriabo te lacryma mea Heſebon, & Eleale: quoniam ſuper vindemiam tuam, & ſuper meſſem tuam vox calcantium irruit. 10. Et auferetur lætitia & exultatio de Carmelo, & in vineis non exultabit neque iubilabit. Vinum in torculari non calcabit qui calcare conſueverat: vocem calcantium abſtuli. 11. Super hoc venter meus ad Moab quaſi cithara ſonabit, & viſcera mea ad murum cocti lateris. 12. Et erit: cum apparuerit quod laboravit Moab ſuper excelſis ſuis, ingredietur ad ſancta ſua ut obſecret, & non valebit. 13. Hoc verbum, quod locutus eſt Dominus ad Moab ex tunc: 14. & nunc locutus eſt Dominus, dicens: In tribus annis, quaſi anni mercenarii, auferetur gloria Moab ſuper omni populo multo, * & relinquetur parvus & modicus, nequaquam multus.

(a) Ierem. xlviii. 29.

B R U G E N S I S

Romanae Correctiones.

Verſ. 5. *Et ſedebit ſuper illud in veritate.* Nec hic mutes neutrum *illud* in maſculinum *eum*.

Verſ. 14. *Et relinquetur parvus & modicus.* Non addas verbo *relinquetur*, id quod quidam libri, *in eo ſicut racemus*; eſt enim alterius loci.

C O M M E N T A R I A

M A L D O N A T I.

Verſ. 1. EMitte agnum. Heb. שלחו־כר, *emittete agnum*. Locus perdifficilis: aliqui cum Hebræis interpretantur ex IV. Reg. III. 4. ubi legimus ſolitum regem Moab ſingulis annis mittere ad regem Iſrael tributi loco centum millia agnorum, & totidem millia arietum; mortuo autem Achab, deſiiſſe tributum ſolvere; nunc Prophetam monere ut mittant. Sed hæc interpretatio præterquam quod nimis Iudaica eſt, non congruit hiſtoriæ. Rex enim Moab illud tributum non ſolvebat regi Iuda, ſed Iſraelis; hic autem iubentur Moabitæ agnum mittere ad filiam Sion, id eſt Ieroſolymam. Alii Eccleſiaſticam interpretationem de Chriſto nimis temere reiiciunt, putantque ironiam eſſe; quaſi dicat: Mittite nunc agnum, id eſt ſacrificium, quod offeratur in Sion, non propterea Deum placabitis. Ego verum ſenſum eſſe arbitror, quem Hieron. aliique veteres auctores tradiderunt, quemque videtur Eccleſia in publicis precibus uſurpando confirmaſſe. Chriſtus ex Moab genus duxit ex altera parte; filius enim fuit David, David Iſai, Iſai Obed, Obed Booz ex Ruth Moabitide. Cum ergo Propheta Moabitarum vaſtitatem ſignificat ſalvo Chriſto, quem ad montem filiæ Sion miſerunt, per Ruth eius matrem, ceteros viros ac mulieres eſſe delendos. De petra deserti. מסלע מדברה, aliqui putant nomen eſſe proprium urbis, ex qua fuit Ruth; alii totam regionem Moabitarum (quod probabilius eſt) petram deſerti propter vaſtitatem appellari. At iam multo ante Moabitæ Chriſtum miſerant eo modo quo poterant, id eſt per Ruth; multo enim antequam Iſaias natus eſſet Ruth ex Moabitide regione venerat, & Booz nupſerat: ita eſt, ſed forma loquendi, *Mittite agnum*, perinde velit ac ſi dicat: Cum iam Chriſtum miſeritis, cuius Deus rationem habuiſſet, quominus perderet vos, nulla cauſa Deum remorabitur, quin vos deleat. Sic enim vulgo de Iudæis ipſi loqueremur: Mittite nobis Chriſtum, & omnes diſpergemini; id eſt cum iam miſeritis nobis Chriſtum, quem unum volebamus, nihili faciemus diſperſionem veſtram. Coniungenda ſunt hæc verba

verba cum verſu ſequenti.

V. 2. ET ERIT SICUT AVIS FUGIENS, ET PULLI. Heb. קן משלח (intelligitur וכ; *& ſicut nidus dimiſſus*. Cum aliquis pullos qui in nido ſunt terret ac emittit e nido, volitant errantes huc illuc. SIC ERUNT FILIAE MOAB IN TRANSCENSU ARNON. מעברות, *ad vada Arnon*: is fluvius eſt Moabitarum, Ioſeph. Lib. IV. Antiq. cap. IV.

V. 3. INI CONSILIUM. הביאו עצה, *cogite, congregate conſilium* (o Moabitæ) COGE CONCILIUM. עשי פלילה, *facite iudicium*. Alii codices legunt in ſingulari, הביאי & עשי, *congrega & fac* (o terra Moabitis.) His verbis exponit Deus cauſam, quamobrem ita Moabitas caſtiget, quia Iudæos ſervos ſuos cum poſſent ac deberent non iuverunt, ſed afflixerunt. Sicut ergo pater dum filium verberat, quod iuraverit; ſubinde inter ipſa verba illi repetit, Ne iures, ne iures: ita Deus Moabitas cædens commemorat illis imperando pœnarum cauſas. *Concilium coge*, id eſt prudentius age. PONE QUASI NOCTEM; id eſt, cum videris Iudæos profugos & vagos, æſtuque fatiſcentes, fove illos, abſconde, & ne prodas hoſtibus, ſicut hactenus prodidiſti.

V. 4. HABITABUNT. גרו, *peregrinabuntur*: futurum pro imperativo, aut optativo Latino; id eſt, liceat in poſterum Iudæis, ſi quando profugi fuerint, recipere ſe ſe in terram tuam. Loquitur Deus, ut maiorem orationi vim adhibeat, vocatque Iudæos profugos ſuos, non quod ipſe in fugam dederit, ſed quod eſſent peculiaris eius populus, etiam cum ab hoſtibus de ſuis ſedibus pellebantur. MOAB ESTO LATIBULUM, id eſt occulta illos cum fugerint a facie vaſtatoris. FINITUS EST ENIM PULVIS. Heb. כי אפס המץ, *quia defecit emunctor*, id eſt hoſtis qui populum tributis veluti emungere ſolebat. Noſter Interpres videtur legiſſe המוץ, *pulvis*, id eſt hoſtis ſicut pulvis. CONSUMMATUS EST MISER. כלה שד, *conſumptus eſt vaſtator*. DEFECIT QUI CONCULCABAT TERRAM. רומס מן הארץ, *defecit conculcator a terra*; id eſt, non eſt iam in terra qui ſolebat omnes conculcare rex Babylonis. Poſſunt hæc referri vel ad hoſtes Moabitarum, ut aliqui referunt; quaſi dicat: Si hactenus metu hoſtium non audebatis Iudæos apud vos recipere ac protegere, recipite deinceps, omnes enim hoſtes deleti ſunt:-vel ad hoſtes Iudæorum; ac ſi dicat: Hactenus non recipiebatis miſeros Iudæos cum ab hoſtibus vexarentur, ſed afflictis inſultabatis, inpoſterum recipite, quia eorum hoſtes extincti ſunt, voſque ipſi niſi eos humane tractaveritis, ſicut ceteri abolebimini.

V. 5. ET PRAEPARABITUR, id eſt ſtabilietur, confirmabitur, IN MISERICORDIA. Heb. id eſt, propter Dei miſericordiam, non propter hominum merita. SOLIUM, id eſt regnum. ET SEDEBIT SUPER EUM, (ſuper illud ſolium rex,) IN VERITATE, id eſt, vera iudicans. IN TABERNACULO DAVID, id eſt in domo David, rex ex familia David. IUDICANS ET QUAERENS IUDICIUM, id eſt libenter iudicium adminiſtrans, vel non habens rationem alterius rei, quam iudicii & æquitatis: utramque vim habere poteſt verbum quærendi. ET VELOCITER REDDENS QUOD IUSTUM EST; id eſt, non retardans iuſtas cauſas, ſed breviter expediens. Hæc plerique Hebræos ſecuti de regno Ezechiæ interpretantur. Ego de regno Chriſti, cuius non erit finis, cuique omnia iſta ſoli conveniunt.

V. 6. AUDIVIMUS SUPERBIAM MOAB. Convertit orationem Propheta ad Iudæos, iubetque bono eſſe animo, non timere Moabitarum ſuperbiam, minora enim eſſe eorum facta, quam eorum ſuperbia præſeferat. PLUSQUAM FORTITUDO EIUS. לא־כן בדיו, quæ verba cum a multis vertantur, ſolus noſter Interpres mihi videtur verum eorum ſenſum reddidiſſe; id eſt, *non tanta eius fortitudo, quanta ieus eſt arrogantia*: ſicut quidam dixit:

— *Vana eſt ſine viribus ira.*

V. 7. IDCIRCO, id eſt quia fortitudo eius minor eſt quam arrogantia, qua peribit. ULULABIT MOAB, id eſt tota regio cum vaſtabitur. AD MOAB, למואב, *Moabitas*: omnis (Moab) ululabit; id eſt, omnis regio planget ſuos habitatores interfectos. IIS QUI LAETANTUR, id eſt qui gloriantur, qui confidunt. SUPER MUROS COCTI LATERIS, id eſt in muris lateritiis urbium ſuarum. Heb. לאשישי קיר־חרשת, *fundamentis muri lateritii*, קהגו, LOQUIMINI, id eſt, principibus, ut interpretatur Chaldæus,

Digitized by Google

dæus, & R. David, & R. Ionah. Plagas suas, id eſt, prænunciate futuras calamitates. Heb. אך נכאים, *utique percuſſi*, aut *fundamenta percuſſa everſaque*, תהגו *gemite*. Aut, *ipſi percuſſi gemetis principes occiſos*. קיר־חרשת, alii putant proprium eſſe magnæ alicuius urbis nomen, quæ a lateritiis muris ſic appellata ſit. Alii appellativum, quo omnes omnium urbium Moabitarum muri ſignificentur.

V. 8. Quoniam suburbana. שדמות & agros ſuburbanos ſignificat, & vites; Hebræi vites interpretantur hoc loco, ſicut ſtatim dicit: Propagines eius relictae sunt. Heſebon quæ urbs Moabitarum ſit, dictum eſt ſupra cap. xv. 4. Vites autem vocat Propheta, aut vineas ipſas, quæ ab hoſtibus, ut fieri ſolet, exſcindendæ, vaſtandæque erant, aut cives, qui hoc videntur eſſe in civitate, quod vites in vinea. Et vineam, id eſt vineta, ſing. pro plurali. Sabama. Civitas erat Moabitarum, cuius agri vitibus erant fertiliſſimi. *Vicina* Iazer. Plangit ergo vaſtationem vinearum, quia unuſquiſque id maxime plangit quod eſt in quoque loco pretioſiſſimum. Similis locus eſt, unde hic illuſtrari poteſt, Ierem. xlviii. 32. Domini gentium exciderunt, id eſt reges alienigenæ. Flagella eius; id eſt, ſarmenta pervenerunt uſque ad Iazer. Oſtendit fertilitatem vinearum ex longitudine ſarmentorum. שרוקיה, *generoſiſſimas vites eius* aut *propagines* הלמו *contriverunt*. Usque Iazer pervenerunt; id eſt, quæ adeo longæ erant ut pervenirent uſque ad Iazer (hyperbolice) & errarent uſque in deſertum. Propagines eius relictae sunt, id eſt conculcatæ, aut, נטשו, *evulſæ ſunt*, (אשר) עברו ים *quæ tranſibant mare*; id eſt, quæ adeo longæ erant, ut mare tranſire viderentur. Vel, נטשו, *extendebant ſe*, & expandebant adeo, ut mare tranſirent.

V. 9. Super hoc, id eſt *propterea*, על כן, plorabo (ego Propheta animo iam proſpiciens futuram perniciem Iazer, &c.) In fletu Iazer, id eſt propter fletum futurum Iazer. בבכי, et vineam Sabama, id eſt propter vineam Sabama, aut propter fletum vineæ Sabama, quæ exſcidenda eſt: ſingul. pro plurali. Fletus autem vineæ dicitur paſſive; id eſt, quo vineæ vaſtatæ deflendæ ſunt a civibus Sabama. Inebriabo te lacryma mea Hesebon; id eſt, tam copioſe deflebo te, ut meis quodammodo lacrymis inebrieris. Quoniam super vindemiam tuam: על־קיצך, *ſuper æſtivos fructus tuos*, et super messem tuam, id eſt tempore meſſis & vindemiæ. Vox calcantium. הידד, *celeuſma calcantium*, id eſt lætitia, & acclamatio calcantium uvas. Irruit: נפל, *cecidit*, id eſt defecit, periit. Tempus meſſis & vindemiæ lætiſſimum eſt totius anni, præſertim in locis fertilioribus, qualis erat Sabama. Senſus ergo eſt: Cum maxime læta eris, o Sabama, tunc lætitia tua ingruente ſubita calamitate deficiet, ut explicat ſtatim verſ. 10. Alii ſic, *Vox calcantium*, id eſt hoſtium irruet in te. Vide Ierem. cap. xlviii. 32. 33.

V. 10. Et auferetur laetitia et exultatio de Carmelo, id eſt de agro Moabitarum, qui fertilitate Carmelo ſimilis eſt. Alii carmelum putant hoc loco, ut ſæpe alias, eſſe nomen appellativum ſignificans quemlibet agrum cultum & feracem. Et in vineis non exultabit: ירנן, *non cantabitur ſicut vindemiatores cantare ſolent*, *neque iubilabitur*. Vocem calcantium: הידד, *celeuſma calcantium*, השבתי, *ceſſare feci*; id eſt, non audietur amplius celeuſma calcantium in torcularibus.

V. 11. Super hoc (על כן, *propter hoc*.) Venter meus, מעי, *inteſtina mea ſicut cithara ſonabunt*, *præ dolore commovebuntur* ad Moab, id eſt propter calamitatem Moab. Induit Propheta perſonam Moabitæ, ut rem ante oculos ponat. Et viscera mea: קרבי, *venter meus*, ad murum cocti lateris: ut ſupra verſ. 7.

V. 12. Et erit: accidet, cum apparuerit: כי נראה, *cum fuerit compertum re ipſa*. Quod laboravit Moab: כי נלצה, *fatigatum eſſe Moab in excelſis ſuis*, id eſt in adeundis templis idolorum ſuorum. Ingredietur ad sancta tua. Heb. מקדשו, *in ſanctum*, *in ſacrarium ſuum*, id eſt in templum Chamos, quod apud illos omnium ſanctiſſimum habebatur, & velut ſanctum ſanctorum. *Et non poterit*, id eſt nihil proficiet, non obti-

Digitized by Google

nebit quod petet, aut non poterit ire præ fatigatione, aut non poterit in eo orare, quia everſum inveniet.

V. 13. Hoc verbum quod locutus est Dominus ad Moab. Hebraiſmus, id eſt decrevit apud ſe contra Moab. Ex tunc, id eſt iam olim.

V. 14. Et nunc locutus est. Explicavit per me; id eſt, prius non definierat certum tempus, nunc definit. In tribus annis, id eſt poſt tres annos, quasi anni mercenarii, ſimiles annis mercenarii, id eſt iuſtis, quibus nihil addetur temporis, neque detrahetur. Auferetur gloria: נקלה, *in ignominiam convertetur gloria Moab*. Super: בכל ההמון הרב, *in omni multitudine* (eius) *quæ magna eſt*, id eſt in omnibus civitatibus. Aut coniunctè, gloria Moab in omni multitudine, id eſt quam nunc habet, qua nunc gloriatur ob multitudinem ſuam, quæ maxima eſt. Et relinquetur, id eſt manebunt tantum reliquiæ valde exiguæ, ולא כביר, *& minime nobiles*, aut minime fortes.

S A.

Verſ. 1. Domine: non eſt Heb. Chald. aut in LXX. Petra deserti. Urbs eſt Moabitarum: erat autem Ruth, e qua Chriſtus, Moabitis. Filiae, id eſt congregationis, ſcilicet Ieruſalem.

V. 2. Filiae, id eſt oppidula, ſeu vici. Transcensu, id eſt tranſitu. Arnon: nomen eſt fluvii, & civitatis Moabitarum.

V. 3. Pone quasi, &c. quaſi dicat, Quære tenebras. Fugientes, ſcilicet Iſraelitas, vel Moabitas.

V. 4. Mei: non eſt Chald. nec apud LXX. Pulvis, ſcilicet perſequentium. Chald. *hoſtis*. Consummatus, id eſt conſumptus. Miser. Chald. *deprædator*. Conculcabat, id eſt vaſtabat, ſcilicet hoſtis.

V. 5. In misericordia, id eſt per miſericordiam, ſcilicet Dei. Sedebit, ſcilicet Chriſtus. Tabernaculo. Chald. *civitate*.

V. 7. His qui, &c. Moabitæ ſignificantur.

V. 8. Sunt; pro, erunt. Flagella, id eſt palmites, ſcilicet cives. LXX. *vites*. Relictae; pro, quæ relictæ. Transierunt, ſcilicet fugientes, vel potius in captivitatem abductæ. Mare, id eſt Euphratem.

V. 9. In fletu Iazer, id eſt ſicut flevi ſuper Iazer. Loquitur in perſona Moabitarum. Vineam, id eſt cives, ſeu populum. Inebriabo, id eſt rigabo; quaſi dicat, Effundam copioſiſſime lacrymas. Calcantium. Chald *deprædantium*: comparatur hoſtium vaſtatio conculcationi uvarum & ſegetum. Irruit, ſcilicet hoſtiliter.

V. 10. Carmelo, id eſt locis fertilibus.

V. 11. Venter, id eſt interiora. Ad, id eſt propter. Quasi cithara, &c. id eſt ſubmiſſe flebit, ut ſolent mœrore deiecti.

V. 12. Laboravit, ſcilicet fruſtra ſupplicans idolis. Sancta, id eſt templa. Valebit, ſcilicet liberari.

V. 13. Ex tunc, id eſt olim, ſcilicet multo antequam eveniret.

V. 14. In tribus annis, id eſt poſt tres annos, vel poſt paucos. Quasi, id eſt ut ſolent, ſcilicet præfigi. Super. Chald. *cum*. Multus. LXX. *honorabilis*.

E S T I I.

Verſ. 1. Emitte agnum, Domine, dominatorem terrae, de petra deserti, ad montem filiae Sion. Huius loci varia eſt expoſitio. Rabbini fere intelligunt per irriſionem hoc dictum ad Moabitas. Conſueverant enim Moabitæ loco tributi pendere regi Iſrael centum millia agnorum. Sed poſt mortem Achab ab eo ſe onere ſubtraxerunt, ut patet III. Reg. 11. Poſtea vero tempore Ezechiæ aiunt eoſdem in eamdem ſervitutem iterum redactos fuiſſe. Legunt autem pro *dominatorem* in dativo *dominatori*; & hunc faciunt ſenſum: O Moab, emitte agnum dominatori terræ, regi Ezechiæ, ſicut olim facere conſueviſti; eumque adducas de petra deſerti, id eſt regione veſtra, uſque ad montem filiæ Sion, id eſt Ieruſalem; ac ſi dicat: Brevi cogeris iterum pendere tributum agnorum regi Iuda, quod olim pendere conſuevi-

ſueviſti regi Iſrael. Sed hæc coniecturalis expoſitio eſt; neque enim uſquam legitur, Moabitas poſtmodum ad idem tributum compulſos.

Rectius proinde Hieron. qui de Chriſto exponit, qui eſt agnus ille, de quo Ioannes cap. I. ſui Evangelii: *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi*: qui idem eſt dominator terræ, quia *data eſt ei a patre omnis poteſtas in cælo & in terra*, Math. xxviii. Senſus ergo eſt: O Moab poſt tanta mala iam prædicta, habeto hoc ſolatium; quia de te egredietur agnus immaculatus, qui erit dominator terræ: ſcilicet quia Petra deſerti intelligitur regio Moab, ex qua orta eſt Ruth Moabitis; ex cuius poſteritate per Davidem, (ut conſtat Math. I.) natus eſt Chriſtus, & emiſſus ad montem filiæ Sion, id eſt ſpecialiter ad Iudæos, ſicut ipſe Chriſtus dicit, Matth. xv. *Non ſum miſſus niſi ad oves quæ perierunt domus Iſrael.*

V. 5. ET SEDEBIT IN VERITATE IN TABERNACULO DAVID, IUDICANS ET QUAERENS IUDICIUM, ET VELOCITER REDDENS QUOD IUSTUM EST. Alibi Scriptura teſtatur Deum tarde reddere quod iuſtum eſt, ſcilicet, vel præmia iuſtis, vel ſupplicia improbis. Unde Iacobi ult. *Patientes eſtote uſque ad adventum Domini*, &c. Sed ſolvit quæſtionem Petrus Epiſt. II. capite III. *Unum hoc*, inquit, *non lateat vos, cariſſimi, quia unus dies apud Dominum ſicut mille anni, & mille anni ſicut unus. Non tardat Dominus promiſſionem ſuam, ſicut quidam exiſtimarunt, ſed patienter agit propter vos, nolens aliquos perire, ſed omnes ad pœnitentiam reverti.* Tardius eſt ergo comparatione huius temporis, ſed velociter redditur, ſi reſpiciamus ad æternitatem. Sic & Apocalyp. ult. *Ecce venio cito, & merces mea mecum eſt.*

MARIANAE.

Verſ. I. EMITTE AGNUM DOMINE. Vox *Domine* in Heb. non eſt, neque in Septuag. neque in Gotth. *Agnum*, id eſt agnos. Et innuit id tributum omiſſum fuiſſe cauſa acceptæ cladis, de qua egit capite ſuperiori. DOMINATOREM. Vox מושל *Moſel* poteſt eſſe in accuſativo, ut Noſter poſuit, & Chald. & intelligitur de Chriſto, quem Moab miſit propter Ruth Moabitidem. Aut in dativo, *Dominatori*, & ſic intelligitur de Ezechia, cui Vates ſuadet, ut Moab mittat tributum conſuetum. DE PETRA DESERTI, id eſt ex Arabia Petræa, quæ vicina erat, & in ea Moabitæ ſuos greges alebant, quæ *Nabathæa* alio nomine vocatur, & metropolis eius *Petra* erat: Strabo Lib. XVI. AD MONTEM FILIAE SION. Sic Ieruſalem vocat, quod monti Sion & arci erat ſubiecta.

V. 2. SICUT AVIS FUGIENS. Redit ad cladem Moab. ET PULLI DE NIDO AVOLANTES. Heb. *emiſſa* (de) *nido*. SIC ERUNT FILIAE MOAB actæ ſcilicet, vel agentur in captivitatem. IN TRANSCENSU ARNON. Heb. *vada* (pro, ad vada) *Arnon*. Erat terminus Amorrhæorum & Moabitarum, & eo tranſmiſſo, captivi in Aſſyriam ducti ſunt.

V. 3. INI CONSILIUM. Rurſus Propheta conſulit quid facto ſit opus. COGE CONCILIUM. Heb. *fac decretum* ſeu *iudicium*. PONE QUASI NOCTEM. Videbat fore ut Iudæa vexaretur armis Sennacherib, & Iudæi fugerent; conſulit Moabitas, ut eos occultarent. In meridie noctem & umbram ponerent, eos conderent in latebras.

V. 4. FINITUS EST ENIM PULVIS; pro, finietur fugientium pulvis, quem pedibus excitant, non fugient amplius. Heb. *finitus eſt exactor*. MISER; ſcilicet qui fugiat non erit. Heb. *vaſtator non erit*.

V. 5. SOLIUM præparabitur. De Ezechia, aut de Chriſto loquitur. Ergo rerum ſtatus mutabitur, Iudæi afflicti reſurgent. Poſt tenebras lux. ET VELOCITER REDDENS QUOD IUSTUM EST. Heb. *& accelerans iuſtitiam*. Non eſt ſatis iuſte iudicare, ſi lites diuturnæ ſint.

V. 6. PLUSQUAM FORTITUDO EIUS eſt eius ſuperbia, ſcilicet Moab. Heb. *non ſic membra*, ſeu *lacerti eius ut ſuperbia*. Alii vertunt, *non ſic mendacia*, aut *verba eius*, id eſt multum loquitur Moab, parum præſtat. Sed ſuperior verſio magis placet.

V. 7. ULULABIT MOAB AD MOAB. Mortuos, qui fuerint ſuperſtites, lugebunt. HIS, QUI LAETANTUR; id eſt, iis qui muris lateritiis fidunt, renuntiate plagas,

gas, quæ illis inſtant. Heb. *fundamentis*, *kirbareſeth* (id eſt, proceribus eius urbis) *loquimini* (ſcilicet hæc mala) *quamvis plangentes*; id eſt, cum lacrymis nuntiate quæ paſſi eſtis, o Moabitæ.

V. 8. Quoniam suburbana. Alii, *vites Heſebon*. Flagella eius, id eſt ſarmenta, palmites, Heb. *optimæ propagines eius uſque ad Iazer pervenerunt*: nimirum magnopere luxuriabant. Propagines eius relictae sunt. Heb. *ſe extenderunt*, tranſierunt mare. Per *vites* homines intelligit, & per *propagines*, qui prius proſperis læti, deinde captivi in varia loca deducti ſunt. Aut de ipſa agri vaſtatione loquitur, quomodo tranſiſſe propagines mare, Hyperbole erit. Aut vere ii palmites ob nobilitatem deferebantur ad alias urbes & ultra mare.

V. 9. Plorabo in fletu Iazer. *Iazer* eſt in accuſativo. Cladem Iazer plorabo. Vineam Sabama; pro, & vineam ſeu vitem Sabama plorabo. Inebriabo, vel irrigabo te lacryma mea: lacrymas copioſe effundam, o Heſebon & Eleale. Vindemiam tuam, ſuper æſtivos fructus tuos. Vox calcantium irruit: celeuſma ſcilicet cecidit militaris clamor hoſtium, aut celeuſma cecidit, id eſt defecit. Iubilus calcantium uvas nullus auditur, quod hoſtis omnia occuparit, aut vaſtarit.

V. 10. De Carmelo. Sic Chald. Verum quoniam in Moab Carmelus non eſt, alii vertunt, *De agro culto & pingui*. Septuag. *de vineis*. Non exultabit, neque iubilabit, ſcilicet populus. Heb. paſſive, *non exultabitur*, *neque iubilabitur*. Vocem calcantium abstuli. Heb. *celeuſma ceſſare feci*. Explicatio eſt ſuperioris verſus, vox calcantium cecidit.

V. 11. Venter meus. Heb. *viſcera mea* ſonabant ut cithara præ timore. Ad Moab; propter Moab & eius excidium. Ad murum cocti lateris, id eſt ob urbes everſas, quæ lateritiis mœnibus cinctæ erant. Hebraica ſic alii vertunt, *propter kirbares*, id eſt eius urbis ruinam.

V. 12. Et erit cum apparuerit. Hebraica ſic verto: *Et erit cum apparuerit quod laboravit Moab in excelſo* (id eſt illuc eundo) *& ingredietur in ſanctuarium* (eius templi) *ad orandum*, *& non valebit*, ſcilicet impetrare. Ingredietur ad sancta sua, id eſt ſanctuarium, ut obſecret.

13. Ex tunc; id eſt antequam eveniret malum, locutus eſt Dominus ad Moab.

V. 14. In tribus annis, quasi anni mercenarii, id eſt præciſi, quibus nihil additur aut detrahitur. Super omni populo multo. Heb. *in omni turba multa*, id eſt cum omni populo, qui multus eſt, auferetur, aut vileſcet gloria Moab. Et relinquetur parvus et modicus, nequaquam multus. Heb. *Et reliquum parvum*, *puſillum*, *non validum*; id eſt, qui evaſerint ex clade, pauci admodum erunt, & ſine viribus, nimirum ex infima plebe.

MALVENDAE.

Verſ. 1. Emitte agnum Domine dominatorem terrae. Quidam exponunt: I. *Mittite regnum Dominatori terræ*, &c. Pervicatiam & obſtinationem exprobrat Moabitis Prophera, quod non reſipuerint: propterea fruſtra oblaturos Deo oblationes & ſacrificia in Ieruſalem. Sermo ironicus. II. *Mittite arietem*, collective *arietes*, id eſt milites fortes, ſeu machinas bellicas, quæ olim arietes dicebantur, ut Ezechiel. IV. 2. *qui dominetur in terra*; ut ſit ironia, quæ notat & pulſat ferociam illam & arrogantiam Moabitarum, quando iunctis ſibi Hammonitis venerunt adverſus Iehoſaphatum regem Iehudæ; quaſi dicat: Mittite, o Moabitæ, nunc militem, ſeu exercitum, tormentaque bellica adverſus regem Iehudæ, qui dominetur, & terram ſubiiciat, ut olim miſiſtis contra Iehoſaphatum, II. Reg. III. ſcilicet in eo ſtatu res veſtræ ſunt: nihil equidem minus præſtare nunc poteſtis: quinimmo veſtræ illius arrogantiæ nunc pœnas luetis. III. *Mittite agnum dominatoris terræ*, id eſt agnos, quos olim in tributum mittebatis *dominatori terræ* veſtræ regi Iſraelis, & poſtea mittere detrectaſtis, II. Reg. III. 4. & 5. mittite nunc Ezechiæ regi Iehudæ regnanti in monte Tziionis. Plerique ſecuti Patres, ac in primis S. Hieronymum, exponunt: *Mittite*, Pater, Fili, & Spiritus ſancte, in ſolatium Moabi, in

quem

Digitized by Google

quem immittendæ ſunt feræ, verſ. 9. præcedentis capitis; *agnum* illum Chriſtum tollentem peccata mundi, *dominatorem terræ*, qui ſuo imperio ſubiugabit orbem, *de petra deſerti*, id eſt de Ruth, quæ Moabitis fuit, & forte ex urbe illa oriunda, quæ *Selah Midbara* dicta fuit, in regione Moab, *ad montem filiæ Tziionis*, id eſt Eccleſiam, ſeu Ieruſalem; quaſi dicat, O Domine, ne perdas omnes Moabitas, ut tandem ex eorum ſemine naſcatur Chriſtus. Tremellius & Iunius hunc verſum ita explanant: *Mittite agnum dominatoris terræ a Petra ad deſertum uſque, ad montem filiæ Tziionis*. Altera pars prophetiæ, ut diximus in verſ. 1. ſuperioris capitis, qua Propheta conteſtatur Moabitas, exponens primum leges, & conditiones, quibus Moabitarum reliquiæ a Davide fuerant conſervatæ, & in fidem clientelamque receptæ, ut verbo uno attingitur II. Samuel. VIII. 2. deinde indomitam ipſorum ſuperbiam exprobrat, verſ. 6. ac poſtremo ſententiam dicit ſeveriſſimam probata iuſtitia Dei, uſque ad verſ. 13. Sunt autem hæ leges trium generum; prima, de præſtando canone imperato, hoc 1. verſu: ſecunda de officiis omnibus regi, populoque Dei præſtandis, verſ. 3. & 4. tertia de fide in promiſſiones Dei, & reciproca Dei, regiſque in ipſos beneficentia, uſque ad verſum 6. Ait ergo: *Mittite* Moabitæ *agnum dominatoris terræ*, id eſt agnorum numerum imperatum, ſylleptice; qui primum Davidi & Schelomoni penſitatus eſt, deinde lacero regno, ceſſit Iſraelitis, ut apparet ex II. Reg. I. 1. & cap. III. 4. quamobrem hoc loco nominatur *agnus dominatoris terræ*, id eſt regis Iehudæ, qui ex iure & auctoritate Dei, ſupremus erat illorum dominus: *a Petra ad deſertum uſque*; id eſt, univerſi mittite, ex omnibus finibus veſtris, qui a meridie agro Edomæorum, a ſeptemtrione deſerto Iardenis terminantur. Fuit enim Petra, ſive Ioktheel Edomæorum metropolis. II. Regum XIV. 7. *ad montem filiæ Tziionis*; id eſt, Ieruſchalaima ad regem. AGNUM. כר *car*, *arietem exſectum*, *vervecem*. Vide in Deuteronom. XXIII. 14. collective vel ſylleptice hic poni notant, pro agnos, arietes. DOMINATOREM TERRAE. מושל *moſchel*, participium poteſt his caſibus accipi, *dominantem*, *dominantis*, *dominanti terræ*. DE PETRA DESERTI. סלע מדברה *miſſelagh midbarah*. Quidam putant fuiſſe nomen proprium urbis Moabiticæ, *de Selah-Midbarah*, id eſt *de rupe*, *ſaxo*, *ſilice*, *petra deſerti*. Alii, quod aptius exiſtimamus, *He* in *Midebarah* exiſtimant eſſe locale, *de Petra in deſertum*, vel *ad deſertum uſque*. De Petra inſigni Arabiæ urbe, ex qua Petræa Arabia denominata eſt, vide Iudicum I. 36. & II. Reg. XIV 7. videtur fuiſſe in confinibus Moabitarum & Edomæorum.

V. 2. ET ERIT: SICUT AVIS FUGIENS. Heb. *Sicut avis divagans*, *vaga*, *vagabunda*, *migrans*. ET PULLI DE NIDO AVOLANTES. Heb. *nidus dimiſſus*, vel *deiectus*; id eſt, ſicut pulli deiecto nido implumes adhuc vel ſemiplumes, deſerti, volitantes. Quidam reddunt: *Alioqui erit Moab quemadmodum avis vaga*, *nidus dimiſſus*; id eſt, niſi pareant Moabitæ domui Davidis, fugabuntur, deportabuntur, & funeſta omnia patientur. SIC ERUNT FILIAE MOAB IN TRANSCENSU ARNON. Heb. *filiæ Moab traiectus ad Arnonem*, vel *vada ad Aaronem*. Quidam: *erunt Moabitides ad vada Arnonis*; id eſt, extra ſuos terminos deportabuntur. Alii totum verſum reddunt: I. *Etenim quemadmodum avis vaga*, *nido eiecta*, *ſic erunt filiæ Moabi ad vada Arnonis*; id eſt, deducentur captivæ in Aſſyrium traiecto fluvio Arnone. II. *Et erit Moab ſicut avis fugiens*, & *velut nidus dimiſſus erunt filiæ Moab ad vada Arnonis*. III. *Et erit ſicut avis vaga*, *agitata*, *nidus dimiſſus*; *ſic filiæ Moab factæ tranſire*, *vel coactæ pertranſire Arnonem*. De Arnone vide in Numer. XXI. 13.

V. 3. INI CONSILIUM, COGE CONCILIUM. Heb. *Venire fac conſilium*, *fac iudicium*. Sic Maſſoretæ legendum monent in margine, ut ſint imperativa feminea, quæ referuntur ad Moab, quem ſæpius hoc & præcedente capite feminee effertur; nam in textu pluraliter ſcribitur: *Venire facite conſilium*, *facite iudicium*, Moabitæ. Quidam: *Afferte conſilium*, *facite iudicium*. Revocat Moabitis in memoriam ſcelera ipſorum, quod afflictis Iudæis tantum abeſt ut ſuccurrerint, ut etiam ipſos magis afflixerint. Aliqui horum trium verſuum ſenſum ita concipiunt,

piunt, ut ſit iam altera ironia non minus acris adverſus Moabitas quam illa verſ. I. iſti enim, ut eſt veriſimile, cum rex Aſſyrius adverſus Iehudam contenderet, & civitates regni Iehudæ cœpiſſet ſubiugare, concilium cogebant, & quod fit in arduis deliberationibus, vocatis regni ſatrapis conſultabant per otium, an excipiendi eſſent profugi Iudæi, qui metu Aſſyriorum ad Moabitas confugiebant: timere enim poterant, ne in ſe provocarent Aſſyrii indignationem: vide II. Reg. XVIII. 13. & ſequentibus. Inſumebant itaque dies in huiuſmodi conſultationibus, cum interim Iehudæi vagi, huc atque illuc diſperſi latebras quærerent. Hos irridet Prophera, quod regnum Iehudæ ſub Ezechìa fuerit a Deo confirmatum, & Aſſyrii deleti; ipſi autem Moabitæ pœnas luituri eſſent huiuſmodi crudelitatis, eadem perpeſſi quæ Iehudæi. Alii: *Advocate conſilium, facite decretum*, vel *iudicium*, id eſt rem iuſtam. Notant, Moabitas dediſſe pœnas quod irriſiſſent Iſraelitas vicinos antequam abducerentur captivi in Aſſyriam per Salmaneſerem; propterea dicit: Moabitæ, aliter prorſus vos gerite erga Iſraelitas atque olim feciſtis, cum illi ex AEgypto in terram promiſſam proficiſcerentur; iuvare illos conſilio, facite iudicium, hoc eſt vices rependite, vices, inquam, nepotibus Abrahami, qui patrem veſtrum Lot plurimum iuvit. Nonnulli: *Ini conſilium, fac iudicium*; id eſt, vide ne amplius Iiſraelitis & populo Dei afflicto deſis, o Moab, ſed conſilio, & modis quibuſcumque poteris adiuves, & deſiſtas ab antiqua inhumanitate tua: ut Deuteron. XXIII. 4. nominatim reprehenditur. COGE CONCILIUM. Heb. *Fac* פלילה *phelilah, iudicationem, iudicium, appellationem, interpellationem, decretum iudiciale, arbitrium*; id eſt, quibuſcumque modis poteris, eos adiuva. PONE QUASI NOCTEM UMBRAM TUAM IN MERIDIE. Quidam: *diſpone tamquam noctis umbram tuam ipſo meridie;* id eſt, eſto illis ſecurum perfugium, & iucundum refrigerium a meridiano æſtu: allegoria calamitatum urentium. FUGIENTES. Heb. *impulſos, propulſos, expulſos, depulſos, vibratos:* ſic verſu ſequente. ET VAGOS NE PRODAS. Heb. *& divagantem, profugientem, agitatum non revelabis, deteges, manifeſtabis, prodes*: proprie *evolves*, id eſt deturbabis, aut provolves.

V. 4. HABITABUNT APUD TE PROFUGI MEI. Heb. *Trahent*, ſeu *peregrinabuntur, commorabuntur in te impulſi mei*. Quidam: *Commorentur apud te propulſi mei*, id eſt e populo meo, ut verſu præcedente. FINITUS EST ENIM PULVIS. Heb. *quia abſumptus eſt, terminatus, finitus, defiit, defecit, ceſſavit, ut eius nihil amplius ſuperſit, emunctor, emulſor, expreſſor*, ut Proverb. XXX. 33. Hiſpanicus Interpres: *el chupador*; id eſt Aſſyrius, vel Babylonius Monarcha. Quidam: *nam deſinet, qui premat*; id eſt, ceſſabit hoſtis affligens populum meum. Tertius locus exponens promiſſiones Dei, accipiendas fide: quarum partes ſunt hæ, liberatio a malo, hoc verſu; & præſtatio omnis boni in regno Davidis per Chriſtum, verſu ſequente. CONSUMMATUS EST MISER. Heb. *conſummatus fuit, abſumptus fuit, defecit, periit vaſtator*, vel *vaſtatio*. Quidam in futuro: *deficiet vaſtator*, vel *deprædator, direptor, graſſator*. DEFECIT QUI CONCULCABAT TERRAM. Heb. *conſumpti ſunt calcans, calcatile, quatiens, quatile de terra*. Alii: I. *defecerunt* exercitus, ſeu copiæ, aut vires, *conculcantis de terra*, id eſt Sancheribi, qui omnia peſſundabat. II. *Conſumentur calcator* quilibet, vel *calcatores ſinguli e terra*. III. Sanctes reddit: *conſumpta ſunt reptilia de terra*, id eſt quæcumque noxia irrepebant in Iudæos; allegoria. Totum hunc locum fuſe enarravimus Lib. IX. de Antichriſto, cap. XIX.

V. 5. ET PRAEPARABITUR IN MISERICORDIA SOLIUM. Heb. *Et apparari fiet in benignitate ſolium*. Alii: *Et confirmabitur, ſtabilietur, ratificabitur in miſericordia ſolium*. Quidam: *Et ſtabilietur benignitate*, ſeu *beneficentia*, qua Deus proſequitur domum Davidis in Chriſto, *ſolium*; id eſt, regnum Iehudæ ob promiſſiones miſericordia & benignitate Dei factas Davidi firmabitur, ſeu ſtabilietur in æternum in Chriſto. ET SEDEBIT SUPER ILLUD. Alii: *cui inſideat*. IN VERITATE. Heb. *in fide, conſtantia, firmitate*, id eſt firme, conſtanter. Quidam contra rationem interpunctionis Hebraicæ iſtud iungunt ſequentibus: *in veritate in tentorio Davidis iudicans*; id eſt, iuſte & vere

iudi-

Digitized by Google

iudicando in regia Davidis. IN TABERNACULO, ſeu *tentorio* DAVID. Id eſt, in regia Davidis; ſic dicta quod reges ſint paſtores populorum, ut eos Homerus vocat: vel quod in bellis in tentoriis habitent. IUDICANS ET QUAERENS IUDICIUM. Alii: *iudex, & procurans ius*, cum Chizkiia typus, tum Chriſtus abſolutiſſima typorum veritas. Quidam exponunt; quaſi dicat: Lites ſibi oblatas dirimet, & inquiret lites non oblatas, quas quæret etiam ſi nulli quæri audeant. ET VELOCITER REDDENS QUOD IUSTUM EST. Heb. *& feſtinus, promptus, velox, celer, iuſtitia*, vel *ad iuſtitiam*; quaſi dicat: Magnus adminiſter & myſta iuſtitiæ, qui nulla mora, nullis ambagibus, aut tergiverſationibus ius ſuum reddet unicuique quam celerrime: nec iuſtitiam in longum tempus differet, more iudicum terræ, qui plerumque cauſas pene interminabiles reddunt. Quidam reddunt: *& feſtinator iuſtitiæ*; id eſt, citoque ſaciet iuſtitiam.

V. 6. AUDIVIMUS SUPERBIAM MOAB, SUPERBUS EST VALDE: ſeu *faſtuoſus, tumidus*. Alii: I. *Audivimus ſuperbiam Moab, quod ſupra modum faſtuoſus ſit.* II. *Verum audivimus ſuperbiam Moabi, faſtuoſi admodum.* Secunda pars conteſtationis, ut diximus in verſ. I. SUPERBIA EIUS, ET ARROGANTIA EIUS, ET INDIGNATIO EIUS, PLUSQUAM FORTITUDO EIUS. Varie alii ex Heb. I. Sanctes: *ſuperbia eius, & extollentia eius, & indignatio eius, non rectum*, aut *veritas*, ſive *non recta*, ſeu *vera verba eius*, ſive *mendacia eius*; id eſt, non recta ac firma verba eius, quæ ex ſuperbia loquitur. II. Rabbi Ioſeph Kimchi: *ſuperbia eius, & elatio eius, & impragnatio eius, non recte filii eius*; quaſi dicat, Filii ab eo geniti, ſpurii fuerunt. Quod ſi intelligerent quomodo a patre Lot geniti ſint, & ut fuerit eorum imprægnatio, ſeu conceptio, non ita ſuperbirent. Vocem עברה *ghebrah*, ex ſignificato verbi, in Pihel, pro *imprægnatione* accepit. Sed eſt ſubtilis nimium interpretatio: *ghebrah*, quid proprie ſit, vide in Pſal. LXXVII. 49. III. Vatablus: *arrogantiam eius, faſtum eius, iracundiam eius*, ſubaudi, audivimus: *non ſic ſermones eius*, vel *non veritas ſermones eius*; quaſi dicat, Non faciet, quæ iactabat ſe facturum. IV. Leo Iudas: *arrogantiæ eius, faſtui eius, & furori eius, la*certo eius non reſpondent. V. Iſidorus Clarius: *ſuperbia eius, & arrogantia eius, & indignatio eius*, qua ſcilicet abſque cauſa furore concitatus eſt in vicinos quoſque, *non erunt uſui mendacia eius*; id eſt, omnis eius ſuperbia, faſtus, indignatio, cum ſint mendacia, & doli, non liberabunt eum a perditione. VI. Forſterus, Mercerus: *ſuperbiam eius, & elationem eius, & ardorem*, ſeu *furorem eius* audivimus: *ſed non ſic robora eius*, id eſt fortia facta. Notant, quando hanc particulam כן *chen*, mox præcedit negatio, tum idem Hebræis valere quod Græcis *ne my, ne gry*, aut quid ſimile, & Latinis, *ne tantillum quidem*; unde reddunt: *ſed ne ſic quidem robur eius*, id eſt ne tantillum quidem: vide in Proverb. XV. 7. VII. Forerius: *ſuperbia eius, & faſtus eius, & furor eius, non ſic vectes eius*, id eſt fortitudo, ſeu potentia: quod vectes ſint robora & firmamenta portarum. VIII. Avenarius: *gloriatio eius, & excellentia eius, & effervescentia eius, non rata erunt vaticinia eius*. IX. Montanus: *non recte fictiones*, vel *divinationes eius*; ſubaudi, procedent, vel ſe habebunt. X. Marinus: *non rectum*, ſunt, vel agunt, *Aſtrologi eius*. Exiſtimant בדים *baddim*, ſignificare aſtrologos iudiciarios, ſic dictos quod ſolitarii fere incedant & habitent; vel quod mendaces ſint. Reuchlinus & Alfonſus Zamorenſis, *divinos* exponunt. Sic accipi videtur hæc vox infra XLIV. 25. & Ieremiæ L. 36. XI. Tremellius & Iunius ac Buxtorfius: *faſtu eius, & ſuperbia eius, & furore eius non ita ſuccedunt mendacia eius*; id eſt, utcumque turgeat, nihilominus plene de mendace iactatione ſua decidet. XII. Kimchius: *non ſic filii eius*, ſubaudi facient, quia deficiet regnum eius. XIII. Schindlerus: *& non veritas mendacia eius*. XIV. Hiſpanicus Interpres: *ſu ſobervia, y ſu arrogantia, y ſu altivez; mas ſus mentiras no verdad*, vel *no ſeran firmes*.

V. 7. IDCIRCO ULULABIT MOAB AD MOAB (vel *ob Moab*, vel *ſuper Moab*) UNIVERSUS ULULABIT. Quidam: *Idcirco eiulabit Moabita ad Moabitam, unuſquiſque eiulabit*. Tertia pars contentionis, ſetentiæ dictio. Alii: *Idcirco lugebunt Moabitæ* ſuperſtites, *Moabitas* interfectos, *omnes* Moabitæ ſuperſtites *lugebunt* illos.

HIS QUI LAETANTUR SUPER MUROS COCTI LATERIS, LOQUIMINI PLAGAS SUAS. Diverſimode alii ex Heb. I. Sanctes: *ſuper dolia Kir-Chareſeth loquemini, verumtamen percuſſi*. Adhibentur enim dolia interdum ad munitiones urbium. II. Idem Sanctes: *fundamentis*, vel *ad fundamenta parietis fictilis gemetis, verumtamen percuſſi*, vel *abiecti*, aut *triſtes* ſeu *dolore affecti*. III. Vatablus: *ſuper fundamenta*, vel *propter fundamenta Kir-chareſeth gemetis; ſed percuſſi*; id eſt, propter everſionem illius urbis, quæ everſa fuit a fundamentis. IV. Leo Iudas: *ad dolia Kir-chareſeth gemite: attamen percuſſi*, quod defecturæ deinceps eſſent vites, ac vineæ, ac nullus futurus eſſet proventus vini, verſu ſequente. V. Forſterus: *ſuper fundamenta Kirchareſeth gemetis tantum perturbati*, vel *& ad fundamenta Kirchareſeth ingemeſcent tantum confracti*. Hebræi & plerique Noſtrorum, *fundamenta Kir-Chareſeth*, intelligunt principes, magnates, primores urbis. VI. Vatablus: *propter fundamenta civitatis fictilis* dolentes *meditabimini, qui tantum claudi* remanſiſtis. VII. Rabbi Ionah: *facientibus viriliter ac fortiter*, vel *fortibus parietis fictilis*, vel *Kir-Chareſeth, clamabitis, iam iam* futuri eſtis *debiles*. VIII. Marinus: *Lagenis Kir-Chareſeth meditabimini, ſed contriti*; vel *gemetis tantum dolore affecti*, ſeu *percuſſi*. IX. Avenarius: *de aſſamentis*, vel *coaſſationibus lignorum aut tabularum Kir-coreſeth, meditabimini*, id eſt lugebitis, *etiam icti*. X. Schindlerus: *propter fundamenta Kir-Chareſeth gemetis etiam afflicti*; hoc eſt, propter fundamenta everſa illius urbis. XI. Iſidorus Clarius: *propter fundamenta civitatis fictilis, loquimini voce ſubmiſſa dolentes*. XII. Forerius: *ſuper viros Kir-Chareſeth promite tantum percuſſos eorum*; id eſt, promite, vel edite numerum, vel nomina conſternatorum, ſeu cæſorum, ad viros illius urbis, qui ſuis viribus confidebant. XIII. Montanus: *ſummis viris Kir-Chareſet lamentando pronuntiate, Utique concuſſi* ſunt; ut hoc ſit initium lamentationis. XIV. Tremellius, Iunius, Buxtorfius: *de fundamentis Kirchareſethæ effabimini*: quæ ſola ex omnibus Moabitarum oppidis vetuſta erant, nec fuerant everſa trium regum expeditione II. Reg. III. 25. *verumtamen contrita ſunt*: paralepſis in pathetico ſermone frequens. Cogitabamus, inquiunt Moabitæ, tam bene hoc tempore conſtitutum eſſe Kir noſtrum, atque olim ſtetit cum a tribus regibus oppugnaretur; ſed mendax fuit fiducia noſtra: nam & oppidum corruit, hoc verſu, & totus ager exhauſtus eſt, quod per ethopeiam lugentium deinceps proponitur, uſque ad verſ. 12. HIS QUI LAETANTUR. אשישים *Aſiſim*, Noſter cum *Sin* ſiniſtro a שוש *ſus*, *lætari*, *gaudere*, deduxit: *lætantibus*, *gaudentibus*. Alii, a שות *ſchuth*, *ponere*, derivant, & *fundamenta* exponunt: plerique, *dolia*, *lagenas*, ut Cantic. II. 5. Nonnulli geminatum eſſe volunt a voce איש *iſch*, *vir*, & geminationem ſignificatum intendere, id eſt, *ſummis*, *fortiſſimis*, *& præſtantiſſimis viris*: quam interpretationem firmat Ierem. XLVIII. 31. Avenarius: *de aſſamentis*, *coaſſationibus*, id eſt vaſis, aſſeribus ſeu tabulis ſectilibus compactis & coaſſatis, *Kirchareſeth meditabimini*, id eſt lugebitis. SUPER MUROS COCTI LATERIS. Vocem קיר־חרשת *kir-chareſeth*, appellative accepit: plerique alii nomen proprium urbis præcipuæ Moabitarum eſſe volunt, de qua vide ſupra cap. XV. I. LOQUIMINI. Heb. futurum, *meditabimini*, *muſſabitis*, *ingemiſcetis*, *obmurmurabitis*, *prometis*, *promovebitis*, *proferetis*, *loquemini*, *lamentabimini*, *lugebitis*. PLAGAS SUAS. Hebr. *tantummodo*, *certo*, *profecto*, נכאים *necaim*, ſi eſt a נכה *nachah*, *percuſſi*, *ſaucii*, *læſi*, *afflicti*: ſi a כאה *chaah*, *attriti*, *contriti*, *perturbati*, *dolentes*, *affecti ægritudine animi*. Quidam ad fundamenta referunt, alii ad viros lamentantes. Nos hunc locum vertimus: *ſummis viris*, vel *fortiſſimis viris Kir-Chareſethæ meditabimini percuſſis*, vel *percuſſos*; id eſt, ſummos viros eius urbis cæſos, & attritos reputabitis.

V. 8. QUONIAM SUBURBANA HESEBON DESERTA SUNT. Heb. *Quia campeſtria*, *agri*, *campi*, *arva Cheſbonis exciſum fuit*; id eſt, unumquodque arvorum, vel multitudo arvorum Cheſbonis exciſum fuit: vide de ſignificato verbi אמלל *amalal*, in I. Samuel. II. 5. Alii reddunt: *Quoniam vites Cheſbonis infirmatæ*, *debilitatæ ſunt*, vel *elanguent*. Heb. eſt diſcordia numeri & generis, nam שדמות *ſchedemoth*, eſt plurale femineum, & אמלל *umlal*, ſingulare maſculeum. Sed *ſchedemoth* verbo etiam ſingulari maſculeo iungitur

gitur Habac. III. 17. nimirum ob generalem uſum huius vocis. VINEAM SABAMA. Heb. *vitis Sibmah:* vide de hoc oppido Numer. XXXII. 5. & 38. DOMINI GENTIUM EXCIDERUNT FLAGELLA EIUS. Alii ex Heb. I. *Domini gentium contriverunt optimas vites eius*. II. *Domini gentium conquaſſaverunt ſurculos eius*, vel *percuſſerunt propagines eius*. III. *Domini gentium*, id eſt gentes exteræ imperium occupantes, *retundunt lectiſſimas plantas eius*; id eſt, identidem calcant & atterunt. De voce שׂרק *ſorek*, cuius hic plurale ponitur, vide ſupra cap. V. 2. Quidam cum Noſtro diſtinguunt: *Vineas Sibmah domini gentium conculcarunt*, *electiſſimæ propagines eius uſque ad Iahazer pertigerunt*, &c. USQUE AD IAZER PERVENERUNT. Quidam: *Iahzerem uſque attingunt*, Meraritis aſſignatum ex tribu Gadis, Ioſue XXI. 37. de quo vide Numeror. XXI. 32. ERRAVERUNT IN DESERTO. Heb. *pererraverunt deſertum*. Alii: *erraverunt uſque ad deſertum*; vel *errant*, ſeu *diſcurrunt per deſertum*. PROPAGINES EIUS RELICTAE SUNT. Heb. *emiſſiones eius libere dimiſſæ ſunt*. Alii: I. *nobiles eius plantæ*, vel *ſurculi extenderunt ſe*, *diffuderunt ſe*, *protenſæ ſunt*, vel *proſtratæ ſunt*. II. *palmites eius abiecti iacuerunt*. III. *propagines eius evelluntur*. TRANSIERUNT MARE. Alii: *traiiciunt mare;* id eſt, ſelectæ propagines in alias regiones deportantur. Hac autem ſpecie vinearum ſynecdochice comprehenduntur omnia facultatum & poſſeſſionum genera, quia vitibus maxime præſtabat Moabi regio. Nonnulli huius verſus allegoria Prophetam comparare volunt Moabitas ſurculis & propaginibus vinearum, quæ longe lateque emittuntur; irridereque florentem ſtatum Moabitarum, qui adventantibus hoſtibus huc atque illuc diſperſi, quidam ad ultimos fines regni profugituri erant, alii per deſertum quod Moabitis adiacet, vagi erant abituri, quidam vero mare mortuum tranſituri, ut ſaluti & rebus ſuis conſulere poſſent.

V. 9. SUPER HOC PLORABO IN FLETU IAZER, VINEAM SABAMA. Alii ex Heb. I. *Idcirco plorabo in fletu Iahazer*, & *in fletu vitis Sibmah*, ſubaudi, Dicet quiſque Moabita: Idcirco plorabo una cum civibus Iahazer & civibus Sibmæ; quaſi dicat, Deflebo ſortem harum urbium, cum audiero clades illarum. II. *Idcirco defleo fletum Iahzeris*, & *vitem Sibmæ*. III. *Propterea*, id eſt ob tantam calamitatem, *in fletu meo deflebo Iaazer*, & *vineta Sibmæ*. INEBRIABO TE LACRYMA MEA HESEBON. Alii: *rigabo te*, *humectabo te lacrymis meis Cheſbon*; id eſt, abunde te deflebo & lacrymis perfundam. Scribitur irregulariter אריוך *araiiavche*, pro ארוך *aravech*, ut nimium & enormem fletum deſignet. QUONIAM SUPER VINDEMIAM TUAM, ET SUPER MESSEM TUAM VOX CALCANTIUM IRRUIT. Heb. *quia ſuper æſtates tuas*, & *ſuper decurtationes tuas celeuſma cecidit*. Alii: I. *quoniam ſuper fructus tuos æſtivos*, & *ſuper meſſes tuas celeuſma cecidit*, vel *iubilus* hoſtium *irruit*. II. *quoniam de æſtivis fructibus tuis*, & *de meſſe tua celeuſma concidit*; id eſt, intercidit vox clamantium & agitantium hilaria ex meſſe & fructibus perceptis; quaſi dicat: Periit & defecit lætitia, quæ in collectione fructuum, & meſſis eſſe ſolet, cum nulli ſint fructus, nullæ meſſes. הידד *hedad*, aiunt eſſe emiſſionem vocis liberam ac lætam, ovationem, carmen autumnale, ſeu vindemiæ, quod cantatur in torcularibus: ſic verſu ſequente. Alii, exclamationem lætam ſine expreſſione verborum, iubilum, iubilatum, ut quando præ gaudio exclamamus voce inconditа, nec verbis fit explicatio: nam eſſe tantum eiectionem vocis, ſeu emiſſionem hilarem & inconditam. Noſter Ieremiæ XXV. 30. cap. XLVIII. 33. cap. LI. 14. *celeuſma* convertit, quod eſt proprie, hortamentum, ſeu præceptum, quod nautis ſeu remigibus datur: quod Virgilius graphice deſcribit Æneidos III.

Nauticus exoritur vario certamine clamor:
Hortantur ſocii, Cretam proavoſque petamus.

Ubi Servius: *Celeuſmaticum eſt hoc hemiſtychium. Et bene metro Celeuſmatis uſus eſt, id eſt Anapæſtico trimetro hypercatalecto. Celeuſma autem quaſi præceptum.* Utitur ea voce Græca Martialis Lib. III. Epigrammate 67.

Lentos tingitis ad celeuſma remos.

Et Lib. IV. Epigrammate 64.

—— *nauticum celeuſma.*

Hic *celeuſma* militare nonnulli accipiunt;

R r 2 quaſi

quaſi dicat: Non quidem iubilus aut læta exclamatio calcantium uvas, ſeu vindemias agentium; ſed barbaricus hoſtium clamor in te ruet: quæ interpretatio confirmatur ex verbis Ieremiæ XLVIII. 32.

V. 10. ET AUFERETUR LAETITIA ET EXULTATIO DE CARMELO. Carmelus hic non eſt ille ſortis Aſer, de quo Ioſue XII. 22. nec alter ille ſortis Iehudæ, Ioſue XV. 55. ſiquidem hoc loco agitur de terra Moab, a qua illi longe aberant: ſed ſumitur hic potius appellative, pro agris ſeu campis, aut arvis fertilibus & frugiferis, ut ſupra cap. X. 18. unde hic varie reddunt: I. *Et colligetur*, ſeu deficiet, *gaudium*, *& exultatio de agro fertili*. II. *Et detrahetur lætitia*, *& exultatio de terra*, ſeu *valle frugifera*. III. *Sublatum autem fuit gaudium & exultatio de agro culto*, ſeu *frugifero*, *aut feraci*, vel *ab ubere campo*. IV. *Et intercepta eſt lætitia & exultatio ex arvis*. ET IN VINEIS NON EXULTABIT, NEQUE IUBILABIT. Alii ex Heb. I. *& in vineis non cantabitur*, *neque iubilabitur*. II. *& in vineis non ovabitur*, *nec triumphabitur*. III. *& in vineis non iubilatum eſt*, *neque acclamatum*. IV. *& in vineis nec cantabitur ulla cantio*, *nec iubilabit quiſquam*. V. *& in vineis non cantatur*, *neque agitatur vociferatio*. VINUM IN TORCULARI NON CALCABIT QUI CALCARE CONSUEVERAT. Heb. *vinum in torcularibus non calcabit calcator*; id eſt, non calcando exprimet. Ego reddidi: *vinum in lacus non viabit vians*; id eſt, per canales non deducet ſeu diriget, aut influere faciet in lacus. VOCEM CALCANTIUM ABSTULI. Heb. *celeuſma ceſſare feci*, vel *quieſcere feci*, ſeu *facio ut ceſſet*; id eſt, non poſſum ferre: luctum potius quam lætitiam impero. Rectius expones: Suſtuli omnem vindemiam, ut nullum poſſit eſſe in ea celeuſma, ſeu acclamatio; ut præcedente verſu.

V. 11. SUPER HOC VENTER MEUS, &c. Alii ex Heb. hunc verſum reddunt: I. *Idcirco viſcera mea inſtar citharæ remurmurant propter Moab*, id eſt ob calamitatem, quæ accidet ipſi Moab: *& venter meus ob Kir-cheres*. II. *Idcirco viſcera mea propter Moabum tamquam cithara perſtrepunt*, *& interanea mea propter Kir-chereſum*; id eſt, ego ex intimis viſceribus meis conturbatus, ut cithara verberata & pulſata, ſonitum luctus mei ad populares meos effero: metaphora ab iis qui dolores ventris & inteſtinorum patiuntur, quibus interanea obgrunniunt ac perſtrepunt.

V. 12. ET ERIT: CUM APPARUERIT, &c. Alii ex Heb. I. *Cum autem compertum fuerit fatigatum eſſe Moabum*, ſubaudi rogando, *iuxta excelſum*; id eſt, quod defeſſus ſit Moab rogando & plorando iuxta altare conſtructum in honorem Dei ſui in colle: *tunc conabitur ingredi ſacrarium eius*, ſcilicet Dei ſui, *ut oret eum*; *& non poterit* illuc ire præ fatigatione. II. *Fiet autem ut Moab videns* fruſtra *ſe laborare in ſuis excelſis*, *proficiſcetur ad ſanctuarium ſuum ad orandum*, *ſed non poterit*, quidquam obtinere. III. *Futurum eſt autem cum apparuerit*, ſcilicet malum hoc, quod prædico, *quod defatigatus Moab*, *ſuper excelſum velit* conſcendere, *ut veniat ad ſanctuarium ſuum ad deprecandum*, *& non poterit*, vel *neque valeat*, ſcilicet aſcendere, aut venire præ laſſitudine. IV. *Itaque erit*, *cum perſpicuum erit fatigari Moabum in excelſo ſuo*, *& veniens ad ſanctuarium ſuum*, id eſt templum idolorum ſuorum, *deprecatum*, *nihil tamen poterit*. V. Hiſpanicus Interpres: *y acaecera que quando Moab pareciere que eſt canſado ſobre los altos*, id eſt *de ir y venir a los lugares de ſu idolatria en vano*; *entonces vendra a ſu ſanctuario*, ſcilicet *de Iehova*, *y no podra*; id eſt, *tan poco alcançara lo que pidiere*.

V. 13. HOC VERBUM, QUOD LOCUTUS EST DOMINUS AD MOAB EX TUNC. Alii I. *Hic eſt ſermo*, *quem locutus eſt hactenus Iehova ſuper Moab*; id eſt, hæc eſt prophetia quam prædixerat iam olim, iam pridem Iehova de Moab, hoc eſt longa ante hanc eius everſionem: nunc autem eventuram dicit ante triennium; quaſi dicat, Multo antequam fieret. II. *Iſtud eſt verbum*, *quo allocutus fuerat Iehova Moabum*, *inde ab illo tempore*, ex quo nimirum Moabitæ venerant in poteſtatem Davidis II. Samuel. VIII. 2. Concluſio prophetiæ de Moab, continens primum definitionem temporis, ex quo facta eſt cum Moabitis conteſtatio, quæ præceſſit inde a verſu 1. huius capitis: deinde illius temporis, intra quod Deus iudicium ſuum ante denuntiatum effecturus erat, ſequente verſu.

V. 14.

Digitized by Google

V. 14. In tribus annis, &c. Alii ex Heb. I. *In tribus annis tamquam aunis*, vel *intra tres annos ſimiles anuis mercenarii, vilipendetur gloria Moab in omni populo multo: & reſiduum paucum puſillum, non forte.* II. *In tribus annis, quales ſuut anni merecuarii, parviſiet gloria Moab cum omni ſtrepitu multitudinis, & reliquum erit modico minus, non copioſum.* III. *In tribus anuis, velut annis mercenarii, vileſcet gloria Moab cum omni pompa eius, quæ multa eſt: & reliquiæ pluſquam paucæ erunt, atque hæ invalidæ.* IV. Tremellius, & Iunius: *Intra tres annos, ut ſunt anni mercenarii, vilis reddetur gloria Moab cum tota ſua multitudine maxima: ita ut reſiduum ſit parvum, miuus puſillo invalidum.* Exponunt: *Intra tres annos, ab hac prophetia, quam ia principio regni Chizkijæ denuntiatam eſſe iudicamus ex cap.* xiv. 28. *nam quod alii tres hoſce annos putant incipere ex quo Samaria cœpit obſideri, id eſt ex anno quarto Chizkiiæ, præter morem Scripturarum eſt. Fefellit autem eos, quod exiſtimabant Schalmam Eſerem tum demum Moabitas involaſſe, eum Samariam expugnaſſet; nos autem potius in hac ſententia ſumus, agrum Moabitarum ab illo occupatum eſſe, cum ad oppugnandum Samariam veniſſet, ne quid a tergo relinqueret quod ſibi damnoſum eſſet, aut copiis ſuis.* Ita illi. Sed ſi hæc vere ſubſiſtunt, diverſa erit hæc prophetia ab illa Ieremiæ xlviii. in Moabitas, contra quam omnes fere ſentiant: nam Ieremias recte quidem Moabiticam vaſtationem deſcribere potuit, quam Salman-Eſer intulerit; prædicere, aut venturam prophetare non potuit; nam contigit multo antequam Ieremias naſceretur. Quidam hunc locum accipiunt, ut poſt tres annos ab hac prophetia, Sancherib everterit Moabitas, nempe anno 14. Chizkiiæ. Sed neque hanc prædicere potuit Ieremias. Quocirca alii tutius acquieſcendum putant in verbis S. Hieronymi: *Poteſt & de Babylonica captivitate prædici, quod poſt captam Ieruſalem, tranſitis trium annorum circulis, Moab a Chaldæis vaſtanda ſit.* Sed Ioſephus X. Antiquit. cap. xi. nonniſi quinto anno poſt excidium Ieroſolymitanum, a Nabuchodonoſoro bellum adverſus Moabitas geſtum, eoſque perdomitos refert. *Ut ſunt anni mercenarii;* id eſt, præciſe ad illud tempus, quod præfixit Deus, cui neque addetur, nec diminuetur quidquam; quaſi dicat, Intra hos tres annos certos & præfixos, nec plures nec pauciores: mercenario enim certum tempus præſtituitur, neque patitur ſibi aliquid addi, neque conductor quidquam demi patitur: ſic infra cap. xxi. 16. Auferetur gloria Moab. Heb. *leviſiet, levipendetur, devaſtabitur, reddetur vilis*, proprie, *torrefiet:* aliqui, *vertetur in iguominiam gloria, honor, ſplendor, dignitas, excellentia* Moabi. Super omni populo multo. Heb. *in omni multitudiue multa*; id eſt, quæ poſita eſt in magno populi numeto. Alii: *in tota multitudine eius quamvis multa.* המון *hamon, multitudo, copia, turba, ſtrepitus, tumultus, vulgus.* Poſſit hic accipi pro copia, opibus, divitiis, ut Pſal. xxxvi. 16. & Eccle. v. 9. Non ſatis apte quidam exponunt active: *iu omni turba illa magna & multa*, exercitus Aſſyriorum. Et relinquetur parvus et modicus. Heb. *& reliquia, reſiduum, reliquum, reſtans, paucum, parvum*, vel *modico minus*, ſeu *paucum, puſillum, pluſquam parvum, parvum minus puſillo*. Vide ſimilem locutionem ſupra cap. x. 25. Nequaquam multus. Heb. לא כביר *locabbir, non multiplex, multus, copioſus, validus, fortis, potens*. Vide in Iob viii. 2.

MENOCHII.

Verſ. 1. Emitte agnum, &c. Optat mitti de Moab agnum dominatorem terræ, id eſt Chriſtum, qui de Moab emittitur, quia ex Ruth Moabitide prognatus eſt. Solet enim frequenter Propheta, quod ſupra monuimus, ad Chriſtum avolare, deinde ad inſtitutum redire. De Petra deserti. *Petra* eſt nomen proprium urbis, quæ Moabitarum erat metropolis. Ad montem filiae Sion: Ieruſalem intelligit, & per hanc Eccleſiam fidelium, cui Chriſtum dari poſtulat.

V. 2. Et erit, &c. redit ad cladem Moabitarum. Sicut avis fugiens, &c, quaſi dicat: Moabitæ trans fluvium Arnon, ubi ſunt termini Moab, in Babylonem violenter, & celeriter abducentur, ibique diſpergentur ſicuti diſperguntur aves e nido avolantes, cum aliquis prædo nidum invadit.

V. 3.

Digitized by Google

V. 3. Ini consilium, &c. quaſi dicat: Cape conſilium, rationem inquire, qua tibi iratum Deum places. Pone quasi noctem umbram tuam in meridie: in meridie æſtus afflictionis Iſraelitarum eos protege quaſi umbram tuam ſuper illos extendens; ſic enim fiet ut in alios miſericordes, & ipſi miſericordiam conſequamini: dicitur *quaſi noctem*, ut ſignificet protectionem exactam, & omnem ardorem afflictionis excludentem. Abscon-de fugientes: Iſraelitas.

V. 4. Finitus est enim pulvis: Regem Babylonis intelligit; quaſi dicat, Brevi finietur, & evaneſcet ſicut pulvis, & cito miſer conſumetur. Em. Sa interpretatur de pulvere quem perſequentes excitant, dum eos inſectantur qui fuga ſe eripiunt.

V. 5. Praeparabitur in misericordia solium; id eſt, ſolium regni Iuda, Ezechiæ regi iuſto, & bono, eiuſque poſteris præparabitur, id eſt confirmabitur & roborabitur per Dei miſericordiam. Audivimus, &c. Tranſit ad caſtigandam Moabitarum ſuperbiam.

V. 6. Indignatio: ut ſuperbia in factis, arrogantia in dictis, ſic in geſtu indignatio videtur eminere. Plusquam fortitudo eius: pluſquam eius potentia.

V. 7. Ululabit Moab ad Moab; quaſi dicat: Ululabit alter ad alterum, cives unius civitatis, ad cives alterius, & eiuſdem civitatis inter ſe. Vel, *Moab ad Moab*; id eſt, Moabitæ ſuperſtites lugebunt Moabitas occiſos. Ita Vatablus. Vel, Moab ad Moab, id eſt Moab ad ſe ipſum, vel ſecum ululabit, ut mœrentes, & deſperantes ſolent. Super muros cocti lateris, &c. Vatablus vertit, *ſuper fundamenta Chir-Hareſeth loquimini*, ita ut *Chir-Hareſeth* ſit nomen proprium civitatis, quæ a lateritiis muris nomen haberet. Ita etiam ſentit Pagninus, & Cornelius a Lapide. Itaque vulgatus nominis interpretationem poſuit, pro ipſo nomine proprio, quod alibi non infrequenter ab ipſo factum eſt: vide aliquot exempla extremo cap. I. Paral. Sententia ergo eſt: Dicite Moabitis quod Chir-Hareſeth, quæ eis eſt arx inexpugnabilis, in qua ſuperbiunt, non eos tutabitur, ſed capietur ab hoſte. Plagas suas, plagas quæ imminent.

V. 8. Hesbon: Moabitarum. Vineam Sabama: urbem Sabama, quam allegorice vineam appellat. Domini gentium: Reges Aſſyriorum. Flagella eius, id eſt palmites, ſcilicet cives. Usque ad Iazer pervenerunt, ſcilicet fugientes. Relicta sunt: quæ relictæ ſunt, quæ ſuperfuerunt, & cladem evaſerunt. Transierunt mare: ſcilicet fugientes; vel Babylonem in captivitatem abductæ, mare mortuum tranſierunt.

V. 9. Super hoc, id eſt *idcirco*, ut vertunt Pagninus, & Vatablus. In fletu Iazer, id eſt ſicut flevi Iazer. Vineam Sabama: vide num. præcedenti. Inebriabo te lacryma mea, id eſt rigabo, large lacrymas effundam in tuo excidio. Quoniam super vindemiam tuam, &c. quoniam vindemiata es, & demeſſa ab hoſtibus, qui in te irruerunt, & cum furore, & tumultu conculcarunt. Allegoria meſſis, & vindemiæ, extremam illarum urbium cladem deſcribit.

V. 10. De Carmelo, id eſt locis fertilibus Moabitarum, Carmelo ſimilibus. In vineis non iubilabit: ſolent enim lætari & cantare vinitores in uberi vindemia, & dum uvas exprimunt; quare Ieremias: *Nequaquam calcator uvæ ſolitum celeuſma cantabit* cap. XLVIII. 33.

V. 11. Super hoc, idcirco. Venter meus, id eſt intima viſcera mea tacta dolore, & miſeratione. Quasi cithara sonabit: lugubrem in veſtra clade ſonum edent. Et viscera mea, &c. eſt repetitio eiuſdem ſententiæ. Ad murum cocti lateris. Dixi ſupra num. 7. *murum cocti lateris* eſſe nomen proprium civitatis. Sententia eſt: Et viſcera mea reſonabunt, id eſt in vocem flebilem erumpent, ſuper Chir-Hareſeth civitatem Moabiricam.

V. 12. Laboravit Moab super excelsis suis; id eſt, fruſtra fatigati ſunt Moabitæ idolis ſuis ſupplicantes, quæ ſunt in excelſis. Ingredietur ad sancta sua; id eſt, alia templa ſua ingredietur, ut Deos ſibi placet. Non valebit: a calamitate liberari.

V. 13. Hoc verbum, &c. quaſi dicat: Huc uſque recenſui oracula, & minas contra Moab.

V. 14. In tribus annis, id eſt tertio anno ab exciſa Ieruſalem a Rege Na-

uch-

buchodonoſor; vel poſitus eſt numerus definitus pro indefinito; quaſi dicat, Non ita multo poſt. Vel certe ſignificatur triennio duraturam Moabitarum calamitatem. QUASI ANNI MERCENARII: hi anni direptionis Moab vocantur mercenarii, eo quod hiſce quaſi pro mercede exciſæ a ſe Ieruſalem, & divinæ vindictæ exercitæ, regnum, & ſpolia Moab accepturus ſit Nabuchodonoſor, inquit D. Hieronymus, ut idem pro expugnata Tyro, in mercedem quaſi a Deo accepit AEgyptum: Ezech. XXIX. SUPER OMNI POPULO MULTO: de tam numeroſo populo Moab, in quo ipſe gloriatur. ET RELINQUETUR, &c. id eſt, & iam non multi relinquentur ſuperſtites, ſed admodum pauci.

T I R I N I.

Verſ. I. EMITTE AGNUM DOMINE, nempe Chriſtum, DOMINATOREM TERRAE: ita vertunt etiam LXX. Non vero *dominatori terræ*, ut Rabbi Salomon & plerique Hebræi contendunt, ut a Chriſto hunc locum detorqueant ad regem *Ezechiam*, cui ſuadeat Propheta pendi antiquum tributum *centum millium agnorum a*. Sed quid Moabitis cum rege Iuda? Neque enim fuerunt *regibus Iuda* tributarii, ſed *regibus Iſrael*: atqui regnum Iſrael ab Aſſyriis *b* iam exciſum erat: ergo de Chriſto hæc accipiunt S. Hieronymus, Hugo, Lyranus, Adamus, Vatablus & alii Chriſtiani; quaſi dicat: Mitte cito, o Deus, Agnum qui tollat peccata mundi, totique orbi dominetur; & per conſequens liberet populum ſuum ex quo originem trahet, puta non modo Iudaicum, ſed & Moabiticum: nam naſciturus eſt ex Ruth & Moabitide avia Davidis regis, quæ DE PETRA urbe DESERTI Arabiæ, ut ſupra *c* dixi, in qua urbe nata fuerat, iam olim migravit AD MONTEM FILIAE SION, id eſt in Iudæam. Unde & Chriſtus, non in ſe, ſed in avia ſua, *emitti* hic petitur e *Petra Moab*, per quam Allegorice, B. Virginem intelligunt Hugo & Viegas *d*. Urbs hæc nomen ſortita fuit a rupibus & præcipitiis, quibus undique pro muris vallatur, inquit Strabo *e*. Hanc valde auxit Balduinus rex; ſed interceptam Soldanus gazophylacium fecit AEgypti & Arabiæ, inquit Adrichomius.

V. 2. SICUT AVIS FUGIENS, nido per prædones expilato, ſic fugient & diſpergentur Moabitæ IN TRANSCENSU ARNON, id eſt trans flumen *Arnon*, ubi ſunt termini Moab.

V. 3. INI CONSILIUM, quo poſſis imminentem cladem evadere, Deumque tibi placatum reddere, o Moab; & ſi melius nullum occurrat, meum accipe, quod ſuggero: nempe, IN MERIDIE, id eſt in ſummo afflictionum & calamitatum æſtu, qui Iudæis totique Syriæ imminet ab Aſſyriis & Chaldæis, PONE UMBRAM *f*, id eſt protectionem TUAM & refrigerium, QUASI NOCTEM, id eſt denſiſſimum, copioſum & liberale. FUGIENTES, exules vicinos & cognatos veſtros, humaniſſime excipe, fove, ABSCONDE, protege; & ſic vices eis repende: nam olim Abraham pater illorum Lot patrem veſtrum excepit, iuvit, fovit, captum ab hoſte liberavit. Et ne obiicias, te metu Sennacheribi, vel Nabuchodonoſoris, non audere excipere profugos; ſcito quod

V. 4. FINITUS EST PULVIS, id eſt inſtar pulveris cito conſumetur & evaneſcet MISER, *vaſtator* antea terræ. Et econtra

V. 5. SOLIUM regni Iudaici PRAEPARABITUR Ezechiæ regi eiuſque poſteris, id eſt confirmabitur, corroborabitur, ſtabilietur; quaſi dicat: Extollentur Iudæi quos profugos iam videtis; & deprimentur Aſſyrii, quos adeo formidatis. Sed fruſtra hæc moneo.

V. 6. AUDIVIMUS iam ab antiquo SUPERBIAM MOAB, & deprehendimus excedere omnem menſuram. Similia habet Ieremias XLVIII. 29. &c.

V. 7. IDCIRCO, quia ſuperbior, quam fortior, præfidens mœnibus ſuis lateritiis contempſit hoſtem longe ſe potentiorem: *idcirco*, inquam, dabitur Chaldæis in prædam, & ULULABIT MOAB AD MOAB, id eſt alter ad alterum; vel, ut Sanchez, idem ad ſeipſum, ſeu ſecum, ut ſolent mœrentes & deſperantes. LOQUIMINI PLAGAS; id eſt, prædicite obventuram cladem HIS QUI LAETANTUR, gaudent & ſuperbiunt *ſuper Kir-chareſeth*, id eſt urbe Cyrene, inquit Cornelius *g*, habente MUROS COCTI LATERIS, ſeu lateritios. Nam eſſe nomen proprium urbis, patet ex IV. Regum III. 26. ubi cum dictum eſſet, reman-

remanſiſſe tantum *muros fictiles*, continuo ſubditur, *Et circumdata eſt civitas a fundibulariis*, nempe civitas *Kir-chareſeth* (id eſt, muri fictiles) quæ ſola remanſerat, & ad quam utpote munitiſſimam rex Moab in extremo diſcrimine confugerat. Senſus ergo Iſaiæ eſt: Prædicite Moabitis, quod *Kir-chareſeth*, urbs (ut ipſi ſuperbiunt) inexpugnabilis, expugnabitur a *dominis gentium*, nempe Aſſyriis & Chaldæis.

V. 8. FLAGELLA vineæ, ſeu urbis, SABAMA *b*, USQUE AD IAZER ;ſe extenderunt. Flagella vitis ſunt eius propagines & ſurculi circinantes, quibus ſe ad palum vel arborem alligat, ne cadat, unde & claviculi vocantur. Metaphorice vero ſignificant hic profugos Moabitas, & trans mare abductos in Chaldæam :ita S. Hieronymus.

V. 9. IN FLETU IAZER, id eſt ſimili p'anctu quo planxi excidium Iazer, PLORABO VINEAM, id eſt urbem, SABAMA paulo poſt exciſam.

V. 10. AUFERETUR LAETITIA DE CARMELO, id eſt de pinguibus agni & fertilibus (inſtar Carmeli) collibus Moab.

V. 11. VENTER MEUS; id eſt, intima viſcera mea, QUASI CITHARA *ſonabunt*, id eſt edent lugubrem gemitum & cantum, ob excidium & vaſtationem Moab.

V. 12. CUM APPARUERIT & publice conſtiterit populo MOAB, QUOD LABORAVIT fruſtra SUPER EXCELSIS SUIS, eo quod a ſuis ibi cultis idolis nihil ſubſidii acceperit, *ingredi* conabitur AD alia SANCTA SUA, nempe ad celebriora regionis fana, UT ibi novis & pluribus hoſtiis OBSECRET diis ſuis: ſed NON VALEBIT, partim ob animi conſternationem & virium defectum, partim ob hoſtium ſubitam irruptionem.

V. 13. Hoc VERBUM; id eſt, hæc ſunt oracula & minæ contra Moab, EX TUNC, id eſt ab olim prædicta, puta per Amos, qui cap. 11. idem excidium Moab ante Iſaiam prædixit.

V. 14. IN TRIBUS ANNIS, ſeu ſpatio trium annorum, AUFERETUR GLORIA MOAB. Nempe tribus annis poſt exciſam Ieroſolymam vexare cœpit bello Moabitas Nabuchodonoſor: & poſt trium annorum ſpatium, nempe quinto anno poſt exciſam Ieroſolymam vaſtavit & excidit quoque Moabitidem, teſte Ioſepho, Hieron. Hugone, Pinto, Caſtrio & aliis. Eruntque hi tres anni QUASI ANNI MERCENARII, id eſt laborioſi & moleſti Moabitis, inquit Adamus, Pineda & Sanchez. Ipſi vero Nabuchodonoſori utiles, & pro mercede conceſſi exercitæ divinæ vindictæ in Iudæam, inquit S. Hieron. ſicut eidem pro expugnata Tyro, in mercedem a Deo conceſſa fuit AEgyptus, Ezech. XXIX.

(a) IV. Reg. III. 4.
(b) IV. Reg. VII. 6.
(c) Cap. v. Iſaiæ verſ. 1.
(d) Viegas in Apocal. XII. comment. III. ſect. XXIV.
(e) Strabo Lib. XVI.
(f) Iſaiæ XV. 16.
(g) Cornelius a Lapide in Amos I. 5.
(h) Ioſue XIII. 19.

GORDONI.

Verſ. 1. EMITTE AGNUM DOMINATOREM. Aliqui hæc detorquent ad Ezechiam, certe minus appoſite ad mentem Iſaiæ. Recte Hieron. & multi alii de Chriſto hoc intelligunt, qui eſt agnus, non quidem ille vectigalis, quem pendebant Moabitæ (ad quem eſt hic alluſio) ſed agnus dominaror terræ, qui eſt agnus Dei, qui tollit peccata mundi, & naſciturus ex Ruth Moabitide, poſt ſeptiem nepotum, ut narrant Evangeliſtæ. כר *car*, *Agnus*: vide כרר.

V. 2. ET ERIT: SICUT AVIS FUGIENS, &c. Poſt illam in parentheſi interiectam orationem ad Deum de venturo Chriſto, redit Iſaias ad cladem Moabitarum; timorem notat & fugam ultra Arnon fluvium, qui eſt terminus Moabitarum.

V. 3. Dat in clade conſilium: caloris meridiani remedium eſt nox: ita calamitatis remedium eſt Deum quærere quæ illi ſunt placita facere, & præſertim opus miſericordiæ. Hanc, inquit, exerce, & vel maxime erga cognatos tuos Iudæos, cum fugient a perſecutione, vel Sennacherib, vel Nabuchodonoſori. (Moabitæ a Loth deſcendunt.)

V. 4. & 5. HABITABUNT APUD TE; quaſi dicat: Excipe Iudæos tyrannum fugientes: erit enim tempus quo redibit gloria domus David poſt cladem illam.

V. 6. AUDIVIMUS SUPERBIAM MOAB, &c.

Digitized by Google

&c. Speciatim it Iſaias per ſingula capita calamitatis Moabiticæ, commemorans lacrymas, fugam, & urbes nominatim, ubi verſ. 10. Carmelus uſurpatur ad deſignandum loca fertiliora Moabitica; alioqui Carmelus eſt in Iudæa.

V. 12. Et erit: cum apparuerit, &c. Moab vexatus ab hoſte veniente invocabit Deos ſuos in excelſis, ſed fruſtra; & confugiet ad alia, atque hoc etiam fruſtra. Immo ex verſ. 14. per tres annos durabit vaſtatio Moabitica, ut docent Hieronymus & alii.

Ex Eiusdem Auctario.

Verſ. 7. Cocti lateris. Eſt interpretatio nominis proprii munitæ civitatis, quæ vocatur Chirhareſeth, ut hoc alii interpretantur. Similia vides I. Paralip. cap. ult.

Verſ. 8. Heſebon eſt una urbium Moabitarum. Item Sabama, quæ hic allegorice vinea vocatur.

Verſ. 9. Fletu, quo indoluerunt ſuper laeer: hæc ſunt excidia urbium.

Verſ. 10. Per Carmelum ex ſimilitudine intelligit loca fertilia Moabitarum.

Verſ. 14. Varius ſenſus: nam triennium hoc, vel eſt tempus quo duravit vaſtitas Moabitarum, qui illo tempore erant ut mercenarii; vel (quod alii putant) tempus huius excidii accidiſſe tertio anno exacto ab excidio Ieroſolymorum; & hanc vaſtitatem obveniſſe illi pro mercede, quod lætati ſunt de excidio populi Dei.

CAPUT XVII.

Vaſtatis Damaſcenis auxiliaribus populi Iſrael, ſimiliter & Iſrael vaſtabitur, quia oblitus eſt Dei ſalvatoris ſui, ad quem calamitate preſſus revertetur: & væ perſecutoribus populi Domini denuntiatur.

1. ONus Damaſci. Ecce Damaſcus deſinet eſſe civitas, &
erit ſicut acervus lapidum in ruina. 2. Derelictæ civita-
tes Aroer gregibus erunt, & requieſcent ibi, & non e-
rit qui exterreat. 3. Et ceſſabit adiutorium ab Ephraim,
& regnum a Damaſco: & reliquiæ Syriæ ſicut gloria fi-
liorum Iſrael erunt: dicit Dominus exercituum. 4 Et
erit in die illa: attenuabitur gloria Iacob, & pinguedo
carnis eius marceſcet. 5. Et erit ſicut congregans in meſſe quod reſtiterit,
& brachium eius ſpicas leget: & erit ſicut quærens ſpicas in valle Raphaim.
6. Et relinquetur in eo ſicut racemus, & ſicut excuſſio oleæ duarum vel
trium olivarum in ſummitate rami, ſive quatuor aut quinque in cacumini-
bus eius fructus eius: dicit Dominus Deus Iſrael. 7. In die illa inclinabitur
homo ad Factorem ſuum, & oculi eius ad ſanctum Iſrael reſpicient: 8. &
non inclinabitur ad altaria, quæ fecerunt manus eius: & quæ operati ſunt
digiti eius non reſpiciet, lucos & delubra. 9. In die illa, erunt civitates for-
titudinis eius derelictæ ſicut aratra, & ſegetes quæ derelictæ ſunt a facie fi-
liorum Iſrael, & eris deſerta. 10. Quia oblita es Dei ſalvatoris tui, & for-
tis adiutoris tui non es recordata: * propterea plantabis plantationem fide-
lem, & germen alienum ſeminabis. 11. * In die plantationis tuæ labruſca,
& mane ſemen tuum florebit: ablata eſt meſſis in die hereditatis, & dole-
bit graviter. * 12. Væ multitudini populorum multorum, ut multitudo ma-

ris ſonantis: & tumultus turbarum, ſicut ſonitus aquarum multarum. 13. Sonabunt populi ſicut ſonitus aquarum inundantium, & increpabit eum, & fugiet procul: & rapietur ſicut pulvis montium a facie venti, & ſicut turbo coram tempeſtate. 14. In tempore veſpere, & ecce turbatio: in matutino, & non ſubſiſtet: hæc eſt pars eorum qui vaſtaverunt nos, & ſors diripientium nos.

B R U G E N S I S

Romanae Correctiones.

Verſ. 10. *Propterea plantabis plantationem fidelem*. Pro *fidelem* non ſcribas contrarium *infidelem*, quod quidam.

Verſ. 11. *In die plantationis tuæ labruſca*. Nominativus ſingolaris præferendus eſt ei, quem alii legunt accuſativo plurali *labruſcas*.

Verſ. 12. *Væ multitudini populorum multorum*. Non mutes dativum in nominativum *multitudo*.

Notatio.

Verſ. 11. IN *die* [*illo* o.] *plantationis tuæ* (*ſuæ* o.) *labruſca*. (*Lambrus*, o.) Quædam exemplaria *labruſca*, quædam *labruſcas* legunt. Hebraice eſt תשגשגי, id quod verbum eſſe Hebræi docent. 70 interpretes πλανηθήσῃ *errabis* tranſtulere; Neoterici *creſces*, vel *creſcere facies*: nam שגה ſi punctum dextro cornu litteræ ש inſideat, *errare*, *ignorare*; ſi ſiniſtro, *creſcere*, *multiplicare* ſignificat: eſt autem illud verbum a שגה duplicatum. Nonnulli itaque exiſtimant corruptam eſſe noſtræ editionis lectionem, ac pro *labruſca* aliud quid legendum. Franciſcus Raphelengius legendum coniiciebat *labaſces*; certe dextere: id enim, ut voci *labruſcas*, ita ſignificationi dictionis שגה perquam propinquum eſt, multumque cum 72. interpretatione conveniat. Atqui dum Hieronymi commentarium lego, tum quinto, tum ſeptimo libro non aliud queo colligere, quam *labruſcam* ab eo tranſlatam. Suſpicatus primum fui dumtaxat explicationis ergo labruſcæ eum feciſſe mentionem; ſed non id auſim aſſerere: forte igitur ſenſum volens, non verbum ipſum reddere, *Labruſcam* vertit: nam ſi eum 72 verbum ipſum *errabis* tranſtuliſſet, ſenſus fuiſſet: Vitis tua optima in labruſcam degenerabit; labruſcam non uvam quam expectaveras vindemiabis. Porro ſi labruſcæ nomen tranſtulerit, ambiguum ob emendatiorum librorum varietatem eſt, primo ne ſingularis numeri caſu *labruſca*, an quarto pluralis *labruſcas* dixerit. Epanorthotes antiquis ſuis volgatæ editionis codicibus *labruſcas* attribuit; quibus ex integrioribus noſtris Brugenſis D. Donatiani, & O Hunnæi conſentiunt: ſed plures cum D. Hieronymi textu, & Haimone, atque Hugone *labruſca* ſcribunt. Ceterum ſenſus idem eſt, utrovis legas modo; ſi *labruſca*, ſubaudi naſcetur; ſi *labruſcas*, ſupple plantabis.

C O M M E N T A R I A

MALDONATI.

Verſ. 1. ONUS DAMASCI, id eſt Prophetia contra Damaſcum, ut ſup. cap. XIII. 1. & cap. XV. 1. Hactenus contra Babylonios, cap. XIII. & XIV. & contra Moabitas, cap. XV. & XVI. nunc contra Syros, qui Iudæorum hoſtes erant. Damaſcus pro tota Syria ponitur, cuius caput erat, ut ſup. cap. VII. 8. DAMASCUS DESINET: מוסר, *removebitur*, *ne ſit civitas*, id eſt evertetur. ET FIET מעי מפלה, *acervus ruinæ*, id eſt qualis eſſe ſolet in ruinis.

V. 2. DERELICTAE CIVITATES (erunt) AROER. Non eſt hoc loco nomen civitatis, ut in aliis, ſed regionis Damaſco circumvicinæ. GREGIBUS ERUNT: לעדרים תהיינה, *ſicut caulæ ovium*, id eſt in quibus ante maxima hominum frequentia habitabat, greges ovium cubabunt. ET REQUIESCENT, accubabunt, ET NON ERIT QUI EXTERREAT; id eſt, nullus homo illac tranſibit, a quo terreantur oves, quæ recubabunt, tanta erit ſolitudo. Solent oves prætereunte aliquo terreri.

V. 3.

V. 3. ET CESSABIT, id eſt peribit adiutorium, præſidium. AB EPHRAIM, id eſt ab Iſraelitis, qui Syrorum auxilio contra Iudæos uti ſolebant: IV. Reg. XVI. Cur Iſrael Ephraim appelletur, vide ſupra cap. VII. 2. ET REGNUM A DAMASCO, id eſt peribit regnum Damaſci. ET RELIQUIAE SYRIAE, SICUT GLORIA FILIORUM ISRAEL ERUNT; id eſt, & Syri & glorioſi Iſraelitæ ſimul perdentur, ſicut ſimul ſolebant pugnare contra Iudam. Vel, ut Hebræi, *Regnum ceſſabit a Damaſco*, ושאר ארם, *& a reliqua Syria*; id eſt, neque Damaſcus, neque ulla Syriæ civitas caput regni erit. *Sicut gloria filiorum Iſrael*: ſub. ceſſatura eſt.

V. 4. ET ERIT IN DIE ILLA. Fiet tunc ut attenuetur gloria Iacob; id eſt, vires Iſrael, quibus gloriari ſolebat, minuentur. ET PINGUEDO; id eſt, affluentia omnium rerum, qua nunc quaſi pinguis equus ferocit, in ſterilitatem & inopiam commutabitur. Alii pinguedinem fortitudinem ſignificare putant.

V. 5. ET ERIT SICUT CONGREGANS IN MESSE QUOD RESTITERIT. Alii hoc referunt ad Aſſyrios, qui primum univerſum Iudam veluti demeſſuerunt, & Babylonem quaſi meſſem in horreum captivos abduxerunt. Deinde eos, qui reliqui fuerant rebellionem meditantes iterum quaſi ſpicas collegerunt. Alii referunt ad Iſrael. ET ERIT (Iſrael) tam rarus, ut colligat ſuos Iſraelitas quaſi ſpicas in meſſe. IN VALLE RAPHAIM: celebrem ſegetibus vallem nominat exempli cauſa: Ioſue XV. 8.

V. 6. ET RELINQUETUR IN EO (in Iſrael) SICUT RACEMUS: עללות, *racemationes*, aut *racemi poſt vindemiam*. ET SICUT EXCUSSIO; id eſt, ſicut in excuſſione oleæ, vel cum excutitur olea, manent duo aut tria גרגרים *grana* in ſummis ramis. IN CACUMINIBUS EIUS: בסעפיה, *in ſummis ramis eius* FRUCTUS EIUS; id eſt, quidquid in ea fructus remanet, remanet in ſummis ramis, qui excuti non potuerunt. Aut ut alii, *Quatuor aut quinque* (grana manebunt) *in ſummis ramis fructus eius*, id eſt fructiferis eius, quibus ferre ſolebat fructus.

V. 7. IN DIE ILLA; id eſt, poſtquam Deus & Iudam & Iſrael primum, deinde omnes eorum hoſtes caſtigaverit. Vel, ישעה, *reſpiciet homo*, id eſt convertetur ad factorem ſuum, id eſt non petet auxilium a Syris, ſed a Deo ſuo, cum viderit eos a Deo deletos eſſe. *Cum enim occideret eos, revertebantur, & diluculo veniebant ad eum*: Pſal. LXXVII. 39. ET OCULI EIUS, idem dicit aliter.

V. 8. ET NON INCLINABITUR AD ALTARIA QUAE FECERUNT MANUS EIUS. Non adorabit: vel, לא ישעה, *non reſpiciet*, *non confugiet ad altaria opus manuum ſuarum*. NON RESPICIENT: לא יראה, *non reſpiciet*, id eſt non conferet ſe ut conſulat lucos, & חמנים, *ſimulacra*.

V. 9. IN DIE ILLA, id eſt tempore huius caſtigationis Iſraelis & Syrorum. ERUNT CIVITATES FORTITUDINIS EIUS, id eſt, fortes eius (Iſraelis) DERELICTAE. SICUT ARATRA. Heb. כעזובת החורש והאמיר, *ſicut derelictio virgulti, & ſummi rami*; id eſt, relinquentur in eis rariſſimi homines, ſicut in imis ac ſummis arborum ramis fructus rari & immaturi relinqui ſolent. אשר עזובו, *quas dereliquerunt*; ſub. Amorræi & Hevæi, ut Septuag. expreſſerunt. A FACIE FILIORUM ISRAEL, id eſt metu filiorum Iſrael; vel ad adventum filiorum Iſrael, vel propter filios Iſrael; id eſt, erunt civitates eius ſimiles illis quas Amorræi reliquerunt: ſicut fructus aliquis in ramis arboris relinqui ſolet. ET ERIS: והיתה, *& erit* (terra) DESERTA.

V. 10. QUIA OBLITA ES DEI SALVATORIS TUI (o terra Iſrael) ET FORTIS, id eſt Dei (ſubſtantive) qui te iuvare ſolet; vel, וצור מעזך, *& petræ fortitudinis tuæ non es recordata*, id eſt Dei, qui eſt veluti rupes, in qua omnis tua fortitudo conſiſtit. PROPTEREA PLANTABIS PLANTATIONEM FIDELEM. Heb. נטעי נעמנים, *plantas iucundas*, aut *pulchras*. Septuag. σπέρμα ἄπιστον. Itaque veroſimile eſt eos, legiſſe, לא נאמנים, *plantas infideles*, noſtrumque Interpretem ita vertiſſe, ut habent etiam nunc emendati codices; ſenſuſque eſt melior; quaſi dicat: Quia tu fuiſti, o Iſrael, plantatio Dei infidelis, id eſt, non reddens fructum quem debebas: *Expectavit enim ut faceres uvas, & feciſti labruſcas*: ſupra cap. V. 2. & 4. Tu quoque plantabis infideles plantas, id eſt quarum fructus non tu, ſed alii colligent. ET GERMEN ALIENUM: זמורת זר, *& ſemen*

men alieni ſeminabis, id eſt quod non tu metes, ſed alienus, ſcilicet hoſtis.

V. 11. IN DIE PLANTATIONIS TUAE LABRUSCA, id eſt uva naſcetur. ET MANE SEMEN TUUM FLOREBIT; id eſt, omnia quæque plantabis, quæque feres cito fructum ferent; ſed non percipies eum, quia ABLATA EST MESSIS IN DIE HEREDITATIS; id eſt, quo tempore meſſem tamquam hereditatem tuam collecturus eras, hoſtis veniet, & colliget. ET DOLEBIS GRAVITER, unuſquiſque veſtrum: ſic noſter Interpres. Hebræi aliter legunt & interpretantur, ביום נטעך תשגשגי *In die plantationem tuam creſcere facies*, ובבקר זרעך תפריחי, *& mane ſemen tuum florere* (aut germinare) *facies*; hoc eſt, totos dies laborabis in colendis vineis, & ſatis, ut creſcant & germinent: נד קציר ביום, *cumulus* (autem) *meſſis in tempore* (meſſis) ſub. erit נחלה וכאב אנוש, *infirmitas*, *& dolor luctuoſus*; id eſt, pro cumulo meſſis quem expectabas, colliges calamitatem & dolorem. Pſal. CXXVI. 2. *Vanum eſt vobis ante lucem ſurgere*.

V. 12. VAE MULTITUDINI POPULORUM MULTORUM, id eſt Aſſyriorum, & eorum qui Ieruſalem expugnaturi venerint cum Senacherib: eos enim Deus perdet. UT MULTITUDO MARIS. Deſcriptio eſt ſtrepitus bellici.

V. 13. SONABUNT POPULI SICUT SONITUS AQUARUM INUNDANTIUM, id eſt fremens, comminabuntur Ieroſolymæ direptionem. POPULI, Aſſyrii, IV. Reg. XVIII. ET INCREPABIT (Deus) EUM (populum) ſingul. pro plurali. ET FUGIET PROCUL, ut accidit IV. Reg. XIX. ET RAPIETUR SICUT PULVIS: כמוץ, *ſicut palea*. ET SICUT TURBO: וכגלגל, *ſicut ſtipula ante* סופה *turbinem*, aut ut turbo ante tempeſtatem, id eſt ingruente tempeſtate.

V. 14. IN TEMPORE VESPERE; id eſt, ſub noctem incipiet Angelus occidere ac fugare Aſſyrios, & cum matutinum tempus venerit, nemo erit in eorum caſtris, IV. Regum XIX. HAEC EST PARS; id eſt, hic erit eventus, hoc conſequentur, qui ante vaſtabant nos (ait Propheta.)

S A.

Verſ. 1. IN RUINA, id eſt poſt ruinam.

V. 3. ADIUTORIUM, ſcilicet deſtructa Samaria. Chald. *dominum*. ERUNT; quaſi dicat, Peribit eorum gloria & Iſraelis.

V. 4. IACOB, id eſt Iſraelis, ſcilicet capti ab Aſſyriis.

V. 5. ET ERIT, &c. quaſi dicat, Redigetur ad paucitatem, ſeu inopiam. RESTITERIT, ſcilicet relictum a meſſoribus. RAPHAIM. Chald. *gigantum*. LXX. *dura*.

V. 6. EXCUSSIO OLEAE; pro, excuſſa olea. DUARUM VEL TRIUM; pro, duæ, vel tres, &c. EIUS, ſcilicet manere ſolet.

V. 7. INCLINABITUR. Chald. *innitetur*. LXX. *confidet*, ſcilicet tribulatio ſolet ad Deum reducere.

V. 8. DELUBRA, id eſt ſimulacra.

V. 9. EIUS, ſcilicet Iſrael, vel Damaſci. A FACIE, &c. id eſt cum invaderent olim Iſraelitæ terram Chananæorum.

V. 10. FIDELEM. Ironice ſecundum Hieron. LXX. *infidelem*. GERMEN. LXX. *ſemen*. ALIENUM. LXX. *infidele*, ſcilicet quod fructum non reddat.

V. 11. IN DIE, &c. quaſi dicat, Ubi plantaveris. LABRUSCA, ſcilicet naſcetur loco uvæ. ET MANE, &c. quaſi dicat, Etiam ſi cito floreat, at tempore meſſis nihil erit. IN DIE HEREDITATIS, id eſt adveniente tempore poſſidendi. DOLEBIT, ſcilicet Ipſe ſua fruſtratus.

V. 12. POPULORUM, ſcilicet Aſſyriorum. Mira in Prophetis tranſitio ad alia, & frequentiſſima; quod diligenter advertendum.

V. 13. INCREPABIT, ſcilicet Deus. LXX. *exterminabit*. TURBO. Chald. *rota*. LXX. *pulvis rotæ*.

V. 14. NOS, ſcilicet Dei populum.

E S T I I.

Verſ. 8. ET NON INCLINABITUR AD ALTARIA, QUAE FECERUNT MANUS EIUS. Metonymia eſt pro eo quod diceret; ad idola, ſeu deos, quos ſibi manibus ſuis fecerunt: ſcilicet continens, pro

Digitized by Google

pro contento, altare pro idolo, quod in eo ponitur & colitur. Id patet ex antitheſi partis præcedentis: Sic enim dicitur: *In die illa inclinabitur homo ad factorem ſuum, & oculi eius ad ſanctum Iſrael reſpicient*; quaſi iam ſubiungat: Nequaquam vero inclinabitur ad altaria quæ fecerint manus eius, id eſt ad idola.

V. 10. & 11. PROPTEREA PLANTABIS PLANTATIONAM FIDELEM. Heb. eſt in tertia perſona *plantabit*; ſed tertia perſona pro ſecunda ponitur, ſicut & in proxima ſententia, *germinabit*: & rurſum, DOLEBIT GRAVITER, pro dolebis, germinabis. Quædam exemplaria habent, *infidelem*, & ſeptuaginta ἄπιςον. Heb. tamen eſt, *fidelem*, quomodo etiam conſtat vertiſſe Hieronymum, qui hic agnoſcit ironiam; quaſi dicat, Minime fidelem.

MARIANAE.

Verſ. 1. SICUT ACERVUS. Heb. *erit acervus in ruina*, id eſt poſt ruinam. Redigetur in acervos, ſcilicet lapidum Damaſcus: de ea loquitur.

V. 2. CIVITATES AROER. Nomen regionis in Syria, cuius urbibus everſis cedet Syria in paſcua & mapalia gregum.

V. 3. ET CESSABIT ADIUTORIUM AB EPHRAIM; id eſt, non erit unde Iſraelitæ contra Iudam petant auxilium. ET REGNUM A DAMASCO ceſſabit Rege ſublato. ET RELIQUIAE SYRIAE SICUT GLORIA FILIORUM ISRAEL; id eſt, ut Iſraelitæ ſunt everſi, ſic Syria omnis.

V. 4. ATTENUABITUR GLORIA IACOB; id eſt, gloria filiorum Iſrael, de qua dixerat, attenuabitur, ſcilicet cum vaſtabuntur, & ducentur captivi Iſraelis tribus.

V. 5. SICUT CONGREGANS IN MESSE QUOD RESTITERIT. Heb. *in meſſe ſegetem*. SPICAS LEGET; aut *metet*. QUAERENS SPICAS. Hebr. *colligens ſpicas*. IN VALLE RAPHAIM. Vallis ea fertilis erat. Ergo ſicut meſſor omnes ſpicas metit, & alio comportat, ſic Aſſyrius omnes Iſraelitas captos ducet alio. Sed an aliqui remanebunt?

V. 6. ET RELINQUETUR IN EO SICUT RACEMUS. Heb. *& relinquetur*, pro, relinquentur *in eo* (ſcilicet Iſraele) *racemi*, ſcilicet parvi. Hiſp. *rebuſca*. ET SICUT EXCUSSIO OLEAE, id eſt cum excutitur olea ab olivantibus. DUARUM VEL TRIUM OLIVARUM. Heb. *duo aut tria grana relinquentur*. IN SUMMITATE RAMI. Aut certe quatuor aut quinque, ſcilicet grana. IN CACUMINIBUS EIUS FRUCTUS EIUS. Heb. *in ramis eius frugiferis*; quaſi dicat: Quod ſi olea onuſta fructu erit, quatuor ſummum aut quinque grana in ramis eius manebunt. Sic ex Iſraelitis pauciſſimi in patria relinquentur.

V. 7. INCLINABITUR HOMO. Hebraice, *reſpiciet homo*, ſcilicet Iſraelita Deum. Res adverſæ ſæpe homines ad meliora excitant. Ezechiæ tempore hoc accidit: II. Par. xxx. & xxxi.

V. 8. NON INCLINABITUR, non reſpiciet. LUCOS ET DELUBRA, aut lucos & ſimulacra.

V. 9. CIVITATES FORTITUDINIS EIUS, ſcilicet fortiſſimæ urbes. DERELICTAE SICUT ARATRA, ET SEGETES. Heb. *ſicut derelictio rami & virgulti*; quas dereliquerunt (ſcilicet Chananæi) cum filii Iſrael eas terras occuparunt olim: ſic modo erit. ET ERIS DESERTA, aut *deſolata*, ſcilicet ea regio.

V. 10. QUIA OBLITA ES DEI SALVATORIS TUI. Heb. *ſalutis tuæ*. ET FORTIS ADIUTORIS. Heb. *Et petræ fortitudinis tuæ non es recordata*. Per *petram* ſæpe Deum intelligit Sermo divinus. PLANTABIS PLANTATIONEM FIDELEM. Heb. *plantationes pulchras, ſuaves*. ET GERMEN ALIENUM; ſcilicet quo alieni fruentur, non ipſe qui plantas.

V. 11. IN DIE PLANTATIONIS TUAE LABRUSCA, id eſt uva agreſtis naſcetur. Heb. *in die plantationis tuæ ſatages*, id eſt diligenter coles. ET MANE; pro, die poſtero. SEMEN TUUM FLOREBIT; ſeu *germinabit* intra paucos dies, ſed ſpes illa & meſſis peribit. ABLATA EST MESSIS. Heb. *acervus meſſis*; id eſt, ſicut acervus meſſis erit, qui non diu in area remanet, cito auferet ea hoſtis. IN DIE HEREDITATIS. Heb. *in die plagæ*. נחלה *nahalah* non deduco a *nahal*, quod eſt *hereditare*, ſed a חלל *halal*, quod *vulnerare* ſignificat. ET DOLEBIT GRAVITER. Heb. *& doloris deſperati*. Ergo in die plagæ & doloris, cum hoſtis invadet, labor tuus erit ut acervus meſſis, cito auferetur; ſeu *in die hereditatis*, cum tua here-

hereditas ad alios tranſibit.

V. 12. VAE MULTITUDINI POPULORUM. Contra Aſſyrios hæc dicuntur, quos ſua quoque clades manet. UT MULTITUDO MARIS SONANTIS. Heb. *ut ſonitus maris ſonant*. Omnia ſtrepitu militari ſunt plena. SICUT SONITUS AQUARUM MULTARUM, ſeu *aquarum vehementium*.

V. 13. SICUT SONITUS AQUARUM INUNDANTIUM. Heb. *multarum*. ET INCREPABIT EUM, ſcilicet Deus Aſſyrium. ET RAPIETUR. Bene explicat vim vocis *rudaph*, id eſt *perſecutus*, paſſive. ET SICUT TURBO CORAM TEMPESTATE, id eſt vigente tempeſtate. Alii vertunt, *ſicut ſtipula ſtante turbine*. Chald. *ſicut rota coram turbine*. Sed vox גלגל *ghalghal*, id eſt *rota*, *turbinem* ſignificat hoc loco, quia in modum rotæ circulo fertur: ſic Aſſyrii ut *pulvis* ſeu *gluma* (id *moz* eſt) & ut turbo diffugient.

V. 14. IN MATUTINO, Heb. *ante auroram nuſquam ipſe*, id eſt diſparebit. Noctu veniet ea clades, & velociter atque ſubito. HAEC EST PARS. *Pars* & *ſors* idem ſignificant. Itaque illud, ET SORS DIRIPIENTIUM NOS, repetitio eſt, qua gaudet Hebraica lingua, Qui nos vaſtarunt, vaſtabuntur.

MALVENDAE.

Verſ. 1. ONUS DAMASCI. Alii: *Prophetia Dammeſek*, vel *onerosa prophetia Damaſci*. Notant: Etſi Propheta hoc capite non Damaſcenis tantum, ſed Iſraelitis etiam (quibuſcum fœdere iuncti erant) Dei iudicium denuntiat; non dubium eſt tamen quin ad Damaſcenos plurimum pertineat: quia Prophetæ conſilium fuit Damaſci ruinam per comparationem Iiſraelis confirmare; quaſi dicat, Non eſſe cur Damaſceni meliora ſperent, cum ne ſuis quidem Iiſraelitis amplius ſit parſurus Deus. Continentur itaque hoc capite, primum propoſitio ſumma eventuri iudicii in utroſque, tribus verſibus; deinde enarratio illius iudicii, tribus ſequentibus; poſtea confirmatio a peccatis illorum, tribus aliis; denique concluſio ſummatim ſuperiora complectens, verſu 10. & 11. Quod autem ad tempus attinet, quo hæc prophetia completa eſt, non obſcurum eſt ex verbis Prophetæ, verſ. 1. nam Iiſraelitæ priores expugnati ſunt II. Reg. XVII. deinde vero Syri (qui conſilia cum Iiſraelitis rebellantibus communicaverant) eadem opera cum illis deportati, quod per ſynecdochen ex II. Reg. XVII. intelligendum eſt. Capta quidem fuerat Damaſcus a Tiglath-Pileſere ante annos aliquot, & Syria occupata II. Reg. XVI. 9. ſed tum demum diruta eſt per Schalman-Eſerem, & incolæ deportati in Kirum, cum Iſraelis regnum everſum eſt: quod ſexto ferme, quintove anno poſt hanc prophetiam accidit: vide II. Reg. XVI. 9. & cap. XVIII. 9. & 10. Alii ad tempora Nabuchodonoſori per everſam Ierulalaim hanc prophetiam pertinere exiſtimant, ſiquidem eadem ſit cum illa Ieremiæ XLIX. 23. quod nobis minime probatur. DAMASCI. De hac inſigni urbe vide in Geneſ. XIV. 15. Quidam hic accipiunt Damaſci & Iiſraelis, ſylleptice: ſed nominatim Damaſci prophetiam appellari, cum propter eam cauſam, quam ſupra attigimus, tum quia Damaſci ruina poſterior fuit, ac proinde priorem illam Iiſraelis complectitur. DESINET ESSE CIVITAS. Heb. *ablatus a civitate*. Quidam: *amovebitur ne ſit civitas*. ET ERIT SICUT ACERVUS LAPIDUM IN RUINA. Heb. *& erit ſicut acervus, cumulus, tumulus, caſus, ruinæ*, id eſt ruderum, qualis eſſe ſolet in ruinis ædificiorum.

V. 2. DERELICTAE CIVITATES AROER. De Aroer vide in Numer. XXXII. 34. nam ridiculum eſt quod quidam hanc ab illa diſtinguunt. Exponunt, *Derelictæ civitates Harobèris, &c.* id eſt, totus tractus trans Iardenem (qui ſuis incolis Reubenitis, Gaditis, & Menaſchitis per Tiglat-Piliſerem exhauſtus fuit II. Reg. XVI. 9. & I. Chronicor. v. 26.) propter defectiones quidem Damaſci & Iiſraelis conturbatur, commeantibus & remeantibus Aſſyriorum copiis, adeo ut miſeris incolis non ſit integrum in agro ſuo paſcere: ſed adveniens Schalman-Eſer ſibi conſulet diſpendio veſtro, ne amplius copiæ tranſmittendæ ſint, nam munitiones evertet, & rebelles deportabit. Sic fiet ut regio trans Iardenem (quæ intermedia eſt) liberata milite libere depaſcatur, ut eſt alioqui paſcuoſiſſima, Numeror. XXXII. Nonnulli Hebræorum *Aroer* hic appellative capiunt ex ſignificatione

ערער

Digitized by Google

ערער *ghargħar*, *myrica*, & ſic appellari hic Damaſcum *civitates aroer*, id eſt myricæ, quia futura erat ut myrica in deſerto: vide Theſaurum Sanctis column. 2125. GREGIBUS ERUNT. Alii: *pro gregibus erunt*; id eſt, libere in eis paſcere poterunt greges, & civibus, & externo hoſte nudatis. Nonnulli: *in caulas erunt*; ſcilicet, deſertæ habitatoribus erunt ovium caulæ. ET NON ERIT QUI EXTERREAT. Heb. *& non perterrefaciens*, vel *tremefaciens*. Quidam: *ubi recubantes nemo exterreat*; ut nunc exterretur frequente milite; vel habitatore.

V. 3. ET CESSABIT ADIUTORIUM AB EPHRAIM. Nos, quia verbum eſt ex Niphal, paſſive reddidimus: *Et ceſſabitur*. Alii: *Et deſinet*, ſeu *deſinet enim munitio*, vel *munimentum ab Ephraimo*; hoc eſt, regnum Ephraimi, ſeu Iiſraeliticum carebit ſuo propugnaculo, capta Samaria. ET REGNUM A DAMASCO: id eſt, neque Damaſcus erit poſt hac regia regum Syriæ; quaſi dicat, Regnum Iiſraeliticum & Damaſcenum extinguentur. SICUT GLORIA FILIORUM ISRAEL ERUNT: id eſt, ut regnum & munitiones Iiſraelis, denique omnia de quibus gloriantur, eripientur ipſis, idem quoque Damaſco continget.

V. 4. ET ERIT IN DIE ILLA: ATTENUABITUR GLORIA IACOB, &c. Quidam: *Erit autem tempore illo, quo attenuabitur gloria Iahakobi, & pingue carnis eius emaciabitur. Erit, inquam, perinde ac ſi colligent, &c.* Ergaſia promiſſionis, ut in verſ. 1. diximus, per ſimilitudines evidentiſſimas.

V. 5. ET ERIT SICUT CONGREGANS IN MESSE QUOD RESTITERIT. Alii ex Heb. I. *Et erit ſicut colligit meſſor ſegetem.* II. *Et erit* hoſtis Aſſyrius *ſicut qui colligit meſſem ſegetis*. III. *Et erit ac ſi quis congregaret meſſem ſtantem*. IV. *Erit, inquam, perinde ac ſi colligeret vir meſſis*, ſeu *meſſor ſegetem.* קמה *kamah*, *ſeges erecta*, *ſurrecta*, *adhuc ſtans*: vide in Exod. XXII. 6. Senſum huius verſus hunc eſſe aiunt, id eſt accuratiſſime Iſraelitas, & Syros metet ac colliget Aſſyrius, quos deportet in regionem ſuam. IN VALLE, ſeu *convalle*, RAPHAIM. Prope Ieruſchalaima: de qua vide in Ioſue XV. 8.

V. 6. ET RELINQUETUR IN EO SICUT RACEMUS. Heb. *Et relinquetur in eo racemationes*. Diſcordia numeri, verbum ſingulare cum ſuppoſito plurali; id eſt, unaquæque ex racemationibus, quod fit ad ſenſus incrementum, id eſt una aut altera racematio, pauciſſimi racemi, ut ſequentibus explicatur; quaſi dicat, Relinquetur perexiguus incolarum numerus, quem tamen ipſum deportavit poſtea Eſar-Chaddon, ut iam antea obſervavimus in cap. VII. 8. & in cap. IX. 11. & 21. quod ſequentia etiam confirmant: vide infra verſ. 9. ET SICUT EXCUSSIO OLEAE. נוקף *nokeph*, *deciſio*, *decuſsio*, *excuſſio*, *ſtrictura olivæ*, ſeu *oleæ*; id eſt, olearum extrema decuſſio, & quaſi exciſio. Quidam: *ut cum ſtringitur olea*. Sic infra cap. XXIV. 13. DUARUM VEL TRIUM OLIVARUM IN SUMMITATE RAMI. Alii: I. *duo vel tria grana in ſummitate rami*: ſubaudi, altioris ſive excelſi, id eſt verberis, qui extremus eſt ramus in ſummitate arboris. II. *duæ aut tres baccæ in cacumine rami*, vel *in ſupremis ramis*. III. *duæ treſve baccæ in vertice ſummi rami*. Latini *verber* appellant ramum in ſumma arbore, ſeu extremum rami. Sic infra verſ. 9. SICUT QUATUOR AUT QUINQUE IN CACUMINIBUS EIUS, FRUCTUS EIUS. Alii ex Heb. I. *Aut quatuor vel quinque racemi in cacuminibus eius fructus*, vel *in expanſis ramis eius fructus*. Genitivus eſt *fructus*: ramos fructus vocat ramos frugiferos. II. *quatuor aut quinque baccæ in prominentiis eius*, id eſt in ramis prominentibus eius, *fructificans*, vel *fructificantis*. III. *quatuor aut quinque in ramis ipſius fructiferæ*. Quidam hanc partem ita reddunt: *Similis quoque diſtringenti olivam, qui reliquas faciat duas aut tres baccas in ſummo faſtigio, quatuor autem vel quinque in ramis eius frugiferis*.

V. 7. IN DIE ILLA INCLINABITUR HOMO AD FACTOREM SUUM. Alii: *Tempore illo, reſpiciat homo ad opificem ſuum*, &c. Confirmatio denuntiati iſtius iudicii ab obduratione populorum, quibus interminatur Deus Hanc autem obdurationem & pervicaciam in malo graviſſime Propheta denotat mandati divini repetitione: qua oſtenditur illos ne tum quidem ad bonam frugem reverſuros, cum atrocibus iudiciis ipſos monuerit ſevere Deus; propterea mandatum pervicacibus, licet fruſtra, inculcari inſuper oportere.

Qua-

Quare imperative potius quam in futuro reddunt, *reſpiciat homo*, &c. ut etiam ſequentia verba huius & ſequentis verſus. INCLINABITUR HOMO. Notant verbum שעה *ſchaghah*, quando conſtruitur cum particula על *ghal*, *ſupra*, ut hic, eſſe *inniti*, *incumbere*, *fulciri*, *ſuſtentari*: *innitetur*, *incubet*, *ſuſtentabitur ſuper factore ſuo*. Sequente autem verſu conſtruitur cum אל *el*, *blande reſpiciet*, *cum quodam favore & propenſione ad aras*. Vide Geneſ. IV. 4.

V. 8. LUCOS. Vide in Deuteronom. VII. 5. ET DELUBRA. Heb. *Chammanim*. Varie hic reddunt: 1. *& aprica loca*. 2. *ſolaria*. 3. *immagines ſolis*. 4. *ſimulacra*. 5. *ſubdiales ſtatuas*: vide in Levit. XXVI. 30.

V. 9. IN DIE ILLA. Alii: *ſed tempore illo*, nimirum cum adventante hoſte, non reſpicient ad Deum, ſed potius ad idola ſua; quæ tum Syris & Iſraelitis communia erant. CIVITATES FORTITUDINIS EIUS. Heb. *urbes roboris*, *firmitudinis eius*. Alii: *civitates robuſtæ eius*, ſeu munitiſſimæ, fortiſſimæ. Nonnulli: *civitates præſidii eius*. DERELICTAE SICUT ARATRA ET SEGETES. Varie alii ex Heb. I. *ſicut derelictio virgulti & rami*, vel *& verberis*, ſeu *frondis*; id eſt, ſimiles pauciſſimis fructibus relictis in ramis inferioribus, & ſuperioribus. II. *ut dum relinquitur virgultum & faſtigium arboris*. III. *ſimiles derelicto virgulto*, *ſummoque ramo*; id eſt, reliquiæ Syrorum & Iiſraelitarum erunt abiectiſſimæ, ut cum putato ligno tenuia virgulta, cremiaque breviſſima omittuntur a lignatoribus. Hiſpanicus interpres: *como los frutos que quedan en los pinpollos y en las ramas*. QUAE DERELICTAE SUNT A FACIE FILIORUM ISRAEL. Alii I. *& id*, *quod dereliquerunt a facie filiorum Iſrael*. II. *quando dereliquerunt civitates Chanabanæi a facie filiorum Iſraelis*. III. *& ſicut urbes*, vel *ſimiles urbibus*, *quas deſeruerunt Chanabanæi a facie filiorum Iſraelis*. Id eſt, deſerentur, & pauciſſimæ remanebunt intactæ: deſerentur, inquam, non aliter quam Chanahanæi deſeruerunt urbes ſuas ad adventum filiorum Iſrael. Aliena & longe petita interpretatio. IV. *quas dereliquerint Aſſyrii*, *propter filios Iſraelis*. His verbis utitur Propheta reſpiciens ad conſilium Dei; qui totum Iiſraelem noluerat Aſſyrio tradere, ſed partem conſervaverat, ut tempus ipſis ad reſipiſcendum conceſſerat: vide ſupra verſ. 6. Sed quia hæc interpretatio merito nobis ſuſpecta viſa eſt ſupra cap. VII. 8. aptius erit intelligere, civitates munitiſſimas deſertas ab Iſraelitis, remanſiſſe penitus deſolatas, ut ſubditur. ET ERIT DESERTA. Heb. *& erit afflatio*, vel *ſtupenda deſolatio*; id eſt, tota terra Iſraelis manebit deſolata, & deſerta. Et nomen abſtractum ingentem & extremam vaſtitatem demonſtrat.

V. 10. QUIA OBLITA ES DEI SALVATORIS TUI, &c. Concluſio huius prophetiæ per apoſtrophem ad Iiſraelitas, quibus ſuum peccatum exprobratur, & pœna indicitur. SALVATORIS TUI. Heb. *ſalutis tuæ*. Exponunt: Id eſt, qui te ſemper, atque adeo a recente periculo, cuius modo memini, ſervavit integram atque conſervavit. ET FORTIS ADIUTORIS TUI. Hebr. *& petræ roboris tui*. Alii: I. *& rupis munitionis tuæ*. II. *& petræ fortiſſimæ & firmiſſimæ tuæ*, id eſt Dei robuſtiſſimi. צור *tzur*, *petra*, proprium epithetum Dei, ut Deuteronom. XXXII. 4. PROPTEREA PLANTABIS PLANTATIONEM FIDELEM. Facile quiſque intelliget Noſtrum cum *Aleph* legiſſe hic נאמנים *neemanim*, *plantationes fidelium*, ſeu *fidelitatum*. At Hebræa nunc conſtanter habent: *plantationes* נעמנים *naghamanim*, cum *Ghain*. Quod diverſimode exponunt: I. *propterea plantabis plantas iucunditatum*, id eſt iucundiſſimas. II. *propterea plantabis plantationes pulchrarum*, ſubaudi plantarum: vel *plantas elegantes*. III. *idcirco utut plantaveris plantas amœnorum fructuum*, ſeu *amœniſſimas*; id eſt, regionem tuam colueris, & ſtudioſiſſime confirmaveris, ut certum ex ea fructum percipias. ET GERMEN ALIENUM SEMINABIS. Diverſimode alii ex Heb. I. *& palmitem alienum ſeminabis illud*, vel *ſeres eum*; ſeu *& palmitem* regionis, vel vitis *alienæ ſeres*. *Eum*; id eſt, vitem optimam allatam e regionibus remotiſſimis plantabis. Uſus eſt his duobus verbis, *plantabis*, & *ſeminabis*; quod plantæ proveniant tam ex plantatione, quam ex ſatione. II. *& inſitionem alieni conſeres eum*, ſcilicet agrum tuum. III. *& ſurculum*, ſeu *propaginem*, *alieni inſeres eum*, id eſt ſurculum exoticum, ſeu vitem exquiſitiſſimam advectam ex regione remota. IV. *& palmitem alienæ*, ſeu *alius alterius*, ſcilicet plantæ, vel ſpeciei, aut regionis, *inſeres ei*. V. *& palmitem*

pere-

peregrino inſeres ei. VI. *& ſarmentum alieno conſeres ei*. VII. *& palmitem a longinquis ductum plantabis tibi*. VIII. *etiam palmite extraneis*, ſive *extraneo conſeveris ipſum*, id eſt palmite exquiſitiſſimo, ut exotica nonniſi pretioſa afferuntur. IX. Hiſpanicus: *y ſembraras ſarmiento eſtranno*, id eſt *generoſo, trabido de lexos*.

V. 11. IN DIE PLANTATIONIS TUAE LABRUSCA. Rationem huius translationis cum eruditiſſimo quoque nos neſcire fateri malnmus, quam cum aliis inepta & ridicula comminiſci. Heb. varie accipiuntur: I. *In die plantationis tuæ creſcere facies*, ſubaudi plantam tuam; id eſt, quo die plantaveris vitem, vel vineam tuam, virgultnm tuum quod plantaveris, magnum accipiet incrementum; quaſi dicat: Initio omnia tibi ex voto ſuccedent, eruntque priora felicia; & poſtea pœnas lues, incideſque in ſummas ærumnas, & calamitates. II. *In die plantationem tuam amplificabis multum*, vel *multiplicabis vehementer*. Verbum geminatum שגשג *ſighſagh*, in Phiel intendit ſignificationem, ut Latinis verba frequentativa. Exponunt: *In die, hodie, primo quoque tempore, ſtatim, initio* augebis plantationem tuam, germinabunt arbores, multiplicabnntur palmites, & ingens ſpes erit infiniti fructus. III. *Quo die plantabis, magno quidem ſtudio ſatages*. Plerique intranſitive exponunt: *creſces, augeſces, multiplicaberis, amplificaberis, condenſaberis valde*. ET MANE SEMEN TUUM FLOREBIT. Alii: I. *& in mane ſemen tuum germinabit*. Incommode, nam verbum in ſecunda perſona eſt maſculeum, at in tertia femineum, & *ſemen* maſculeum. II. *& poſtridie ſemen tuum germinare facies*. III. *& mane cum conſeris, curabis ut fructum edat*. ABLATA EST MESSIS IN DIE HEREDITATIS, ET DOLEBIT GRAVITER. Varie alii ex Heb. I. *at commotio rami in die percuſſionis infirmantis*, vel *plagæ ægritudinem efficientis*. II. *at agitatio plantæ erit in die plagæ doloroſæ*, ſeu *doloris plenæ*, *& doloris deſperati*, id eſt ſummi & exitialis. III. *at acervus, cumulus, meſſis in die hereditatis*, vel *poſſeſſionis*, *& dolor deſperatus*. IV. *recedet meſsis in die hereditatis, & ſicut dolor deſperatus*. V. *at recedet meſſis in die hereditatis, & erit dolor deſperabilis*; id eſt, evaneſcet meſſis, quo die eam hereditare & poſſidere debebas; quaſi dicat, Pulchre omnia inchoabitis, & male fluent. VI. *& agitatio rami erit tempore plagæ gravis*, *& doloris deſperati*; quaſi dicat, Poſtea planta illa agitabitur vento, & ita rumpetur; dies autem, quo accidet hoc, non carebit dolore maximo. VII. *at quo die metendus & poſſidendus erit fructus æmulatim, demetes dolorem deſperatum ac ærumnoſum*. VIII. *at commotus, agitatus eſt*, ſeu *commovetur ramus*, ſeu *planta in die ægræ, infirmæ percuſſionis*, *& erit dolor deſperatus*; quaſi dicat: Plantationes ſeu plantæ illæ amœnæ, quarum ſuperiore verſu meminerat, quas ab initio plantaviſti, quaſque magna cura curaſti nt adoleſcerent, & fructum progerminarent; adveniet dies, quo graviter percuſſæ agitabuntur, & confringentur; id eſt, univerſa tua proſperitas concidet, unde erit tibi dolor deſperatus, incurabilis, inſanabilis. Tremellius, & Iunius ita hunc verſum exponunt: *Quo die plantaſti, curaveris ut adoleſcat, etiam mane ipſo feceris ut ſemen tuum effloreſcat: acervus meſsis erit die ægræ plagæ*, ſeu *ægritudinis & doloris mortiferi*; id eſt, quidquid, quocumque ſtudio, & quantacumque copia præparaveris, adventu Aſſyriorum momento uno conſumetur, tamquam ſi numeroſa caſtra nanciſcerentur parvulum acervum tritici, unde tolerarent vitam. *Die ægritudinis*, &c. id eſt obſidionis, vaſtationis, & ruinæ tuæ per Aſſyrium. Vide Theſaurum Sanctis Colum. 709. ABLATA EST. נד *ned*, accepit pro participio verbi נוד *nud*, *amotus, emigratus*. Alii pro nomine capiunt, *acervus, cumulus*, ut Exod. xv. 8. MESSIS. קציר *katzir*, proprie *decurtatio, meſsis, demeſsio*: alii pro *ramo, plantario* accipiunt, ut Pſal. LXXIX. 12. & Hoſeæ VI. 11. IN DIE HEREDITATIS. נחלה *nachalah*, plures *nunc* ſervile faciunt, & participium Niphal verbi חלה *chalah*, vel nomen ſubſtantivnm eſſe putant, *in die ægræ, infamiæ*, ſcilicet *plagæ*, vel *ægritudinis*: ut Nahum III. 19. ET DOLEBIT. Legit כאב *chaab*) *& dolebit*: nunc exemplaria omnia כאב *cheeb*, habent, *& dolor, cruciatus*. GRAVITER. אנוש *anuſch, deſperatus, deploratus, ægerrimus, mortiferus, lethalis, graviſsime affectus, inſanabilis*.

V. 12. VAE MULTITUDINI POPULO-

RUM MULTORUM, &c. Tres hos poſtremos huius capitis verſus plerique de Aſſyriis capiunt, quos poſtquam eorum opera Deus ad devaſtandos Syros, & Iſraelitas uſus fuerit, etiam perditurus ſit, ut ſupra etiam cap. X. 5. & ſequentibus. Nonnulli perſiſti volunt in onerosa prophetia adverſus Damaſcenos, & Iſraelitas. Tremellius, & Iunius hinc novum caput ordiuntur, eique totum ſequens caput continue aſſuunt: atque hæc annotant ad verſ. I. *Etſi huic capiti nulla appoſita eſt inſcriptio, tamen non dubitamus quin de Aſſyriis & AEthiopibus ſit accipiendum*: cum ita plane poſtulet gentium, factorum, iudiciorumque deſcriptio, qua Propheta utitur. Sunt itaque huius capitis partes præcipue tres: Prima eſt, prophetia contra populos Sancheribo militantes, tribus verſibus. Secunda, prophetia contra AEthiopes, quam Deus certo conſilio per anticipationem inſeri hoc loco voluit, ne forte Iudæi cogitarent fore ut per illum ab Aſſyrio liberarentur, duobus verſibus. Tertia eſt narratio, qua Deus ſibi uni vendicet liberationem populi ſui, ultionemque de hoſtibus, & ſibi accepta hæc ferri poſtulabat: inde ad finem uſque capitis, nempe uſque ad finem capitis XVIII. Unde verſum hunc primum ita reddunt: I. *Væ multitudini populorum, qui ſicut perſtrepere ſolent maria, perſtrepunt; & tumultuantibus nationibus, quæ tumultuatione, qualis eſt aquarum validarum, tumultuantur*; id eſt, Væ multis illis populis, qui in Aſſyriorum caſtra conveneiant, ut Sancheribo militarent, cum bellico apparatu maximo, quod Propheta figurat eadem ſimilitudine, quam adhibuerat ſupra cap. VIII. 7. II. *Heus multitudo populorum multorum inſtar maris tumultuantium, & ſtrepitus aquarum immanium frement*. III. *Væ multitudini populorum multorum ſecundum fremere marium*, vel *ſicut fremunt maria, frement; & fremitus populorum ſicut fremitus aquarum validarum irruent*; id eſt, Syri & Iſraelitæ magno impetu irruent in Iehudæos, ſupra cap. VII. ET TUMULTUS TURBARUM, SICUT SONITUS. Heb. utrobique eſt idem nomen, שאון *ſchaon*, proprie *obruitio, ruina, irruptio, præcipitium, concuſſio, devaſtatio*; & per metalepſin, *ſonitus, fragor, tumultus, ſtrepitus, ſonus, qui ubi profunditas eſt, & præcipitium, ruinam ſubſequitur*: vide ſupra cap. V. 14. ſic verſu ſequente.

V. 13. POPULI SICUT SONITUS AQUARUM INUNDANTIUM, &c. Hunc verſum quidam ita reddunt: *Væ etiam multitudini nationum ſecundum tumultuationem aquarum multarum tumultuantium, cum increpabit ipſum, ut fugiat ultra longinquum*, ſeu *quam longiſſime, & perſecutionem patietur*, vel *nam agitabitur, ut gluma montium coram vento, & rota coram turbine*. Exponunt, *Increpabit ipſum*, &c. id eſt, cohibebit ſubito, ut verbo cohibet mare: quod increpatione Scriptura deſignare ſolet, ut Pſal. CV. 9. SICUT PULVIS. מוץ *motz*, proprie *emunctio, expreſſio, gluma*, &c. Vide in Pſal. I. 4. Hiſpanicus Interpres, *tamo*: apte. MONTIUM: quia ſupra montes magis raptantur glumæ, quod ibi vehementius perflent venti. ET SICUT TURBO CORAM TEMPESTATE. Heb. *& ſicut rota, ſphæra ad facies turbinis*. Forſterus, Leo Iudas & Forerius: *& ſicut globus ante turbinem*. Vide in Pſal. LXXXII. 4.

V. 14. IN TEMPORE VESPERE, ET ECCE TURBATIO. Alii: *Tempore veſpertino, ecce terror*: miſſo videlicet angelo Iehovæ II. Regum XIX. 35. & II. Paralip. XXXII. 21. & infra cap. XXXVII. 36. IN MATUTINO, ET NON SUBSISTET. Alii: I. *antequam vero aurora oriatur, nuſquam apparebit*. II. *cum nondum illuxerit mane, nemo aderit*, cæſis centum octoginta quinque millibus, & aliis fuga dilapſis: ibidem. Alii exponunt: Syri & Iſraelitæ quam celerrime, breviſſimo tempore perdentur, una nocte delebuntur. HAEC EST PARS EORUM QUI VASTAVERUNT NOS, ET SORS DIRIPIENTIUM NOS. Alii ex Heb. I. *Hæc eſt pars deprædantium nos, & ſors diripientium nos*. II. *Hæc eſt pars proculcantium nos, & ſors diripientium nos*. Epiphonema ad populum Dei.

MENOCHII.

Verſ. I. ONUS: vide dicta cap. XIII. I. DAMASCI. Prædicit Propheta Syriæ, cuius caput erat Damaſcus, excidium imminens a Theglathphalaſar: IV. Reg. XVI. 9. IN RUINA, id eſt poſt ruinam.

V. 2. AROER: civitas Syriæ, diverſa ab

Aroer

Aroer urbe Iudææ. Requieſcent ibi: ibi paſcentur greges tamquam in loco habitatoribus vacuo.

V. 3. Ceſſabit adiutorium ab Ephraim; id eſt, decem tribus regni Iſraelitici, Damaſco civitati confœderatæ opem non ferent. Regnum a Damasco: ſcilicet ceſſabit everſo Syriæ regno. Reliquiae Syriae: quod reliquum fuerit poſt cladem. Sicut gloria filiorum Israel: ſicut Samaria, qua ut civitate regia & indyta Iſraelitæ gloriabantur: Samaria enim ſub idem tempus, quo Damaſcus, ab eodem Rege Aſſyriorum vaſtata eſt.

V. 4. Attenuabitur gloria Iacob. LXX. *Defectio gloriæ Iacob*: ſignificat vaſtationem Samariæ, quæ gloria Iſrael, ſeu Iacob dicitur. Pinguedo, &c. LXX. habent, *Pinguia gloriæ eius concutientur*, id eſt malis, & ærumnis preſſa, ad incolarum maximam paucitatem redigetur.

V. 5. Et erit, &c. ſcilicet Rex Aſſyriorum ſemel & iterum cladem inferet, non ſolum meſſem faciens, ſed etiam ſpicilegium paucorum illorum, qui ſuperfuerint. Congregans in messe quod restiterit, id eſt ſpicas colligens, quæ meſſorum falcem effugerant. In valle Raphaim. LXX. *in valle dura*. Sanchez vallem Raphaim locum pinguem, & uberem fuiſſe exiſtimat: Alvarez ſterilem, quod facit ad paucitatem exaggerandam.

V. 6. Et relinquetur in eo, &c. In regno Samariæ relinquentur admodum pauci, quemadmodum pauci racemi remanent in vineis poſt vindemiam. Sicut excussio oleae: & ſicut paucæ remanent olivæ in olea poſtquam excuſſa eſt; relinquuntur enim paucæ aliquæ, duæ, vel tres in ſummis ramis. Fructus eius: quæ olivæ ſunt fructus arboris illius excuſſæ.

V. 7. Inclinabitur homo ad factorem suum: relictis idolis convertentur ad Dominum: factum id eſt monente, & excitante Ezechia II. Par. xxx. & xxxi. Ad sanctum Israel respicient, id eſt revertentur, & convertentur, a quo prius fuerant averſi.

V. 8. Altaria, idolorum.

V. 9. Civitates fortitudinis eius: civitates fortes, & munitæ Iſraelitarum, & Syriæ. Quae derelictae sunt a facie filiorum Israel: Ammorrhæi enim cum primum ex AEgypto venerunt Hebræi in terram promiſſam, relictis ſegetibus, aratris, & omni ruſtico inſtrumento, præ metu fugerunt. Eris deserta, id eſt Samaria.

V. 10. Plantabis plantationem fidelem; id eſt, licet fideles plantas ponas, & quæ ſpem agricolæ non fallunt, tamen uberes fructus, quos ferent, non tibi ferent, ſed hoſtibus tuis, qui illos diripient. Germen alienum: quia, ut dictum eſt, in aliorum commodum germinabunt.

V. 11. In die plantationis tuae labrusca; quaſi dicat: Quod ad te attinet, idem erit, ac ſi eſſent labruſcæ: nam fructus illius non tu, ſed hoſtes percipient. Mane semen tuum florebit: & ſpem faciet uberis proventus, ſed non tibi ager, aut vinea fructificabit, ſed hoſti. In die hereditatis; id eſt, cum advenerit tempus poſſidendi, & hreditandi eam, ſcilicet tempus meſſis, & vindemiæ. Et dolebit: dolorem tibi afferet; in Hebræo enim eſt כאב *chieb*, in coniugatione Piel, quæ eſt activa.

V. 12. Vae multitudini populorum; id eſt, væ Syriæ, & Samariæ, & exercitibus eius frequentiſſimis, quos contra Iudæ regnum inſtruxerunt. Ut multitudo, &c. cuius exercitus, fremitus, & tumultus eſt ut fremitus maris.

V. 13. Increpabit: coercebit, & compeſcet. Sicut turbo coram tempestate: ſicut ventus vehemens pappos diſſilat: in Hebræo גלגל *galgal*, quod quid ſit explicavi Pſal. lxxxii. 14. vide ibi dicta.

V. 14. In tempore vespere, &c. Sententia eſt, Breviſſimo tempore turbabitur, evertetur, & non ſubſiſtet. Sic Italice cum breve tempus ſignificare volumus, dicimus: *Dalla mattina alla ſera*. Haec est pars eorum: hic exitus eos manet, qui nos vaſtarunt, & regnum noſtrum.

T I R I N I.

Verſ. 1. Damascus desinet esse civitas: nempe exſcindenda per *Teglatphalaſſar a*, tempore regis Achaz, ut ſupra cap. vii. & viii. & rurſus

 poſt

poſt 110. annos per Nabuchodonoſorem, uti prædicit Ieremias XLIX. 23. Sed iterum ſub Macedonibus & Ptolemæis inſtaurata eſt Damaſcus, inquit S. Hieronymus, & etiamnum floret.

V. 2. CIVITATES regionis AROER, quod Hebraice myricetum ſignificat, quod circa Damaſcum erat, & in eo aliquot oppida ad regnum Syriacum pertinentia, quæ hic dicit futura gregibus in paſcua. Non ergo agitur hic de civitate Aroer Iudaica, quæ ſita erat in tribu Gad ad torrentem Arnon.

V. 3. & 4. CESSABIT ADIUTORIUM AB EPHRAIM; id eſt, Syriæ nullum obveniet auxilium a regno Iſraelitico decem tribuum, a quo ſolet olim (utpote ſibi confœderato, Iſaiæ VII.) auxilium accipere. Nam Iſraelitæ tum temporis pro Syris adiuvandis adverſus potentiſſimum Aſſyriorum monarcham Teglathphalaſſarem ne vel hiſcere audebant: quin & ipſorummet Iſraelitarum magna pars ab eodem rege ſub idem tempus abducta eſt in Aſſyriam: & ab eius ſucceſſore Salmanaſſare integrum regnum Iſraeliticum paulo poſt, nempe anno ſexto Ezechiæ regis Iuda, ſtirpitus exciſum eſt, IV. Reg. XVIII. 10. Sublatum eſt & REGNUM, ſeu regia dignitas & ſplendor, A DAMASCO *b*, totaque Syria; ſed relictæ ſunt RELIQUIAE quædam, nempe incolæ aliarum minus nobilium urbium SYRIAE. His tamen nihil mitius accidet ſub Nabuchodonoſore, quam accidit *Samariæ*, quondam *gloriæ* FILIORUM ISRAEL per Salmanaſſarem exciſæ, inquit S. Hieronymus & Cornelius a Lapide: vel melius cum Gabriele Alvarez, quam accidet Ieroſolymæ, veræ *gloriæ filiorum Iſrael*, ſeu *gloriæ* IACOB, verſ. ſeq. Sicut enim PINGUEDO CARNIS, metaphorice opes, delitiæ, ſplendor, gloria Iudæorum MARCESCET, Hebraice, *macreſcet*, & exterminabitur per Nabuchodonoſorem (qui cæleſti medico erit pro pharmacopœo,) ut ablata nimia craſſitie, agilitati & ſanitati priſtinæ Iudæi reſtituantur; ita accidet & Syriæ.

V. 5. ET ERIT SICUT CONGREGANS IN MESSE QUOD RESTITERIT, id eſt paucitas tam Syrorum quam Iudæorum, poſt devaſtationem Nabuchodonoſoris, erit primo, qualis eſt paucitas ſpicarum, quæ meſſores fugiunt, & pauperibus colligendæ relinquuntur, IN VALLE RAPHAIM, id eſt in agro vaſtiſſimo & ampliſſimo. Secundo, qualis eſt paucitas uvarum, ſeu racemorum, quæ peracta vindemia reliquæ manent. Tertio, qualis eſt trium, quatuor vel quinque olivarum, quæ excuſſa olea forte remanent in cacumine arboris.

V. 7. IN ILLA DIE, qua tam Syri, quam Iudæi reſidui advertent ſe nulla idolorum ſuorum invocatione & cultu quidquam promoviſſe, relictis & ſpretis idolis, INCLINABITUR HOMO, ſeu unuſquiſque illorum, AD verum Deum FACTOREM & creatorem SUUM, certumque aſylum & protectorem.

V. 9. CIVITATES FORTITUDINIS EIUS; id eſt, munitiſſimæ urbes tum Syriæ, tum Iudææ, partim vi, partim metu accurrentium hoſtium Chaldæorum, ita deſerentur a civibus & militibus præſidiariis, ſicut deſerta fuerunt ſub Salmanaſſare ARATRA ET SEGETES, ſeu meſſis & agricultura, A FACIE FILIORUM ISRAEL, id eſt ab Iſraelitis decem tribuum.

V. 10. PLANTABIS PLANTATIONEM FIDELEM, id eſt quæ uberem fructum proferet, & agricolæ ſpem ac laborem non fallet quidem, quantum ex ſe eſt; per accidens tamen fallet, & tibi infida erit plantatio, quia non tu, ſed *alieni*, nempe Chaldæi, decerpent fructus illius. Sic minatur Deus Deuter. XXVIII. 51. Et hac vocat hic GERMEN ALIENUM. Sed clarius ex Hebræo vertas, *germen alieno ſeminabis*.

V. 11. IN DIE PLANTATIONIS vineæ TUAE, exſurget non vitis, ſed LABRUSCA: ET SI MANE, id eſt initio, SEMEN TUUM *floreat*, lætam promittens, ſeu meſſem, ſeu vindemiam; tamen IN DIE HEREDITATIS, id eſt cum aderit tempus hereditandi eam, ſeu colligendi, deprehendes *ablatam* eſſe ab hoſte omnem *meſſem* & vindemiam: quod tibi GRAVITER DOLEBIT.

V. 12. VAE MULTITUDINI POPULORUM, nempe Syriæ: qui iam infeſti ſunt Iudæis; ſed ſuo tempore Deus

V. 13. & 14. INCREPABIT EUM, puta *ſonitum & tumultum* Syrorum; vel ipſum populum Syriacum: qui licet nunc ſuperbiat quaſi mons excelſus & immobilis; coram Deo tamen erit quaſi TURBO; LXX. *rota*; Vatablus, *globus* ante

tur-

Digitized by Google

turbinem, ſeu vi turbinis deiectus & rotatus. Idque VESPERE *&* *mane*, id eſt breviſſimo tempore: ita Cornelius a Lapide.

(a) IV. Reg. XVI. 9.
(b) IV. Reg. XVI. 9.

GORDONI.

Verſ. I. ONUS DAMASCI, &c. Everſa eſt Damaſcus ab Aſſyriis adhuc vivente Achaz rege, ac proinde ante cladem, quam Ezechias intulit Philiſthæis; qui tamen ordo temporis ab Iſaia non ſervatur, aut ab eo qui has Iſaiæ prophetias collegit. Samariæ clades ab his diverſa eſt, & quidem duplex, ut dixi cap. IX. I. Hoc Damaſci excidium fuit per Theglatphalaſar IV. Reg. XVI. 9. poſtea renaſcentem delevit Nabuchodonoſor, iuxta prophetiam Ierem. XLIX. 23. excitata poſtea fuit ſub Græcorum imperio, exſtatque hodie.

V. 2. *&* 3. Aroer urbs Syriæ eſt diverſa ab Aroer altera quæ eſt in Iudæa. Per Ephraim verſ. 3. intelligit decem tribus Syris confœderatas aliquo tempore: gloria filiorum Iſrael eſt Samaria. Utriſque vaſtitas obveniet, nec ſe iuvabunt: de everſa Samaria dixi ad VII. annum Ezechiæ.

V. 7. IN DIE ILLA INCLINABITUR: Reſidui aliqui ex deletæ Samariæ regno, immo & ex Syris adiungent ſe Iudæis, reiectis idolis: AD SANCTUM (inquit) ISRAEL RESPICIENT: vide II. Paralip. XXX. & XXXI.

V. 9. *&* 10. IN DIE ILLA ERUNT CIVITATES, &c. Solent ſic loqui Prophetæ de re longe poſt futura. Pergit narrare vaſtitatem, & eam varia ſimilitudine declarare. Sed quid intelligit, verſ. 10. per plantationem fidelem? Hieronymus fidelem vocari putat per ironiam. LXX. legunt *infidelem*, *φύτευμα ἄπιστον*; rectius tamen fidelem lego cum vulgato; nam vere erat illa plantatio fidelis, quia reſpondebat terra fertilis votis agricolæ: verum metebant non Syri, aut Samaritani, ſed alieni: verſ. II. DOLEBIT MESSIS, metaphora eſt.

EX EIUSDEM AUCTARIO.

Verſ. 3. CESSABIT ADIUTORIUM. Damaſco non ferent opem Tribus Iſrael.

Verſ. 5. VALLE RAPHAIM. Septuag. *Valle Dara*. Alii fertilem dant: omnia hæc & ſequens verſus deſignant egentes homines.

CA-

Digitized by Google

CAPUT XVIII.

Adverſus AEgyptios qui Iudæos pellexerant ad confitendum in ipſis: additur conſolatio populi Iudaici de reditu ad Ieruſalem.

1. VAE terræ cymbalo alarum, quæ eſt trans flumina AE-
thiopiæ, 2. qui mittit in mare legatos, & in vaſis papy-
ri ſuper aquas. Ite angeli veloces ad gentem convulſam,
& dilaceratam; ad populum terribilem, poſt quem non
eſt alius; † ad gentem expectantem & conculcatam, *
cuius diripuerunt flumina terram eius. 3. Omnes habita-
tores orbis, qui moramini in terra, cum elevatum fue-
rit ſignum in montibus, videbitis, & clangorem tubae au-
dietis: 4. quia hæc dicit Dominus ad me: Quieſcam, & conſiderabo in loco
meo, ſicut meridiana lux clara eſt, & ſicut nubes roris in die meſſis. * 5.
Ante meſſem enim totus effloruit, & immatura perfectio germinabit, & præ-
cidentur ramuſculi eius falcibus: & quæ derelicta fuerint, abſcindentur, & ex-
cutientur. 6. Et relinquentur ſimul avibus montium, & beſtiis terræ: & æſta-
te perpetua erunt ſuper eum volucres, & omnes beſtiæ terræ ſuper illum hie-
mabunt. 7. In tempore illo, deferetur munus Domino exercituum a populo
divulſo & dilacerato; a populo terribili, poſt quem non fuit alius; * a gen-
te expectante, expectante & conculcata, cuius diripuerunt flumina terram e-
ius; ad locum nominis Domini exercituum, montem Sion.

BRUGENSIS

ROMANAE CORRECTIONES.

Verſ. 2. *Cuius diripuerunt flumina terram eius*. Quod ſequitur in quibuſdam libris, *ad montem nominis Domini exercituum, montem Sion*, non eſt huius verſus, ſed ſeptimi, finientis hoc caput.

Verſ. 5. *Ante meſſem enim totus effloruit*. Non eſt mutandum præteritum *effloruit* in futurum *efflorebit*.

Sequitur: *Et immatura perfectio germinabit*. Hic ſervandum eſt futurum *germinabit*, non vertendum in præteritum.

Verſ. 7. *A gente expectante, expectante & conculcata*. Repetenda eſt vox *expectante*.

LECTIONUM VARIETAS.

Verſ. 2. *Ad gentem expectantem*. Repetenda videtur vox *expectantem* non minus hic quam infra verſ. 7. qua de re Notationes.

NOTATIONES.

Verſ. 2. AD (25. M. S. H. G. C.) *gentem expectantem & conculcatam*. (*conculcantem* o.) Manuſcripta Pariſienſium (Di. ol. Ge. ol.) quatuor, Hentenii quatuor, noſtra octo (Brug. Leod. O. P. Q. &c.) repetunt *expectantem*: *Gentem expectantem* (& o.) *expectantem & conculcatam*; qua in re eis Hieronymi, & Haymonis commentaria adſtipulantur. Adſtipulantur & Hebraica: iterum enim eamdem vocem legunt (גוי קו־קו ומבוסה) quam plerique quidem hodie *lineam*, noſter vero Interpres *expectantem* reddidit, quo קוה, a quod derivatur, *ſperare*, *expectare* ſignificet LXX. tranſtulerunt ἔθνος ἀνέλπιστον καὶ καταπεπατημένον, *gentem ſine ſpe* (deſperatam) *& conculcatam*, videntur intellexiſſe: Sperantem, ſperantem, nec

nec conſequentem; multumdinque expectantem, nec accipientem.

Verſ. 5. *Ante meſſem enim totus* (*ortus* O.) *effloruit*. Bibliorum editiones Moguntinenſis, & Colonienſis anni 1479. futuro tempore *efflorebit* legunt: ceteri autem noſtri libri, & impreſſi ſcripti, *effloruit* retinent; quibus Hebræa ſuffragantur: nam פרח, ſi ut verbum accipias, præteritum eſt, non futurum.

Quod ſequitur: *Et immatura perfectio germinabit*, non pauci codices præterito tempore *germinavit* ſcribunt, ita ut ei quod præcedit tempore reſpondeat. Verum emendatiores Brugenſis, Leodienſis, Lobienſis, O, P, L, & antiqui Epanorthotæ *germinabit* habent; id quod Hebræo conſonat יהיה נצה *erit erumpens*. Quomodo noſtra huius loci verſio Hebraicæ ſcripturæ conveniat, oſtendit Franciſcus Forerius.

Verſ. 7. quo eadem pene leguntur quæ ſecundo, plura exemplaria repetunt *expectante*: *A gente expectante, expectante, & conculcata*, (*conculcante* O.) & quidem eadem omnia noſtra quæ priori loco *expectantem* repetunt, uno P. excepto. Suffragantur hic ſimiliter Hebræa, Haymo, & Hieronymus. „LXX. inquit Hieronymus, pro eo quod nos „diximus *expectante expectante*, & in Hebraico ſcriptum eſt קו קו, *ſperante ſperante*, e „contrario interpretati ſunt ἀνέλπιστον, ideſt „*non ſperantem*.“ Noſtri hodie Græci libri, Græco auctore Cyrillo adſtipulante, priori ſolum loco ἀνέλπιστον legunt: poſteriori ἐλπίζων *ſperans*, idque ſemel dumtaxat ſcribunt. Porro nobis iterandum eſſe participium *expectans*, & poſteriori, & priori loco, exiſtimo ea quæ attuli comprobare: atque id cenſuit Adamus Sasbout, olimque in Francia Dominicani iudicarunt.

COMMENTARIA

MALDONATI.

Verſ. 1. VAE TERRAE. Vaticinatur contra gentem quæ hoſtibus Iuda & Iſrael auxilio eſſe ſolebat; quam non nominat, ſed deſcribit ſic, ut non ſatis conſtare poſſit quænam fuerit; tamen ex deſcriptione AEgyptios eſſe veriſimile eſt, de quibus agit capite ſequenti: eſt enim hoc caput quaſi tranſitio ad ſequens. CYMBALO ALARUM, id eſt navibus abundans. Navis paſſis velis ſimilis prope eſt cymbalo. Heb. צלצל כנפים, *umbræ alarum*, id eſt quæ ob navium multitudinem velis obumbratur. Navium alæ ſunt, ut Poeta quidam dixit:

—— *Velorum pandimus alas*.

V. 2. QUAE MITTIT IN MARE: בים, *per mare*, ſignificat gentem eſſe maritimam & navigatione potentem. ET IN VASIS PAPYRI, id eſt navibus mittit nuntios per mare quocumque vult. Papyrus paluſtris arbor eſt, ex qua naves leviſſimæ conficiebantur: Plinius Lib. XIII. cap. XI. ITE ANGELI, ſub. quæ mittit legatos dicens: *Ite Angeli*, id eſt nuntii VELOCES, AD GENTEM CONVULSAM: ממושך, id eſt *remotam*, *longinquam*, ad verbum, abſtractam: ומורט, *& expilatam* (ab hoſtibus) ſcilicet ut illi auxilium noſtrum polliceamini; quaſi dicat: Væ genti quæ remotiſſimis etiam gentibus cum ab hoſtibus affligebantur, ſolebas auxilium polliceri. AD POPULUM TERRIBILEM; quaſi dicat: Etiam populis omnium fortiſſimis & terribiliſſimis auxilium tamquam fortior ac terribilior promittebas. POST QUEM NON EST ALIUS, id eſt cui nullus alius comparari poteſt. Heb. מן־הוא והלאה, *ex ipſo & ultra*: ex quo ipſe eſſe cœpit, nullus alius populus fuit, neque erit, qui cum eo poſſit comparari. AD GENTEM EXPECTANTEM (meum auxilium.) Heb. קו קו בוסה, *paulatim conculcatam*. CUIUS DIRIPUERUNT FLUMINA, id eſt hoſtes quaſi flumina magno impetu in eam irruentes, ut ſupra cap. VIII. 7. TERRAM EIUS. Abundat relativum *eius*, more Hebræorum. AD MONTEM DOMINI, id eſt in Ieruſalem. Verum hæc verba neque Hebraice ſunt, neque Septuaginta, neque Hieronymus legunt, neque emendatiores codices Latini habent.

V. 3. OMNES HABITATORES ORBIS. Ad declarandam magnitudinem cladis, quam AEgyptiis illaturus eſt Deus, excitat omnium hominum attentionem; traditque eius ſigna, ut omnes intelligant non ab hominibus, ſed a Deo proficiſci: ſicut diei extremi iudicii ſigna tradidit Chriſtus: Matth. XXIV. 29. CUM ELEVATUM FUERIT SIGNUM (vexillum militare) IN

MON-

Digitized by Google

MONTIBUS, id eſt in loco conſpicuo, ut nemo ignorare poſſit bellum geri. VIDEBITIS, pro *videte*, Heb. ET CLANGOREM TUBAE: וכתקוע שפר, *&* *cum tuba clanxerit*, *audite*.

V. 4. QUIESCAM, ET CONSIDERABO IN LOCO MEO. Hæc verba contrarios ſenſus habere poſſunt: vel nihil agam, tantum ſpectator belli ero, neque feram opem AEgyptiis: vel, quod magis probo, ero attentus ut conſiderem tamquam iudex æquiſſimus, quam in partem oporteat victoriam inclinare. SICUT MERIDIANA LUX CLARA EST; ita ego clare ac dilucide omnia conſiderabo, ut videam quid facto opus ſit. ET SICUT NUBES RORIS, id eſt rorida, IN DIE MESSIS: æſtivo tempore, quæ lucidiſſima eſſe ſolet ſole e regione verberante. Alius quoque ſenſus Hebraicorum verborum eſſe poteſt, ut ſignificetur opportunitas divini auxilii: כחום צח עלי אור, *ſicut calor ſerenus ſuper pluviam*, id eſt poſt pluviam, pluviæ ſuperveniens, poſt pluviam gratus & opportunus venit calor & ſerenitas; ſicut & nubes rorida meſſis tempore. Subintelligendum eſt: Ita ego conſiderabo inclinationem ancipitem belli, ut opportunus occurram, auxiliumque feram iis, quibus victoriam dare conſtitui.

V. 5. ANTE MESSEM ENIM TOTUS (AEgyptius, hoſtis) EFFLORUIT; id eſt, ante victoriam triumphum cecinit, ſed non vincet: quemadmodum ſeges, quæ ante tempus floret, & poſt uredine percuſſa fructum non fert: ego enim victoriam e manibus illi eripiam, & aliis dabo. ET IMMATURA PERFECTIO; id eſt, ſicut arbor quæ ante tempus in perfectam magnitudinem creſcit, poſtea vero abſcinditur antequam fructum ferat, ſic AEgyptius initio efferetur felici rerum ſucceſſu, poſtea bello devincetur. Heb. כי־לפני קציר כתם פרח, *quia ante meſſem cum perfectum iam fuerit germen* (ſuccidetur, ut poſt dicit) ובסר גמל יהיה נצה, *&* *flos fuerit uva acerba iam matureſcens*: וכרת הזלזלים במזמרות, *&* *ſuccidet* (hoſtis, id eſt tunc ſuccidet) *palmites* (eius) *falcibus* ואת הנטישות הסיר תז, *&* *propagines* (eius) *auferet*, *abſcindet*, id eſt abſcindens auferet: ſub. ſic AEgyptii delebuntur tunc, cum putabunt ſe victoriam obtinuiſſe. Per ramos & propagines intelliguntur civitates & oppida.

V. 6. ET RELINQUENTUR SIMUL: propagines exciſæ; id eſt, omnes AEgypti civitates nulla excepta, manebunt deſertæ, ita in illis non habitent, niſi aves tam hieme, quam æſtate, quæ in deſertis montibus habitare ſolent. SUPER EUM. עליו, *ſuper unumquemque ramum*, id eſt in ſingulis oppidis.

V. 7. IN TEMPORE ILLO, id eſt poſtquam omnes Iudæorum ac Dei hoſtes ſubiugati fuerint. DEFERETUR MUNUS, offeretur ſacrificium. A POPULO DIVULSO, id eſt a remotiſſimis populis, & qui ante inimici erant, ideoque a Deo devaſtati. Vide ſup. verſ. 2. quaſi dicat: *Tunc acceptabit ſacrificium iuſtitiæ*, *oblationes & holocauſta*, *tunc imponent ſuper altare eius vitulos*. Hæc alii ad Ezechiæ, alii ad Eſræ, Nehemiæ & Zorobabelis tempus referunt; alii, quibus ego magis aſſentior, ad Chriſtum, & vocationem gentium. AD LOCUM NOMINIS DOMINI, id eſt in quo invocatur nomen Domini, qui eſt mons Sion, & myſtice Eccleſia Catholica.

S A.

Verſ. 1. TERRAE, ſcilicet AEgypto. CYMBALO ALARUM, id eſt quæ cymbalis, id eſt cymbis, ſeu navibus alatis utitur: alas vocat vela. FLUMINA; pro, flumen, ſcilicet Nilum. AETHIOPIAE, ſcilicet ex AEthiopia fluit Nilus.

V. 2. VASIS PAPYRI, id eſt navibus ex papyro, quod iunci eſt genus quoddam. LXX. *epiſtolas papyraceas* verterunt. ITE: vox mittentium nuntios, vel Prophetæ per ironiam; quaſi dicat: Ite ſane nuntii, nihil enim proficietis. AD GENTEM CONVULSAM, &c. Chald. *ad populum vim patientem*, *&* *direptum*, *olimque*, *&* *deinceps potentem*. LXX. *ad gentem excelſam*, *&* *populum peregrinum*, *&* *durum*. Quidam putant Iudæos ſignificari, ad quos miſſa ſit Legatio AEgyptiorum. Alii, gentes ad Chriſti fidem vocatas. Forte ſignificatur gens aliqua, a qua petierunt auxilium AEgyptii, vel cui promiſerunt. Plane difficiles intellectu Prophetæ. POST QUEM NON EST ALIUS: quaſi dicat, Habitantem in extremis terris,

Digitized by Google

ris, vel cui nullus comparandus: ſolus enim Deum colit, ut ad Iudæos referatur. EXPECTANTEM, ſcilicet auxilium. Chald. *oppreſſam*. LXX. *ſine ſpe*. FLUMINA. Chald. *populi*.

V. 3. SIGNUM, id eſt vexillum, ſcilicet Aſſyriorum. Quidam crucis intelligunt, & tubam prædicationis Evangelicæ.

V. 4. QUIESCAM, &c. Chald. *Quieſcere faciam populum meum, & benefaciam, & conſolabor ſicut*, &c. LXX. *ſecuritas erit in mea civitate, ſicut*, &c. LOCO MEO, ſcilicet cælo.

V. 5. ANTE MESSEM, &c. quaſi dicat: AEgyptii florebant, & velut meſſem magnam promittebant, ſed ſunt per Aſſyrios exciſi. IMMATURA PERFECTIO, id eſt quod non erat ad maturitatem ſeu perfectionem perventurum: loquitur de fructu, ſed metaphorice, intelligens homines. FALCIBUS, id eſt Aſſyriorum armis.

V. 6. ET RELINQUENTUR, &c. Deſcribitur AEgyptiorum vaſtatio.

V. 7. IN TEMPORE ILLO; quaſi dicat, Poſt ea, quæ dicta ſunt. A POPULO, &c. vide ſup. AD LOCUM; pro, nempe ad locum. NOMINIS, id eſt ubi invocatur nomen. MONTEM SION, id eſt Eccleſiam, vel Ieruſalem.

E S T I I.

Verſ. 1. VAE TERRAE, CYMBALO ALARUM, QUAE EST TRANS FLUMINA AEthiopiae. Hæc ſententia propter obſcuritatem varie exponitur, & ab eius expoſitione pendet ſenſus totius capitis. Totum illud: *Terræ, cymbalo alarum, quæ eſt trans flumina AEthiopiæ*, multorum ſententia eſt periphraſis AEgypti: & dicit Hieron. vocari cymbalum alarum propter accelerationem meſſis, & celerem maturitatem frugum, ſicut velox & concitatus volatus avium ſonitum quaſi reddit cymbali. Sed id videtur admodum longe petitum. Haymo ſic dictam putat AEgyptum, propter ſuavem & blandam promiſſionem auxilii: nempe quia AEgyptii tali promiſſione fruſtra lactarant filios Iſrael, & concitarant contra Aſſyrios. Thomas aliam rationem reddit, ita dictam putans, propter cataractas Nili fluminis, quæ aſſiduum quaſi ſtrepitum longe ſonantem efficiant. Vox Hebræa, quam *cymbalum* tranſtulit Hieron. aliquando etiam umbram ſignificat: unde hodie ex Hebræo vertunt: *Væ terræ umbræ alarum*. Umbra autem alarum dicitur, vel propter promiſſas copias auxiliares; (ſcilicet promiſſio ſine re eſt inſtar umbræ ſine corpore) vel propter vela navium, quibus AEgyptus abundat, quæ vela terram velut obnubilent, & obumbrent. Hanc expoſitionem habet Paraphraſtes Chaldæus. Alii intelligunt ſic dictam propter multitudinem avium ibi volantium. Denique totam hanc ſententiam quidam non improbabiliter pertinere putant, non ad AEgyptum, ſed ad regionem quamdam aliam, & longinquam ultra AEthiopiam ſitam. Et hæc non eſt improbabilis expoſitio, quia hic additur: *quæ eſt trans flumina AEthiopiæ;* AEgyptus enim reſpectu Iudææ propinquior eſt quam AEthiopia, niſi AEthiopia intelligatur Arabia, vel eius pars, aliquando etiam AEthiopia dicta. Quin etiam iuvat hanc poſtremam expoſitionem quod ſeq. cap. expreſſe ponitur, *Onus AEgypti*. Unde videtur hic alia regio ſignificari, non AEgyptus.

V. 2. ITE ANGELI VELOCES AD GENTEM CONVULSAM, ET DILACERATAM, ET POPULUM TERRIBILEM. Vox cenſetur regis AEgypti mittentis angelos, id eſt nuntios, ad Iudæos, quos vocat *gentem convulſam*, quia bellis attrita erat; *terribilem* tamen propter ſigna & prodigia, quæ occaſione illius populi aliquando in AEgypto & ſolitudine facta erant. Immo & addit, POST QUEM NON EST ALIUS; quaſi dicat: Cui non eſt alius populus comparandus: GENTEM EXPECTANTEM, id eſt quæ hoc habet proprium, ut expectet auxilium a Deo, quem tamen non videret. Propter quam cauſam a ceteris gentibus Iudæi ridebantur. Unde illud de Iudæo apud poetam: *Nil præter nubes, & cæli numen adorat*.

M A R I A N AE.

Verſ. 1. VAE TERRAE. Contra AEgyptum loquitur, quod contra Iudæam copias miſit. CYMBALO ALARUM: צלצל *zilzal* multa ſignificat, *hamum, naſſam, umbram, cymbalum*. Ergo *cymbalo alarum*, id eſt quæ alas (id eſt, vela) concutis, iiſque ut cymbalo gentes convo-

cas. Pagn. *obumbrans alis;* ſcilicet navium & velorum multitudine terras & maria tegens. QUAE EST TRANS FLUMINA AETHIOPIAE. Sic Nilum vocat, quod inſtar multorum fluminum ſit, & in AEthiopia oriatur. Quo tranſmiſſo, AEgyptus panditur.

V. 2. QUI MITTIT IN MARE, id eſt per mare. ET IN VASIS PAPYRI, id eſt navibus ex papyro factis, id eſt ex frutice aut vimine, ex quo papyrus fit: nam ex papyro fieri naves Plinius ait Lib. XIII. cap. I. ITE. Verba ſunt populi felicem navigationem precantis, quæ navigatio in Iudæam erat, & contra eam. ANGELI: nuntii. AD GENTEM CONVULSAM ET DILACERATAM. Alii, *tractam & expilatam*, id eſt multis modis afflictam. AD POPULUM TERRIBILEM, ſcilicet quondam, cum Deus multa prodigia edidit, ut eos tueretur. POST QUEM NON EST ALIUS; ſcilicet ei ſimilis poſtea nullus populus extitit. Heb. *ex quo* (fuit) *& deinceps;* ſcilicet terribilis fuit, ex quo tempore cœpit eſſe Dei populus, & ſequenti tempore. AD GENTEM EXPECTANTEM. Gotth. *gentem expectantem expectantem*, ſcilicet Dei opem: ſic verſ. 7. ubi eadem verba repetuntur *expectante expectante:* dicitur. Heb. ſane geminatio hic eſt קו קו; verum alii vertunt, *linea linea conculcatam*, id eſt ſenſim & pedetentim Deo deſerente, quæ erat terribilis, conculcata eſt. DIRIPUERUNT FLUMINA, id eſt hoſtes, Regeſque per flumina vecti. Chald. *diripuerunt populi.*

V. 3. OMNES HABITATORES ORBIS videbitis. Non erit occulta AEgypti clades, cuncti videbunt, vexilla explicabuntur, hoſte irruente, ſcilicet Aſſyrio, & tubæ clangent. Nec erit qui opem ferat.

V. 4. HAEC DICIT DOMINUS AD ME. Ad Vatem hæc dicit Deus. IN LOCO MEO: in cælo quieſcam ego Deus. SICUT MERIDIANA LUX CLARA EST; id eſt, clare contemplor quæ fient. Heb. *ſicut ſol clarus poſt lucem*, id eſt poſt nubes & pluviam, ut Scholiaſtes Hebræus. SICUT NUBES RORIS. Nubes roſcida tum clara, tum grata eſt. IN DIE MESSIS. Hebraice, *in æſtu*, aut *in ſole meſſis*, cum vehementer ardet, gratiſſima nubes eſt: ſic ego in cælo voluptate perfundar ex contemplatione vindictæ.

V. 5. ANTE MESSEM ENIM. Locus difficilis. Hebraica ſic verto: *Ante enim meſſem cum conſummatum fuerit germen*, (id eſt, arbores germinarint) *& uva acerba matureſcens* (id eſt priuſquam maturuerit) *erit flos, & ſuccidet ramos ſalcibus, & palmites auferet* (qui) *ſuccidit;* quaſi dicat: In ea clade Deus aut hoſtis puberes, antequam ad ſenectutem veniant, ferro perimet, ſcilicet in AEgypto. Hunc ſenſum Vulgatæ verba faciunt.

V. 6. ET RELINQUENTUR; ſcilicet eæ regiones ſic erunt deſolatæ, ut aves in iis & beſtiæ tantum verſentur. ET AESTATE PERPETUA. Heb. *& æſtivabit in eo avis, & omnes beſtiæ terræ ſuper illum* (id eſt in illo) *hiemabunt*, id eſt in luſtra ferarum cedet.

V. 7. DEFERETUR MUNUS. Deſolata AEgypto Iudæi liberabuntur, & deferetur munus Domino a populo tracto; ſcilicet a Iudæis in gratiarum actionem ob AEgyptios proſtratos. Verba repetit quæ verſ. 2. ſunt poſita: *Deferetur munus a populo divulſo & dilacerato, a populo terribili, poſt quem non fuit alius, a gente expectante expectante & conculcata.* AD LOCUM NOMINIS DOMINI EXERCITUUM; ſcilicet deferetur munus. MONTEM SION, id eſt Ieruſalem, & in templum eius deferetur munus.

MALVENDAE.

Verſ. I. VAE TERRAE CYMBALO ALARUM, &c. Hos duos verſus ampliſſime elucidavimus Lib. IV. de Antichriſto, cap. XVIII. XIX. & XX. Plerique hoc vaticinium de AEgypto, alii de AEthiopia ſub AEgypto exponunt: poſterius nos aptius iudicamus; itaque eſt prophetia in AEthiopes, ut in verſ. 12. ſuperioris capitis annotabamus. Varie exponunt: I. *Væ terræ umbræ alarum*, vel *inumbranti, umbroſæ, umbratili alis*. De velis navigiorum accipiunt, quæ alæ interdum dicuntur: Virgilius III. AEneidos:

—— *velorum pandimus alas.*

Id ut terræ AEthiopum conveniat, facile oſtendemus. Strabo Lib. XVII. pag. 798. AEgypti redditus in immenſum extollens, ait: *Quid cenſendum putas de præſentibus, quæ tanta diligentia a Romanis adminiſtrantur, Indicis etiam & Troglodyticis negotiationibus adiectis? Superiore ſane tempore, ne viginti quidem navigia in Arabicum ſinum tranſire audebant, ut extra fauces proras pro-*

ſpice-

ſpicerent; nunc maximæ claſſes uſque in Indiam & extrema AEthiopiæ tranſmittunt: unde pretioſiſſimæ merces in AEgyptum advehuntur. Videtur ſane AEthiopica & Indica navigatio iam a temporibus Salomonis, & Iehoſaphati viguiſſe. Plinius Lib. VI. cap. IX. *Elephantis inſula infra noviſſimum cataracten, tria millia paſſuum, & ſupra Syenem ſedecim millia habitatur, navigationis AEgyptiæ finis. Ibi AEthiopicæ conveniunt naves: namque eas plicatiles humeris transferunt, quoties ad cataractas ventum eſt*. Heliodorus Lib. X. AEthiopicorum, cap. XXVII. de navigiis AEthiopicis: *Tranſmittebant Aſtaboram fluvium, alii per pontem, alii navigiis ex arundine factis, quæ plurima & in multis partibus ripæ vacillabant. Sunt autem celerrima, cum propter materiam, tum propter onus, quod non plures quam duos, treſve viros ferant. Arundo enim in duas partes diſſecta, ex qualibet ſectione navigiolum præbet ac efficit*. Sed & Plinius Lib. VI. cap. XXIX. Troglodytica emporia ac negotiationes celebrat. II. Leo Iudas: *Væ terræ naſſæ alatæ*. Abundat AEthiopia innumeris navigiolis piſcatoriis propter Nilum, & alia flumina, quæ dicuntur *naſſæ alatæ* & propter formam, & propter velocitatem; unde quidam reddunt: *Væ terræ alatis cymbis refertæ*. III. Tremellius, & Iunius: *Væ terræ umbroſæ oris;* id eſt, cuius oræ montibus maximis & opaciſſimis circumcluſæ ſunt, quales undique ad mare rubrum eſſe teſtatur Strabo Libro Geographicorum ultimo. Qui de Meroe inſula AEthiopiæ capite ac metropoli, pag. 821. inquit: *Montes frequentes habet, & nemora magna*. Et mira plane ſunt, quæ Franciſcus Alvareſius refert in AEthiopicarum rerum relatione, de frequentiſſimis & ingentibus montium nemoribus terræ Abyſſinorum. IV. *Væ terræ umbræ alarum;* id eſt, cuius umbræ evolant & abſumuntur. De Syene, quæ in finibus AEthiopiæ eſt, (ut Herodotus Lib. II. Numero XXVIII. & Strabo Lib. XVII. pag. 817. affirmant,) Plinius Lib. II. cap. LXXIII. ſcribit: *Simili modo tradunt in Syene oppido, quod eſt ſuper Alexandriam quinque millibus ſtadiorum, ſolſtitii die medio nullam umbram iaci: puteumque eius experimenti gratia factum, totum illuminari: ex quo apparere tum ſolem illi loco ſupra verticem eſſe*. De Puteo vide Strabonem Lib. XVII. pag. 817. & Servium in Eclogam III. Lucanus II. Pharſali.

—— atque umbras nuſquam flectente
Syene.

Sequitur Plinius: *Conſtatque in Berenice urbe Troglodytarum, & inde ſtadiis quatuor millibus octingentis viginti in eadem gente, Ptolemaide oppido, quod in margine Rubri maris ad primos elephantorum venatus conditum eſt, hoc idem ante ſolſtitium quadragenis quinis diebus, totidemque poſtea fieri. Rurſus in Meroe inſula, quæ eſt caput gentis AEthiopum, & quinque millibus ſtadiorum a Syene in amne Nilo habitatur, bis anno abſumi umbras, ſole duodeviceſimam Tauri partem, & quartam decimam Leonis obtinente*. Et Lib. VI. cap. XXIX. *Ptolemais a Philadelpho condita ad venatus elephantorum: hæc eſt regio ſecundo volumine a nobis ſignificata; in qua quadraginta quinque diebus ante ſolſtitium, totidemque poſtea hora ſexta conſumuntur umbræ: eum in Berenice, quam primam poſuimus, ipſo die ſolſtitii ſexta hora umbræ in totum abſumantur*. QUAE EST TRANS FLUMINA AETHIOPIAE. Heb. *quæ de trans*, vel *de tranſitu fluminum AEthiopiæ*. Quidam: *quæ eſt ſecundum flumina AEthiopiæ*. AEthiopiam ſub AEgypto intelligunt, quæ maximis fluminibus alluitur, Nilo, Aſtabore, Aſtapode, Aſtapo, de quibus Ptolemæus Lib. IV. cap. VIII. Plinius Lib. V. cap. IX. Strabo Lib. XVII. ac ſingulariter Meroen, de qua Strabo pag. 821. *Auſtrum verſus fluminum concurſu Aſtaboræ, Aſtapodis, & Aſtaſabæ, ambitur*. Quem locum imitatus Heliodorus, Lib. X. cap. XXVII. ſcribit: *Meroe metropolis AEthiopum, inſula eſt alioqui triangulari forma, fluviis, qui navibus tranſiri poſſunt, Nilo, & Aſtabora, & Aſaſoba circumflua. Nilo quidem in vertice incidente, & in utramque partem fiſſo: aliis vero duobus in utroque latere ſe invicem prætereuntibus, & rurſus ſecum coeuntibus, & in unum Nilum, alveum & nomen deferentibus*. AETHIOPIAE. Heb. *Chuſch:* vide in Geneſ. II. 13. & infra cap. XX. 5.

V. 2. QUI MITTIT IN MARE LEGATOS. Alii ex Heb. *mittenti per mare legatos;* id eſt, Væ terræ mittenti per mare legatos. Exponunt: Id eſt, væ terræ ſuppeditanti milites & exercitum regi Thirhakæ, qui abſente Sancheribo indixit bellum Aſſyriæ

per legatos, & acie inſtructa tentavit invadere: II. Reg. XIX. 9. Sed unde ſcimus Thrhakam non per ſe, ſed per legatos id bellum adminiſtraſſe? Proprius divinamus, ſi de legatis & oratoribus, ſeu nuntiis præmiſſis a Thirhaka ad explorandos animos, & inſpiciendum ſtatum Aſſyriæ accipimus. Quidam ſuperioribus iungunt: *quæ a trans flumina AEthiopiæ mittis in mare legatos*. Sed repugnat diſtinctio Hebraica. PER MARE: intelligunt, rubrum videlicet, ſinumque Avalitem, & Perſicum. ET IN VASIS PAPYRI SUPER AQUAS. Heb. *& in vaſis iunci ſuper facies aquarum*. Quidam: *& in inſtrumentis ſcirpeis per ſuperficiem aquarum*; id eſt, naviculis e ſcirpo, iunco, aut papyro, ſeu arundine contextis, qualibus AEgyptii AEthiopeſque propter Catadupos Cataractas, & periculoſa vada utebantur: cum quod leviores eſſent, & ἄσηπτοι, id eſt non putreſcentes, ut refert Diodorus Siculus Lib. I. tum quod adverſis fluctibus, ſcopuliſque, quibus Nilus abundat, cederent, ac non diſſilirent, aut frangerentur ſicut lignum. Nam ob id fortaſſe AEthiopes uſi videntur pactonibus, quæ erant ſchaphæ e ſcuticis ita compoſitæ, ut textule quiddam viderentur, ut ſcribit Strabo Lib. XVII. pag. 818. Plinius Lib. VII. cap. LVI. *Naves in Nilo fiunt ex papyro & ſcirpo, & arundine*. Et Lib. V. cap. XXII. *Qui a papyraceis navibus, armamentiſque Nili peteretur*. Scilicet Taprobane. Solinus cap. LVI. *Sed eum papyraceis & Nili navibus eo pergeretur*. Lucanus IV. Pharſaliæ: *Conſeritur bibula Memphitis cymba papyro*. ITE ANGELI VELOCES. Quidam ſubaudiunt, *dicendo: Ite nuntii leves*. Volunt eſſe verba Thirhakæ legationem mittentis in Aſſyriam, ut eam bello laceſſeret, quibus exponit ſingulas cauſas conſilii & inſtituti ſui. *Leves*; id eſt, legationem veſtram obite quam velociſſime, ut repente involem imparata regione, & rege Sancheribo abſente. AD GENTEM CONVULSAM. ממשך *memuſchſchach*, proprie *tractam, protractam, diſtractam, prolongatam*. Vel quod longe remota eſſet ab AEthiopia: vel quod tum variis bellis ac regionibus diſperſa huc illuc eſſet, & multis locis diſtineretur occupata, ſub ſignis Sancheribi. ET DILACERATAM. מורט *morat*, *evulſam, depilatam, deglabratam*. Exponunt: Id eſt, exhauſtam, ſuo milite interno, externis bellis occupato. AD POPULUM TERRIBILEM, POST QUEM NON EST ALIUS. Id eſt, quo terribilior alius non eſt. Heb. *ex ipſo & ultra*, ſeu *ulterius*. Alii: I. *ex quo fuit, & ultra*, ſeu *deinceps*. II. *a tempore quo ipſe cœpit, uſque nunc*. III. *ad populum formidabilem ex eo loco atque ulterius*; id eſt, qui omnibus nationibus terrori eſt eis, trans regionem ſuam. Quam formidabilis fuerit gens Aſſyriorum aliis nationibus, cunctæ loquuntur hiſtoriæ. AD GENTEM EXPECTANTEM, ET CONCULCATAM. Heb. *gentem lineæ lineæ*, ſeu *funiculi funiculi*, aut *perpendiculi*, vel *regulæ regulæ*, *& conculcationis*. Geminatio vocis auget ſignificatum; id eſt, gentem delineatiſſimam, regulatiſſimam. Quidam: *gentem omnibus delineantem & conculcantem*; id eſt, quæ omnibus aliis ius dare arrogat, imperare illis arbitratu ſuo, & pedibus illas iniquiſſime terere. CUIUS DIRIPUERUNT FLUMINA TERRAM EIUS. Quidam: *cuius terram diripiunt flumina*; id eſt, cuius ditio tota ferme horret præ difficultate fluminum, exundationibus omnia abripientium: nam eiuſmodi eſſe Aſſyriam, docet Ammianus Marcellinus Lib. XXIII. cap. XIX XX. & XXI.

V. 3. OMNES HABITATORES ORBIS, &c. Hunc verſum alii ex Hebr. reddunt. I. *Omnes habitatores orbis, & habitatores terræ, cum elevaverit vexillum in montibus, videbitis; & cum clanxerit tuba, audietis*. II. *Omnes habitatores orbis, & cohabitatores terræ, cum elevatum fuerit ſignum montium, videte; & cum increpuerit tuba, audite*. III. *Omnes vos, qui orbem incolitis, incolæ ſcilicet terræ attenti eſtote, ut cum ſignum ſublatum fuerit in montibus, videatis; & cum cornu claſſicum canetur, audiatis*. IV. *Omnes incolæ orbis habitabilis & habitatores terræ: cum attollam vexillum montium, videbitis; & cum clangam tuba, audietis*; id eſt, cum bellum Aſſyriis ſuo tempore inferam: humanitus dictum, ſynecdochice: nam ſignum pro re ſignata de more ponitur: vide ſupra cap. XIII. 2. Obſervant eſſe iam hinc uſque ad finem capitis tertiam partem huius prophetiæ, ut ſupra cap. XVII. 12. annotavimus, nempe propheticam narrationem, qua Deus primum revocat omnes ab inanibus iſtis iudiciis, et ſolum opus ipſius expectent, hoc verſu; nihil enim eſt quod aget AEthiops in Aſſyrium, ſed Deus: deinde ſibi aſſerit

defen-

Digitized by Google

defenſionem, ſecuritatemque populi ſui, & adverſariorum excidium, tribus ſequentibus verſibus; ac poſtremo gratias ſibi agendas prænuntiat, verſu ultimo.

V. 4. QUIA HAEC DICIT DOMINUS AD ME. Alii: *nam ita ait Iehova allocutus me*. QUIESCAM. Hebr. *Tranquillabor*. Hebræi notant in futuro אשקוטה *eſchkotah*, commutato *cholem* in *Cametz Chatuph*, *Vau* omnino abundare: ſed adiectum videtur ad indicandum maximo conſilio Deum tunc quieturum. Quidam: *Quieſco*; id eſt, in præſentia ſuperſedeo ab efficiendo iudicio, tamquam otioſus ſpectator. ET CONSIDERABO IN LOCO MEO. Alii: I. *& contemplabor in habitatione mea firma*. II. *& conſiderabo in firmo habitaculo meo*, vel *ex ſede mea firma*. III. *& aſpiciam in ſedem meam*. IV. *ſed intuebor in locum meum;* id eſt, populo meo, & ſedi meæ proſpicio tamen. Ex verbo: *& reſpexi in firma ſede*, *baſi*, *machina mea*, ut ſupra cap. IV 5. SICUT MERIDIANA LUX CLARA EST. Alii ex Hebr. I. *ſicut calor limpidus ſuper pluvia*, ſcilicet ab effectu, quia exſiccat & glabritiem ſeu calvitiem facit, nec ſinit pluviam humectare terram. II. *ſicut calor nitidus*, vel *aer ſerenus propter lucem*, ſeu *ſolem*. III. *ſicut calor exſiccans poſt pluviam*. IV. *ſicut aer ſerenus ſuperveniente luce*. V. *tamquam ſol in terra poſt imbrem*. Clarus enim ſol ſuper terram poſt pluviam, gratiſſimus eſt, & germinibus optimus. VI. *ſicut cælum ſerenum poſt pluviam*. VII. *tamquam aerem ſudum*. VIII. *ut æſtus ſerenus ad pluviam;* id eſt, ut huic loco & populo meo ſim curator commodiſſimus, præbens æſtum a refrigerio pluviæ, & ab æſtu refrigerium, ut ſequente membro. Sic ſupra cap. IV. 5. & 6. & infra cap. XXV. 4. ET SICUT NUBES RORIS IN DIE MESSIS. Hebr. *ſicut denſus ros in calore meſſis*. Alii: *ſicut nubes roris*, ſeu *rorida*, *in æſtu meſſis*. Sed עב *ghab*, non eſt in regimine, proinde adiective ſumpſimus.

V. 5. ANTE MESSEM ENIM TOTUS EFFLORUIT, &c. Hunc verſum & ſequentem varie ex Hebr. convertunt: I. *Nam ante meſſem cum erit quaſi perfectum germen, & acerba uva matureſcens erit adhuc flos: ſi præcidat quis palmites falcibus & propagines ſuccidens auferat: Relinquentur ſimul avibus montium, & beſtiis terræ; & æſtivabit ſuper ea avis, & omnis beſtia terræ ſuper ea hiemabit*. II. *Nam ante meſſem cum conſummatus fuerit flos*, vel *cum conſummata fuerit gemmatio vitis, & uva acerba matureſcens fuerit flos eius;* vel *& flos eius fuerit uva acerba matureſcens;* id eſt, fuerit verſus in uvam acerbam iam matureſcentem: *præcidet ramuſculos falcibus, & propagines auferet & ſuccidet: Relinquentur ſimul volucri montium, & beſtiæ terræ: & æſtivabit ſuper eum volucris, & omnis beſtia terræ ſuper eum hiemabit*. III. *Ante meſſem enim ſicut perfectum germen, & omphax ablactationis erit gemma eius, & abſcindet culmos falcibus, & propagines removebit reſecando: Et relinquetur ſimul volucribus montium, & beſtiis terræ, & æſtivabunt ſuper eum volucres, & omnes beſtiæ terræ ſuper eum hiemabunt*. IV. *Quia ante meſſem cum iam integrum fuerit germen, & omphaci*, ſeu *labruſcæ*, *aut uvæ agreſti in ablactationem fuerit folliculus eius*, *ſtatim exſcindet culmos falcibus*, vel *& excidet ramuſculos falculis; & palmites*, ſeu *propagines amovebit reſecando*, vel *amovens reſecuit*. *Derelinquentur pariter volatui montium, & animanti terræ: & æſtivabit, æſtatem tranſiget ſuper eum volatus, & univerſa beſtia terræ ſuper eum hiemabit*. V. *Quoniam ante meſſem cum fructus maturi eſſe deberent, adhuc immaturus eſt, & dum matureſcere deberet, floret: tum agricola exſcindit malleolos falcibus, & propagines reiectiles incidendo tollit*. *Relinquuntur itaque ſimul volatili montium & beſtiis terræ, ut ſuper eum avitium æſtivet, & cuncta beſtia terræ ſuper eum hiemet*. Mirum in quam diverſas explanationes totum hunc locum diſtrahant: vide Expoſitores. VI. Tremellius, & Iunius ita accipiunt: *Nam ante vindemiam cum perfecta gemma, & omphacio educato extiturus eſt flos, ut exſcidit flagella ſua falcibus, & ſarmenta amovit, amputavitque vinitor: Ita derelinquentur pariter volucribus montium & beſtiis terræ, ut æſtatem tranſigant cum hoc volucres, & omnes beſtiæ terræ cum hoc hiement*. Atque in hunc modum exponunt: *Nam ante vindemiam*, &c. Expoſitio promiſſionis, qua modo uſus eſt Deus, ſe intueri in ſedem ſuam per ſimilitudinem vinitoris luxurantia vitis flagella cædentis, ut commodius mature-

tur

tur vitis, & paſcatur alimento ſuo: ſunt autem huius ſimilitudinis membra anantapodota, quorum prius ſupplet ea quæ deſiderantur in poſteriore, ut contra poſterius ea quæ priori deſunt: *& ſarmenta amovit*, &c. quæ relinquit humi, non autem curat, ut vitem ex ſequente verſu. *Ita derelinquentur*, nimirum exciſi Aſſyrii, & amoti per angelum Dei II. Reg. XIX. 35. & infra cap. XXXVII. 36. *pariter*, id eſt æque ac AEthiops, de quo verſ. 1. & 2. *ut aſtatem tranſigant*, &c. id eſt, ut annum integrum paſcantur illis præ occiſorum copia. Ac ſi dicat: Amputatis & exciſis Aſſyrio & AEthiope, tamquam luxuriantibus flagellis & ſarmentis, atque vineæ Domini officientibus, traditiſque beſtiis ac volucribus; vitis ſeu vinea Domini, id eſt Eccleſia perfecte maturabit in plenam vindemiam ac felicitatem. TOTUS EFFLORUIT. כתם פרח *cetham pherach*, *ſecundum conſummare gemmam*, vel *ſicut conſummatus*, *perfectus*, *integer flos*. *Perach*, *germen*, *gemma*, *flos*, *calyculus*. ET IMMATURA PERFECTIO GERMINABIT. Hebr. ex verbo: *& omphax ablactans erit flos*. בוסר *boſer*, *omphax*, *labruſca*, *uva immatura*, Italice *agreſta*, Hiſpanice, *agras*: ut Iob. XV. 33. גומל *ghomel*, poteſt eſſe participium, *ablactans*, *matureſcens*, *retribuens*, *educatus*; & nomen ſubſtantivum, *ablactatio*, *educatio*, *retributio*, *maturatio*, *maturitas*. נצה *nitzzah*, quidam *He* volunt eſſe affixum, *flos eius*. Alii formativum nominis, quod careat *Mapik*, *flos*, *gemma*, *ſolliculus*. Poſſis reddere: *iuxta conſummare*, *perficere gemmam*, *& omphacem*, *ablactatio*, ſeu *educatio erit flos*, ſeu *floris*; id eſt, cum adulta gemma & omphace, flos ablactatus fuerit, id eſt in lacteum fructum eductus fuerit. ET PRAECIDENTUR RAMUSCULI. Heb. *& exſcindet* הזלזלים *hazalzallim*, *flagella in vitibus*: ſic dicta quaſi *epulones humoris*, quod exſugant vitis ſuccum & alimentum: alii *palmites*, *malleolos*, *ſurculos*, *culmos*, *ramuſculos luxuriantes*, *& ſuccum vitis abſumentes*, *& decoquentes*. Nos *comeſſationes* diximus, quod eiuſmodi ſurculi vitem veluti comedant. FALCIBUS: *putatoriis*, ſeu *inciſoriis vitium*: ut ſupra cap. II. 4. ET QUAE DERELICTA FUERINT. נטישות *netiſchoth*, proprie *dimiſſiones*, *expanſiones*, *propagines*, ſeu *palmites*, qui ex vite dimittuntur & expanduntur; *ramos vitis maiores*, *ſarmenta*.

V. 6. AVIBUS MONTIUM. Heb. ſingulare collectivum עיט *ghaiit*, *turbæ ferarum avium*, *aliti*, *volucri*: vide in Geneſ. XV. 11. Quidam *avitium* reddunt.

V. 7. IN TEMPORE ILLO DEFERETUR MUNUS DOMINO, &c. Heb. *In tempore ipſo adducetur cum pompa*, *iubilo*, *comitatu*, *munus ipſi* IHUH. Futurum יובל *iubal*, poſſit reddi, *iubilabitur munus* IHUH; hoc eſt, cum plauſu & iubilo deducetur. A POPULO DIVULSO, ET DILACERATO, &c. Vide ſupra verſ. 2. nam utriuſque verſus eadem ſunt verba. Exponunt: Id eſt, munera de ſpoliis Aſſyriorum, qui tam magnifici fuerunt, magnifica adducentur Iehovæ: ut factum olim fuiſſe poſt inſignes victorias, legimus Numer. XXXI. & II. Samuel. VIII. 11. Et ſane veriſimile eſt poſt cladem Sancheribi opulentiſſima ſpolia ceſſiſſe Ieroſolymitanis. Vide II. Regum XIX. 35.

Ceterum ut eſt obſcura intelligentia huius vaticinii hoc capite deſcripti, ita nobis quam veriſimile fit, ut accipi poſſit de converſione ad Chriſtum populorum Orientalium, Indorum ac Sinarum; vel AEthiopum Abyſſinorum per Philippum Diaconum, & Eunuchum Candacis, ac Matthæum Apoſtolum. Quibus ſingula verba Vatis accommodare haud difficile fuerit cuivis pio & erudito Explanatori.

MENOCHII.

Verſ. 1. VAE TERRAE, &c. Prædicit cladem AEthiopum inſtantem per Sennacherib, & futuram per Nabuchodonoſor; quam enim inchoavit Sennacherib, eam Nabuchodonoſor complevit. CYMBALO ALARUM, id eſt quæ cymbalis, id eſt lymbis, ſeu navibus alatis utitur: alas vocat vela. In Hebræo צלצל *tſiltſel*, quod verti poteſt, *inumbranti alis*, id eſt auxilium tuum Iudæis magna virium tuarum prædicatione pollicentis; hoc enim videtur ſignificare poſſe vox cymbali, ut etiam apud S. Paulum *cymbalum tinniens*, eloquentiam ſignificat caritate carentem, & ſe oſtentantem. QUAE EST TRANS FLUMINA AETHIOPIAE: quæ eſt ultra AEgyptum, per quam fluunt ſeptem flumina, id eſt Nilus, qui per ſeptem.

ptem oſtia influit in mare. Nilus vocatur flumina AEthiopiæ, quia per AEthiopiam delabitur in AEgyptum.

V. 2. QUI: rex AEthiopiæ. ET IN VASIS PAPYRI SUPER AQUAS; quaſi dicat, Mittit legatos, & milites auxiliares in navibus, quæ in AEthiopia, ut & in AEgypto, fiunt ex papyro frutice. ITE ANGELI VELOCES: Aſſyrios intelligit. AD GENTEM CONVULSAM, ET DILACERATAM: ſcilicet AEthiopes, Dei decreto brevi dilacerandos, & convellendos. POPULUM TERRIBILEM: populum qui multitudine, & armis terribilis videbatur. POST QUEM NON EST ALIUS: nam AEthiopia verſus meridiem extenditur uſque ad caput Bonæ Spei, ad mare. GENTEM EXPECTANTEM: gentem quæ ſuis peccatis in cælum clamantibus cladem divinitus expectat, vel expectare poteſt. Vel dicitur *expectans*, quia ſicut AEgyptus, ita AEthiopia Nili inundationem expectat, qua ſublimantur agri, & fœcundantur. Quæ explicatio confirmari ex eo poteſt, quod in Hebræo pro *expectantem* eſt *qau qau*, id eſt *lineæ*, *lineæ*, quæ lectio ſignificare videtur geometricas lineas, quibus agros limo obductos diſtinguunt AEthiopes, ut ſua cuique poſſeſſio conſtet. CONCULCATAM: limo, quem trahit Nilus, obductam. CUIUS DIRIPUERUNT, &c. Nam aquarum fluminis decurſu, & alluvione terra loco movetur, & quodammodo diripitur.

V. 3. OMNES HABITATORES ORBIS, &c. id eſt, omnes qui terram incolitis, cum militare ſignum in montibus elevavero, videbitis qualis ſuperbo populo infligenda ſit plaga.

V. 4. QUIESCAM, ET CONSIDERABO IN LOCO MEO; quaſi dicat, Eminus e throno meo tacitus, immo gaudens ſpectabo quaſi ludos, ſcilicet hæc ſpectacula vindictæ meæ, ſtragem nimirum AEthiopum. SICUT MERIDIANA LUX, &c. quaſi dicat: Cum AEthiopes erunt in tenebris, id eſt in anguſtiis, ego in clara, & ſerena luce mea habitans, clarus, ſerenus, & glorioſus eos contemplabor. ET SICUT NUBES RORIS, IN DIE MESSIS; quaſi dicat: Ipſi æſtuabunt, & ego quaſi in nube rorida omnem æſtum procul habebo; & inde vaſtationi AEthiopum aliquid roris adſpergam, cladem eorum clementia temperando, ne penitus deleantur.

V. 5. ANTE MESSEM TOTUS EFFLORUIT: intempeſtiva luxurie totus effloruit, ideoque fructus amiſit, ut accidit arboribus quæ ante tempus ſe in flores effundunt. Hac allegoria ſignificat præproperam gloriationem AEthiopum. PRAECIDENTUR RAMUSCULI EIUS FALCIBUS: iuvenes ſignificat, quos Aſſyriorum furor demetet. QUAE DERELICTA FUERINT: reliquiæ AEthiopum e bello profugæ. ABSCINDENTUR, ET EXCUTIENTUR: capientur, ſpoliabuntur, diſſipabuntur, occidentur.

V. 6. RELINQUENTUR: avibus, & feris laniena. AESTATE PERPETUA ERUNT SUPER EUM VOLUCRES: nam tanta erit ſtrages, & copia cadaverum inſepultorum, ut tota æſtate, & ſequenti etiam hieme, feris ad eſcam ſuffectura ſint.

V. 7. IN TEMPORE ILLO, &c. Tempore ſcilicet Chriſti, ad quem more ſuo advolat Iſaias. DEFERETUR MUNUS: in ſubiectionis ſignum; nam Chriſti iugum admittent AEthiopes, de quibus dictum Pſalm. LXXVII. *Coram illo procident AEthiopes*, &c. A GENTE EXSPECTANTE, &c. Hæc ſunt explicata ſupra numero 2. AD LOCUM NOMINIS, id eſt ubi invocatur nomen Domini.

TIRINI.

Verſ. 1. VAE TERRAE AEthiopiæ, quæ eſt *cymbalum* ALARUM; id eſt, quæ habet alas exercituum ſuorum, tum terreſtres, tum navales, inſtar cymbali tinnientes, id eſt ſonum inanem & futilem edentes, lituis, ſiſtris, tubis perſonantes, ſed præter ſonum nihil opis, nihil emolumenti afferentes. LXX. vertunt, *navium alis;* Vatablus, *umbra alarum*, nempe quam recipit ex tot velis navium ſuarum. Terra QUAE EST TRANS FLUMINA AETHIOPIAE, id eſt trans ſeptem rivos Nili ex AEthiopia in AEgyptum profluentis. Quos rivos etiam *a* Ezechiel *flumina* vocat. Porro reſpectu Ieroſolymæ & Iudææ *AEthiopia*, ſeu *Abaſſia* proprie ſita iacet trans ſeptem rivos, ſeu flumina Nili.

V. 2. QUI rex AEthiopiæ, MITTIT IN MARE & per mare ad quas vult gentes; LEGATOS ſuos & milites auxiliarios, IN VASIS PAPYRI, id eſt navibus e papyro arbo-

Digitized by Google

arbore compactis, ut moris erat in AEthiopia & AEgypto, ut dixi Exodi II. 5. Sed qui copias emittit ad alias gentes, & implicat ſe bellis alienis, brevi reperiet domi quod agat. Huc ergo adeſdum, o Sennacherib, voſque omnes Aſſyrii, ANGELI a me miſſi VELOCES, non papyracei, ſed chalybei, ITE celeres contra *Tharacam b* alioſque AEthiopes, GENTEM inteſtinis odiis ac diſſidiis diſtractam: vel, ſi mavis, decreto meo cæleſti iam CONVULSAM, DILACERATAM ET CONCULCATAM, ac proinde veſtris armis certo convellendam, dilacerandam & conculcandam. AD POPULUM, POST QUEM NON EST ALIUS: AEthiopes enim ſunt in fine orbis verſus Meridiem: nam per regnum Congi & Monomotapæ pertingunt uſque ad promontorium Bonæ Spei, in quo terminatur continens verſus Meridiem. AD GENTEM EXSPECTANTEM. Hebraice duplicatur, *exſpectantem*; quaſi dicat: Ad gentem quæ valde anxie & trepide exſpectat adventum Aſſyriorum, & cladem ſibi imminentem; LXX. *gentem ſine ſpe*. CUIUS TERRAM DIRIPUERUNT FLUMINA; nempe Nilus, & alii rivi ac torrentes qui in Nilum influunt, & AEthiopiam non minus quam AEgyptum inundant & obruunt. Metaphorice, deſignant caſtra *Aſſyriorum c*, quibus quaſi fluminibus obruta fuit *AEthiopia*: ita Chaldæus.

V. 3. CUM ELEVATUM FUERIT a Deo, ſeu iuſſu Dei, hoc SIGNUM bellicum, ſeu vexillum, VIDEBITIS illud, o vos omnes gentes terræ; quaſi dicat: Bellum hoc acre Aſſyriorum contra AEthiopes, non clam vel ſecreto geretur, ſed palam inſpectante toto orbe. Ergo interim, inquit DOMINUS,

V. 4. QUIESCAM, id eſt ceſſabo ab ope ferenda AEthiopibus, ET otioſus ſedens ſpectator tragœdiæ, CONSIDERABO ſucceſſum rei de LOCO & throno MEO cæleſti, & ero SICUT MERIDIANA LUX CLARA & ſerena Aſſyriis, ſed adurens AEthiopes: iiſdem Aſſyriis ero SICUT NUBES rorida, refrigerans, iuvans & roborans illos, AEthiopibus ardori & uſtioni radiorum ſolis ſub zona torrida relictis.

V. 5. TOTUS ENIM populus AEthiopum EFFLORUIT ANTE MESSEM, id eſt præmature ſe exhauſit. Sicut ſeges vel vitis, quæ in flore luxuriant, omnemque ſuccum in folia & flores effundunt, granis & uvis deſtituuntur: ET IMMATURA arboris PERFECTIO, id eſt immaturi ſurculi & RAMUSCULI, in ſe perfecti germinabunt quidem, ſed fructus non dabunt maturos. Sic AEthiopes in luxum & ſplendida arma & faſtum omnia ſua impendentes viſi ſunt glorioſam de Aſſyriis victoriam referre poſſe, ſed ubi ad rem & ad manus ventum fuerit, nullum deprehendetur tanti moliminis operæ pretium, nullus fructus. Sed PRAECIDENTUR RAMUSCULI EIUS FALCIBUS, id eſt gladiis & haſtis Aſſyriorum demetentur florentes illi iuvenes nobiles & milites AEthiopum. QUAE vero ab Aſſyriis DERELICTA FUERINT ſub tributo, poſtea a Nabuchodonoſore & Chaldæis ABSCINDENTUR ET EXCUTIENTUR in alienam terram.

V. 6. AESTATE & hieme ERUNT SUPER EUM VOLUCRES; id eſt, tanta edetur a Chaldæis ſtrages AEthiopum, ut cæſorum cadavera integro anno ſufficiant ad carnivoras aves & feras totius regionis alendas.

V. 7. IN TEMPORE ILLO; id eſt, poſt hanc AEthiopum cladem, ſed maxime ſub Meſſia, reliquiæ gentis illius *deferent* MUNUS vero Deo & DOMINO EXERCITUUM, AD MONTEM SION *d*; id eſt, ad Eccleſiam Dei ſeſe aggregantes. Id factum poſt reductos e Babylonica captivitate Iudæos in Ieruſalem: & cum eunuchus Candacis reginæ AEthiopum converſus a Philippo, Actor. VIII. Et paucis poſt annis S. Matthæus in AEthiopiam profectus, fidem Chriſti eodem induxit, rege & regno pene toto converſo: & alii hos ſubſecuti Apoſtolici viri florentiſſimam iſtic Eccleſiam multis ſæculis foverunt. Et collapſam ſchiſmaticorum & hæreticorum perfidia, & colonorum inopia, audio hoc iam anno quo hæc ſcribo, induſtria & zelo moderni regis & Patrum Societatis Ieſu rurſus inſtauratam, & nitori priſtino feliciter reſtitutam. Vide Patrem Cotignium & alios qui de Eccleſia AEthiopiæ ſcripſerunt.

(a) Ezech. cap. XXIX. 3.
(b) IV. Reg. XIX. 9.
(c) Iſaiæ VIII. 7. & XVII. 13.
(d) Pſal. LXXI. 9. & Pſal. LXVII. 32.

GOR.

GORDONI.

Verſ. 1. VAE TERRAE CYMBALO ALARUM. Quæ ſit hæc terra cymbalo alarum, hoc eſt claſſibus inſtructa, certatur: aliqui Indos intelligunt, ita Arias Montanus, A coſta, Delrio: alii de AEgypti clade hoc vaticinium explicant, ut propendet Hieronymus: alii de AEthiopia quæ ultra AEgyptum eſt, a Nilo ad mare rubrum. Abyſſia eſt cui præeſt Preto Ioannes: & ratio eſt, quia cap. XIX. agitur de AEgypto: cur ergo duobus in locis? naves etiam ex papyro (arbor eſt vel frutex) proprie ſunt AEthiopicæ: alæ vela deſignant; hinc Ovid. remigium alarum: AEthiopes etiam cymbala ſonantia addebant, ut Cleopatra, ex Plutarcho in vita Antonii; verius tamen eſt hæc omnia poſſe competere AEgypto: nam & naves illa habet, & partem habet ultra Nilum, ſeu trans flumina, & ab Aſſyriis ſæpe cladem accepit.

V. 2. *& deinceps*. ITE ANGELI VELOCES. Videtur vox Prophetæ per Ironiam, ac ſi dicat: Ite ite nuntii, nihil proficietis: denotantur AEgyptii, ad quos Iudæi miſerunt legatos auxilii obtinendi cauſa. Promittunt in cymbalis, ſed fidem fallent quia conterentur; & ſuam accipient cladem: populus, inquit, eſt POST QUEM NON EST ALIUS. AEthiopia quidem ſua vaſta amplitudine, attingit ad Congum & Monotopam, extremas Africæ oras: rectius tamen hoc ad AEgyptum refer, poſt quam non eſt alius, hoc eſt non illi ſimilis, agendo contra populum Dei. Videbat Propheta hac viſione gentem hanc dilaceratam, conculcatam: hæc (inquit Iſaias) dicit Dominus ad me, Spectabo in clara luce ſtragem AEgypti, velut ſpeculum vindictæ meæ; atque hæc omnia ab Aſſyriis, & Chaldæis: ita multi & graves ſcriptores ad litteram.

V. 7. IN TEMPORE ILLO, &c. Excurrit nunc Propheta loquens de cladibus AEgypti ad lætiora tempora AEgyptiorum, quando per adventum Meſſiæ populus ille antea terribilis conculcatus, & expectans offeret vera ſacrificia Deo vero.

EX EIUSDEM AUCTARIO.

Verſ. 4. Per has metaphoras, deſignatur quam hi paſſuri ſint acerba, Deo placide ſpectante has pœnas, ſicut qui opertus grata nube in meſſe fervida ſpectat æſtuantes meſſores.

Verſ. 5. AEthiopia gloriata eſt, ſed præpropere, ſicut arbor flores ante tempus emittens.

CAPUT XIX.

Deſcribit plenius AEgyptiorum punitionem; & quod ad Deum converſi, miſſo ipſis ſalvatore, conſolabuntur.

1. ONus AEgypti. Ecce Dominus aſcendet ſuper nubem levem, & ingredietur AEgyptum, & commovebuntur ſimulacra AEgypti a facie eius, & cor AEgypti tabeſcet in medio eius. 2. Et concurrere faciam AEgyptios adverſus AEgyptios: & pugnabit vir contra fratrem ſuum, & vir contra amicum ſuum, civitas adverſus civitatem, regnum adverſus regnum. 3. Et dirumpetur ſpiritus AEgypti in viſceribus eius, & conſilium eius præcipitabo: & interrogabunt ſimulacra ſua, & divinos ſuos, & pythones, & ariolos. 4. Et tradam AEgyptum in manu dominorum crudelium, & rex fortis dominabitur eorum, ait Dominus Deus exercituum. 5. Et areſcet aqua

de mari, & fluvius deſolabitur, atque ſiccabitur. 6. Et deficient flumina: attenuabuntur, & ſiccabuntur rivi aggerum. Calamus & iuncus marceſcet: 7. nudabitur alveus rivi a fonte ſuo, & omnis ſementis irrigua ſiccabitur, areſcet, & non erit. 8. Et mœrebunt piſcatores, & lugebunt omnes mittentes in flumen hamum, & expandentes rete ſuper faciem aquarum emarceſcent. * 9. Confundentur qui operabantur linum, pectentes & texentes ſubtilia. 10. Et erunt irrigua eius flaccentia: omnes qui faciebant lacunas ad capiendos piſces. 11. Stulti principes Taneos, ſapientes conſiliarii Pharaonis, dederunt conſilium inſipiens. * Quomodo dicetis Pharaoni: Filius ſapientium ego, filius regum antiquorum? 12. Ubi nunc ſunt ſapientes tui? annuntient tibi, & indicent quid cogitaverit Dominus exercituum ſuper AEgyptum. 13. Stulti facti ſunt principes Taneos, emarcuerunt principes Memphеos, deceperunt AEgyptum, angulum populorum eius. 14. Dominus miſcuit in medio eius ſpiritum vertiginis: & errare fecerunt AEgyptum in omni opere ſuo, ſicut errat ebrius & vomens. 15. Et non erit AEgypto opus, quod faciat caput & caudam, incurvantem & refrænantem. 16. In die illa erit AEgyptus quaſi mulieres, & ſtupebunt, & timebunt a facie commotionis manus Domini exercituum, quam ipſe movebit ſuper eam. 17. Et erit terra Iuda AEgypto in pavorem: omnis qui illius fuerit recordatus, pavebit a facie conſilii Domini exercituum, quod ipſe cogitavit ſuper eam. 18. In die illa erunt quinque civitates in Terra AEgypti, loquentes lingua Chanaan, & iurantes per Dominum exercituum: Civitas ſolis vocabitur una. 19. In die illa erit altare Domini in medio terræ AEgypti, & titulus Domini iuxta terminum eius. 20. Erit in ſignum, & in teſtimonium Domino exercituum in Terra AEgypti. Clamabunt enim ad Dominum a facie tribulantis, & mittet eis ſalvatorem & propugnatorem, qui liberet eos. 21. Et cognoſcetur Dominus ab AEgypto, & cognoſcent AEgyptii Dominum in die illa, & colent eum in hoſtiis & in muneribus: & vota vovebunt Domino, & ſolvent. 22. Et percutiet Dominus AEgyptum plaga, & ſanabit eam, & revertentur ad Dominum, & placabitur eis, & ſanabit eos. 23. In die illa erit via de AEgypto in Aſſyrios, & intrabit Aſſyrius AEgyptum, & AEgyptius in Aſſyrios, & ſervient AEgyptii Aſſur. 24. In die illa erit Iſrael tertius AEgyptio & Aſſyrio: benedictio in medio terræ, 25. cui benedixit Dominus exercituum, dicens: Benedictus populus meus AEgypti, † & opus manuum mearum Aſſyrio: hereditas autem mea Iſrael.

BRUGENSIS

ROMANAE CORRECTIONES.

Verſ. 9. *Confundentur qui operabantur linum pectentes*. Legendum eſt *pectentes*, quod eſt pectinantes, non addita littera *l*, *plectentes*, quod eſt percutientes.

Verſ. 11. *Quomodo dicetis Pharaoni*. Non mutes futurum *dicetis* in præſens *dicitis*.

LECTIONUM VARIETAS.

Verſ. 25. *Et opus manuum mearum Aſſyrio*. Quidam libri, pro dativo, legunt nominativum Aſſyrius: Hebræum ambiguum eſt, *Aſſur*.

COM-

COMMENTARIA

MALDONATI.

Verſ. I. ONus AEGYPTI, id eſt prophetia contra AEgyptum, ut ſup. XIII. I. & XV. I. & XVII. I. quod præcedenti cap. generaliter Propheta dixerat, hoc nunc diſtincte explicat, quomodo AEgyptus devaſtanda ſit. ECCE DOMINUS DESCENDET: רכב, *vehitur*, SUPER NUBEM LEVEM. Nomen nubis futuram tempeſtatem denotat, quodque non humanitus, ſed divinitus immitenda ſit in AEgyptios; quaſi dicat: Deus ipſe nube invectus dux erit belli. Levitas autem ſignificat celeritatem divinæ potentiæ in perficiendo conſilio. Poteſt autem per nubem Aſſyriorum exercitus intelligi, quo dicitur Deus vehere, id eſt eum ducere, quia Aſſyrios contra AEgyptios commovit, Ierem. XLVI. & Ezech. XXX. ET COMMOVEBUNTUR: נעו, *nutabunt*, *vacillabunt*; id eſt, ingrediente, bellumque inferente vero Deo, falſi dii non modo non auxiliabuntur AEgyptiis, verum etiam ipſi metu contremiſcent. A FACIE EIUS, propter eum, aut propter eius conſpectum. ET COR AEGYPTI; id eſt animi omnium AEgyptiorum, TABESCET, liqueſcent, ימס, *ſolventur metu*. IN MEDIO, בקרבו, *in ipſis viſceribus eius* (AEgypti, id eſt, AEgyptiorum.)

V. 2. ET CONCURRERE FACIAM. Loquitur Deus, id eſt committam סכסכתי, *miſcebo*, id eſt excitabo inter ipſos civile bellum, ut ipſi ſeſe conficiant. Alii legunt, *corruere faciam*, eodem ſenſu.

V. 3. ET DISRUMPETUR, id eſt conſumetur, נבקה, *evacuabitur*, SPIRITUS AEGYPTI, ira, furor. IN VISCERIBUS EIUS, id eſt contra ſe ipſos; quaſi dicat: Omnem bilem, omnemque furorem ſuum evoment AEgyptii in ſe ipſos, ut alii alios viciſſim trucident.

In ſua victrici (ut quidam cecinit) *converſi*
viſcera dextra.

ET CONSILIUM EIUS PRAECIPITABO; אבלע, *abſorbebo*; id eſt, penitus exinaniam, faciam eos conſilii inopes, ut neſciant quo ſe vertant. ET INTERROGABUNT; id eſt, quamvis interrogent, neſcient quid conſilii capiant.

V. 4. ET TRADAM: סכרתי, *concludam* AEGYPTUM *in manum* אדנים קשה *domini duri*, id eſt Regis Babylonis, ut conſtat ex Ierem. cap. XLVI. & ex Ezech. cap. XXX.

V. 5. ET ARESCET: ונשתו מים, *&* *bibentur*, id eſt abſorbebuntur (ab ipſa terra) *aquæ maris*. ET FLUVIUS DESOLABITUR: יחרב, *areſcet*, id eſt Nilus, qui AEgyptum alluit.

V. 6. ET DEFICIENT FLUMINA: והאזניחו, *& avertentur fluvii*, id eſt diſperdentur ac diſpergentur, diſruptis aggeribus, quibus in alveum coercebantur. ET SICCABUNTUR RIVI AGGERUM: וחרבו יאדי מצור, *& areſcent rivi aggeris*, id eſt qui aggeribus ad irrigandos agros deducebantur. Scitum enim eſt in AEgypto non pluere, ſed totam regionem deductis e Nilo rivulis irrigari. Significat ergo tantam futuram eſſe vaſtitatem, ut aquæ ipſæ maris ac Nili, quibus AEgyptus & fortis & dives erat, exaruiſſe videantur. CALAMUS: קנה, *arundo*, ET IUNCUS MARCESCET, קמלו, *excidentur*, propter aquarum inopiam; non enim naſcuntur niſi in aquoſis locis.

V. 7. NUDABITUR ALVEUS RIVI A FONTE SUO; id eſt, deſtituetur aquis, quia fons unde fluunt, areſcet: ערות על יאר, *gramineta* (quæ ſunt) *iuxta alveum*, על פי יאר, *& iuxta ipſum os rivuli*, id eſt iuxta fontem. ET OMNE SEMEN: יאר, *rivuli*; id eſt, quod rivulis irrigatur, ſiccabitur & areſcet, נדף, *propelletur*, ET NON ERIT; id eſt, cum fuerit aridum vento diſſipabitur, & evaneſcet in auras.

V. 8. ET MOERERUNT PISCATORES. Senſus unus eſt totius verſus, fore ut areſactis aquis, omnes qui ex aquis victum quærebant, lugeant.

V. 9. CONFUNDENTUR, id eſt perdent omnem ſpem lucri. QUI OPERABANTUR LINUM: שריקות עובדי פשתים, *artifices lini optimi*: quia non habebunt linum, ut artificium ſuum exerceant, propter terræ ariditatem: non enim ſolet optimum linum provenire niſi in locis irriguis. PLECTENTES: ואורגים חוה, *& qui texunt retia*, vel *linea reticula*: quia neque opus

 erit

erit retibus, cum non ſint piſces ; neque erit linum ex quo conficiant.

V. 10. ET ERUNT IRRIGUA EIUS (AEgypti) FLACCENTIA, id eſt arida. OMNES QUI FACIEBANT LACUNAS, id eſt omnes ſtagnorum opifices; ſub. confundentur: והיו שתותיה מדכאים, *& erunt retia eius contrita*, id eſt computreſcent, quia non exercebuntur: *Omnes facientes* שכר *clauſuram* אגמי נפש, *ſtagnorum viventis*, id eſt vivaria: ſub. confundentur. Alii, *omnes facientes ſtagna*: עגמי נפש *mæſti*, *afflicti animo*, א pro ע.

V. 11. 12. STULTI PRINCIPES TANEOS. Tanis celeberrima civitas AEgypti, & ubi ſapientia maxime florebat, Num. XIII. 23. Eſt ergo ſenſus, Principes Taneos, id eſt qui ſapientia ceteris antecellebant, ſtulti (facti ſunt,) id eſt, non potuerunt conſilium invenire, quo ſe ab hac calamitate liberarent: quia *non eſt ſapientia*, *non eſt prudentia*, *non eſt conſilium contra Dominum*: Proverb. XXI. 30. Heb. אך אוילים, *Quomodo ſtulti*, aut *quam ſtulti* (facti ſunt) *principes Taneos*. SAPIENTES CONSILIARII, &c. DEDERUNT CONSILIUM INSIPIENS. Heb. *Sapientum conſiliariorum Pharaonis*, עצה, נבערה *conſilium infatuatum eſt*. QUOMODO DICETIS PHARAONI, (regi AEgypti) Filius ſapientis ego ſum. Poſſunt hæc verba intelligi aut perſona Pharaonis dicta; quaſi dicat: Quomodo perſuadetis Pharaoni, ut glorietur ſe ex antiquis & ſapientibus regibus originem ducere; aut perſona ſapientum: Quomodo (unuſquiſque veſtrum) dicet Pharaoni, ut ſuam illi ſapientiam probet, ſe ex ſapientibus & antiquis regibus genus trahere; quaſi dicat: Quo ore audebitis hoc illi dicere, quod ſæpe tamen dicere ſoletis, cum non poſſitis divinare mala quæ vobis ipſis impendent? ANNUNTIENT TIBI (o Pharao, ſubita apoſtrophe ad Pharaonem.) QUID COGITAVERIT: מה יעץ, *quod ſit conſilium Domini*, מצרים, *contra AEgyptum*.

V. 13. ERRAVERUNT (נשאו *decepti ſunt*) PRINCIPES MEMPHEOS. Memphis AEgypti civitas, ſapientia nobilis, & Poetæ carmine celebrata. DECEPERUNT AEGYPTUM, ANGULUM POPULORUM EIUS: שבטיה, *tribuum eius*; id eſt, Tanin & Memphin decipientes, quæ veluti angulus, id eſt robur & firmamentum AEgypti ſunt, totam AEgyptum deceperunt: vel per nominativum, Deceperunt AEgyptum angulus tribuum eius; id eſt, Tanis & Memphis, aut earum civitatum ſapientes, qui robur eſſe totius AEgypti putabantur, eam deceperunt. Angulum pro firmamento poſuit; ut *Lapidem quem reprobaverunt ædificantes, hic factus eſt in caput anguli*: angulis enim totum ædificium fulcitur, & Reſpub. ſapientibus viris.

V. 14. DOMINUS MISCUIT, id eſt interſeminavit. IN MEDIO EIUS (AEgypti) id eſt, inter eius principes & conſiliarios. SPIRITUM VERTIGINIS, id eſt erroris, ſicut errare ſolent qui vertiginem capitis patiuntur. Heb. רוח עועים, *ſpiritum perverſitatum*, id eſt ut eius conſiliarii non recte, ſed perverſe de rebus iudicent. ET ERRARE FECERUNT (principes conſiliarii) AEGYPTUM IN OMNI OPERE SUO, id eſt in omnibus rebus agendis. SICUT ERRAT EBRIUS ET VOMENS; id eſt, qui adeo ebrius eſt ut vomat. Heb. בהתעות שכור בקיאו, *ſicut errat ebrius in vomitu ſuo*, id eſt cum huc illuc vertit ſe ut vomat. Omnia intelligenda ſunt de permiſſu Dei, ut illud II. Theſſal. II. 11. *Mittet eis Deus operationem erroris, ut credant mendacio*.

V. 15. ET NON ERIT IN AEGYPTO OPUS, QUOD FACIAT CAPUT; id eſt, nullum opus, nullam rem Reipub. ſalutarem perficere poterit caput AEgypti, id eſt principes, neque cauda, id eſt homines ultimæ plebis. INCURVANTEM ET REFRAENANTEM. Heb. כפה ואגמון, *ramus & iuncus*, id eſt fortis & debilis, ut ſupra cap. IX. 14.

V. 16. ERIT AEGYPTUS QUASI MULIERES, id eſt ſimilis mulieribus, timida. ET STUPEBUNT ET TIMEBUNT: וחרד פחד, *& pavebit ac timebit*. A FACIE COMMOTIONIS, id eſt propter commotionem MANUS DOMINI, QUAM IPSE MOVEBIT, id eſt vibrabit. SUPER EAM: עליו, *contra eam*. Movere manum eſt minari, ut Sophon. II. 16.

V. 17. ERIT TERRA IUDA AEGYPTO IN PAVOREM. Non quod ipſi Iudæi AEgyptum vaſtaturi ſint, ſed quod AEgyptii intelligant ideo ſe a Deo per Babylonios devaſtari, quod Iudæis bellum intuliſſent. PAVEBIT A FACIE. אליו יפחד, *eam pertime-*

time-

Digitized by Google

timeſcet, id eſt, ſola eius memoria timorem afferet AEgyptiis, מפני עצת, *propter conſilium Domini, quod cogitavit contra eam*; id eſt, ne Dominus deliberet iterum AEgyptum perdere, ſicut nunc deliberavit ad ulciſcendas Iudæorum iniurias.

V. 18. IN DIE ILLA. Incipit Propheta vaticinari de converſione AEgypti ad Chriſtum, poſteaquam a Deo caſtigata fuerit. ERUNT QUINQUE CIVITATES, id eſt præcipuæ, vel omnes (numerus certus pro incerto) LOQUENTES LINGUA CHANAAN, id eſt Hebraica, qua Iudæi loquebantur, qui accolæ fuerant terræ Chanaan, id eſt terræ ſanctæ. ET IURANTES PER DOMINUM, id eſt credentes in Deum; per eum enim iuramus, in quem credimus: *Laudabuntur omnes qui iurant in eo*: Pſal. LXII. 12. CIVITAS SOLIS VOCABITUR UNA, id eſt una ex illis vocabitur ἡλιόπολις, *civitas ſolis*: ita Chaldæus. Hebræi alii legunt, חרס, *ſolis*; alii plerique, הרס, *deſtructionis*; quaſi dicat: Ex ſex civitatibus quinque convertentur & ſalvæ erunt, una tantum incredula erit, & deſtruetur. Sept. πόλις ἀσεδὲκ κληθήσεται, neſcio quare.

V. 19. ERIT ALTARE DOMINO, id eſt coletur Dominus: per altare totum cultum ſignificat per ſynecdochen. IN MEDIO AEGYPTI, id eſt per totam AEgyptum. ET TITULUS DOMINI, id eſt altare; aliis verbis idem dicit. Altare enim quaſi titulus Dei eſt, id eſt monimentum divini cultus. מצבה, *ſtatua*, *monimentum*; quod vel altare ipſum, ut dixi, ſignificare poteſt, vel, ut alii interpretantur, Crucis, aut Chriſti crucifixi imaginem, quæ eius eſt monimentum. IUXTA TERMINUM EIUS (AEgypti;) quaſi dicat: Per totam AEgyptum, & in medio, & in finibus. Prædixit Propheta hoc loco & Euchariſtiæ ſacrificium, & uſum imaginum, quem in Eccleſia videmus, quidquid hæretici delirent.

V. 20. ET ERIT (altare & titulus) IN SIGNUM ET TESTIMONIUM, id eſt loco monumenti, quo AEgyptii teſtentur ſe Deum colere. CLAMABUNT ENIM. Reddit cauſam cur non ſint omnes AEgyptii penitus abolendi, quia multi convertentur ad Deum, & eum invocabunt. A FACIE TRIBULANTIS: מפני לחצים, *propter oppreſſores*. ET MITTET EIS SALVATOREM, Chriſtum, ET PROPUGNATOREM, ורב והצילם, *& magnatem, aut principem, ac liberabit eos*.

V. 21. ET COGNOSCETUR DOMINUS AB AEGYPTO. Vetus hiſtoria docet, nuſquam magis Chriſtianam Religionem floruiſſe, quam in AEgypto, ubi maxime idololatria ante viguerat. Quod qui Hieron. Euſeb. Pallad. Theod. legerunt, ignorare non poſſunt. ET COLENT EUM IN HOSTIIS: ועבדו זבח מנחה, *& facient Domino ſacrificium & oblationem*. ET VOTA VOVEBUNT DOMINO. Hanc prophetiam iam diu res ipſa comprobavit. Primi enim Monachi & plurimi atque religioſiſſimi in AEgypto fuerunt.

V. 22. ET PERCUTIET DOMINUS, id eſt poſtquam percuſſerit, convertentur, & ſanabit.

V. 23. IN DIE ILLA ERIT VIA DE AEGYPTO. Non quod ante non eſſet, ſed futura eſſet libera ab hoſtibus, cum ante infeſta eſſet & impedita. ET INTRABIT ASSYRIUS; id eſt, liber erit tranſitus ab uno loco in alium, nulli erunt hoſtes, nullum bellum. ET SERVIENT AEGYPTII ASSYRIIS; id eſt, amicitia colent eos, non quod eorum ſervi futuri ſint; vel, ut Hebræi interpretantur, ועבדו מצרים את־אשור, *& ſervient AEgyptii cum Aſſyriis* (Dominum.)

V. 24. ERIT ISRAEL TERTIUS, id eſt erunt tres amici, Iſraelitæ, Aſſyrii, & AEgyptii: per Aſſyrios autem & AEgyptios intelliguntur ſynecdochicos omnes gentiles. Itaque ſenſus eſt, futurum unum ovile, & unum paſtorem, Chriſtumque rupturum *medium maceriæ parietem*: ad Epheſ. II. 14. BENEDICTIO IN MEDIO TERRAE; id eſt, *Benedicentur in Chriſto omnes gentes*; Gen. II. 3. & ad Gal. III. 8.

V. 25. CUI (terræ) BENEDIXIT. Aut אשר, *qua* (benedictione) *benedixit Dominus dicens*, BENEDICTUS POPULUS MEUS AEGYPTI (AEgyptus) ET OPUS MANUUM MEARUM ASSYRIUS; id eſt, in Aſſyriorum converſione potentiam meam maxime demonſtravi. Verum enim eſt quod Auguſtinus docet, maius opus eſſe hominis iuſtificationem, quam creationem. ET HEREDITAS MEA ISRAEL. Semper vocat Iſrael hereditatem ſuam, *quia credita ſunt illis eloquia Dei*: Rom. III. 2. & quia præcipue Chriſtus venit ad oves

que

quæ perierunt domus Iſrael: Matth. x. 16. *Et quia ſalus*, id eſt Chriſtus, *ex Iudæis*: Ioan. IV. 22.

S A.

Verſ. 1. ASCENDET, &c. quaſi dicat, Se manifeſtabit: ſolebat enim Deus in nube ſe oſtendere. Chald. *revelabitur in nube gloriæ ſuæ*. INGREDIETUR. Loquitur de Deo, more humano. COMMOVEBUNTUR. Chald. *contercntur*. COR AEGYPTI; pro, cor AEgyptii cuiuſque.

V. 2. CONCURRERE, &c. quaſi dicat, Faciam inter ipſos diſſenſionem.

V. 3. DIRUMPETUR. Chald. *tabeſcet*. LXX. *conturbabitur*. SPIRITUS, id eſt ſapientia, vel vita.

V. 4. REX, ſcilicet Aſſyrius.

V. 5. ARESCET, &c. exaggeratio calamitatis; quaſi dicat, Deſtituentur prorſus.

V. 6. AGGERUM, id eſt inter aggeres fluentes.

V. 7. A FONTE; quaſi dicat, Deſinente fonte aquam mittere.

V. 8. EMARCESCENT. LXX. *lugebunt*.

V. 9. SUBTILIA. Chald. *retia*. LXX. *byſſum*.

V. 10. FLACCENTIA, id eſt deficientia. OMNES, ſcilicet confundentur.

V. 11. DICETIS; pro, dicitis, ſcilicet veſtrum quiſque. FILIUS REGUM. Chald. *& tu filius regum*.

V. 13. TANEOS. Metropolis AEgypti, ubi Moyſes ſigna fecit. ANGULUM, id eſt firmamentum & decus. Chald. *Principes*. LXX. *tribus*.

V. 14. MISCUIT, id eſt propinavit, ut ſolet vinum. Vide ſup. cap. v. VERTIGINIS. Chald. & LXX. *erroris*.

V. 15. ET NON ERIT, &c. Chald. *Et non erit AEgyptiis Rex qui regnet, nec Princeps, nec Satrapa, nec præfectus, nec dominator*. CAPUT ET CAUDAM, id eſt Principes & plebeios. INCURVANTEM ET REFRAENANTEM, ſcilicet per imperium ſubdit os. LXX. *principium & finem*.

V. 16. QUASI MULIERES. Chald. *infirmi, ſicut mulieres*.

V. 17. TERRA IUDA AEGYPTO. LXX. *terræ Iudæ AEgyptus*; ſcilicet timebunt Iudæi, videntes tam ſevere punitos AEgyptios: ſecundum noſtram lectionem ſignificatur dominium fidelium, ſeu fidei ſuper gentiles, idque maximo pavore, id eſt admiratione ſuper Dei conſilio de humana ſalute.

V. 18. QUINQUE, ſcilicet præcipue. CHANAAN, id eſt Iudaica, ſcilicet fidelium verum Deum confitentium. CIVITAS SOLIS, ſcilicet Heliopolis. VOCABITUR UNA, id eſt erit una ex illis.

V. 19. ALTARE. Plane indicatur nova Lex, nam vetus non permittebat altare extra Ieruſalem. TITULUS, id eſt columna, ſcilicet erecta ad honorem Chriſti, vel ſtatua.

V. 20. SALVATOREM, ſcilicet Ieſum.

V. 23. ASSUR; pro, cum Aſſur, ſcilicet Deo, vel Aſſyriis; quaſi dicat: Alii aliis erunt fideles gentiles ſubiecti, ſcilicet eſt ordo in Eccleſia.

V. 24. TERTIUS; ſcilicet in fidei receptione. BENEDICTIO. LXX. *benedictus*.

V. 25. CUI; ſcilicet terræ, vel Iſraeli. HEREDITAS AUTEM. Heb. Chald. & LXX. *hereditas*, ſcilicet etiam eſt.

E S T I I.

Verſ. 1. ECCE DOMINUS ASCENDET SUPER NUBEM LEVEM, ET INGREDIETUR AEGYPTUM, ET COMMOVEBUNTUR SIMULACRA AEGYPTI A FACIE EIUS. Hoc de adventu Chriſti pueri in AEgyptum, quando Herodes eum ad necem quærebat, plerique interpretantur. De qua re vide Sozom. Hiſtor. Eccleſ. Lib. V. cap. XXI. & Nicephorum Lib. X. cap. XXXI. item Palladium in hiſtor. Lauſ. cap. LII. Aſcendit autem ſuper nubem levem, quia venit indutus humana carne nullo peccato gravata.

V. 19. IN DIE ILLA ERIT ALTARE DOMINI IN MEDIO TERRAE AEGYPTI. Prophetia eſt manifeſtata de ſacrificio, & altari Euchariſtico novi teſtamenti, contra Novatores, qui illud ſacrificium eſſe negant. Non enim hoc de altari crucis intelligi poteſt; nam idem hic Iſaias cap. ult. de filiis novi teſtamenti prophetans, exprimit ſacerdotes & Levitas, ne quis fingat ſolum Chriſtum eſſe ſacerdotem: *Aſſumam*, inquit, *ex iis in ſacerdotes & Levitas, dicit Dominus*. Et ſimilia ſunt Ieremiæ XXXIII.

MA-

Digitized by Google

MARIANAE.

Verſ. 1. SUPER NUBEM LEVEM; id eſt, nube quaſi curru vectus veniet Deus in AEgyptum. Levitas nubis, decreti celeritatem ſignificat, brevi fore quæ nuntiat. SIMULACHRA, idola concident, quod fit cum tota regio vaſtatur. Et quidem Chriſto infante in AEgyptum ingreſſo, omnia idola corruiſſe Hieronymus ait hoc loco. Tum Iſidori Chronicum, ſeu Lucæ Tudenſis, tum hoc Palladius attingit cap. LII. TABESCET. Heb. *liquefiet cor AEgypti*.

V. 2. ET CONCURRERE FACIAM. Heb. *confundam AEgyptios in AEgyptio*; id eſt, committam eos inter ipſos. Bellum civile, extremum malorum.

V. 3. DIRUMPETUR. Heb. *evacuabitur*. Septuag. *conturbabitur*. Chald. *tabeſcet*. SPIRITUS AEGYPTI, id eſt ſapientia. Quod ſequitur, magis id declarat. ET CONSILIUM EIUS PRAECIPITABO. Heb. *deglutiam*. *Spiritus* & *conſilium*, idem ſunt; quaſi dicat, Nihil procedet eorum quæ cogitarint. ET INTERROGABUNT SIMULACHRA; id eſt, idola adibunt, divinos ſolicitabunt, neque reſponſum ullum referent. Chriſti adventu oracula obmutuiſſe, ex Plutarcho intelligitur Opuſculo, De cauſa cur oracula ceſſarint. PYTHONES, ET ARIOLOS. Divinorum genera & nomina ſunt.

V. 4. ET TRADAM AEGYPTUM IN MANU DOMINORUM CRUDELIUM. Chald. *domini duri*. Septuag. *dominorum durorum*. Heb. *dominorum duri*. Ergo aut *duri* pro *durorum* ſume, aut *dominorum*, pro *domini*. Summa, minatur fore, ut tyrannide premantur, quod ſequentia magis declarant. ET REX FORTIS DOMINABITUR EORUM, id eſt violentus: nihil ratione, ſed viribus & potentia cuncta faciens Rex Aſſyrius.

V. 5. ET ARESCET AQUA; aut deficient aquæ de mari. Commercio locus non erit, ut aliunde annona devehatur, quæ domi non erit, fluvio Nilo exſiccato. Ita famis malum urgebit. FLUVIUS DESOLABITUR. Heb. *exſiccabitur*, & *areſcet*.

V. 6. ET DEFICIENT FLUMINA. Heb. *elongabuntur*, ſcilicet a ripa. RIVI AGGERUM, מצור *munitionem* ſignificat. Qua voce ob munitionem AEgyptus ipſa vocatur: ſic quidam vertunt, *rivi AEgypti*. Sed præſtat cum Vulgata *aggeres* intelligere, quibus rivi coercebantur. Ii ergo rivi, quibus ex moles obiectæ erant, ſiccabuntur. MARCESCET, aut *excidetur* canna & carectum, nimirum exſiccata ob humoris defectum.

V. 7. NUDABITUR ALVEUS RIVI A FONTE SUO, id eſt ſiccus manebit fonte areſacto. Heb. *Virides* (herbæ) *iuxta rivum*, *iuxta ripam rivi*, & *omnis ſementis rivi* (id eſt *irrigua*, ut Noſter) *ſiccabitur*. ARESCET. Heb. *propulſabitur*, & *non erit*.

V. 8. EMARCESCENT piſcatores, aut infirmabuntur, ſublato victu, quo alebantur.

V. 9. QUI OPERABANTUR LINUM, optimum ſcilicet & ex eo retia. Heb. Schol. פשתן שריקות, id eſt *lina ſubtilia*, quidam *linum* & *ſericum* vertunt, Chald. & Pagn. *lina carminata* ſeu *pectinata*. Vat. *linum optimum*. Credam ex voce *ſerikoth*, id eſt *ſubtilia*, *ſeres* & *ſericum* deductum, quoniam bombycina fila optima & tenuiſſima ſunt. ET TEXENTES SUBTILIA. Heb. *retia texentes*, ſcilicet ex eo lino optimo confundentur. Non erunt.

V. 10. ET ERUNT IRRIGUA EIUS FLACCENTIA. Heb. & *erunt retia eius* (AEgypti) *contrita*. OMNES QUI FACIEBANT LACUNAS. Heb. *facientes clauſuram*. AD CAPIENDOS PISCES, vel *alendos*. Heb. *ſtagna animæ*, id eſt vivaria ſic dicta, quod vivi piſces & cum anima ibi conſervantur: ii omnes deficient.

V. 11. STULTI PRINCIPES TANEOS. Hanc cladem præſcire & avertere magi non potuerunt, quos *Taneos principes* vocat. DICETIS PHARAONI: FILIUS SAPIENTIUM EGO; id eſt, ſapientiam quaſi hereditate a maioribus accepi, & ex regio ſum ſanguine: ſic a maioribus auctoritatem apud Regem conciliabant.

V. 13. EMARCUERUNT, aut *erraverunt*, decepti ſunt. Pro *Zohen* & *Noph*, quæ Heb. ſunt, Chald. & Septuag. ut Hieron. *Taneos* & *Memphеos* vertunt. ANGULUM POPULORUM EIUS. Heb. *angulum tribuum eius*: ſic vocat proceres, quos magi illi deceperunt. Chald. hoc ſecutus dixit: *Principes provinciarum eius*, ſcilicet deceperunt.

V. 14. MISCUIT, id eſt propinavit. VERTIGINIS. Heb. *confuſionis*. Chald. & Septuag. *erroris*. SICUT ERRAT EBRIUS ET

VO-

vomens. Heb. *ebrius in vomitu ſuo;* id eſt, cum ebrietas tanta eſt, ut crapulam evomere cogat, ſic erravit AEgyptus.

V. 15. Opus, quod faciam, id eſt conſilium quod capiat. Caput et caudam, ſive *caput & cauda*. Incurvantem et refraenantem, ſive *incurvans & refrænans non erit;* id eſt, neque curvi ſenes, neque iuvenes validi prodeſſe poterunt. Heb. *ramus & iuncus*. Per *caput* & *ramum* maiores intelligit, per *caudam* & *iuncum* minores. Ergo neque maiores neque plebeii prodeſſe poterunt. Cuncti velut ebrii erunt.

V. 16. Quasi mulieres: debiles & formidoloſæ, erit AEgyptus. Manus Domini. Plagæ ab eo inflictæ hæ erunt.

V. 17. In pavorem erit AEgypto Iudæa; nempe Iudæam, quam contemnebat AEgyptus, poſtea timebit. Gotth. *erit terra Iuda AEgypto in feſtivitatem*, id eſt de eius ſocietate gaudebit: ſic Hieronymus vertit, ut ipſe in Commentariis erraſſe in eo, vertendo *feſtivitatem*, fatetur. Occaſio lapſus vox חגא *haga*, quæ *feſtivitatem* ſignificare poteſt & *terrorem*, quam in poſteriori ſignificatione Chald. Septuag. & alii omnes acceperunt. Ex quo efficitur, editionem Vulgatam Hieronymi cum Vulgata antiqua mixtam eſſe, quando ipſe *feſtivitatem* poſuit, modo *terrorem* legimus.

V. 18. Quinque civitates, id eſt multæ erunt loquentes in AEgypto. Lingua Chanaan, id eſt Hebraica, aut Syriaca, quæ ex Hebraica derivatur, & qua Iudæi vulgo loquebantur. Sed & R. Elias in Præfat. Diction. Chald. *linguam Chanaan* vere & proprie Hebraicam fuiſſe olim ait; atque ita inveniſſe Abraham cum eo appulit. Quod ad ſuum tempus retineri Hieron. ait. Civitas solis erit una ex iis. Chald. *Heliopolim* vertit. Nempe pro הרש *heres*, ut eſt in Hebræo, id eſt *deſtructionis*, ponendum eſt חרש ex Maſſoreth, quæ vox *ſolem* ſignificat. Vocabatur etiam ea civitas און *On* ab idololatriæ iniquitate, quæ in ea maxime vigebat; eratque præcipua: quare illa nominatur, non aliæ. *On* eſt *iniquitas*.

V. 19. Altare Domini. Ob hæc verba Onias Heliopoli templum ad inſtar Ieroſolymitani conſtruxit: Ioſephus Lib. XIII. cap. vi. Et titulus Domini, ſive *ſtatua*. Utrumque vox *mazebah* ſignificat, & quidem hoc diſcrepant, quod *ſtatua* effigiem hominis habet, *titulus* informis eſſe poteſt, ut columna, lapis erectus, quod Iacob fecit Gen. xxviii. 18. Iuxta terminum eius, in finibus eius erit, id eſt AEgypti.

V. 20. A facie tribulantis clamabunt. Heb. *a facie opprimentium*, id eſt propter opprimentes. Salvatorem eis mittet, ſcilicet Ieſum. Et propugnatorem qui liberet eos. Heb. *multum*, id eſt virum magnum, quem *multum* vocant a multa virtute aut ſapientia. Unde *Rabi* vox Hebræis.

V. 21. Et colent eum in hostiis, ſcilicet Deum. Heb. *Facient hoſtiam* (id eſt hoſtias) *& oblationem* ſeu *munus*, ſed *facere*, *colere* & *ſacrificare* eſt; unde *havodah*, id eſt *cultus* a faciendo.

V. 22. Et placabitur Deus, ſeu exorabitur, propitius erit, AEgypto ſcilicet.

V. 23. Erit via de AEgypto, ſcilicet erit commercium inter eas gentes, neque AEgyptii in Aſſyrios rebellabunt, quod fecerunt ante, & cauſa id ruinæ prædictæ fuit: aut Chriſti adventu omnes erunt pacati.

V. 24. Erit Israel tertius. Sic Septuag. & Chald. ſignificatque fore pacem & fœdus iis Gentibus, quod Chriſti adventu eſt factum: & Iudæos tertio loco, id eſt poſt Aſſyrios & AEgyptios, & poſt Gentes alias ad fidem venturos: ſolus Heb. Schol. vocem שלישיה *ſeliſiah* ſumit pro *magna*. Verba eius עני גרולה כלו גרול ונכבד, id eſt *ſignificat magna, ac ſi diceret, magna & venerabilis* ſuper eos, ſcilicet Iſrael, iis maior. Sane ea vox, ſi deducatur a *Salis* id eſt *duce*, poteſt *magna* ſignificare, ut Prov. xxii. 20. ubi nos, *Deſcripſi eam tripliciter:* David Kimhi explicat, *Scripſi tibi præcipua*. Verum nos Vulgatam ſequamur, iuxta ſuperiorem ſententiam. Benedictio, id eſt felicitas orbi erit tot gentibus fœdere & pace devinctis.

V. 25. Benedictus populus meus AEgypti. Gotth. *AEgypto*, id eſt illi venerabilis erit Iſrael. Et opus manuum mearum Assyrio: erit benedictum ſcilicet. Ita Chald. & Septuag. hanc benedictionem non ad AEgyptios referunt & Aſſyrios, ſed ſolum ad Iudæos, qui prius fuerunt in AEgypto, deinde in Aſſyria, ac tandem poſt liberationem peculiaris & benedi-

nedicta hereditas Dei. HEREDITAS AUTEM MEA. Heb. *& hereditas mea;* ſed bene pro copulativa, adverſativa ponitur.

MALVENDAE.

Verſ. I. ONUS AEGYPTI. Alii: *Prophetia AEgypti*, vel *oneroſa prophetia AEgypti:* vide ſupra cap. XIII. I. Quo totum hoc vaticinium in AEgyptum tendat, abunde Expoſitores ediſſerunt. S. Hieronymus: *Duplicem intelligentiam ſequimur: vel Chaldaicorum temporum, quando a Nabuchodonoſor AEgyptus expugnata eſt; vel Romani Imperii, quando Antonio Cleopatraque ſuperatis, Auguſtus Cæſar AEgyptum ſuperavit*. Verum quidam obſervant huius capitis prophetiæ, qua Propheta populum Dei conſolatur, a iudiciis ipſius contra AEgyptios, & vocatione gentium ad regnum Chriſti, duas eſſe partes ſummas; priorem eſſe iudiciorum, uſque ad verſ. 18. poſteriorem promiſſionum, ad finem uſque. Iudiciorum autem deſcriptionem tribus membris conſtare; primum eſſe de civilibus motibus, quibus paulo poſt quaſſanda erat AEgyptus, uſque ad verſum II. ſecundum, ſarcaſticam reprehenſionem, continere totius adminiſtrationis, duobus verſibus; tertium, denuntiationem graviorum adhuc iudiciorum Dei in poſterum, donec ſe ad Deum converterint, inde ad verſ. 18. ECCE. Particula, inquiunt, demonſtrandi emphaſim habet, qua Propheta res paulo poſt futuras, velut præſentes digito commonſtrat: regnabat enim hoc tempore in AEgypto Sethon Sacerdos Vulcani, viris militaribus inſenſus, qui cum Sancheribo Aſſyrio bellum geſſit, ut fuſe ſcribit Herodotus Libro II. Numero CXLI. vide II. Reg. XIX. 9. quo Sethone mortuo ſequentia omnia, prout a Propheta fuerant denuntiata, evenerunt. Continet autem hic verſus prolepſin, id eſt propoſitionem ſummam totius huius prophetiæ. DOMINUS ASCENDET SUPER NUBEM LEVEM, ET INGREDIETUR AEGYPTUM. Aliqui: *equitans, vehens, inſidens, denſæ nubi levi, invaſurus eſt AEgyptum*. Synecdoche antropopathica, quaſi Deus quam velociſſime in nubibus accurreret: II. Samuel. XXII. 10. & ſequentibus. Hoc autem nominatim in AEgypto denuntiat Propheta, quia illi nubes huiuſmodi habeant pro auſpicatiſſimis, cum AEgyptus nubibus minime infeſta ſit. ET COMMOVEBUNTUR SIMULACRA AEGYPTI, &c. Quidam: *adeo ut commoveantur idola AEgypti a conſpectu eius, & cor AEgyptiorum colliqueſcat in medio ipſorum*. Finis iudiciorum Dei pertinens ad ſecundam partem capitis: nimirum ut idola omnia & homines Deo cedant; illa plane labefactata, ii vero deiecti animis, ut ad Deum vivum convertantur. De voce אלילים *elilim*, vide ſupra cap. II. 8.

V. 2. ET CONCURRERE FACIAM AEGYPTIOS ADVERSUS AEGYPTIOS, &c. I. Forſterus: *Et commiſcebo, implicabo*, inſtar veprium, ut ſcilicet mutuo ſe pungant ac lædant, *AEgyptios contra AEgyptios*. Hanc phraſin Chriſtus Servator noſter imitatus eſt Lucæ XXI. 10. *Inſurget gens contra gentem, & regnum adverſus regnum:* vide de notione verbi סכסך *ſichſach*, ſupra cap. IX. II. II. Sanctes: *Et confundam AEgyptum cum AEgypto*. III. Leo Iudas, Forerius, Avenarius: *Et committam AEgyptios cum AEgyptiis*. IV. Tremellius, & Iunius: *Nam commiſcebo*, inquit Iehova, *AEgyptios cum AEgyptiis, ſive AEgyptios inter ſe;* id eſt, civiles motus & graviſſimos citabo: quod factum eſt cum Sethone mortuo duodecim reguli tyrannidem in AEgypto occuparunt, magnifica opera confecerunt miſerum populum opprimendo, Pſammethicum unum de ſuo numero expulerunt, & ab eo poſtea viciſſim expulſi ſunt, donec ſolus regnum obtineret, quo tyrannice abuſus eſt, ut multis narrant Herodotus Lib. II. a numero 147. ad 157. Diodorus Siculus Lib. I. numero 41. 42. & 43.

V. 3. ET DIRUMPETUR SPIRITUS AEGYPTI IN VISCERIBUS EIUS. Alii ex Heb. I. *Et evacuabitur ſpiritus AEgypti intra viſcera eius*. II. *Et exinanietur ſpiritus AEgypti in medio eius;* id eſt, adimam illis ſapientiam & prudentiam, qua ante maxime commendabantur. III. *Et exhaurietur ſpiritus AEgypti in medio ipſius*, vel *intra ipſam;* id eſt, erit AEgyptus velut exanimata tantis civilibus bellis: hyperbole ex comparatione humani corporis. ET CONSILIUM EIUS PRAECIPITABO: vel *deglutiam, abſorbebo;* id eſt, ita exagitabo, ut neſciant quo ſe vertant, aut quid conſilii capiant. Quidam reddunt: *deſtruam*. ET INTERROGABUNT SIMULACRA SUA. Alii: *& conſulent idola ſua. Elilim*, ut ſupra

verſ. 1. Nonnulli: *tum inquirent apud idola ſua*, id eſt dæmonia, quæ ipſis reſponſum dabant, maxime vero idolum Latonæ, quod oraculum maxime tum veraciſſimum habebatur in oppido, quod vocatur Butum contra oſtium Nili Sebennyticum, de quo Herodotus ibidem: ubi etiam exponit varias iſtorum duodecim regulorum conſultationes in templo Vulcani. ET DIVINOS SUOS. אטים *ittim*, proprie, *abſconditos*, *ſecretos*, *arcanos*, *latentes*, id eſt incantatores, qui ſecreta verba ſuſurrant, & cuncta ſua opertanea ſecreto & abſcondite peragunt. Plerique *magos*, *maleficos*, *præſtigiatores* exponunt. ET PYTHONES ET ARIOLOS. Heb. *& ad pythones*, *& ad gnoſtas:* vide ſupra cap. VIII. 19.

V. 4. ET TRADAM AEGYPTUM IN MANU DOMINORUM CRUDELIUM. Alii ex Heb. I. *Et concludam AEgyptios in manu dominorum in duritia*. II. *dominorum duri*, *rigidi*, *pervicacis*, *pertinacis*, *protervi*, *procacis*, ex uſu linguæ, quæ uſurpat nomina perſonarum dignitate pollentium in plurali pro ſingulari: quod vel ex adiunctis adiectivis & verbis melius apparet. III. *dominantium duriter*, vel *pertinaciter*. קשה *kaſcheh*, & adiective, & ſubſtantive, & adverbialiter poſſe ſumi notant. IV. *Et concludam AEgyptios;* id eſt, conſtrictos teneo AEgyptios & obſeſſos bellis civilibus regulorum ſuorum tyrannide, ut illi ſuos piſces in vivariis tenent (elegantiſſima deſcriptio tyrannidis:) *in manum dominorum duri cuiuſque*, vel *dure dominantium*, duodecim illorum tyrannorum, qui Sethoni ſucceſſerunt. ET REX FORTIS DOMINABITUR EORUM. Heb. *& rex obfirmatus*, *robuſtus*. Alii: *rigidus*, *durus*, *violentus*, *crudelis dominabitur in eos*. Quidam: *donec rex rigidus dominetur in eos*, id eſt Pſammithicus, qui ſolus obtinuit tyrannidem. Malo cum Noſtro, *& rex fortis*, quod Pſammithicus bello paceque ſtrenuus vir fuerit, uti Herodotus & Diodorus Siculus pluribus deſcribunt. Hunc tamen regem fortem Sabbaconem potius fuiſſe putat Scaliger Lib. III. Iſagogicorum Canonum, pag. 311. de quo Herodotus Lib. II. numero 137. & ſequentibus, & Diodorus Lib. I. numero 41. Fuit is Sabbacon ante Pſammithicum.

V. 5. ET ARESCET AQUA DE MARI. ונשתו *veniſchthu*, in Niphal, quidam a שתה *ſchathah*, deducunt: *Et ebibentur*, *epotabuntur aquæ de mari*, id eſt exſugentur, exhaurientur, extrahentur, exſicabuntur. Alii a נשת *naſchath*, *Et perdentur*, *deficient*, *præcipitabuntur*, *ruent*, *aquæ de mari*. Quidam quaſi ſit ex Pihel, reddunt: *Nam perdent aquas de mari*, vel *ne influant in mare;* id eſt, duodecim illi AEgypti tyranni omnia opera naturæ miſeri ſui populi opera oppugnabunt, & aquas Nili avertent vel ad ſiccitatem uſque, ut ſtagnum Mærios cum ſuis pyramidibus & labyrintho perficiant, adducti ſola libidine animi: vide Herodotum ibidem; nam ſunt ſane miranda, quæ de his refert. Sed cum *maris* nomine Scriptura lacus & ſtagna nuncupare non ſoleat, fortaſſe deſcribit Propheta illud, quod Herodotus de ſtagno Mærios narrat: *Hoc ſtagnum dicebant etiam indigenæ evadere in Syrtin Africæ, perforato ſub terram meatu in mediterranea occidentem verſus, ſecundum montem Memphi imminentem*. Quod ſane ab illis duodecim tyrannis effectum commemorat; recteque congruit verbis Prophetæ: *nam præcipitabunt aquas de mari;* id eſt, de ſtagno illo ruere facient ſubterraneo illo meatu in Syrtin Africæ. Stupendum plane opus! ET FLUVIUS DESOLABITUR ATQUE SICCABITUR. Nilus divortio facto in ſtagnum Mærios. Herodotus: *Aqua ſtagni nativa non eſt, utpote ſolo illo admodum arido, ſed e Nilo derivata, ſex menſibus in ſtagnum fluens, totidem retro in Nilum refluens. Illiſque ſex menſibus quibus effluit, augens regium fiſcum talentis argenti ſingulis in ſingulos dies, proventu piſcium: cum influit, viginti minis.*

V. 6. ET DEFICIENT FLUMINA: ATTENUABUNTUR, ET SICCABUNTUR RIVI AGGERUM. Alii ex Heb. I. *Et elongabunt ſeſe flumina, & ſiccabuntur rivi AEgypti*. II. *Et ſubducent ſeſe flumina*, ne ſcilicet defluant in AEgyptum: *& exhaurientur rivi AEgypti*. Rivos AEgypti vocat, per quos aqua Nili deducebatur in varia loca. III. *Et retro abiicientes flumina, exhaurient, & ſiccabunt rivos obſeſſionis*, ſeu *aggeris*, id eſt *quos obſident aggeres*, vel *rivos ductos aggeribus;* id eſt, non curantes publicam utilitatem, quam AEgyptus tota percipit ex derivato Nilo, ſed veluti a tergo ponentes, ut indulgeant ſuis voluptatibus & libidini animi. ET DEFICIENT. In verbo האזניחו *heeznichu*, notant interiectum eſſe *Aleph* redundans, atque dupli-

cem

Digitized by Google

cem characteriſticam coniugationis Hiphil hic, alteram Hebraicam, nempe *He*; alteram Chaldaicam, nimirum *Aleph*, ut paſſim fit in ea lingua, ut videre eſt in libro Danielis. Forſterus inquit: Legitur hic *heeznicku* interpoſita littera *Aleph*, & neutraliter: *Et amovebuntur loco flumina, vel ſic recedent loco; & apparet litteram Aleph poſitam eſſe pro Thau characteriſtica quartæ coniugationis, ſcilicet Hithpahel: Et amovere ſeſe loco facient flumina*. RIVI AGGERUM. Heb. *rivi coanguſtationis, coarctationis, obſeſſionis, obſidionis, munitionis aggeris;* quod foſſæ, ſeu rivi in AEgypto ex Nilo aggeribus & molibus ducerentur, & obſiderentur. De rivis & foſſis Nili vide Exod. VII. 19. de aggeribus vero, quibus rivi illi perducerentur, & quaſi obſiderentur, innumeri perſcripſere. Iſaias hic vocat מצור *matzor*, *obſidionem, munitionem, aggerem:* Herodotus Lib. II. numero 137. *Chomata*, eodem ſignificato; quam vocem uſurpavit Ulpianus Lib. IX. de Extraordinariis Criminibus, cap. *Saccularii:* Plinius Lib. V. cap. IX. & Lib. X. cap. XXXIII. *moles*. Vide Philippum Beroaldum in commentariis Lib. II. Apuleii de Aſino, Budæum in Poſterioribus Annotationibus in Pandectas, pag. 21. Hieronymum Magium Lib. I. Miſcellaneorum, cap. x. Daleeampium in Notis ad ea loca Plinii. Ceterum hic vocem *matzor* plerique per paronomaſiam poſitam volunt, pro מצרים *mitzraim*, *AEgypto*, ab arcibus, civitatibus & munitionibus, quas ubique ad aquas habuit munitiſſimas: vide in II. Reg. XIX. 24. unde hic reddunt: *rivi AEgypti*. CALAMUS ET IUNCUS MARCESCET. Alii ex Heb. I. *arundo, & carectum excidentur*, vel *ſuccidentur*, aut *exſcindentur*. II. *arundo & alga languebunt*. Paluſtres herbæ, & frutices in ripa Nili naſcentes: ſynecdoche. His autem verbis, & tribus verſibus ſequentibus exponuntur damna perventura ad AEgyptios ex derivatione Nili in ſtagnum Mæeros, & alia voluptaria. ET IUNCUS. סוף *ſuph, iuncus, iuncetum, carex, alga*, &c. Vide Exod. II. 3. MARCESCENT. קמלו *kamelu*, exponunt, *ſucciſi fuerunt, calamitoſi erunt, elanguerunt, emarcuerunt, exaruerunt.*

V. 7. NUDABITUR ALVEUS RIVI A FONTE SUO. Varie ex Heb. efferunt: I. *graminceta quæ ſunt iuxta rivum, iuxta ripam*, ſeu *littus rivi*, hoc eſt iuxta rivum. II. *ripæ ad rivum, & ad oram rivi*. III. *diffuſiones herbarum vireſcentium*, ſeu *herbæ virentes ad rivum, & iuxta littus rivi*. IV. *effundendo ſuper fluvio, & ſuper ore rivi*, id eſt, ſuper fonte ubi naſcitur rivus, illic etiam effundetur. ערות *gharoth*, plerique ex collatione alterius vocis מערה *magharch*, Iudicum XX. 33. *graminceta, germina, olera virentia, herbas virides*, quaſi effuſiones, & humectationes terræ, exponunt. Nonnulli: *loca paſcua*. Alii, *ripas*, quaſi *nuditates* a nuditate & cavitate, quæ fluvii aut torrentis alluvione ſunt excavatæ. Buxtorfius: *Haroth, femineum plurale, papyri, iuxta quoſdam, quaſi pelliculæ dictæ, nam in prætenues & multiplices membranulas acu dividebantur, ut docet Plinius Lib.* XIII. *cap.* XI. Tremellius, & Iunius reddunt: *Papyri iuxta rivos, in ore*, ſeu *ora rivorum*. *Hanc*, inquiunt, *vocem haroth plerique pro* virentibus rebus *accipiunt, ex inepta comparatione, ſeu accommodatione loci alterius, ſcilicet Iudic.* XX. 33. *ſed nos cum notatione & forma vocis, tum antitheto in altera parte huius verſus poſito, adducimur ut interpretemur billon, ſive papyron. Nam vocis etymon & forma accedit ad alterum nomen, quo ſignificatur cutis, quia papyrus Nili in multas cutes ſive coria & plagas, ut artifices vocant, diſſecabatur arte: vox vero antitheta oſtendit hoc loco agi de rebus inſativis, quas producit Nilus, cuiuſmodi eſſe papyrum, ut carentem ſemine, teſtatur Plinius Lib.* XIII. *cap.* XI. *Accedit huc, quod papyrus una fuit ex præcipuis opibus AEgypti, quarum detrimenta commemorantem prophetam, non eſt credibile papyri oblitum fuiſſe, qui algam & iuncum nominaverit*. Montanus annotat, *gharoth* duplicem formam habere, alteram Infiniti, id eſt *nudare, effundere, adhærere, vireſcere*, ſive *humeſcere:* alteram nominis ſubſtantivi feminei pluralis, id eſt *nuditates, hærentias, effuſiones, viriditates*, ſive *amœnitates;* atque utramque complexus formam interpretatur: *virentia nuda, adhærentia effuſa ſuper rivum, ſuper os rivi*, ideſt ſecundum amnis ripas *virere, adhærere, effundi atque nudari* breviſſime conſpicientur hæc: ut ſignificet ſponte naſcentia feliciſſime a Nilo ali, e regione ſequentis membri antitheti, quod ſata deſcribit. ET OMNIS SEMENTIS IRRIGUA SICCABITUR, ARESCET, ET NON ERIT. Alii: *& omnis ſementis rivorum areſcet, depelletur, nec erit amplius*. Gradatio elegantiſſima,

qua ex ordine oſtenditur ut perrecturum ſit iudicium Dei in AEgyptiorum damna.

V. 8. ET MOEREBUNT. Heb. proprie: *Et afficientur*, ſeu *impellentur gravi cauſa & neceſſitate ad luctum*, vel *& dolebunt*, ſeu, *& natabunt in luctu:* ut ſupra cap. III. 26. exhauſtis videlicet rivis, vivariis & piſcinis ſuis. PISCATORES: ſummi opifices AEgypti, & apprime neceſſariam artem exercentes; quia AEgyptus plurimis piſcibus veſcebatur, ſuperſtitioſe a multis carnibus abſtinens, quia noxia animalia, quibus abundat Nilus, venabantur, ut docent hiſtorici. Atqui AEgyptios fuiſſe piſcandi arte inſignes, vel illa Cleopatræ ridicula cum Antonio piſcatio, quam narrat Plutarchus, facile oſtendit. ET EXPANDENTES RETE SUPER FACIEM AQUARUM EMARCESCENT. Tremellius, & Iunius: *& qui expandunt rete iaculum in ſuperficie aquarum, languebunt*. Sic vertimus ex Plauto illud retis genus quod Herodotus Lib. II. vocat *amphibliſtron*. Etenim *rete iaculum* accipiendum non pro illis permagnis plagis, quibus utuntur piſcatores multi, neque pro funda aut everriculo; ſed pro minoribus illis plagis, quas piſcator in ſuperficiem aquarum proiiciens revolvit & retrahit ad ſe peridromo aut reſte, piſcibus involutis: hoc enim genus ex eo demonſtrat Herodotus, quod eos qui in paludibus habitant, ſingulos narrat ſua habere retia, quæ per diem adhibeant piſcibus capiendis, per noctem vero circumdandis cubilibus adverſus culices conopeorum loco: atque ex hoc uſu probabile eſt hæc retia apud Hebræos nomen ſortita eſſe ab atrore culicum per noctem retibus iſtis inſidentium. Verba Herodoti poſuimus in Comm. ad Exod. VIII. 16. Vide etiam Pſal. CXL. 10. Etymologia vocis מכמורת *michmoreth*, ab atrore culicum nocturno, ridicula eſt, pluſquam mille paraſangis remota. Rectius alii a כמר *ehamar*, *cremare*, ſeu Chaldaice, *contrahere*, *concludere*, quod piſces trahat & concludat, ut etiam ardor contrahit aduſta: *rete*, *verriculum*, *ſagenam* exponunt. Forſterus *amphibliſtron* potius רשת *reſcheth*, reſpondere putat. EMARCESCENT. Heb. *emarcuerunt*, *elanguerunt*, *infirmati*, *debilitati*, *exterminati*, *exciſi fuerunt*. Vide ſupra cap. XVI. 8.

V. 9. CONFUNDENTUR QUI OPERABANTUR LINUM, PECTENTES. Varie reddunt ex Heb. I. *Et pudore ſuffundentur operantes lina pectinata*, ſeu *pexa*, ex quibus ſcilicet fiunt retia piſcatoria. Vide Eliam in Theſbite, in Radice שרק ſecunda. II. *Et pudore afficientur operantes lina optima*, *electa*, *præſtantia*, id eſt opifices linorum præſtantium. III. *operantes lina varia*, *multicoloria*, *quaſi punctis aſperſa*, ut Zachariæ I. 8. IV. *lina* eius coloris qui accedat ad vitis illud genus, quod ſignificatur voce שורק *ſorek*, ſupra cap. V. 2. V. *operantes lina ſerica;* id eſt, ex palmitibus ſeu ſurculis ſelectiſſimis facta. Proculdubio intelligunt *lina Xylina*, ſeu *goſſipina:* nam פשתים *piſchthim*, *lina*, hic *Xylina* accipiunt. Vide Exodi XXV. 4. & in Ioſue II. 6. Sed quid ſerico cum lino Xylino, quæ plurimum inter ſe differunt? Proinde alii ſubaudita coniunctione, accipiunt: *operantes lina, & ſerica;* vel *qui linum faciunt & ſericum*. VI. *Et erubeſcent opifices linorum, generoſorumque;* id eſt, præ inopia materiæ, quam inopiam iſti duodecim reguli effecerint derivato Nilo in ſtagnum Mæris, ſua expectatione deluſi omnes artifices ceſſabunt ab iſtis ſuis opificiis, quorum mercibus olim AEgyptus commendabatur. Plinius Lib. XIX. cap. I. *AEgyptio lino minimum firmitatis, plurimum lucri. Quatuor ibi genera, Taniticum, ac Peluſiacum, Buticum, Tentyriticum, cum regionum nominibus in quibus naſcuntur.* QUI OPERABANTUR. Heb. *ſervitio colentes*, vel *curantes*, *facientes*, *operantes*. PECTENTES. שריקות *ſerikoth*, alibi non legitur: voce conſentiente plerique *ſerica præſtantiſſima*, ſeu *multicoloria* exponunt, a voce *ſorek*, quæ vitem generoſam & præſtantis coloris ſignificat; vel a ſurculis & teneris mororum frondibus, quibus bombyces aluntur. Forerius a ſono quem edit dum contrectatur aut diſcinditur ſericum, ſic dictum exiſtimat: quod *ſcarak* Hebræis ſit *ſibilare*. Sed hoc ſeribitur cum *Scin* dextro, cum *ſerikoth* ſit cum ſiniſtro. ET TEXENTES SUBTILIA. חורי *chorai*, poſitum volunt pro חורים *chorim*. Varie convertunt: I. *& texentes plagas foraminuloſas*, vel *foraminulentas*, ſeu *retia perforata*. II. *& texentes pannos perforatos*, ſeu *foraminatos*, dum texuntur ad ornatum & elegantiam. III. *& texentes alba*, id eſt pannos albos. IV. *& plectentes naſſas*. V. *& textores alborum operum*, ex lino, byſſo, Xylino, aliiſque rebus pretioſis, quas profert AEgyptus: ut Eſther. I. 6. Plinius Lib. VII. cap. LVI.

Tex-

Textilia AEgyptii invenere .

V. 10. ET ERUNT IRRIGUA EIUS FLACCENTIA. Alii ex Heb. I. *Eruntque retia* (AEgypti) *contrita*. II. Forſterus: *Et erunt poſitiones eius contuſæ*, id eſt hami, qui in fundum aquarum ponuntur ad capiendum piſces. Alii tamen ita exponunt: *Et aggeres eius ſunt contuſi, ne ſcilicet aquas contineant*. Illud ſequitur Forerius. III. *Et erunt ſagenæ, naſſæ eius contritæ*. IV. *Et erunt fundamenta eius contuſa*, id eſt foſſæ, rivi. De rivis, foſſiſque, & chomatis, ſive aggeribus AEgypti, vide ſupra verſ. 6. V. Tremellius, & Iunius: *Denique erunt propoſitis ipſius contriti*, id eſt conſiliis, quæ AEgyptus ipſa, ſive ipſi principes AEgypti ſibi propoſuerint; quaſi dicat, Suis cædentur virgis. Concluſio incommoda ſummatim exponens tempore pacis ad AEgyptios perventura, de quibus inde a verſu quinto actum eſt: Miſer, inquit, populus, ut paucis abſolvam, non ab exteris, ſed a ſuis hominibus indigne occupabitur in officiis vaniſſimis & laborioſiſſimis, prout Iſraelitas ante occupaverant. OMNES QUI FACIEBANT LACUNAS AD CAPIENDOS PISCES. Varie alii ex Heb. I. *Omnes facientes clauſuram ſtagnorum animæ;* id eſt, qui ſtagna muro claudunt, ſive vivaria, in quibus ſunt animæ, id eſt piſces viventes. II. *Omnes facientes mercede ſtagna animarum*, id eſt piſcinas, vivaria. III. *Omnes facientes rete circumcludens*, vel *venationem*, *ſtagna animarum*. IV. *Omnes factores concluſionis*, ſeu *retis*, *in ſtagnis animarum*. V. *Omnes facientes excipulum*, *ſtagnaque animæ*, ſeu *deſiderii*, *aut voluptaria;* id eſt, omnes illi AEgyptii, quibus reges tamquam mancipiis, abiectiſque operis duriſſime abutentur: nam fecerunt illi canalem & inſtrumenta omnia eo pertinentia, ut excepta Nili aqua in ſtagnum Mœrios duceretur, & deduceretur de eo arbitratu regum. Erat enim ſtagnum ter mille ſexcentorum ſtadiorum in ambitum; quinquaginta paſſuum iuſtorum altitudine: vide Herodotum Lib. II. numer. 149. & Diodorum Siculum Lib. I. numero 33. & 34. שכר *ſecher*, cum *Scin* ſiniſtro, *mercedem*, *clauſuram*, *rete concludens* exponunt a סכר *ſachar*, cum *Samech*. Alii, *excipulum*, *locum in quo concluduntur aquæ*.

V. 11. STULTI PRINCIPES TANEOS. Heb. *Verumtamen ardeliones principes Tzohanis*. De voce אולים *evilim*, vide in Iob v. 2. De Tzohane vide in Numeror. XIII. 23. Quidam reddunt: *Enimvero ſtulti ſunt principes Tzohanis*. Secundus locus ſarcaſticus, ut diximus in verſ. 1. Vide infra verſ. 13. SAPIENTES CONSILIARII PHARAONIS, DEDERUNT CONSILIUM INSIPIENS. Alii ex Heb. I. *ſapientium conſiliariorum Pharaonis conſilium ſtultum eſt*, vel *infatuabitur* II. *ſapientum & conſiliariorum Pharrhonis conſilium obbruteſcet*. Proprie, *belluinum*, *brutum factum eſt*: vel *infatuatum eſt*. QUOMODO DICETIS. Apoſtrophe ad conſiliarios & adulatores aulicos, quos reprehendit cum mendacis adulationis nomine, hoc verſu; tum ignorationis, verſu ſequente, PHARAONI. Sethon, exponunt, ut diximus in verſ. 1. Regi contempto & ſtolido. Verum Herodotus Sethonem non ſtolidum deſcribit, ſed militaribus viris inſenſum, & ab iis contemptum; immo pium, & diis carum, & ab iis contra Sanacheribum adiutum, refert. Quidam reddunt: *pro Pharaone*, ſeu *in perſona Pharaonis*, vel *de Pharaone*. FILIUS SAPIENTIUM EGO: vel *filius ſapientium ſum*, id eſt quidam veluti alumnus ſapientiæ, quæ permanſit apud maiores meos. Erat enim Sethon Vulcani ſacerdos. Sacerdotes autem AEgyptii, inquit Diodorus Siculus Lib. I. Num. 46. ſummam ex eruditione prudentiam ad rempublicam afferebant. Hi namque ut Senatus principes, regi perpetuo erant præſto, qua opera, qua conſilio & doctrina ipſum adiuvantes. Et Herodotus Lib. II. Num. 160. AEgyptios hominum ſapientiſſimos prædicat. FILIUS REGUM ANTIQUORUM. Heb. *Filius regum antiquitatis*, ſeu *prolixitatis*, vel *anterioritatis*, ſive *originis*. Quidam: *ego de priſcorum regum ſtirpe prognatus ſum*. Alii: *filius regum antiquiſſimorum*. Nam Sacerdotes AEgyptii iactabant a primo rege ad Sethonem hunc progenies hominum fuiſſe trecentas quadraginta unam, & totidem in terra pontifices & reges: vide Herodotum Lib. II. Numero 142. Et alioqui AEgyptii omnium hominum ſe primos exſtitiſſe arbitrabantur, ut idem Herodotus Lib. II. Num. 2. tradit.

V. 12. UBI NUNC SUNT SAPIENTES TUI? Quidam reddunt: *Ubi ſunt illi? Ubi nam ſapientes tui?* Nimirum reges maiores tui: apoſtrophe ad regem. ANNUN-

TIENT TIBI, ET INDICENT QUID COGITAVERIT DOMINUS EXERCITUUM SUPER AEGYPTUM. Alii: *qui indicent iam tibi?* id eſt, conſilia bona proponant tibi, & proſpiciant regno, ut fidos conſiliarios & bonos viros decet: *cognoſcant igitur quid conſilii ceperit Iehova exercituum contra AEgyptum.* Tranſitio ad ſequentem locum; quaſi dicat: Veniant ſaltem, & attendant ad ea quæ amplius ſum denuntiaturus.

V. 13. STULTI FACTI SUNT PRINCIPES TANEOS. Alii: *Stulte agent principes Tzoanis.* Tertius locus ut diximus in verſ. 1. quo exponit Propheta primum conturbationem ſummatum, populi, & totius regni, a præſentibus malis, tribus verſibus: deinde conſternationem & metum ab aliis opinione conceptis, verſ. 16. & 17. *Principes Tzoanis*, quorum divulſis conſiliis diſtractum fuit regnum, ut ſupra diximus ad verſ. 2. Hebræa reddi poſſunt: *Stultuerunt, auſi fuerunt, aggreſſi fuerunt, attentarunt, reſolverunt, diſſoluti fuerunt, principes Tzoanis.* Quando ſcilicet a Pſammeticho victi & profligati ſunt. De verbi יאל *iaal*, ſignificatione vide Geneſ. XVIII. 27. Aliqui exponunt: *Infatuati ſunt, obtuſi facti ſunt, inſanierunt, ardeliones, temerarii facti ſunt principes Tzohanis.* EMARCUERUNT PRINCIPES MEMPHEOS. Verbum נשא *naſcha*, cum *Scin* dextero in Niphal omnia iſta complectitur: *obruti, obtuſi ſunt, decepti ſunt, ſeducti ſunt, deſolati, deſtructi ſunt, hallucinati ſunt, in naſſam coniecti ſunt.* Nimirum a Pſammeticho, facto illo phialæ aureæ, & oraculo Latonæ, & auxiliaribus copiis Arabum, Ionum, & Carum, ut late referunt Herodotus Lib. II. Num. 151. & 152. Diodorus Siculus Lib. I. Num. 42. De notione verbi *naſcha*, vide notas in Gen. III. 13. MEMPHEOS. Heb. *Noph.* Confirmant omnes eſſe *Moph*, Hoſee IX. 6. ſic dictam quidam volunt a Mophi monte propinquo, cuius meminit Herodotus Lib. II. Numer. 28. Sed id ridiculum, cum Mophi Herodoti ad Syenem, longiſſime abfuerit a Memphi. Ceterum Noph ſeu Moph ipſam eſſe Memphim, uno ore omnes aſtruunt. Fuit quondam AEgypti regia, & clariſſima urbium, uti Diodorus Siculus Lib. I. Numer. 32. Strabo Lib. XVII. pag. 807. Plinius Lib. V. cap. 9. Ptolemæus Lib. IV. cap. 5. produnt: condita a Mene rege, ut auctor eſt Herodotus Lib. II. Num. 99. vel ab Uchoreo, ut Diodorus ait. Ab Apc conditur Numero Euſebiano CCLXXIX. & DXXV. amplitudine ſua, pyramidibus & regum monumentis inſignis, de quibus Herodotus Lib. II. Num. VIII. Diodorus Lib. I. Num. 33. & 39. Strabo ibidem, Plinius Lib. XXXVI. cap. XII. Hanc eam eſſe, quæ Cayrum nunc dicitur, exiſtimant: ſed Cayrum eſſe Babylonem AEgyptiam, diverſam a Memphi, pluribus Lib. III. de Antichriſto, cap. XVI. demonſtravimus. Notant, principes hic a Propheta hoc pacto diſtribui, eo quod ii duo ſummi conventus in AEgypto eſſent, *Tzohan* mare Mediterraneum, *Noph* AEthiopium verſus. DECEPERUNT AEGYPTUM, ANGULUM POPULORUM EIUS. Alii ex Heb. I. *& errare facient AEgyptum* illi qui putabantur eſſe *angulus tribuum eius*; id eſt, illi ſapientes, quibus ſe tamquam angulis munitos gloriabantur AEgyptii: ut enim angulis fulcitur ædificium, ita & illis ſuſtinebatur reſpublica. II. *& errare fecerunt AEgyptum anguli familiarum eius*, id eſt principes ac proceres, quibus ut angulis firmiſſimis nitebatur AEgyptus. III. *& ſeducent AEgyptum angulum tribuum illius*: ſeu *uſque ad extremitatem tribuum illius*, ut Iudic. XX. 2. id eſt, univerſam conturbabunt, nullus erit nomos liber ab iſtorum inſania.

V. 14. DOMINUS MISCUIT IN MEDIO EIUS SPIRITUM VERTIGINIS. Varie alii ex Heb. I. *Iehova infudit, miſcuit, in medio eius ſpiritum incurvationum*, id eſt vertiginum. II. *ſpiritum perverſitatum*. III. *ſpiritum divaricantem*. Notant עועים *ghiughim*, eſſe nomen geminatum a עוה *ghavah*, *ſpiritum incurvationum, diſtortionum, perverſitatum*, ut geminatio ſignificatum intendat; quaſi dicat, Spiritum maximarum perverſitatum ac diſtortionum. IV. *Iehova miſcente in medio eius ſpiritum perturbatiſſimum*; id eſt, fundente in intimum eius efficacitatem erroris, quem velut medicatum populum exhauriant, ut ſummatum animi iudicia, conſiliaque pervertantur: efficient duodecim illi reges, & principes hoc malum graviſſimum, & inſania ſua miſerum populum in tantas anguſtias conicient, ut neque bono in opus incumbere poſſit, neque conſilium capere.

Nam

Nam inde a Pſammeticho regnum AEgypti continenter infeſtum fuit maximis calamitatibus, ut ex Herodoto & Diodoro Siculo cognoſcitur: elegans allegoria. SICUT ERRAT EBRIUS ET VOMENS. Alii ex Heb. I. *ſicut volutatur ebrius in vomitu ſuo*: nam verbum eſt ex Niphal. II. *oberrat*, *errore circumagitur ebrius*, &c.

V. 15. ET NON ERIT AEGYPTO OPUS, &c. Alii hunc verſum ex Hebr. transfundunt: I. *Nec erit AEgypto opus ullum*, *quod faciat caput vel cauda*, *ramus vel iuncus*; id eſt, neque magnates, neque plebeii agent quidquam, quod ſit illis utile aut commodum. Caput & ramus, homines primarii: cauda & iuncus, plebeii & infimi; idem dicit duplici allegoria. II. *Et non habebit AEgyptus opus*, *quod faciat caput neque cauda*, *ramus neque iuncus*; id eſt, neque magni, neque nobiles, neque ignobiles habebunt quod faciant. Vel in accuſandi caſu, *caput neque caudam*, *ramum neque iuncum*; id eſt, nihil parvi aut magni habebit, quod faciat. III. *Exiſtet in AEgypto opus nihil*, *quod faciat caput aut cauda*, *ramus aut iuncus*; id eſt, nihil ad exitum perducetur, ſive inſtituerint ſummi, ſive infimi, adeo erunt perturbata omnia. Hoc autem effectum eſſe vel ex eo liquet, quod Pſammetichum in obſidenda Azoto fuiſſe occupatum per annos viginti octo, narrat Herodotus Lib. II. Numero CLVII. ad hæc defectione ſuorum magna rerum perturbatio in AEgypto extitit, ut prodit Diodorus Siculus Lib. I. Num. XLIII. De locutione iſta *caput & cauda*, *ramus & iuncus*, vide ſupra cap. IX. 14.

V. 16. ET STUPEBUNT, ET TIMEBUNT. Alii ex Hebr. I. *& trepidabit*, *& expaveſcet*. II. *& tremet*, *& expaveſcet*. III. *horrebit*, *ac pavebit*. IV. *trepidabit enim*, *& pavebit*. A FACIE COMMOTIONIS. Heb. *elevationis*, *ventilationis*, *agitationis*. Quidam: *propter agitationem*, vel *ab agitatione manus Iehovæ*.

V. 17. ET ERIT TERRA IUDA AEGYPTO IN PAVOREM. Ex Heb. alii: I. *in commotionem*, vel *terrorem*, aut *terriculamentum*. II. *feſto*, *in feſtum*, *in feſtivitatem*, *tripudium*, nam diebus feſtis tripudia agitantur: ſermo ironicus. III. *Eritque terra Iehudæ AEgypto titubationi*; id eſt, non tantum a Deo, verum etiam a populo eius ſibi metuent AEgyptii, & ſola recordatione afficientur graviter. Sic alludit Propheta ad ſermonem AEgyptiorum, Exod. XIV. 25. IV. Forſterus, Mercerus, Forerius, Avenarius exponunt: *Et erit terra Iehudah AEgypto in circuitionem*, *circumagitationem*, *circumrotationem*, *circulationem*, *feſtivitatem*, ſcilicet, præ metu, non lætitia: nam perſiſtit in alluſione ad תנופה *tenuphah*, præcedentis verſus, nempe *agitandam*; id eſt, oblationes & cultus, quos Deus peraget cum AEgyptiis, non lætos illos & gratos, quales in lege, ſed triſtes & funeſtos; quaſi dicat: Futuræ ſunt AEgypto a Deo & populo eius aliæ movendæ, agitandæ, oblationes, alii cultus, & aliæ circumagitationes ſeu feſtivitates quam quæ in lege Dei inſtitutæ ſunt, quæ lætæ erant & iucundæ. OMNIS QUI ILLIUS FUERIT RECORDATUS, &c. Alii: *quicumque mentionem fecerit eius apud ſe*, *pavebit*: *propter conſilium Iehovæ exercituum*, *quod capturus eſt contra eam*.

V. 18. IN DIE ILLA ERUNT QUINQUE CIVITATES IN TERRA AEGYPTI, LOQUENTES LINGUA CHANAAN. Heb. *labio Chenahan*, id eſt ſermone, lingua, ut Geneſ. XI. 1. S. Hieronymus: *Oſtracinam intelligi volunt*, *& ceteras iuxta Rhinocoluram*, *& Caſium civitates*, *quas uſque hodie in AEgypto lingua Chananitide*, *hoc eſt Syra*, *loqui maniſeſtum eſt*: *& putant e vicino Syros atque Arabas a Nabuchodonoſor in illam terram fuiſſe translatos*. Quidam exponunt: *Tempore illo*. Secunda pars capitis de vocatione gentium, in qua duæ partes explicantur; prior de communicatione cum Deo, uſque ad v. 23. poſterior de communicatione cum Eccleſia, qua delectatur Deus, tribus ultimis. Tempus autem illud intelligit, quo gentes ſerio metu Dei perculſæ committent ſe illi, illum alloquentur ut populus ipſius, & fidem dabunt illi: quod ſynecdochice AEgypti nomine intelligitur, quemadmodum AEgypti & Aſſyriæ infra verſ. 23. *erunt quinque civitates in terra AEgypti*, *loquentes ſermone Cenahanæo*, id eſt certæ civitates, quæ certo definitæ ſunt in conſilio Dei ad vitam æternam: numerus finitus pro infinito. Quidam obſervant, quod cum olim AEgyptus in plurimas præfecturas ſeu *nomos*, ut vocant AEgyptii, diſtributa fuerit, de quibus Herodotus Lib. II. Num.

CLXIV. Diodorus Lib. I. Numer. XXXV. Strabo Lib. XVII. pag. 787. Plinius Lib. V. cap. IX. Ptolemæus Lib. IV. cap. V. fortaſſe initio ſtatim prædicationis Evangelicæ, quinque tantum ex his nomis ad fidem Chriſti converſi fuerint. Aut forte ſignificat Propheta, quinque præcipuos conventus ſacros AEgypti, & præter hos ſextum Heliopolitanum, qui hic ſubiungitur, fidem Chriſti amplexuros. Hos conventus Herodotus Lib. II. Numer. LXIX. ita nominat: I. in urbe Bubaſti, in honorem Dianæ. II. in urbe Buſiri, in honorem Iſidis. III. in urbe Sai, in honorem Minervæ. IV. Heliopoli, in honorem Solis. V. in urbe Buti, in honorem Latonæ. VI. in urbe Papremi, in honorem Martis. IURANTES PER DOMINUM EXERCITUUM. Heb. eſt participium Niphal: *iuratæ*, ſeu *iuramento obſtrictæ ipſi Iehovæh exercituum*. Quidam reddunt: *quæ iusiurandum præſtent Iehovæ exercituum;* id eſt, quæ fidei Chriſti iuramento ſe obſtringant. CIVITAS SOLIS. Heb. eſt duplex lectio: prima, *civitas* חרס *cheres*, cum *Cheth*, id eſt *ſolis*, quam *Heliopolin* Græci appellarunt, de qua Herodotus Lib. II. variis locis, Diodorus Lib. I. Num. XXIX. Strabo Lib. XVII. pag. 805. & 806. Plinius Lib. V. cap. IX. extremo, Ptolemæus Lib. IV. cap. V. S. Hieronymus: *Hunc locum non intelligens Onias templum extruxit in AEgypto in oppido Heliopoleos*. Lege Ioſephi Hiſtorias Lib. XII. Antiquitatum, cap. VI. Alii, ut S. Hieronymus refert, *Civitatem Teſtæ* interpretantur, id eſt *Oſtracinam*, AEgypti urbem non longe a Rhinocolura, de qua Ptolemæus Lib. IV. cap. V. & Antonini Itinerarium. Altera lectio eſt, *civitas* הרס *heres*, cum *He*, id eſt *diruitionis*, *deſtructionis*, *devaſtationis*. Tremellius, & Iunius exponunt: *civitas deſtructionis dicitur unaquæque*, id eſt ſervata, educta ex deſtructione, ereptaque divinitus, quaſi dicat, Reliquias civitatum, ut reliquias populi nominavit ſupra cap. I. 9. & cap. X. 21. ſimile genus conſtructionis vide infra cap. XXV. 6. CIVITAS SOLIS VOCABITUR UNA. Heb. *Urbs ſolis dicetur uni*: ſenſus anceps, vel *uni*, ex ipſis quinque; vel *uni*, præter iſtas quinque: quem ſenſum paulo ſuperius prætulimus. Quidam: *Civitas ſolis dicetur primæ*, id eſt primariæ & præcipuæ urbi AEgypti: talis fuit Heliopolis.

V. 19. IN DIE ILLA ERIT ALTARE DOMINI IN MEDIO TERRAE AEGYPTI. Alii: *Tempore illo erit Iehovæ altare in media terra AEgypti;* id eſt, coletur Deus: ſynecdoche. Et id quidem commode accipi poſſit de gregibus illis ſanctorum monachorum, qui poſt Paulum & Antonium AEgyptum totam impleverunt, culta egregie per illos gloria nominis Dei. S. Hieronymus: *Quamquam ſub Onia Ioſephus hæc facta contendat: qui profugus in AEgyptum, cum turba plurima Iudæorum ædificavit templum & altare: & prophetiam Chriſti caſſa implere temeritate conatus*. Vide Ioſephum Lib. XIII. Antiq. cap. VI. & Lib. VII. Belli Iudaici, cap. XXX. ET TITULUS DOMINI IUXTA TERMINUM EIUS. Alii ex Hebr. I. *& ſtatua iuxta terminum eius, ipſi Iehovæ*, id eſt titulus, columna, pyramis, monumentum inſcriptum ipſi Iehovæ, ad terminos ipſius AEgypti. Sic ſumitur hæc vox Geneſ. XXXV. 14. & 20. vide Geneſ. XXVIII. 18. II. *& ſtatio iuxta terminum eius*, ſcilicet AEgypti, *ipſi Iehovæ:* ut indicet Deum iuxta terminos AEgypti habiturum ſtationes militares, & præſidia limitanea ad propugnandum AEgyptum, quibus fides Chriſtiana tuto & ſecure in ea provincia degat ac ſtabiliatur. Quod equidem recte congruit in ſancta illa agmina & acies monachorum, quæ velut in ſtatione divina per omnes oras AEgypti primis Eccleſiæ ſæculis ſtrenue excubabant: ſic ſumitur hæc vox I. Samuel. XIV. 12.

V. 20. ET ERIT IN SIGNUM, ET IN TESTIMONIUM DOMINO EXERCITUUM IN TERRA AEGYPTI, &c. Quidam exponunt: Eritque in ſignum & teſtimonium de Iehova exercituum, cum inclamant Iehovam propter oppreſſores, immittere eis ſervatorem & magnatem, qui eripiat eos; id eſt, erit monumentum & profeſſio publica, quam AEgyptii ſtatuent ad teſtandam fidem & communionem ſuam cum Deo & Eccleſia eius, & ad cognoſcendam grato animo miſericordiam Dei, ſervantis reliquias ex beneplacito voluntatis ſuæ: quibus nominibus Iſraelitæ olim poſuerant monumenta, Ioſue IV. & XII. ſic accipiendum eſſe, verſus ſequentes docent. CLAMABUNT ENIM AD DOMINUM. Heb. *Quia exclamabunt ad Iehovah*. Alii: *Cum*, vel *quod clamaverint ad Iehovam*. ET PROPUGNATOREM. רב *rab*, *multum*, *magnum*, *am-*

plum

pilum, *magnatem*, *doctorem*, *magiſtrum*, *ducem*, *imperatorem*, *præſidem*, *præfectum*, *primatem*, *ſummatem*; id eſt, auctorem omnis boni Chriſtum.

V. 21. Et cognoscetur Dominus ab AEgypto, &c. Hunc verſum dilucidius alii ex Heb. explicant: *Ita innoteſcet Iehova AEgyptiis, agnoſcentque AEgyptii Iehovam tempore illo: & colent ſacrificio & munere, & voventes votum Iehovæ pendent;* id eſt, his modis oſtendent ſe natura officioque & operibus Dei ita confirmatos eſſe de ſalute ſua, ut in maximis anguſtiis glorientur de fide in Deum, & ſpe certa liberationem ab eo expectent.

V. 22. Et percutiet Dominus AEgyptum, &c. Alii hunc verſum ita reddunt: I. *Et percutiet Iehova AEgyptum, percutiendo & ſanando;* id eſt, infliget vulnera, ſed ſanabilia; quaſi dicat: Ita percutiet ut non perdat; corripiet enim eos, ut revocet eos ad ſe: *& convertentur uſque ad Iehovam, & placabitur eis*, vel *exorabitur ab eis;* id eſt, orationem eorum exaudiet: *& ſanabit eos*. II. *Si plaga afficit Iehova AEgyptum, plagis quidem afficiet & ſanat;* quaſi dicat, Communicabit cum eis promiſſiones factas Davidi II. Samuel. vii. 14. *Cum converſi fuerint uſque ad Iehovan, exorabitur eis, & ſanabit eos;* id eſt, hoc ipſius eſt officium atque auctoritas; ut I. Samuel. ii. 6. ac proinde præſtabit ſuis, ut ſequentia docent.

V. 23. In die illa erit via de AEgypto in Aſſyrios, &c. מסלה *meſillah*, *via ſtrata*, *trita*, *actus*, *via regia*. Aliqui: *Tempore illo erit agger ex AEgypto in Aſſyriam, qua commeent Aſſyrii in AEgyptum, & AEgyptii in Aſſyriam: ut colant AEgyptii cum Aſſyriis;* id eſt, erit communio & communicatio ſpiritualis, & eccleſiaſtica fidei, & ſacramentorum, & aliorum officiorum Chriſtianorum, inter diverſiſſimas gentes; quæ allegorice humanis communicationibus figuratur.

V. 24. In die illa erit Israel tertius AEgyptio et Assyrio. Heb. *erit Iiſrael*, ſeu *Iiſraelitarum gens triplicitas, triplicatio, ternarius*. Alii: *triplicatus, tertiarius, tertius;* id eſt, Tempore illo Iiſraelitarum gens adiungetur tertia AEgyptiæ & Aſſyriæ; quaſi dicat, Facient unum ovile & unam eccleſiam. Aliqui exponunt, *Tertius*, id eſt intermedius, mediator, conciliator: ſic Hiſpanice dicimus *Tercero*. Nonnulli conſtruunt: *tertia benedictio*, quod שלישיה *ſceliſchiiah*, ſit femincum. Sed potius videtur ſubſtantivum: vide ſupra cap. xiii. 5. Benedictio in medio terrae: id eſt, omnium bonorum cornucopiæ erit e Deo per Chriſtum in tota terra. Quidam reddunt: *denique benedictio in medio populo terræ;* id eſt, communio hæc erit poſterorum Chami cum Iephethi poſteris, & utrorumque cum Iiſraelitis ex genere Schemi, ut prædixerat Noach Geneſ. ix. 27.

V. 25. Cui benedixit Dominus exercituum, &c. Alii: *Cui benedicturus eſt Iehova exercituum, dicendo: Benedictus populus meus AEgyptius, & opus manuum mearum Aſſyrius, & poſſeſſio mea Iiſraeliticus;* id eſt, omnes populi totius terræ benedictione perfundentur in Chriſto. Synecdoche: vide Galat. iii. 8.

MENOCHII.

Verſ. 1. Onus, id eſt durum, & triſte vaticinium contra AEgyptum. Dominus ascendit super nubem levem. Dicuntur hæc Poetice; fingitur enim Dominus vindex nube quaſi curru vehi. Levem, celerem. Commovebuntur simulacra AEgypti; quaſi dicat: Aſſyrii ſpoliabunt, & diripient templa, deoſque aureos, & argenteos AEgyptiorum, eoſque cum AEgyptiis in Babylonem captivos abducent, ut ait Ierem. cap xliii. 2. Tabescet: timore, & mœrore ſolvetur.

V. 2. AEgyptios contra AEgyptios: diſcordes animis, aliquibus Aſſyriis dedere iubentibus, aliis vero repugnantibus. Regnum adversus regnum. LXX. habent νόμος ἐπὶ νόμον, id eſt *præfecturam adverſus præfecturam*. Dirumpetur spiritus AEgypte in visceribus eius. Idem eſt, quod dictum eſt ſuperiori verſiculo, *cor AEgypti tabeſcet*. LXX. habent, *Turbabitur ſpiritus*. Pagninus, & Vatabl. vertunt *evacuabitur*. Praecipitabo: conſilium ac mentem illi eripiam. Pythones. Vide dicta I. Reg. xxviii. 7.

V. 5. Arescet aqua de mari. Exaggeratio calamitatis; quaſi dicat: Prorſus aquis deſtituetur Nilus, ex quo fecunditas pendet totius AEgypti. Vocat autem Nilum

lum *mare*, quia Hebræi congregationes aquarum, & lacus appellant maria. RIVI AGGERUM: rivi fluentes inter aggeres.

V. 7. A FONTE; quaſi dicat, Deſinente fonte aquas mittere.

V. 8. EMARCESCENT. LXX. *lugebunt*.

V. 9. QUI OPERABANTUR LINUM: quod propter ariditatem ſoli provenire non poterit. Linum humens ſolum exigit. SUBTILIA: ſubtile linum. LXX. *byſſum*.

V. 10. FLACCENTIA, deficientia. OMNES; ſcilicet confundentur, id eſt mœrebunt.

V. 11. PRINCIPES TANEOS: Tanis erat metropolis AEgypti, & regia Pharaonis. SAPIENTES CONSILIARII: qui ſibi, & aliis videntur ſapientes. DICETIS; perſuadetis. PHARAONI: ut ſcilicet ipſe cogitet, & dicat; eſt enim mimeſis, & expreſſio verborum ipſius Pharaonis. FILIUS SAPINTIUM, &c. quaſi dicat: Hereditaria, & quaſi naturalis eſt mihi ſapientia, & faſtigium regale, ideoque iis excidere non poſſum.

V. 12. ANNUNTIENT TIBI, &c. quaſi dicat: Vide an ſignificare tibi poſſint quid de regno, & capite tuo ſtatuerit Deus.

V. 13. EMARCUERUNT. Pagninus, & Vatablus vertunt, *erraverunt*. ANGULUM POPULORUM EIUS: quæ omnium populorum quos ſibi ſubiugaverat, aut fœdere adiunxerat, firmamentum erat, & decus.

V. 14. MISCUIT, id eſt propinavit, ut ſolet vinum. SPIRITUM VERTIGINIS. Chald. & LXX. vertunt, *ſpiritum erroris*. Intelligendum eſt hoc non poſitive, directe, & cauſaliter, quaſi Deus proprie cauſaverit & produxerit cæcitatem, & ſpiritum erroris; ſed permiſſive, indirecte, & occaſionaliter. ERRARE FECERUNT, ſcilicet Principes Taneos.

V. 15. OPUS QUOD FACIAT CAPUT, ET CAUDAM, id eſt conſilia AEgyptiorum erunt inutilia, & noxia. Italice dicimus: *Non averanno nè capo, nè coda*. Vel, *quod faciat caput & caudam* idem eſt ac, quod arguat, ac demonſtret in eo gerendo fuiſſe *caput*, id eſt principem ſenem, & ſapientem virum, & *caudam*, id eſt iuvenem ſubditum, ſtrenue iuſſa facientem. INCURVANTEM, ET REFRAENANTEM. Idem eſt quod *caput & cauda*; itaque LXX. vertunt, *Principium & finem*. Vide dicta cap. IX. 14. ubi hoc idem explicatum eſt. Refrænans hoc loco ex D. Hieronymo & aliis, iuvenem ſignificat, qui refrænare debet inconditos animi motus, ut ſenſus ſit: Non erit ab incurvo ſene prudens conſilium, nec a iuvene opus reip. utile.

V. 16. QUASI MULIERES: timidi, & languidi. MANUS DOMINI, ultricis.

V. 17. ERIT TERRA IUDA AEGYPTO IN PAVOREM; id eſt, etiam ipſum Iudæ nomen pavebunt. Vel certe pavor reverentiam ſignificat, unde S. Hieronymus explicat, *ſolemnitatem*. Hoc autem accidet AEgypto cum Chriſtiana ſacra ſuſcipiet. PAVEBIT: timebit, vel admirabitur, iuxta proxime dicta.

V. 18. QUINQUE, id eſt multæ; numerus finitus pro indefinito. LOQUENTES LINGUA CHANAAN, id eſt loquentes Hebraice; nam habitabant in terra Chanaan. Significatur AEgyptios, abiurata idolorum ſuperſtitione, veram religionem ſuſcepturos, quæ illis manavit ab Iudæa per Chriſtum. IURANTES PER DOMINUM, id eſt illum colentes, & ut Deum reverentes, & per illum, cum opus eſt, iurantes. CIVITAS SOLIS VOCABITUR UNA; id eſt, una ex iſtis erit Heliopolis: hanc potiſſimum nominat, quia in ea præcipue idolorum ſuperſtitio vigebat, & erat civitas eorum ſacerdotibus deſtinata.

V. 19. IN DIE ILLA: cum Chriſtianam religionem profeſſa fuerit AEgyptus. TITULUS DOMINI: templa, cruces, & alia ſigna Chriſtianæ pietatis. IUXTA TERMINUM EIUS id eſt in finibus AEgypti.

V. 20. ET ERIT IN SIGNUM ET TESTIMONIUM, &c. erunt ſigna & teſtimonia quod regio illa ad Chriſtum tranſierit. CLAMABUNT ENIM, &c. id eſt, ſi incidat illis tribulatio, verum Deum invocabit, qui eos a periculis, & malis eruet.

V. 22. ET PERCUTIET DOMINUS AEGYPTUM, &c. quaſi dicat: Vaſtabit Deus AEgyptum tum per Aſſyrios, tum per Chaldæos; ſed poſt 40. annos eam ſibi reſtituet, ut prædixit Ezechiel XIX. 23. Vel potius ſenſus eſt: Deus AEgyptios iam Chriſtianos factos caſtigabit interdum, cum peccaverint, ut ad mentis ſanitatem eos revocet.

V. 23. VIA DE AEGYPTO IN ASSYRIOS, id eſt mutua pax & commercium. SERVIENT AEGYPTII ASSUR. Ex Hebræo cum Vatablo & Montano verti poteſt, *Colent Dominum AEgyptii cum Aſſyriis*.

V. 24.

V. 24. Tertius: qui ſcilicet æque ut AEgyptii, & Aſſyrii Chriſtum colat. Benedictio in medio terrae; quaſi dicat: Et Chriſtus per quem omnes gentes benedicentur, erit primum in medio terræ, hoc eſt in Iudæa, & inde ad alias nationes eadem benedictio manabit.

V. 25. Dicens, Benedictus, &c. inde derivabit ſuam benedictionem ad alios populos, dicens: *Benedictus populus*, &c.

TIRINI.

Verſ. 1. Dominus ascendet super nubem levem, qua tamquam rheda, ſeu vehiculo, ſumma celeritate ſimul ac maieſtate in AEgyptum invehatur: de qua nube vide Pſal. xvii. 11. Symbolum eſt copiarum regis Aſſyrii *Sennacherib a*, & Chaldæi *Nabuchodonoſoris b*, quæ inſtar nubis obumbrarunt AEgyptum, eamque ſuis fulminibus, telis & gladiis confecerunt duce & adiutore Deo: ita S. Hieron. Haymo, Hugo & Lyranus: qui cum S. Athanaſio, Procopio, Auguſtino, Theodoreto & Euſebio id Allegorice exponunt de Chriſto ulnis B. Virginis in AEgyptum invecto. Et commovebuntur, ſeu loco ſuo deiicientur, simulacra AEgypti aurea & argentea, quæ Aſſyrii & Chaldæi cum aliis ſpoliis ſecum auferent, Ieremiæ xliii. 12. Allegorice, vitia & errores mundi contrivit Chriſtus, inquit Tertullianus *c*.

V. 2. Concurrere hoſtiliter faciam regnum unum AEgypti adversus aliud regnum; LXX. *provinciam adverſus provinciam*, ſatrapiam, vel præfecturam, unam adverſus aliam. Cum enim Aſſyrii invaderent AEgyptum, quædam provinciæ, ſeu præfecturæ, (quas Ortelius in AEgypto recenſet *66.*) Aſſyriis ſe dedere volentes, inſurrexerunt etiam armis adverſus alias quæ ſe dedere nolebant. Qua diſſenſione & mutua cæde factum, ut Sennacherib nullo negotio ſubigeret AEgyptum.

V. 5. Arescet; id eſt, rarior & humilior fiet, aqua de mari, atque ita exſuget mare aquam *Nili*, unde & ipſe siccabitur; & per conſequens, ſterilitas & fames erit per totam AEgyptum, cujus omnis fecunditas a Nili *d* exundatione dependet. S. Hieron. metaphorice per *mare* & *fluvium* intelligit regnum & regem AEgypti; per *rivos*, duces; per *calamum*, *iuncum*, *papyrum*, &c. opes & merces AEgypti, quas omnes ab hoſte rapiendas hic prædicit Iſaias.

V. 11. Principes Taneos. Tanis erat AEgypti metropolis, & regia Pharaonis, ubi Moyſes olim cum Pharaone diſceptavit, & decem *e* plagas AEgypto inflixit. Quomodo dicetis Pharaoni, timeam ego ſeu Aſſyrios, ſeu Chaldæos? Filius sapientium ego, filius tot regum antiquorum; quaſi dicat: Sapientia æque ac regia potentia mihi hereditaria eſt, & quaſi naturaliter debetur ex proſapia tot ſæculorum: unde non eſt quod timeam externum hoſtem: ita Haymo, Forerius, Sanchez & a Lapide. Ridet Propheta ſtultam AEgyptiorum iactantiam, qua gloriari ſolebant ſe primos eſſe omnium populorum, & multis annorum millibus alios præverti ſſe.

V. 13. Memphis, altera e principibus urbibus AEgypti, cuius meminit paſſim Scriptura *f*. AEgyptum angulum populorum; id eſt, quæ inſtar anguli, ſeu lapidis angularis ſtringit, ſtabilit ac firmat vicina omnia regna. Sic *g* Chriſtus vocatur *caput anguli:* & Helvetii *cantones*, id eſt anguli; quaſi dicat: Tuum eſt, o Pharao, tueri omnes alios adverſus vim hoſtilem, ſi quæ ingruat: tuus titulus eſt, tuum avitum ſtemma, quod ubique audis defenſor & protector omnium populorum; & tu nunc timeas Aſſyrium vel Chaldæum tyrannum?

V. 15. Non erit in AEgypto opus; id eſt, nihil ibi geretur, quod faciat, id eſt quod arguat, ſeu reipſa demonſtret, eſſe inter AEgyptios caput, id eſt principem aliquem, et caudam, id eſt ſubditos obedientes, ut decet: vel quod referat, eſſe aliquem incurvantem, ſeu dominum, et refraenantem equos, id eſt ſervum domino obſequentem, ut dixi cap. ix. 14. quaſi dicat: Summa erit in tota AEgypto rerum omnium perturbatio & confuſio.

V. 16. Erit AEgyptus quasi mulieres: nempe carebit prudentia ad conſulendum, & fortitudine ad agendum.

V. 17. Et erit terra Iuda AEgipto in pavorem; id eſt, non timebunt tunc amplius Iudæi (ut ſolent) AEgyptios, ſed e contrario AEygptii Iudæos.

V. 18. In die illa, id eſt poſt illam cladem, erunt quinque, id eſt multæ, civitates AEgypti, loquentes lingua Chanaan, id eſt Hebraica, ſeu lingua tunc Iudæis familiari, Syriaca. Nec linguæ tantum, ſed & religionis eorumdem ſtudioſæ erunt; quaſi dicat: AEgyptus ſuſcipiet fidem & cultum veri Dei & Chriſti, loqueturque chriſtiane, ut loquentur Apoſtoli, aliique Iudæi ad Chriſtum converſi: ita S. Cyrill. & alii SS. Patres. Nota, per quinque civitates primarias, ſeu metropoles quas Ezechiel cap. xxx. nominatim recenſet, *Tanim*, *Memphim*, *Alexandriam*, *Bubaſtum* & *Heliopolin* deſignari univerſam AEgyptum, vel certe nobiliorem partem illius. Heliopolis, id eſt civitas solis, hic præ ceteris nominatur, quod illic præcipue vigeret cultus *ſolis* aliorumque deorum; unde & ſacerdotum erat illa civitas, teſte Strabone; quaſi dicat: Etiam illa civitas quæ tota ſuperſtitioni ſacra eſt, manus dabit Chriſto.

V. 19. Erit altare Domini in medio terrae AEgypti. Hoc Iſaiæ vaticinium dicebat ſe Onias implere, cum permiſſu Ptolemæi Philometoris, in tractu Heliopolitano AEgypti templum *h* & altare nobiliſſimum exſtruxit, teſte Ioſepho *i*: & exſtructum iri prædixerat Daniel. xi. 14. ut S. Hieron. ibidem exponit. Sed hoc altare & templum, cum non ſine legis prævaricatione (vetantis extra Ieruſalem *k* ſacrificare Deo) conſtructum fuerit, eodem Daniele affirmante; non videtur ex mente eſſe Iſaiæ, qui id tamquam probe factum hic commendat. Unde ut ſummum poſſet dici typus fuiſſe & figura altaris, ſeu altarium, quæ hic denotat Iſaias, nempe eorum quæ tempore Chriſti a S. Marco & Eſſæis in AEgypto paſſim erecta conſtat: ita S. Auguſt. & alii SS. Patres. Et titulus Domini iuxta terminum AEgypti erit; id eſt, AEgyptii per ſuos terminos, provincias, ſeu dynaſtias, paſſim erigent Chriſto ſtatuas, columnas, templa, altaria, cruces. Hæc enim omnia deſignari poſſunt nomine *tituli l*.

V. 21. Vota vovebunt Domino. Videtur deſignare vota religioſa & monaſticæ paupertatis, caſtitatis & obedientiæ, quæ ſi uſquam ſub cælo, certe in AEgypto frequentiſſima edebantur ab Eſſæis & aliis, teſte Palladio, Evagrio, Auguſtino & Ruffino.

V. 23. Erit via de AEgypto in Assyrios; id eſt, erit tempore Chriſti mutua pax, ſocietas & commercium inter gentes illas, quæ nunc hoſtiliter diſſident. Et servient Deo cæli AEgyptii cum Assyriis: ita enim ex Hebræo vertunt Vatablus & Arias.

V. 24. Et populus Israel, qui inter duos illos populos medius iacet, & occaſio eſſe ſolet diſcordiarum inter illos & bellorum; tempore Chriſti tertius erit; id eſt, mediator, auctor & conciliator pacis ac fœderis perpetui erit inter Aſſyrios & AEgyptios. Nempe Chriſtus eiuſque Apoſtoli & diſcipuli ex Iudæa oriundi, AEgyptios Aſſyrioſque (ut & alias gentes) uti cum Deo, ita inter ſe mutuo, arctiſſima amicitia benevolentiaque in una eademque fide & Eccleſia confœderarunt: ita Gabriel Alvarez. Porro hæc benedictio cæleſtis primo erit in medio terrae, id eſt in Iudæa, quæ, ut dixi, media iacet inter Aſſyriam & AEgyptum, & erat hereditas, ſeu hereditaria portio Dei, ut ſequitur.

V. 25. Sed ex hoc medio, & ope huius medii, derivabitur eadem benedictio ad utrumque extremum.

(a) Iſaiæ xx.
(b) Ierem. xlvi. Ezech. xxx.
(c) Tertull. lib. contra Judæos c. 19.
(d) Exod. xx. 24. & Deut. xi. 10.
(e) Pſal. lxxvii. v. 12.
(f) Ierem. ii. 16. xliv. 1. xlvi. 14.
(g) Pſal. cxvii. 22. & Matth. xxi. 42.
(h) Vide Chronic. c. xxxix.
(i) Ioſeph. lib. VII. Belli xxx. & lib. XIII. Antiq. c. vi.
(k) Levit. xvii. 3. Deut. xii. 5.
(l) Gen. xxviii. 18. & Lev. xxvi. 1.

G O R D O N I.

Verſ. 1. Ecce Dominus ascendet super nubem levem. Dominus Poetica deſcriptione, quaſi nube vectus venturus in AEgyptum dicitur per Aſſyrios, quos immittit ad ſcelera punienda; idque in nube levi, hoc eſt, velocitate magna. Hanc eamdem per Aſſyrios cladem proponit Ezechiel cap. xxx. *concident idola*, ut fit cum tota regio vaſtatur; & quidem hic ſenſus videtur eſſe litteralis & germanus, ut habet communior interpretatio. Scribunt porro Hieronymus ad hoc caput, Chriſto in-

ſante AEgyptum ingreſſo, idola corruiſſe: item Palladius in Lauſiaca cap. LII. & Iſidori Chronicum; & B. Virginem videri nubem levem illam, utpote quæ eminet ſupra omnes res humanas.

V. 5. ET ARESCET AQUA IN MARI. Copiam aquarum mare vocant. Nilum intelligit, & hic niſi 12. cubitis intumeſcat, affert ſterilitatem, ex Plin. Lib. V. cap. IX.

V. 11. STULTI PRINCIPES TANEOS. Tanis regia Pharaonis erat, & Metropolis AEgypti: vide Exodi VII. in fine. Reprehenduntur conſilia, ac præſertim ad bella: inaniter etiam gloriantur in ſcientia, & gratis de antiquitate, & quod ſint filii regum antiquorum.

V. 15. ET NON ERIT IN AEGYPTO QUOD FACIAT; ſeu oſtendat fuiſſe inter eos caput; hoc eſt fuiſſe inter eos virum cordatum, aut ſapientem ſenem; vel nec ſunt iuvenes qui refrænent, nec ſenes incurvati qui valeant conſilio.

V. 17. ET ERIT TERRA IUDA AEGYPTO IN PAVOREM. Eſt tranſitus loquentis Prophetæ a clade AEgypti ad felicem ſtatum illius ſub Chriſto.

V. 18. ERUNT QUINQUE CIVITATES IN TERRA AEGYPTI; hoc eſt multæ erunt. Ex Ezech. c. XXX. numerat quinque civitates: ſunt hæ, Memphis, Tanis, Alexandria, Bubalus, Heliopolis: hæc ultima eſt verſus Alexandriam, ubi vigebat cultus Solis. Et poſtea ſub Chriſto mire ibi floruit religio, monaſteriis dives: vide Palladium. Heb. חרס *cheres*, *ſolem* vertit & legit Hieron. Aliqui חרם *cherem* legunt, hoc eſt *anathema*.

V. 19. IN ILLA DIE ERIT ALTARE. Producit narrationem de rebus ſub Chriſto: de Onio templo, quod exſtruxit in AEgypto Onias ſub Philometore, de quo dixi in opere Chronolog. vide Euſeb. XIII. Antiq. cap. VI. Certe de hoc non agit Iſaias; & Iudæis erat vetitum alia excitare templa præter illud in Ieruſalem, nec in hoc laudatus eſt Onias. Loquitur Iſaias de tempore Chriſti, & altaribus tunc in AEgypto erigendis. Valde ſe vexat Calvinus, quod Cyrillus & alii hic per titulos in terminis & provinciis AEgypti intelligant templa, altaria, & cruces: & quid dicet cum verſ. 21. leget offerendas eſſe hoſtias. Quid ergo ille? ἐθελοθρησκεία inquit, eſt: mentitur, nec probat quidquam impius novator: recte Patres.

V. 22. ET PERCUTIET DOMINUS AEGYPTUM. Felix hæc percuſſio, quia percutit hic Deus ut ſanet: & vero ſanabit, inquit hic magnus Propheta Iſaias.

EX EIUSDEM AUCTARIO.

Verſ. 2. De hoc Aſſyriorum adventu in AEgyptum Ierem. cap. XLII. 2. Secum pugnabant AEgyptii, quia eorum plures ſe adiunxerunt Aſſyriis.

Verſ. 13. ANGULUM POPULORUM, præſidium & decus nationum, quas ſibi ſubiecerat antea AEgyptus.

CA-

C A P U T XX.

Ex hoc quod Iſaias iubetur nudus & diſcalceatus incedere, prædicitur AEgyptiorum & AEthiopum captivitas ab Aſſyriis, Iudæis de illorum afflictione ſtupentibus.

1. IN anno, quo ingreſſus eſt Tharthan in Azotum, cum
miſiſſet eum Sargon rex Aſſyriorum, & pugnaſſet contra
Azotum, & cepiſſet eam: 2. in tempore illo locutus eſt
Dominus in manu Iſaiæ filii Amos, dicens: Vade, & ſolve
ſaccum de lumbis tuis, & calceamenta tua tolle de
pedibus tuis. Et fecit ſic, vadens nudus, & diſcalceatus.
3. Et dixit Dominus: Sicut ambulavit ſervus meus Iſaias,
nudus, & diſcalceatus, trium annorum ſignum & portentum erit ſuper AEgyptum,
& ſuper AEthiopiam: 4. ſic minabit rex Aſſyriorum captivitatem
AEgypti, * & tranſmigrationem AEthiopiæ, iuvenum & ſenum, nudam &
diſcalceatam, diſcoopertis natibus ad ignominiam AEgypti. 5. Et timebunt, &
confundentur ab AEthiopia ſpe ſua, & ab AEgypto gloria ſua. 6. Et dicet
habitator inſulæ huius in die illa: * Ecce hæc erat ſpes noſtra, ad quos confugimus
in auxilium, ut liberarent nos a facie regis Aſsyriorum: & quo modo
effugere poterimus nos?

B R U G E N S I S

Romanae Correctiones.

Verſ. 4. *Et tranſmigrationem AEthiopiæ, iuvenum, & ſenum, nudam & diſcalceatam.* Retinendi ſunt genitivi plurales *iuvenum & ſenum*, non mutandi in accuſativos ſingulares *iuvenem & ſenem:* & conſequenter neque adiectiva feminina *nudam & diſcalceatam* vertenda ſunt in maſculina *nudum & diſcalceatum*.

Verſ. 6. *Ecce hæc erat ſpes noſtra.* Ita rectius legitur quam *hæccine erat*.

Ibidem. *Ut liberarent nos.* Quidam libri numero ſingulari ſcribunt, *liberaret*.

Notatio.

Verſ. 4. S*Iminabit rex Aſſyriorum captivitatem AEgypti, & tranſmigrationem AEthiopiæ, iuvenem & ſenem, nudam & diſcalceatam.* Perperam ſcripſerunt quidam *Babyloniæ* pro *AEthiopiæ*. Porro quod ſequitur, rectius id nonnulli *iuvenum & ſenum* ſcripſere, quam ut plerique *iuvenem & ſenem* Primum enim ſunt concorditer Hebræis, Græcis, & Chaldæis pluralis numeri nomina. Tum veriora Larmorum exemplaria, *iuvenum & ſenum* legunt, pluralis numeri ſecundo caſu: id quod Epanorthotes quidem ex ſuis, nos ex noſtris codicibus (Brug. Leod. Lob. O. P. A.) animadvertimus, quibus adſtipulatur Hieronymi commentariis, & quinti & ſeptimi libri iunctus textus. Quia vero illud in *iuvenem & ſenem* mutatum fuit, hac occaſione & quod ſubſequitur *nudam & diſcalceatam*, cum *nudum & diſcalceatum* eſt mutatum: ſic enim, maſculino inquam genere, habent unus Hentenii, duo noſtri, (Q. V.) & quatuor (Vet. Di. l. Ge. o. p. V.) Pariſienſium codices. Ceterum pleraque antigrapha, & quidem quæcumque *iuvenum & ſenum* ſcribunt, *nudam & diſcalceatam* feminino genere retinent, quod ad *tranſmigrationem & captivitatem* referendum eſt. Atqui videntur eo Hebræa referri non poſſe: nam עָרוֹם וְיָחֵף maſculini ſunt generis; גָּלוּת vero quod proxime antecedit, feminini; hinc vertunt plerique hodie,

quod

Digitized by Google

quod per ſe ponatur, *nudum & diſcalceatum.* Verum non per ſe id poſuiſſe Propheta videtur, quaſi ſignificarit, inter nos qui ex AEgypto atque AEthiopia captivi ducendi eſſent, nudos quoſdam & diſcalceatos fore: ſed toti AEgyptiorum atque AEthiopum captæ multitudini attribuiſſe, nudam & diſcalceatam ab Aſſyriis abduci. Porro autem adiectivum, & ſubſtantivum non ſemper Hebræis genere conveniunt. Ceterum etſi גלות quod *transmigrationem* denotat feminei generis ſit, שְׁבִי quod *captivitatem* ſignificat, maſculei eſt. Quare Hebraicus Scholiaſtes *nudam & diſcalceatam* vertit, & refert, inquit, captivitatem. Chaldæus, & Græci interpretes ſenſum magis quam verba ſecuti, tranſtulerunt: *Iuvenes & ſenes nudos & diſcalceatos.*

COMMENTARIA

MALDONATI.

Verſ. 1. IN ANNO QUO INGRESSUS EST, id eſt invaſit, THARTHAN, Dux Senacherib regis Aſſyriorum, ut apparet IV. Reg. XVIII. 17. IN AZOTUM. Nobilis hæc erat urbs Palæſtinæ. CUM MISISSET, id eſt quando miſit eum ∴ SARGON, Senacherib: multa enim habebat nomina, ut Hieron. adnotavit, quorum unum hoc erat. ET PUGNASSET: & pugnavit, & cepit eam.

V. 2. LOCUTUS EST DOMINUS IN MANU: uſitatus Hebraiſmus, id eſt per Iſaiam, tamquam per inſtrumentum; manus enim inſtrumentum inſtrumentorum appellat Philoſophus quidam. SOLVE SACCUM. Prophetæ ſacco induebantur, præſertim cum aliquid triſte prænuntiabant. DE LUMBIS TUIS, id eſt quem habes circa lumbos tuos. Quæ ſuperiore capite contra AEgyptum & AEthiopiam prædixerat Propheta, nunc hypotypoſi quadam ponit ante oculos, quales frequentes ſunt apud Prophetas. ET FECIT SIC. Aliqui ſolo viſo feciſſe interpretantur: ſed melius Hieronymus re ipſa nudum diſcalceatumque obambulaſſe: factum enim hoc eſt ad commovendos ſpectatores, qui ſi res ſolo viſo geſta fuiſſet, minime commoti fuiſſent; idque eſt exemplis Prophetarum magis conſentaneum: Ezechiel. IV. 12. 15. & Oſee I. 2.

V. 3. SICUT AMBULAVIT, id eſt quod ambulaverit, SERVUS MEUS ISAIAS NUDUS ET DISCALCEATUS, SIGNUM EST TRIUM ANNORUM SUPER AEGYPTUM: על, *contra AEgyptum*, id eſt everſionis & calamitatis AEgypti poſt tres annos futuræ, vel quæ tres annos durabit.

V. 4. SIC MINABIT (ducet) REX ASSYRIORUM AEGYPTI CAPTIVITATEM, id eſt AEgyptios captivos. ET TRANSMIGRATIONEM AETHIOPIAE, id eſt AEthiopes, quos Babylonem tranſmigrare faciet. IUVENEM ET SENEM: נערים וזקנים, *iuvenes & ſenes*, id eſt omnes ad unum, non habita ratione ætatis. NUDAM ET DISCALCEATAM: ערום ויחף, *nudum & diſcalceatum*; id eſt, unumquemque eorum ſpoliatum non ſolum omnibus facultatibus, ſed etiam veſte & calceis, ut captivi duci ſolent. DISCOOPERTIS NATIBUS AD IGNOMINIAM: nuditas enim earum in primis ignominioſa eſt.

V. 5. ET TIMEBUNT (Iudæi) ET CONFUNDENTUR, id eſt fallentur ab AEthiopia ſpe ſua, in qua ſperabant. Heb. מבטם, *reſpectu ſuo*, id eſt ſpe: ſolemus enim oculos in eos coniicere, in quibus ſpem noſtram collocavimus. ET AB AEGYPTO GLORIA SUA, id eſt cuius auxilio ante gloriabantur.

V. 6. ET DICET HABITATOR INSULAE HUIUS, id eſt Iudææ, quæ idcirco inſula vocatur, quod mari Mediterraneo, & mari Geneſareth cingeretur. HAECCINE ERAT SPES NOSTRA; id eſt, hinc ſunt, in quibus ante confidebamus. ET QUOMODO EFFUGERE POTERIMUS NOS? ואיך נמלט אנחנו, *& quomodo liberabimur nos*; id eſt, ſi illi in quibus ſpem noſtram poſitam habebamus, non potuerunt ſe a rege Aſſyriorum liberare, quomodo poterimus nos?

S A.

Verſ. 1. SARGON: qui & Sennacherib.

V. 2. IN MANU ISAIAE. LXX. *ad Iſaiam.* VADENS; id eſt triduo. NUDUS, id eſt ſacco illo, quo erat indutus, ſpoliatus.

V. 3. TRIUM ANNORUM, ſcilicet calamitatis.

V. 4. MINABIT, id eſt ducet. CAPTIVITA-

vitatem, id eſt captivos. Natibus. Chald. *pudendis*.

V. 5. Timebunt, ſcilicet Iſraelitæ, vel *AEgyptii*, ſecundum LXX. Ab AEthiopia, &c. quaſi dicat, Quod confiderint in auxilio AEthiopum & AEgyptiorum.

V. 6. Insulae, id eſt Iudææ, quæ mari cingitur & lacu; vel AEgypti, quæ inter duo maria. Nos. Hinc apparet potius de Iudæis intelligendum: AEgyptii enim captivi ducti.

E S T I I.

Verſ. 2. Vade, et solve saccum de lumbis tuis, et calceamenta tolle de pedibus tuis. Et fecit sic, vadens nudus et discalceatus. Prophetæ aliquando verbis, aliquando rebus futura prædicunt. Ieremias portans catenas, primum ligneas, deinde ferreas, prænunciabat populum Iuda ſubiturum iugum regis Babyloniæ. Ezechiel quoque certo dierum numero dormiens in latus, modo dextrum, modo ſiniſtrum, ſignificabat tempus obſidionis Ieroſolymorum. Ita hoc loco Iſaias incedens nudus & diſcalceatus, portentum eſt, ut loquitur Scriptura, ſuper AEgyptum & AEthiopiam; quod videlicet cum tali ignominia in captivitatem eſſent abducendi. Ceterum quod ait: *Vade, & ſolve ſaccum de lumbis tuis*, ſatis ſignificatur conſuetum & quotidianum Prophetæ indumentum fuiſſe ſaccum, id eſt ſacceam tunicam, ut interpretatur Hieron. hoc eſt ex aſpera & vili materia confectam, ex qua fieri ſolent ſacci. Tali ſcilicet veſte Prophetæ pro conſuetudine utebantur, tamquam plangentes peccata populi, quod etiam indicatur Zachar. xiii. Unde non eſt adſcribendum hypocriſi, quod etiam hodie Monachi certo & peculiari habitus genere utantur.

Sed quæſtio eſt, An Propheta Iſaias vere & omnino nudus iuxta hoc præceptum Domini inceſſerit? Quidam, ne turpitudinem in hoc facto agnoſcere cogantur, non corporaliter, ſed in viſione imaginaria dumtaxat hoc factum eſſe dicunt. Alii hactenus nudum ambulaſſe, quod proceſſerit in publicum ſine habitu prophetico, id eſt ſine ſacco, non tamen prorſus omni veſtitu ſpoliatus. Auguſt. contra Manichæos diſſerens & Hieron. in commentario huius loci, plane nudum eum inceſſiſſe arbitrantur, & dicunt id propter obedientiam ad ſingularem Prophetæ laudem pertinere. Quod tamen ſic intelligendum videtur, ut nihilominus membra illa, quæ ob pudorem natura omnino tegenda admonet, aliquo tegumento velaverit, etiamſi Ambroſ. Epiſt. xxxvi. prorſus nudum ambulaſſe videatur ſentire. De hoc facto ita Hieron. Ex hoc loco diſcimus Prophetarum obedientiam, quod vir nobilis non erubuerit nudus incedere, ſed Dei præceptis nihil honeſtius iudicans, depoſuerit ſaccum; quo abiecto, nudus fuerit, unicam prius habens tunicam, & ipſam cilicinam..

M A R I A N Æ.

Verſ. 1. Ingressus est. Heb. *venit*. Tharthan. De hoc Duce Aſſyrio IV. Reg. xviii. 17. Sargon. Hic eſt Sennacherib. Azotum. Volebat Aſſyrius in AEgyptum tranſire, & ne a tergo aliquid hoſtile maneret, Azotum expugnat, quæ ad Meridiem Iudææ erat AEgypto vicina.

V. 2. In manu Isaiae; id eſt, Iſaiæ ipſi eſt locutus Deus. Solve saccum. Septuag. *aufer ſaccum*, id eſt veſtem rudem, qua Propheta utebatur. Et calceamenta de pedibus tuis. Heb. *calceum tuum de pede tuo:* ſingulare pro plurali. Et fecit sic, vadens nudus, ſcilicet Iſaias.

V. 3. Trium annorum. Chald. & Septuag. *tribus annis*. Non erit brevis, ſed diuturna calamitas. Signum et portentum; id eſt, quod hac cærimonia portenditur, in AEgypto & AEthiopia erit.

V. 4. Sic minabit, id eſt ducet. Captivitatem, id eſt captivos AEgypti. Nudam et discalceatam. Heb. *nudum & diſcalceatum*, pro, *nudos & diſcalceatos*, ut Septuag. & Chald. ponunt: tum multi codices Vulgatæ, *nudum & diſcalceatum* habent. Discoopertis natibus ad ignominiam AEgypti. Chald. *& diſcoopertis pudendis in ignominiam AEgyptiorum:* ego ſic Heb. verto, *diſcoopertis natibus* (&) *pudendis AEgypti:* ערות *heruah pudenda* ſignificat.

V. 5. Et timebunt et confundentur. Heb. *confringentur & erubeſcent*, ſcilicet Iſraelitæ. Ab AEthiopia spe sua. Heb. *aſpectu ſuo;* ſed *aſpectus* pro *ſpe*, quia aſpicimus eos, unde aliquid ſperamus. Et ab AEgypto gloria sua. Iſraelitæ erubeſcent, cum eos, in quibus præſidium ſuis rebus fore putabant, deiectos viderint.

V. 6.

V. 6. Insulae huius habitator dicet. Iudæam inſulam vocat, quod ab Occaſu mare noſtrum, ab Ortu mare Geneſareth habeat. Quo modo effugere poterimus nos? Chald. *quomodo liberabimus nos?* quaſi dicat: Illi ſe tueri non potuerunt, quomodo alios liberabunt? Illi fortiores ſunt proſtrati: quid nobis erit quomodo evademus?

M A L V E N D AE.

Verſ. 1. In anno, quo ingressus est Tharthan in Azotum, &c. Quidam reddunt hunc verſum: *Anno quo venit Tharthan Aſchdodum, mittente eum Sargone rege Aſſyriæ, quo oppugnavit Aſchdodum, & cepit ipſum.* Huius capitis (quod brevitate ſua obſcurum, variis interpretationibus amplius obſcurum eſt) tres ſunt præcipuæ partes: notatio temporis, verſ. 1. ſignum a Propheta ex Dei mandato exhibitum, verſ. 2. & prophetica ſigni explicatio, ceteris verſibus. Summa eſt, fore ut AEgyptiorum AEthiopumque copiæ intra triennium fuſæ veniant in poteſtatem Aſſyriorum, ac proinde fruſtra Peliſthæos auxilium & liberationem ab illis expectaturos. Eſt igitur hic annus ſententia noſtra duodecimus regni Chizkiiæ, quo Sancherib rex Aſſyriæ, qui hic nominatur *Sargon*, pergebat occupare civitates munitas Iehudæ, ex quibus tum erat Aſchdod, tam propter ius quod Iehudæ atribuitur Ioſue xv. 47. quam propterea quod Chizkiia prius illud cum Peleſthæa reliqua occupaverat, II. Reg. xviii. 8. & ſupra cap. xiv. 29. & ſequentibus. Tharthan: unus e principibus Sancheribi, de quo II. Reg. xviii. 17. Sargon rex Assyriorum. Hunc alio nomine fuiſſe Sancheribum, Hebræi, S. Hieronymus, atque eruditiſſimus quiſque explanatorum magno conſenſu affirmant: ut ridiculum ſit vel Salman-Eſerum, vel alium quemvis ariolari.

V. 2. In manu Isaiae: id eſt, opera & miniſterio Iſaiæ, vel per Iſaiam. Solve saccum. Veſtis erat aſperior, qua in luctu & pœnitentia utebatur: vide Geneſ. xxxvii. 34. Nonnulli hic exponunt: *villoſum veſtimentum tuum*; quo fere utebantur prophetæ, ut apparet ex Zachar. xiii. 4. Sed hoc falſiſſimum eſt: nam ſaccus ab ordinario habitu prophetarum quam diverſiſſimus erat. Vide in I. Reg. xix. 19. & in II. Reg. i. 8. Saccus erat triſtitiæ, toga honotis. Nudus. Explicant: Id eſt, nudatus ſumma & exteriore veſte ſua prophetica, ſynecdochice: ut I. Samuel. xix. 24. nam hæc ita revera geſta eſſe, adeo aperte verba ipſa docent, & ſignum flagitat, ut plane ſit alienum, viſionem tantum hoc quidem loco ſtatuere. Quam ob rem hoc ita factum eſſe intelligimus: Prophetam exuta toga induſiatum fuiſſe, denique ad eum modum compoſitum, quo ſolent eſſe qui in captivitatem rapiuntur: ut res cum ſigno conveniat.

V. 3. Sicut ambulavit servus meus Isaias, &c. Nunc demum, inquiunt, apponitur ſigni prophetica explicatio, qua continetur hiſtoria illius victoriæ quam conſecutus eſt Sancherib contra AEgyptios & AEthiopas, & hiſtoria deſperationis Peliſthæorum, poſtquam viderunt captivos eos a quibus liberationem expectaverant, binis verſibus. Trium annorum signum et portentum. Heb. *trium*, vel *tertii annorum*, nam receptum eſt nomina cardinalia pro ordinalibus apud Hebræos accipi. Quidam reddunt: *ad tres annos in ſignum & prodigium*, &c. Alii: *tertii anni ſignum & oſtentum contra AEgyptios & contra AEthiopas*; id eſt, ſignum eſt tertio anno poſt hanc prophetiam fore, ut fundantur, cædantur, & captivæ fiant AEgyptiorum & AEthiopum copiæ, quas ducturus eſt Thirhakah ut per occaſionem attigerat ſupra cap. xviii. 1. nam etſi AEgyptiorum in caſtris Thirhakæ nulla fiat mentio ibidem, & II. Reg. xix. 9. tamen cum illorum res magis quam AEthiopum agerentur, & inter ſe fœderati eſſent, & Sethon rex AEgyptiorum eſſet ignaviſſimus (quæ Herodotus in Euterpe docet) nihil mirum ſi copiæ omnes AEthiopi creditæ ſunt. Verum hæc interpretatio non ſatis convenire videtur cum expoſitionibus Ioſephi & Herodoti, quas deſcripſimus ad II. Reg. xix. 9. illi enim tradunt Sancheribum ab hoc bello AEgyptio & AEthiopico, non victorem, ſed victum abſceſſiſſe. Sed potuit eſſe ut Sancheribus ad Peluſium a Sethone fugatus, (quod illi auctores produnt) extra fines poſtea copias AEgyptiorum & AEthiopum imperatore Thirhaka fuderit, quod putant hic ab Iſaia prædici.

V. 4. Sic minabit rex Assyriorum captivitatem AEgypti, et transmigrationem AEthiopiae. Alii ex Heb. I. *Sic ducet, aget, abiget rex Aſſyriæ captivos AEgypti, & tranſmigrationem AEthio*-

piæ. II. *Ita abducet rex Aſſyriæ captivam multitudinem AEgyptiorum, & deportandam turbam AEthiopum*. IUVENUM ET SENUM. Nonnulli: *puerorum & ſenum*. Nimirum eorum, qui duce Thirhaka in aciem proceſſerant extra fines ſuos: pueros enim pro adminiſtris, & gregario milite; ſenes vero pro hominibus conſilio & auctoritate valentibus, hoc loco accipimus. NUDAM ET DISCALCEATAM, DISCOOPERTIS NATIBUS AD IGNOMINIAM AEGYPTI. Alii ex Heb. I. *nudos & diſcalceatos, diſcoopertos natibus, verenda ſcilicet AEgypti*; quaſi dicat: Abducet captivos AEgypti ita acciſis veſtibus, ut pudenda oſtentent. II. *nudam & diſcalceatam*, ſcilicet turbam deportatorum, *etiam denudatos nate in probrum AEgyptiorum* AEthiopumque, ſynecdochice. NATIBUS. שת *ſcheth*, *poſitura, nate, podice*. AD IGNOMINIAM AEGYPTI. Heb. *nuditatem, turpitudinem AEgypti*, id eſt verenda, pudenda, per antiphraſin, quod nudari non debeant; & turpe ſit ea nudari, & nudæ illius partis nos pudeat: vide in Geneſ. IX. 22.

V. 5. ET TIMEBUNT, ET CONFUNDENTUR, &c. Alii hunc verſum ex Heb. reddunt: I. *Et perterreſient, atque pudore ſuffundentur ab AEthiopibus, in quos reſpiciunt, & ab AEgyptiis, de quibus gloriantur*. II. *Et confringentur & pudore afficientur ab AEthiopia aſpectu ſuo, & ab AEgypto gloria ſua;* id eſt, tunc Iſraelitæ erunt animo fracto ubi viderint AEthiopes & AEgyptios, quorum auxilio gloriabantur, ſic affligi. *Ab AEthiopia aſpectu ſuo*, vel *propter AEthiopiam aſpectum ſuum*, id eſt ſpem ſuam; quaſi dicat: Tunc Iſraelitæ fruſtrabuntur ſpe ſua, quam conceperant de AEthiopibus & AEgyptiis, a quibus ſperabant opem & auxilium contra Aſſyrios, de quo & gloriabantur. *Aſpectum* autem dicit pro ſpe, quod coniicere ſoleamus oculos in eos, a quibus ſpectamus opem: ſe ipſum declarat verſu ſequente. III. *Et conſternabuntur, & pudeſient propter AEthiopiam fiduciam ſuam, & propter AEgyptum gloriam ſuam*. IV. *Ita perterreſacti erubeſcent, ab AEthiopibus expectatione ſua, & ab AEgyptiis gloria tamen ſua;* id eſt, Aſchdodæi, & Pheliſthæi reliqui, ut ſequente verſu. Nam de his, & non de Iiſraelitis volunt hic eſſe ſermonem.

V. 6. ET DICET HABITATOR INSULAE, &c. Hunc verſum alii ex Heb. transfundunt: I. *Et dicet habitator inſulæ huius eadem die: Ecce tale eſt præſidium noſtrum, quo confugimus auxilii cauſa, ut liberaremur a facie regis Aſſyrii, & quomodo eriperemur nos?* Inſulam, inquiunt, vocat Iehudæam, quia ab occidente, mari Mediterraneo, ab oriente, mari Geneſareth, Iordane, mari mortuo alluitur. Alii Ieruſalaim hic inſulam appellari volunt, quod exercitu Aſſyriorum velut mare totam illam regionem circumquaque inundante, Ieruſalaima ſola velut inſula extaret, quam nondum inundaret Aſſyrius exercitus. II. *Et dicet incola regionis iſtius*, Peliſthææ: nam quod aliis ad Iehudæam referri placet, nobis, inquiunt, minime probatur: tum quia ab iſta expectatione Chizkiia erat alieniſſimus; tum quia vocem Hebraicam qua Propheta utitur, Iudææ accommodari nuſquam meminimus: & alioqui ſolet Scriptura regiones maritimas, qualis magna ex parte Pheleſthæa eſt, inſulas appellare: *in tempore illo: Ecce ita habet expectatio noſtra, quo confugiebamus ad auxilium, ut eriperemur a conſpectu regis Aſſyriæ; & quomodo evaderemus nos?* nimirum nos ſoli, ſine aliorum auxilio: fuerant enim Peliſthæi omnino debilitati a Chizkiia ſupra cap. XIV. 29. & ſequentibus; & amplius exhauſti hac recente clade, invadentibus Aſſyriis & occupantibus Aſchdodum duce Thartane.

MENOCHII.

Verſ. 1. TARTHAN: nomen Ducis Regis Sennacherib. Vide IV. Reg. XVIII. 17. SARGON: qui & Sennacherib.

V. 2. IN MANU ISAIAE. LXX. *ad Iſaiam*. SACCUM: veſtem cilicinam intelligit, qua ordinarie Iſaias amictus incedebat. NUDUS. Aliqui putant non omnino nudum inceſſiſſe, quibus aſſentior; licet communior opinio contra ſentiat, omnes plane veſtes detraxiſſe.

V. 3. TRIUM ANNORUM SIGNUM, &c. id eſt, ſignum calamitatis, quæ per triennium AEgyptum, & AEthiopiam vexabit.

V. 4. SIC MINABIT: mancipia quaſi pecora, ut paſtores, qui oves præ ſe agunt. TRANSMIGRATIONEM: tranſmigrantes, & abductos AEthiopas.

V. 5. TIMEBUNT ET CONFUNDENTUR, &c. id eſt Iudæi. SPE SUA: in qua ſpem

ſuam

ſuam collocaverant. Gloria sua: in qua gloriabantur.

V. 6. Insulae; id eſt, Iudææ, quæ vicinæ AEgypti auxilio ſpoliata, ac propterea ab illa quaſi abiuncta, iam undique inimicis cincta erat, ut inſulæ fluctibus aſſultantibus.

TIRINI.

Verſ. 1. Anno quo ingressus est Tharthan præfectus militiæ Aſſyriacæ, IV. Reg. XVIII. 17. In Azotum, Philiſthinorum ſatrapiam, cum misisset eum Sargon, id eſt Sennacherib, rex Assyriorum: quam S. Hieron. dicit communem eſſe interpretum expoſitionem. Denotatque annum XIII. finientem, vel XIV. *a* inchoantem regni Ezechiæ.

V. 2. Solve saccum cilicinum de lumbis tuis: pœnitentiæ enim cauſa utebantur olim Prophetæ cilicina veſte, fere ut nunc Minoritæ. Hanc ſolvere & exuere iam iubetur. Et fecit sic, vadens nudus: omnino nudus, inquit S. Hieron. Haymo, Dionyſius, Sasbout & a Lapide: & colligitur ex verſ. 4. *diſcoopertis natibus.* Sed poteſt etiam hoc conſiſtere cum interiore, breviore & lacera veſte, qua ſaltem pudendæ partes tegerentur, inquiunt Forerius, Hugo, Sanchez & Alvarez. Sic Saul *b*, ſic David *c* dicuntur nudi ceciḋiſſe, cum depoſita extima veſte, ſolis interioribus tegerentur. Allegorice, repræſentabat nuditatem Chriſti in flagellatione & cruce.

V. 3. Signum et portentum hoc erit, id eſt præſignabit & portendet vaſtationem, trium annorum, id eſt tribus annis duraturam *d* super AEgyptum et AEthiopiam. Cœpit enim anno XVI. Ezechiæ, quo Sennacherib audito adventu *Tharacæ* regis AEthiopiæ contra eum perrexit, relicto in Iudæa *Rabſace*, teſte Ioſepho *f*: tertio poſt anno, expilata iam AEthiopia & AEgypto, in Iudæam recurrit, ubi ab angelo *g* cæſus eſt eius exercitus. Porro triennium hoc cœpit ſtatim ab hac prædictione & denudatione Iſaiæ, quæ veriſimilius non triennio (ut vult Forerius,) ſed triduo tantum duravit, teſte S. Hieronymo, Cyrillo & aliis, *die* pro *anno h* ipſi computato.

V. 4. Sic minabit captivitatem AEgypti; id eſt, captivos AEgyptios & AEthiopes quaſi pecora gregatim ante ſe coget in Aſſyriam, ſpoliatos etiam propriis veſtibus & ad ludibrium denudatos.

V. 5. Et timebunt hoc tam portentoſo exemplo Iudæi, immo confundentur, cum viderint tam miſere exſcindi AEthiopes, in quibus ſpem ſuam ſubinde locarant: & AEgyptios tam ſordide tractari, quorum ope & opibus gloriari ſolebant.

V. 6. Insula vocatur Iudæa, & præſertim Ieroſolyma, non quod mari cingeretur, ſed quod vicinarum gentium, Aſſyriorum maxime & AEgyptiorum, fluctibus ac bellis undique inſtar inſulæ tunderetur. Et ſæviente Sennacheribo, atque inſtar maris omnia vicina obruente *i*, ipſa ſola caput extulerit, inſtar inſulæ, & ſalva evaſerit: ita Sanchez & a Lapide.

(a) IV. Reg. XVIII. 13.
(b) I. Reg. XIX. 24.
(c) II. Reg. VI. 14. 20.
(d) Chron. cap. XXX. 5. anno 14. Ezechiæ.
(e) IV. Reg. XVIII. 13. & XIX. 9.
(f) Ioſeph. Lib. X. Antiq. cap. 1.
(g) IV. Reg. XIX. 35. & Iſaiæ XXXVII. 36.
(h) Ezech. IV. 6.
(i) Iſaiæ VIII. 8.

GORDONI.

Verſ. 1. 2. & 3. Sicut nudus ambulat Iſaias, ita, inquit, nudabuntur AEgyptus & AEthiopia: notatur verſ. 1. tempus & annus huius vaticinii. Sennacherib, ut omnes fatentur, eſt qui vaſtavit AEgyptum & AEthiopiam; & id habet Ioſephus X. Antiq. cap. 1. In præſentia vocatur Sargon (ut plura habuit nomina,) nam Thartan, qui hic dicitur miſſus a Sargon, idem, inquam, IV. Reg. XVIII. 17. dicitur miſſus a Sennacherib: vide etiam Herodotum Lib. II. (ubi tamen fictitium eſt quod addit de muribus) Ioſephus etiam citat Beroſum, hoc de Sennacherib affirmantem: unde obiter vides ſuſpectum eſſe Beroſum Annii, ubi hoc omiſſum eſt. Cæterum omnino nudum hic fuiſſe Iſaiam dicit Hieronymus: quod ſane magis declarat ſpoliationem ignominioſam iſtarum nationum. Incedebat vero ſic Iſaias per triduum, & brevi poſt, hoc eſt anno XV. Ezechiæ Sennacherib invaſit has nationes: vide annum noſtrum mundi 3268. trium annorum calamitatem portendebat hæc cæremonia, & triduum Iſaiæ.

V. 6. Et dicet habitator insulae

HUIUS. Inſula hæc eſt Iudæa tota, utpote ſita inter duo maria, ſcilicet mediterraneum & mortuum; vel eſt ex Hieronymo Ieruſalem. Ceterum verba hæc ſunt Iudæorum videntium nunc AEgyptios ſic vaſtatos; in quibus tamen ſperaverunt, inaniter ſcilicet.

Ex EIUSDEM AUCTARIO.

Verſ. 3. TRIUM ANNORUM: duravit enim per triennium calamitas AEgypti & AEthiopiæ.

Verſ. 4. Ducet ut pecora, quod eſt minare.

CAPUT XXI.

Ruina Babylonis per Medos & Perſas: onus Idumææ & Arabiæ.

1. ONus deſerti maris. Sicut turbines ab Aphrico veniunt,
de deſerto venit, de terra horribili. 2. Viſio dura nun-
tiata eſt mihi: qui incredulus eſt, infideliter agit: & qui
depopulator eſt, vaſtat. Aſcende AElam, obſide Mede:
omnem gemitum eius ceſſare feci. 3. Propterea repleti
ſunt lumbi mei dolore, anguſtia poſſedit me ſicut angu-
ſtia parturientis: corrui cum audirem, conturbatus ſum
cum viderem. 4. Emarcuit cor meum, tenebræ ſtupefe-
cerunt me: Babylon dilecta mea poſita eſt mihi in miraculum. 5. Pone men-
ſam, contemplare in ſpecula comedentes & bibentes: ſurgite principes, arripite
clypeum. 6. Hæc enim dixit mihi Dominus: Vade, & pone ſpeculatorem: &
quodcumque viderit, annuntiet. 7. Et vidit currum duorum equitum, aſcen-
ſorem aſini, & aſcenſorem cameli: & contemplatus eſt diligenter multo intui-
tu. 8. Et clamavit leo: Super ſpeculam Domini ego ſum, ſtans iugiter per
diem: & *a* ſuper cuſtodiam meam ego ſum, ſtans totis noctibus. 9. Ecce iſte
venit aſcenſor vir bigæ equitum, & reſpondit, & dixit: *b* Cecidit, cecidit Babylon,
& omnia ſculptilia deorum eius contrita ſunt in terram. * 10. Tritura mea,
& filii areæ meæ, quæ audivi a Domino exercituum Deo Iſrael, annuntiavi
vobis. 11. Onus Duma *ad me clamat ex Seir: Cuſtos quid de nocte? cuſtos quid de
nocte? 12. Dixit cuſtos: Venit mane & nox: ſi quæritis, quærite: convertimini, venite.
13. Onus in Arabia. In ſaltu ad veſperam dormietis, in ſemitis Dedanim. 14.
Occurrentes ſitienti ferte aquam, qui habitatis terram Auſtri, cum panibus oc-
currite fugienti. 15. A facie enim gladiorum fugerunt, a facie gladii imminen-
tis, a facie arcus extenti, a facie gravis prælii: 16. quoniam hæc dicit Dominus
ad me: Adhuc in uno anno, quaſi in anno mercenarii, & auferetur omnis gloria
Cedar. 17. Et reliquiæ numeri ſagittariorum fortium de filiis Cedar imminuen-
tur: Dominus enim Deus Iſrael locutus eſt.

(a) Hab. II. 1. (b) Ier. LI. 8. Apoc. XIV. 8.

BRU-

BRUGENSIS

ROMANAE CORRECTIONES.

Verſ. 10. *Tritura mea & filii areæ meæ*. Romani Patres, pro eo quod vulgo legitur feminino ſingulari *filia*, prudenter emendarunt *filii*, maſculino plurali.

Verſ. 11. *Ad me clamat ex Seir*. Cave ne pro præpoſitione *ex* addita una littera ſeribas nomen *rex*.

COMMENTARIA

MALDONATI.

Verſ. 1. ONUS. Prophetia dura, ut poſt dicit, & ſupra XIII. I. & XV. I. & XVII. I. DESERTI MARIS, id eſt contra deſertum quod verſus mare eſt, id eſt contra Babylonem, ut explicat verſ. 4. & 9. Vocatur autem Babylon deſertum maris ab iis, qui in Iudæa ſunt, quia inter Iudæam & Babylonem deſertum erat & mare Auſtrale; aut, ut alii volunt, quia in deſertum redigenda erat, mare vero propter multitudinem habitatorum: aut aliter ut genitivus *deſerti maris* accipiatur active, non paſſive; quaſi dicat: Onus (quod impendet Babyloni) a deſerto maris, id eſt a Medis, quia inter Babylonem & Medos erat deſertum & mare Auſtrale. SICUT TURBINES AB AFRICO; id eſt, ſic veniet calamitas Babylonis ab Auſtro & deſerto, hoc eſt a Medis, ſicut turbines & tempeſtates venire ſolent. DE DESERTO VENIT (onus & calamitas Babylonis.) DE TERRA HORRIBILI, id eſt inculta, deſerta. Idem vocat deſertum & terram horribilem. Hoc autem dicit, non quod turbines a deſerto venire ſoleant, ſed quod deſertum illud, de quo loquitur, ad Auſtrum ſit, & tempeſtates eo vento flante excitari ſoleant. Heb. כסופות בנגב, *ſicut turbines in Meridie*, לחלוף מדבר, *ad tranſeundum per deſertum*, id eſt tranſeuntes per deſertum: idem ſenſus eſt.

V. 2. VISIO DURA: prophetia gravis & calamitoſa, NUNTIATA EST MIHI (a Deo.) Loquitur Propheta. QUI INCREDULUS EST. Senſus eſt, Hoſtes ab hoſtibus, increduli ab incredulis, vaſtatores a vaſtatoribus delendos. *Qui incredulus eſt*, id eſt qui fidem non ſervat (hoſtibus.) INFIDELITER AGIT, id eſt ei fides (ab hoſte) non ſervabitur. Infideliter agere dixit noſter Interpres paſſive, ut cum dicimus: Miſere agit, id eſt miſere cum illo agitur. Id Hebraice clarius dicitur, הבוגד בוגד, *prævaricatoris* (aut prævaricatori) *prævaricator invenietur*: והשודד שודד, *& vaſtatoris* (aut vaſtatori) *Vaſtator*; id eſt, Babylonius qui alios vaſtabat, a Medo vaſtabitur: Dan. v. ASCENDE AELAM; id eſt, aſcendite Perſæ, venite contra Babylonem. AElam pars erat Perſici regni: ponitur autem pro toto; ſuntque Dei verba AElamitas & Medos contra Chaldæos provocantis. Hæc eſt prophetia dura, quam Iſaias dixerat ſibi fuiſſe nuntiatam. OBSIDE MEDE, Babylonem: OMNEM GEMITUM EIUS CESSARE FECI; id eſt, effeci ut quæ alias nationes affligebat, ac gemere faciebat, iam non poſſit facere: aut, *omnem gemitum eius ceſſare feci*, id eſt non audivi. Non movebor eius gemitu, ut illi opem feram.

V. 3. PROPTER HOC. Verba ſunt Prophetæ dicentis ſe vehementer angi ac dolere providentem futuram everſionem Babylonis, fingentiſque ſe per ironiam amicum eſſe Babylonis, ut ſup. cap. XVI. II. Aut, ut alii dicunt, eſt hypotypoſis hominis Babylonii caſum ſuæ civitatis deplorantis. Alii putant verba eſſe Balthaſaris regis propter hiſtoriam quæ narratur Daniel. v. quod magis videtur cum ſequentibus convenire. LUMBI MEI, id eſt intimi ſenſus animi mei. Lumbos vocare ſolent Hebræi quæ intima ſunt. ANGUSTIA, anxietas, POSSEDIT ME: אחזוני, *apprehendit*, *occupavit me*. CORRUI CUM AUDIREM, id eſt ſola auditione (inquit Propheta;) id eſt, revelatione tantæ calamitatis animo ſum conſternatus; vel Balthaſar audita interpretatione ſcripturæ.

V. 4. EMARCUIT. Idem eſt, *emarcuit* COR MEUM, &, TENEBRAE OBSTUPEFECERUNT ME, id eſt exanimatus ſum. Qui enim

Digitized by Google

enim exanimatus eſt, tenebras eſſe putat in meridie. Heb. תעה לבבי, *erravit cor meum*, id eſt, defecit me: פלצות בעתתני, *horror tremefecit me*, id eſt contremui toto corpore. BABYLON DILECTA POSITA EST MIHI IN MIRACULUM, id eſt facta mihi eſt ſtuporis & admirationis cauſa. Videtur autem alludere ad illud miraculum Dan. v. cum manus ſcribens in pariete viſa eſt. Heb. נשת חשקי, *crepuſculum deſiderii mei;* id eſt, illam noctem qua magnificentiſſimo convivio deſiderium meum explebam, ut ſcribitur Dan. v. שם לי לחרדה, *poſuit mihi in horrorem;* id eſt, convertit (mihi Deus) in luctum.

V. 5. PONE MENSAM; id eſt, dum rex Balthaſar iuberet poni menſam adornarique convivium, & quo ſecurius epularetur ſpeculatorem in ſpecula collocari, ne hoſtes venirent, dumque comedentes & bibentes eſſent, ad arma conclamavit ſpeculator dicens: SURGITE PRINCIPES, ARRIPITE CLYPEUM. Heb. אכול שתוה, *comede, bibe;* id eſt, dum rex diceret, Comede & bibe. Poſſunt etiam hæc eſſe Dei verba per conceſſionem dicta. קומו השרים, poſſumus vertere, *Surrexerunt principes;* id eſt, e medio convivio ad arma convolarunt. משחו מגן, *ungite*, vel *unxerunt clypeum*. Noſter Interpres videtur legiſſe per כ, משכו, *arripite clypeum:* eodem modo Septuaginta, ἀναπδάσατε τοὺς θυρεοὺς; ſenſuſque eſt multo melior; quaſi dicant: Cum eſſent in medio convivio, ad arma conclamatum eſt.

V. 6. VADE, ET PONE SPECULATOREM. Verba Dei de Iſaia tamquam de tertia quapiam perſona loquentis, idque metaphorice: non enim alium ſpeculatorem Iſaias poſuit quam ſeipſum, ut Ezech. III. 17. Vocat autem ſpeculam viſionem ipſam aut ſpiritum Propheticum, quo qui arreptus eſt, non ſolum præſentia, ſed etiam quæ longiſſime abſunt intuetur; ſicut qui in ſpecula conſtitutus eſt. Quamobrem frequenter Prophetæ ſpeculatoribus comparantur: Iſai. LVI. 10. & Hierem. VI. 17. & Ezech. III. 17. & XXXIII. 7. ET QUODCUMQUE VIDERIT; id eſt, quidquid tu ſpiritu prophetico videris, annuntia.

V. 7. ET VIDIT; id eſt, ego vidi ſpiritu prophetico, tamquam Dei ſpeculator: loquitur enim de ſe per tertiam perſonam ut ante. CURRUM DUORUM EQUITUM, id eſt duplicis (ut ita dicam) equitaturæ, ASINI ET CAMELI; quaſi dicat, Vidi duos currus (ſingulare enim ponit pro duali) quorum alter ab aſinis, alter a camelis trahebatur. Hoc eſt quod ſequitur per appoſitionem, ASCENSOREM ASINI. Heb. רכב חמור, *currum aſini*, ſing. pro plur. id eſt, qui trahebatur ab aſinis. ורכב גמל *& currum cameli*, id eſt qui trahebatur a camelis. Per hos duos currus, duo exercitus videntur ſignificari; per currum aſini exercitus Perſarum, per currum cameli, Medorum qui robuſtiores habebantur. ET CONTEMPLATUS EST DILIGENTER MULTO INTUITU. Heb. והקשיב קשב רב קשב, *& attendit attentione*, multa, inquam, attentione, id eſt diligentiſſime, *ne forte falleretur: viditque ita eſſe*. Hæc ideo dicit, ut prophetiæ fidem faciat, ne ſomnium fuiſſe videatur.

V. 8. ET CLAMAVIT, (ſpeculator cum hæc vidiſſet, id eſt, ego) LEO. Sub. adeſt, venit; vel, ecce leo. Sicut paſtores adveniente lupo clamare ſolent, Lupus, lupus. SUPER SPECULAM DOMINI EGO SUM. Expoſitio eſt eorum quæ dixit; quaſi dicat: Speculator ille de quo ſum locutus, ego ipſe ſum, qui conſtitutus ſum (a Deo) ſuper ſpeculam, id eſt in officio prophetico, ut quidquid videro prænuntiem. ET SUPER CUSTODIAM. Idem vocat ſpeculam & cuſtodiam, ac ſi dicat: Dies ac noctes attendo quid mihi Dominus revelet.

V. 9. ECCE ISTE (leo) VENIT ASCENSOR VIR BIGAE EQUITUM; id eſt, Darius (quem leonem vocaverat) potens curribus bellicis & equitatu. Hebræi paulo aliter, רכב איש צמד פרשים, *Currus uniuſcuiuſque paris equitum;* id eſt, uterque exercitus venit, clamavit ſpeculator; aut ecce iſte venit vir paris equitum, id eſt qui duos ducet exercitus. ET RESPONDIT: ויען, *& clamavit* (ſpeculator, id eſt, ego) ET DIXIT, CECIDIT, CECIDIT, id eſt actum eſt de Babylone. Utrumque ad maiorem rei confirmationem pertinet, & quod per præteritum loquitur quaſi de re iam tranſacta, & quod ingeminat verbum *Cecidit*. ET OMNIA SCULPTILIA CONTRITA SUNT. Heb. שבר, *contrivit* (hoſtis.) Oſtendit vanam fuiſſe eorum ſpem, quam in idolis collocabant.

V. 10. TRITURA MEA. Verba ſunt Prophetæ, ut conſtat ex ſequentibus. QUAE AUDI-

Digitized by Google

Audivi a Domino, &c. Induit autem Propheta perſonam & affectum hominis Babylonii aut amici, ut ſup. verſ. 3. Propterea vocat trituram ſuam; quaſi dicat: O mea civitas Babylon, quæ ab hoſtibus veluti area trituranda eſt. Et filia areae meae. Heb. בן־גרני *filius areæ meæ*; id eſt, o civis Babyloniæ, qui eſt quaſi filius, id eſt frumentum areæ meæ, id eſt Babylonis, quod teretur & excutietur. Filius areæ Hebraiſmo vocatur frumentum: civitas areæ, civis frumento comparatur.

V. 11. Onus Duma, id eſt Idumeæ; a parte totum: erat enim Duma pars Idumeæ a Duma filio Iſmaelis Geneſ. xxv. 14. Ad me clamat ex Seir. Verba Prophetæ; quaſi dicat: Videor mihi ſpiritu prophetico audire Idumæos clamantes ex Seir, qui mons eſt vicinus Idumeæ: I. Paralip. iv. 42. Idumæos etiam a Deo puniendos prædicit, quia cum fratres eſſent Iudæorum, illis inimici fuerunt: ſed potius dicebant de Ieruſalem, *Exinanite, exinanite uſque ad fundamentum:* Pſal. cxxxvii. 7. Eſau enim, qui quia rufus erat, Edom appellatus eſt, & Seir, quia hirſutus; unde Idumæi, & mons Seir dicti ſunt: frater erat Iacob. Lege hanc prophetiam magis explicatam Ier. xlix. 17. & Ezech. xxv. 12. Amos i. 11. Abd. i. 1. Custos quid de nocte? Verba quæ Idumæus (quem Iſaias audire ſibi videbatur) dicit, quæ ſolicitudinem ſignificant hominis in magno periculo conſtituti, & mane cuſtodes ac vigiles civitatis interrogantis, Ecquid novi ca nocte acciderit? Ecquid periculi ab hoſtibus immineat? Vel, Ecquod auxilium alicunde apparet? Cuſtodem vocat ſeipſum, ut ſupra 6.

V. 12. Et dixit, id eſt reſpondit custos: Venit mane et nox, &c. interrogate quantum volueritis, ite ac redite ut iterum atque iterum interrogetis. Apoſiopeſis: ſub. nihil aliud vobis reſpondebo, (inquit ſpeculator, id eſt Iſaias ipſe) niſi vaſtandam eſſe Idumæam; aut quærite undique euntes ac redeuntes; ſub. nullum auxilium reperietis.

V. 13. Onus in Arabia, id eſt prophetia contra Arabiam: ב pro על. Vaticinatur nunc Arabiæ, id eſt contra Iſmaelitas, vel Agarenos, qui Arabiam incolebant: prædicitque fore, ut e ſuis ſedibus ab hoſtibus eiiciantur. Hoc eſt quod ſequitur, In saltu ad vesperam dormietis, id eſt, profugi domoque pulſi in ſylvis habitabitis. Heb. ביער בערב, *in ſilva in Arabia*, id eſt quæ in Arabia eſt, habitabitis. In semitis Dodanim, id eſt quibus in Arabiam venire ſolent per deſertum cives Dedan, quod civitatis nomen eſt: Ierem. xxv. 23.

V. 14. Occurrentes, o Dodanitæ vicini, sitienti, ſitientibus ex fuga Arabibus, Ferte aquam qui habitatis terram Austri. Heb. *Theman*, id eſt, civitatem principum Idumæorum: Gen. xxxvi. 15. & Ierem. xlix. 20. Cum panibus occurrite, fugientibus (Arabibus.) Verba ſunt Prophetæ induentis, ut ſolet, affectum amici, ad exprimendam miſeriam & inopiam extremam Arabum, quos niſi illis vicini panem & aquam ſuppeditent, fame perituros ſignificat.

V. 15. A facie enim gladiatorum, Heb. מפני חרבות, *a facie gladiorum* fugerunt, id eſt armis ex ſuis ſedibus expulſi ſunt. Reddit cauſam fugæ, fames & ſitis Arabum.

V. 16. Quoniam haec dicit: אמר, *dixit*, hoc mihi Dominus revelavit. Adhuc in uno anno, id eſt poſt unum annum, non plus minuſve, ut ſup. cap. xvi. 14. Auferetur omnis gloria Cedar, id eſt Arabum, Agarenorum, Iſmaelitarum: fuit enim Cedar Iſmaelis filius: Geneſ. xxv. 13. & I. Paral. i. 29. Unde Cedar Arabiæ regio dicta eſt, ut ait Hieron.

V. 17. Et reliquiae numeri, id eſt exiguæ illæ & quæ facile numerari poſſunt, reliquiæ sagittariorum fortium, qui ex calamitate illa ſuperfuerint, conſumentur magis ac magis in dies.

S A.

Verſ. 1. Deserti maris, id eſt Chaldæorum, vel Perſarum & Medorum venientium contra Chaldæos. Chald. *exercitus venientis a deſerto ut aquæ maris*. Venit, ſcilicet exercitus contra Babylonem.

V. 2. Qui incredulus, &c. Chald. *violenti violentiam inferunt, & direptores diripiunt*. LXX. *prævaricans prævaricatur, iniquus*

ini-

inique agit. AElam, id eſt Perſa: AElam enim in Perſia. Obside, ſcilicet Babylonem. Eius, id eſt Babylonis; ſcilicet quem a ſe afflictis exprimebat. Chald. *omnes, qui gemebant a facie Regis Babylonis quieſcere feci*, ſcilicet illo intercmpto.

V. 3. Propterea, &c. vox Chaldæi.

V. 4. Miraculum. Chald. *interitum*. LXX. *timorem*.

V. 5. Pone mensam; quaſi dicat, Epulare ſane, o Rex, ſeu Chaldæe.

V. 6. Vade; ſcilicet o Chaldæe, vel, o Iſaia, ut pertineat id etiam ad viſionem.

V. 7. Currum. LXX. *aſcenſorem*. Duorum equitum. Chald. *& duos equites*. LXX. *duos equites*, id eſt duo equitum genera, ſcilicet ſuper aſinos, & camelos.

V. 8. Clamavit, ſcilicet ſpeculator. Leo, id eſt Darius, ſcilicet advenit. Chald. *ſicut leo*, ſcilicet exercitus, vel ego ſum, &c.

V. 9. Bigae equitum; pro, nempe duo equitum genera. Respondit, ſcilicet ſpeculator.

V. 10. Tritura, &c. alloquitur Babylonem, vel Ieroſolymam: vocat autem *trituram, & filiam*, ſeu, ut alii legunt, *filium*, vel *filios trituræ*, ob calamitates, quibus attrita.

V. 11. Duma. LXX. *Idumæa*. Ad me clamat; pro, audio clamorem. Quid, ſcilicet vidiſti, aut ſenſiſti de hoſtibus?

V. 12. Dixit custos: Venit mane, &c. quaſi dicat: Et mane & nocte quærite, & quoties vultis, euntes & revertentes, actum eſt de vobis. Chald. *Dixit Propheta: Eſt merces iuſtis, & eſt vindicta impiis: ſi convertendi eſtis, convertimini, dum poteſtis converti*.

V. 13. In saltu, ſcilicet fugientes. Dedanim. Chald. *Dan*. LXX. *Dedan*: nomen loci, vel populi.

V. 14. Sitienti, ſcilicet Arabi in fuga.

V. 16. In uno anno, id eſt poſt annum unum elapſum; vel, poſt breve tempus. Mercenarii, ſcilicet cui certum tempus præfigitur. Cedar. Regio eſt Arabiæ. Chald. *Arabum*.

ESTII.

Verſ. 7. Et vidit currum duorum equitum, ascensorem asini, et ascensorem cameli; et contemplatus est diligenter. Catachreſis eſt in *equitum*: nam hi equites non equorum, ſed aſini & cameli aſcenſores erant. Per aſcenſorem autem aſini, & aſcenſorem cameli multi intelligunt Cyrum, & Darium; quod Cyrus ante ſuſceptum regnum ignobilis fuerit. Alii quod fere eodem recidit, duos populos Perſarum & Medorum intelligunt; ubi prior deſcribitur aſcenſor aſini, eo quod Perſæ ante Cyrum obſcuri fuiſſent inter populos.

MARIANAE.

Verſ. 1. Onus deserti maris. Contra Babylonem hæc dici ex conſequentibus manifeſtum eſt. Sed quare *deſertum maris* vocetur, non conſtat. In Ierem. cap. LI. 36. contra Babylonem dicitur: *Deſertum faciam mare eius*. Iter a Babylone uſque ad mare ſolitudines ſunt, quæ forte *maris deſertum* vocantur, quod ad mare pertingant. Hebr. Schol. per *mare*, *Occidens* intelligit; ac ſi dicat, Deſerti Occidentalis. Sane Mediæ & Perſidi, quæ Babylonem everterunt, ad Occaſum ſita eſt ea urbs. Sicut turbines ab Aphrico; id eſt, ut turbines flante eo vento veniunt, concitantur. De deserto venit: ſic venit de deſerto, ſcilicet hoſtis. Mediam & Perſidem *deſertum* vocat, quod plurimum eſſent incultæ.

V. 2. Visio dura. Verba Prophetæ. Qui incredulus est; ſcilicet non bene facit, qui non credit verbis meis. Et nihilominus vaſtabitur ea urbs. Hebr. *Prævaricatori prævaricator, & vaſtatori vaſtator;* ſcilicet Babylonio, qui vaſtabat alios, Perſa veniet, qui eum vaſtet, & fœdera violet, id eſt *prævaricari*. Ascende AElam. *AElam* in vocativo. Perſidis pars AElam erat. Omnem gemitum; ſcilicet gemitum eius abſtuli, id eſt timorem eius Babylonis, quo gemebant alii.

V. 3. Propterea. Verba ſunt Baltaſſaris Regis Babylonii. Corrui cum audirem, aut incurvavi me, cum viſæ a me

me manus interpretationem audirem. CONTURBATUS SUM, aut obſtupui. CUM VIDEREM, viſa manu quæ in pariete ſcribebat.

V. 4. EMARCUIT COR MEUM. Heb. *erravit cor meum*: ſic Chald. & Sept. id eſt mens mea me deſtituit. Heb. additur, *Horror perterrefecit me*. Hoc in Vulgata non eſt. TENEBRAE OBSTUPEFECERUNT ME. Heb. *Crepuſculum* (noctem) *deſiderii mei poſuit mihi in terrorem*, ſcilicet Deus, aut hoſtis noctem amabilem, in qua me convivio oblectabam, terrore implevit. BABYLON DILECTA MEA POSITA EST MIHI IN MIRACULUM, id eſt prodigium, terrorem. Ceterum hæc verba Heb. non ſunt; ſed Hieron. pro *neſeph*, id eſt *crepuſculo*, poſuit *Babylon*, & facti cauſam explicat in Commentariis.

V. 5. PONE MENSAM. Heb. *ordinare menſam*, pro, ordinate. CONTEMPLARE IN SPECULA. Heb. *ſpeculari ſpeculam*, id eſt e ſpecula. COMEDENTES ET BIBENTES. Heb. *comedere & bibere*, id eſt comedite & bibite. Verba ſunt Regis. Miniſtris iubet, ut convivium inſtruant; ſpeculatoribus, ut ſpeculentur an hoſtes veniant; amicis, ut comedant. Mox veniunt ſpeculatores, nuntiant adeſſe hoſtes. Rex convivis ait: SURGITE PRINCIPES, relicto convivio. ARRIPITE CLYPEUM. Sic Sept. id eſt, arma induite. Heb. *ungite clypeum*, id eſt tergite. Chald. *tergite, & lucida facite arma*, quod oleo certe fit. Schol. Heb. *clypeum* Regem putat ſignificare, ſicque vocari, quod clypei inſtar ſubditos protegat. Itaque Baltaſſar, deſperata victoria, proceribus mandat, ut ad Cyrum ſe conferant, quem *clypeum* vocat; celeritate, eius gratiam ſibi concilient. Aut *ungite Regem*, ſcilicet me tuemini.

V. 6. DOMINUS, ſcilicet Deus mihi præcepit, ut ſpeculatorem conſtituam. Verba ſunt Regis.

V. 7. DUORUM EQUITUM. Heb. *par equitum*, aut *paris equitum* vidit, ſcilicet ſpeculator. Hi ſunt Cyrus & Darius. ASCENSOREM ASINI. Sic Sept. & Chald. Heb. *currum aſini*, id eſt currus multos, alios aſinorum, alios camelorum. In ea regione aſini fortiores ſunt. Porro רכב *recheb*, *currus* eſt, רכב *auriga*, ſeu *eques*, *aſcenſor*, ea variæ interpretationis occaſio.

V. 8. ET CLAMAVIT LEO, ſcilicet ſpeculator voce magna. Heb. *& clamavit*, Leo, ſcilicet venit. Medos & Perſas *leones* vocat, ob eorum fortitudinem. SUPER SPECULAM DOMINI, ſcilicet inde clamavit. Heb. *Super ſpeculam, Domine mi, ego ſto ſemper interdiu, & ſuper cuſtodiam ego ſto omnibus noctibus*; quaſi dicat: Non mea culpa hoſtis venit, officio meo functus ſum.

V. 9. ECCE ISTE VENIT ASCENSOR VIR BIGAE EQUITUM. Heb. *Ecce hic venit currus viri par equitum*; quaſi dicat: Inter alios venit currus cuiuſdam, & cum eo duo equites. ET RESPONDIT; pro, locutus eſt, ſcilicet qui erat in curru. CECIDIT, CECIDIT BABYLON. Geminatio certum fore vaticinium indicat. CONTRITA SUNT IN TERRAM. Sic Sept. & Chald. id eſt afflicta ſeu proiecta ad terram idola. Heb. *contrivit Deus*, ſcilicet aut Cyrus ſculptilia.

V. 10. TRITURA MEA, ET FILII AREAE MEAE. Heb. *filius areæ meæ*, id eſt triticum: ſic prophetiam ſuam Iſaias vocat; quaſi dicat: Quæ collegi, quæ audivi, ea nuntiavi, non alia.

V. 11. ONUS DUMA, id eſt Idumææ. Contra quam plura Ieremias cap. XL. Ezechiel cap. XXXIII. Abdias & Amos cap. I. uterque. AD ME CLAMAT EX SEIR, ſcilicet unus aliquis, aut populus. CUSTOS. Sic Iſaiam vocat. QUID DE NOCTE? Captivitatem *noctem* vocat. Ducti Idumæi a Babylonio in captiuitatem cum ceteris finitimis, rogant Vatem, an aliquid de ea captivitate nuntiare poſſit.

V. 12. VENIT MANE, ET NOX; hoc eſt, nocti dies & lux ſuccedit. Poſt adverſa, proſpera expectate. SI QUAERITIS, QUAERITE: CONVERTIMINI, VENITE; quaſi dicat: Non aliud reſponſum habebitis, etiam ſi millies rogetis, & revertamini ſæpius ad interrogandum.

V. 13. ONUS IN ARABIA; pro, in Arabiam, ſcilicet deſertam: de illa enim loquitur, ubi Nomades erant habitantes in tentoriis. DORMIETIS, aut *pernoctabitis*. IN SEMITIS DEDANIM. Urbs erat aut regio Arabiæ, ſcilicet in agris habitabant, quoniam domos non habebant. Ii tamen cladem communem non evadent, tametſi ſua eos evagatio tutari debebat, & genus vitæ aſperum.

V. 14. Occurrentes. Hebr. *in occurſum*. Sitienti, ſcilicet Arabi fugienti. Ferte aquam, qui habitatis terram Austri. Sic Chald. Hebr. *qui habitatis terram Theman*: ſic Sept. urbs eſt Idumææ præcipua, quæ a Theman filio Eliphaz nomen accepit: Gen. xxxvi. 15. Cum panibus. Hebr. *cum pane eius*, id eſt quo eget in fuga, occurrite fugienti Arabi.

V. 15. Fugerunt, ſcilicet Arabes. A facie, id eſt propter gladios qui imminent. Gladii imminentis. Chald. *nudati*: ſic Hebr. A facie gravis praelii. Hebr. *gravitatis belli*. Sed perinde eſt.

V. 16. Quasi in anno mercenarii, id eſt præciſo. Gloria Cedar. Ii erant Arabes & Nomades viventes in tentoriis, & ex raptu; de quibus Cantic. 1. *Sicut tabernacula Cedar*. *Gloria Cedar*; id eſt, divitiæ, quas multas congeſſerant ex rapinis, eas brevi amittent.

V. 17. Et reliquiae numeri sagittariorum. Hebr. *& reſiduum numeri*, aut *reſiduus numerus arcus*, id eſt iaculantium arcu. *Numerus*, hoc eſt, multitudo. Fortium de filiis Cedar. Hebr. *fortes filiorum Cedar* (ii ſunt iaculatores.) Imminuentur: ad paucos redigentur.

MALVENDAE.

Verſ. 1. Onus deserti maris. Heb. *Onerosa prophetia*: vide ſupra cap. xiii. 1. Sunt in hoc capite prophetiæ tres, prima in Babyloniam, verſibus decem; ſecunda in Edomæam, verſ. 11. & 12. tertia in Arabiam reliquam, quinque poſtremis verſibus. Primæ autem prophetiæ partes duas in univerſum eſſe obſervant, unam, qua hoſtes regni Babylonici a Deo provocantur in Babyloniam, uſque ad verſ. 6. alteram, qua eventus & funeſtus Babyloniæ caſus exponitur, uſque ad verſ. 10. quæ Propheta deinde concludit apoſtrophe ad populum elegantiſſima, verſ. 10. Deserti maris, id eſt Babyloniæ. S. Hieronymus: *Perſpicuum eſt quod deſertum maris Babylon appellatur*. Id omnes Hebræi, & Noſter conſtanter affirmant. Sic enim appellari obſcuriore nomine Babyloniam & Chaldæam totam nonnulli obſervant, cum propter ingentes paludes & lacus Chaldaicos, in quibus altera pars Euphratis, Babylonem & Otrin permeans conſumitur, ut ſcribit Plinius Lib. V. cap. xxvi. De lacubus Chaldaicis vide eumdem Lib. VI. cap. xxvii. tum etiam propter ſtatum, in quo futura erat Babylon cum a Cyro obſeſſa eſt: nam mare ingens ſive palus trecentorum viginti ſtadiorum in latitudinem opera Nitocris reginæ ſeptemtrionem verſus effecta fuerat, & regio quoque ſupra Babylonem verſus pagum nomine Ardericam, in quam plurimos anfractus deducto Euphrate, deſerta facta, ut ſcribit Herodotus Lib. I. Numero 175. & 191. quæ regionis forma prophetice his verbis præfigurata eſt. Quidam hic exponunt: *deſerti occidentis*, ſeu *deſerti occidentalis*. Sic enim mare pro occidente paſſim in Scriptura promitur: quod Babylonia Mediæ, & Perſiæ, unde eius expugnatores advenere, occidentalis eſſet. Sicut turbines ab Africo veniunt, de deserto venit, de terra horribili. Alii ex Hebr. I. *Sicut turbines in auſtro ad mutandum*, ſeu *variandum*, id eſt ſicut varietas & multitudo tempeſtatum; ſed rectius de tranſitu & irruptione, ſeu penetratione intelliges: *ad tranſeundum*, vel *in deſerto ad prætereundum*; id eſt, ut citiſſime diſcurrunt ac feruntur turbines per deſertum, ita tanto impetu oppugnaturi ſunt Medi & Perſæ Babylonem. Copias militares comparat turbinibus, & quidem deſerti: quod flatus ventorum vehementiores eſſe ſoleant in deſertis, & ibi violentiores turbines: *ita e deſerto venit, e terra formidabili*, ſcilicet hoſtis. II. *Sicut tempeſtates in meridie excitatæ, quæ magno impetu tranſeunt, ut veniant a deſerto, a terra horribili*. III. *Veluti tempeſtates per meridiem tranſeuntes a deſerto venit a terra horribili*, ſcilicet onus, vel hæc prophetia onerosa. IV. Iungunt ſequentis verſus initio: *Viſum prædurum mihi indicatum eſt, non aliter quam cum procella ab Africo lata a deſerto a terra horribili advenit*. V. *Sicut turbines*, vel *turbo vehementiſſimus*, pluralis enim numerus auget ſignificatum, *in auſtrum permeando a deſerto eventura, e regione formidabili*. Exponunt: *Sicut turbo vehementiſſimus*, id eſt impetu & celeritate ſumma, quam ſinuoſus & tortuoſus Euphrates minime ſit impediturus; *in auſtrum* per-

permeando, id eſt in Babylonem, quam Cyrus a latere ſeptemtrionis adortus eſt: ut Herodotus ſcribit Lib. I. Numero 191. *a deſerto eventura*, ſcilicet oneroſa prophetia; id eſt, ab ea parte, quam Nitocris ſinuato Euphrate, & mari effoſſo deſertam effecerat, ut paulo ſuperius annotavimus: *e regione formidabili*, videlicet Media, a qua iam ante Nitocris illa ſibi metuens curaverat fieri maxima illa opera, quæ modo diximus, ut auctor eſt Herodotus Lib. I. Numer. 185.

V. 2. VISIO DURA NUNTIATA EST MIHI. Alii: I. *Viſum prædurum indicatum eſt mihi*. II. *Prophetia dura annuntiata eſt mihi*. III. *Viſio perplexa*, *intricata*, *rigida*, *pertinax*, *dura*, *nuntiatur mihi*: quam onus, ſive oneroſam prophetiam nominavit præcedente verſu; id eſt, prophetia ſignificans magnam calamitatem revelata eſt mihi. QUI INCREDULUS EST, INFIDELITER AGIT; ET QUI DEPOPULATOR EST, VASTAT. Alii ex Hebr. I. *prævaricator*, *prævaricator*; & *vaſtator*, *vaſtator*. II. *prævaricator prævaricatori*, & *vaſtator erit vaſtatori*; id eſt, Babylonius, ſeu Chaldæus, qui aliis iniuriam faciebat, iniuria afficietur: & qui alios vaſtabat, ipſe vaſtabitur. III. *perfidus iſte perfide agit*, & *vaſtator iſte vaſtat*. Hinc uſque ad verſ. 6. populo ſubminiſtrat Propheta Dei verba, quibus in captivitate Babylonica confirmaretur de ruina Babylonis, & liberatione ſua: ac propterea advocat Deus illos, quorum opera erat utrumque effecturus. Cauſæ hic ponuntur duæ: una, impietas, & improbitas Babyloniorum; altera, populi calamitas: quæ duo per hyſteroſin ſequentibus explicantur. Perfidi enim & vaſtatoris appellatione Babylonius intelligitur, in perfidia ſua contra Deum & inhumanitate pergens: quemadmodum apud Danielem exemplis Nebucad-Netzaris, & Belſchatzaris oſtenditur a primo capite ad ſextum. IV. Forſterus exponit: *irruptori irruptor*, & *vaſtatori vaſtator*, ſubaudi, erit. V. Forerius: *depopulator depopulatur*, & *vaſtaſtor vaſtat*. Nos propius ad Hebræa: *Ipſe excurrens*, *excurrens* & *ipſe devaſtans devaſtans*, ut geminatio pronominum ſenſum intendat; quaſi dicat: Ipſe Babylonius vi & iniuria vehementer excurret, ſeu incurret, ac irrumpet in populum Dei, & immaniſſime devaſtabit Eccleſiam. ASCENDE AELAM: id eſt Perſa, ſynecdochice: eſt enim Helam incola Elymaidis ad Mediam: vide ſupra cap. XI. 11. & Geneſ. X. 22. Alii: *Aſcende Elymais*, id eſt tu provincia Elymais: nam Helam eſt femineum, ex adiuncto verbo, ut ſequens *Madai*. OBSIDE MEDE. Heb. *coanguſta*, *coarcta*, *conclude*, *conſtringe*, *cinge obſidione Madai*, id eſt Media: vide Geneſ. X. 2. Sic nominatim oſtenduntur populi, quibus adminiſtris poſt annos amplius centum ſeptuaginta erat uſurus Deus, Cyro duce, ad evertendum imperium Babylonicum. OMNEM GEMITUM EIUS CESSARE FECI. Plerique exponunt, *Eius*, id eſt Babylonis, active, id eſt omnem gemitum, quo Babylon cogebat alios flere illata vi & iniuria. Alii reddunt: *totus gemitus huius faciam ut ceſſet*, *dicentis*: *Idcirco implentur lumbi mei*, &c. ut ſententia nectatur ſequentibus. Exponunt: *Huius*, nimirum Eccleſiæ indigne perferentis perfidiam & inhumanitatem iſtius Babyloniæ; quam Eccleſiam poſtea compellat verſ. 10. quaſi dicat: Non poſſum amplius ferre iſtorum Babyloniorum improbitatem, & huius Eccleſiæ meæ querimonias; tempus eſt hanc liberandi, & iſtos perdendi.

V. 3. PROPTEREA IMPLETI SUNT LUMBI MEI DOLORE, &c. Hebr. *Idcirco impleti ſunt lumbi mei* חלחלה *chalchalah*, *cruciatu*, *dolore intenſiſſimo*, & *acerrimo*: geminatum enim nomen ſignificatum adauget. Quidam hoc & ſequente verſu verba Prophetæ eſſe volunt, ob nimiam acerbitatem oſtenſæ ſibi prophetiæ. Alii ipſius populi Babylonici obſidionis calamitate & expugnatione preſſi. Nonnulli, Eccleſiæ gementis ſub tyrannide Babyloniæ; unde exponunt: *Idcirco implentur lumbi mei ægritudine*, propter iſtorum perfidiam, inhumanitatem, & ærumnas meas: verba Eccleſiæ gemitus ſuos exponentis allegoriis graviſſimis. Aliqui reddunt: *impleti ſunt conſternatione lumbi mei*. ANGUSTIA POSSEDIT ME SICUT ANGUSTIA PARTURIENTIS. Heb. *coanguſtationes*, *concluſiones*, *conſtrictiones*, *coarctationes*, *tormina*, *dolores graviſſimi apprehenderunt*, *corripuerunt*, *invaſerunt me*, *quaſi coanguſtationes*, &c. *parturientis*; id eſt, quales parturientium eſſe ſolent: vide ſupra cap. XIII. 8. CORRUI CUM AUDIREM, CONTURBATUS SUM CUM VIDEREM. Alii ex Hebr. I. *incurvavi*

vavi me quando audivi, territus fui quando vidi. II. *contorſi me ab audiendo, conturbatus ſum a videndo*. III. *incurvatus ſum cum audirem, conturbatus ſum cum viderem*. IV. *audiendo concidi, videndo obſtupui*. V. *curvatus ſum ab audiendo, & exterritus ſum a videndo*. VI. *contorqueor ex auditu, conturbor ex viſu*. CONTURBATUS SUM. נבהלתי *nibhalthi*, nos Valentini vim verbi & ſono & ſignificatione apte exprimimus: *Eſbalair-ſuy*, id eſt, *ſubito terrore perculſus fui*.

V. 4. EMARCUIT COR MEUM, &c. Hunc verſum alii ex Hebr. reddunt: I. *Concuſſum eſt cor meum*; id eſt, factus ſum mentis emotæ, ſive mens mea non conſtitit ſibi: *horror terruit me: crepuſculum deſiderii mei poſuit mihi* Deus *in timorem*; id eſt, noctem a me deſideratam convertit in noctem terrificam. Nonnulli Hebræorum putant id dictum in perſona regis Bel-ſatzaris, qui noctu fecit magnum convivium, quæ nox cœpit ei eſſe iucunda & amabilis lætitia vini & epularum; ſed eam ei Deus vertit in terrorem, quando ſtatim apparuit manus ſcribentis in pariete, unde ipſe vehementer expavit, ut ſcribitur Daniel. v. II. *Cor meum palpitat, horror perterreſecit me: crepuſculum deſiderii mei*, ſeu *noctem optatam mihi poſuit mihi in horrorem*, ſubaudi Deus, vel hoſtis. III. *Errat animus meus, horror perterrefacit me: crepuſculum deſideratiſſimum mihi diſponit in trepidationem mihi*; id eſt, ne ipſam quidem noctem humanæ quieti attributam, & mihi optatiſſimam, ſinit quietam eſſe, ſed noctes æque ac dies abutitur me, ut duriſſimus dominus mancipio abiectiſſimo: cuius ſola recordatio ita animum meum afficit, ut totas etiam noctes cohorreſcam. BABYLON. נשף *neſcheph*, proprie hic *crepuſculum veſpertinum*. Noſter Babylonem intellexit, ut ſupra cap. XIII. 2. DILECTA MEA. חשק *cheſchek*, hæc omnia complectitur: *promptitudinis, propenſionis, complicationis, complexionis, amplexus, voluntatis, deſiderii, voluptatis, concupiſcentiæ meæ*. Vide in I. Reg. IX. 1. quaſi dicat, Crepuſculum ſuaviſſimum & deſideratiſſimum mihi.

V. 5. PONE MENSAM, CONTEMPLARE IN SPECULA. Alii ex Hebr. I. *Diſpone*, ſeu *ordina menſam, ſpeculare in ſpecula*: vel *ſpeculare, qui es in ſpecula*. II. *Ordina menſam, ſpeculando in ſpeculam*, ut ſingulis verbis coniungatur, *comede, & bibe ſpeculando in ſpeculam*, &c. quaſi indicet Propheta, Babyloniis iam iam hoſtem imminere, ut eis neque menſam ponere, neque cibum aut potum capere liceat, ſine magna ſollicitudine ingruentis hoſtis, coniectis ſemper oculis in excubias, ſi quid de hoſte nuntient. III. ſequentibus iungunt: *Inſtruxerant menſam, & ſpeculatus in ſpecula; comedebant & bibebant cum dixerunt ſpeculatores: Surgite principes*, &c. IV. per infinitiva more Latino: *Ipſi*, Babylonii, *adornare menſam, circumſpicere lucernam, comedere, bibere: cum ecce excubitores exclamant: Surgite principes*, &c. V. *Inſtrue menſam*. Hic Deus ad denuntiationem revertens, Babylonios primum per conceſſionem vocat ad diem feſtum celebrandum: deinde altera parte verſus obſeſſores excitat, & claſſicum canit, ut Babylonem irrumpant. Nam diem feſtum Babylonios agitaſſe cum Cyrus irrupit, Herodotus Lib. I. Numer. 191. ſcribit: *Sed quod forte dies feſtus eis eſſet, exercendis choreis, atque oblectationibus operam dabant, donec plane hoc reſciverunt: atque ita primo capta eſt Babylon. Speculetur ſpeculator, comede, bibe*; id eſt, genio tantum indulgeto, ne laborato de cuſtodia Babylonis: qui volet, ſollicitus eſto. Nam iſta indefinita imperandi genera ſunt negligentium ac fere inutilia, ut docet Xenophon Lib. I. Cyropædiæ. Et vero in eum modum Babylonios a Cyro obſeſſos ſe geſſiſſe, Herodotus eodem Lib. I. Numer. 190. & 191. oſtendit. SURGITE PRINCIPES. Apoſtrophe ad Cyrum, Medorumque & Perſarum duces. ARRIPITE CLYPEUM. Hebr. *ungite clypeum*, ſeu *ſcutum*. Hebræorum aliqui exponunt: Id eſt, mortuo Belſatzare, o Babylonii, ungite ſeu conſtituite vobis regem, qui clypeus & ſcutum populi ſit. Alii: Ungite clypeum, & lucere ſive ſplendere facite, atque adeo nitidum reddite, & expolite, ut lubricus ſit, ne bellica inſtrumenta penetrent. Videntur olim clypeos oleo unxiſſe, vel quo nitidiores eſſent, ac ſplendeſcerent, Sidonius Lib. IV. Epiſtola XX. *Clypeorum lux in orbibus nivea, fulva in umbonibus*: vel quo lubriciores ad ictus repellendos ſeu eludendos: vide II. Samuel. I. 21. Forte alludit ad veterum clypeos,

qui

Digitized by Google

qui taurino glutino cum linteo compingebantur: ut de Romanorum clypeis docet Polybius Lib. VI. & Auſonius in Monoſyllabis:

Tergora dic clypeis accommoda quid faciat? glux.

quaſi dicat: Glutino ungite clypeos, at corio, linteoque bene compingite tabellas ut ſolidiores & fortiores exiſtant; unde quidam exponunt, Id eſt, arma veſtra comparate ad irruptionem: ſynecdoche. Quid etiam ſi clypeos olim militari luxuria unguento ungebant, ut aquilas, & ſigna Romana, teſte Plinio Lib. XIII. cap. III.

V. 6. HAEC ENIM DICIT MIHI DOMINUS. Alii: *Nam ita edixit Dominus mihi*. Altera pars huius prophetiæ, qua Deus ſuperiorem denuntiationem viſione confirmat, & Babylonis excidium præfinit, quod ſupra obſcurius fecerat, cap. XIII. & XIV. VADE, ET PONE SPECULATOREM: ET QUODCUMQUE VIDERIT, ANNUNTIET. Alii: *Abi, conſtitue ſpeculatorem; quod viderit, indicet;* id eſt, ut amplius confirmeris de prænuntiato excidio Babylonis ad liberationem populi, ac proinde alios in eadem expectatione confirmare poſſis, adhibe teſtem alterum, nimirum prophetam aliquem ex diſcipulis tuis, atque ex populo, qui res viſas ad te referat. Hic autem propterea ſpeculator dicitur, quod officium eſſet populi velut e ſpecula venturum in Babylonem iudicium certa fiducia præcipere: quod ſtudium opponitur Babyloniorum oſcitantiæ, de qua præcedente verſu.

V. 7. ET VIDIT CURRUM DUORUM EQUITUM, ASCENSOREM ASINI, ET ASCENSOREM CAMELI. Heb. *Et vidit currum coniugationis, iugi, coniugii, paris, xyronidis equitum, curruum aſini, curruum cameli*. Notum eſt, Hebræis רכב *recheb*, *currum* interdum collective ſumi, pro *curribus, curratura, expeditione curruum, omnique apparatu vehiculario, & curruli:* atque etiam פרשים *paraſchim, equites*, pro *equis*, ut etiam Latinis, ſeu *equitatu:* ut ſane utrumque accipitur Geneſ. L. 9. S. Hieronymus hanc ſpeculatoris viſionem ita figurat, ut viderit currum bigam, quem aſinus & camelus trahebant, & vectorem ſeu aurigam unum currui inſidentem: atque hunc eſſe Cyrum, qui regno Perſarum minori ut aſino, & regno Medorum tunc maiori ut camelo præſidebat. Alii volunt ſpeculatorem vidiſſe multos currus equitum, multos aſinorum, multo: camelorum; id eſt, exercitum Perſarum ac Medorum in Babyloniam adventantium, qui eiuſmodi curribus abundarent. Nonnulli putant, vidiſſe duos tantum currus, & utrique ſuum equitem ſeu vectorem inſidentem: alterum, quem traheret aſinus; alterum tractum a camelo; unde reddunt: *Et vidit par equitum, quorum alter aſino, alter vero camelo vehebatur*. Et primum Cyrum ſignificaſſe, qui dictus eſt *mulus*, ſeu *ſemiaſinus*, quod matre nobiliore quam patre natus eſſet: vide Herodotum Lib. I. Num. 55. & 91. & Meghaſthenem apud Euſebium Lib. IX. Præparationis Evangelicæ, cap. IV. verſus finem. Secundum vero, Medos; nam Mediam camelis abundaſſe, vel hiſtoria Tobiæ ſatis oſtendit: & iocus ille Ariſtophanis, de Avibus: *Quomodo cum Medus ſit, ſine camelo volavit?* & totus oriens camelos inter armenta paſcit, ut auctor eſt Plinius Lib. VIII. cap. XVIII. Ariſtoteles Lib. IX. Hiſtoriæ Animalium cap. L. alias LXXIX. *Nonnulli ſuperioris Aſiæ incolæ camelos vel ad tria millia poſſident*. Tremellius, & Iunius ita hunc locum explanant: *Cum itaque vidiſſet*, in viſione ſcilicet a Deo exhibita, *currum, par equitum*, ſeu *currus* (Syllepſis, ut II. Reg. VI. 17. ſic ſtatim, & infra verſ. 9.) *duplices equites, currus aſinorum & currus camelorum*. Signa hæc quæ videnda exhibuit Prophetæ Deus, figuræ ſunt exercitus quo Medi & Perſæ Babylonem expugnarunt; cum enim Babylonii (ut docent hiſtoriæ profanæ, & nominatim recenſet Herodotus Lib. I. Num. 192.) equitatu valerent plurimum, viſum eſt Cyro hac arte Babylonios aggredi, ut equis illorum camelos tantum & mulos Perſicos obiiceret: quorum illi equos aſpectu & odore deterrent, hi viribus ſunt valentiores & velociores: quod ſtratagema Cyrus iam antea experientia didicerat, in prælio ad Sardeis commiſſo contra Crœſum, ut eodem libro refert Herodotus Numero 80. Hoc autem naturale eſſe odium inter camelos & equos, docent Ariſtoteles de Hiſtoria Animalium, & Plinius Lib. VIII. cap. XVIII. Mulos vero Orientales viribus & celeritate præſtare, vel ex Abſchalomi hiſtoria conſtat, & ex Perſarum angariis. Etſi

haud

Digitized by Google

haud ſcimus an commodius mulorum nomen impedimentis tribuatur, cum dimidius fere exercitus in commeatu apportando occuparetur: quia deſerta erat regio ſupra Babylonem, totus ager opera Babyloniorum exhauſtus, & in oppidum comportatus. Hæc ex Herodoto, Cteſia, & Diodoro Siculo. *Duplices equites*, id eſt duos ordines equitum, horum ſuperne, illorum inſerne ingredientium Babylonem. Sed hanc interpretationem non dubitamus ex futilibus conjecturis & divinationibus compactam maiori ex parte, & concinnatam eſſe: neque enim ex Herodoto, aut aliis conſtat, Cyrum camelos equitatui Babylonio oppoſuiſſe, ut fecerat contra Crœſum; neque duos ordines equitum, unum ſuperne qua Euphrates urbem influit, & alium inferne qua effluit, ingreſſos: immo Herodotus Lib. I. Numer. 191. potius ſignificat utrimque pedites ingreſſos, cum ait: *Mediorum femorum tenus ad ſummum fortiter Babylonem introierunt*. ET CONTEMPLATUS EST DILIGENTER MULTO INTUITU. Alii ex Heb. I. *Et attendet attentione, multa attentione*. II. *contemplabitur contemplatione, multus contemplatione*, id eſt multum contemplans. III. *Ille ergo cum contemplatus eſſet contemplatione multa & diligenti*. IV. *& attendiſſet attentione, multitudine attentionis*; ſeu, *& attendiſſet attente, attentiſſime*. Sic enim verbo, verbali ſuo repetito eidem adjuncto, ſolent Hebræi maximam curam & diligentiam, qua aliquid effectum ſit, deſignare; quaſi dicat, Cum ſumme & attentiſſime intendiſſet.

V. 8. ET CLAMAVIT LEO: SUPER SPECULAM, &c. Quidam contra rationem interpunctionis Hebraicæ reddunt: *Et clamavit*, vel *tum clamavit*, ſeu *clamabat*, ſcilicet ſpeculator: *Leo ſuper ſpeculam. Domine, ego ſto iugiter per diem, & ſuper cuſtodiam meam ego ſto totis noctibus*; quaſi dicat, Speculator clamavit: Video leonem ſtantem in loco eminenti tamquam ſpeculantem & imminentem prædæ; id eſt, Cyrum obſidentem Babylonem. Alii aliter diſtinguunt: *Et clamavit Leo ſuper ſpeculam: Domine mi, ego ſto iugiter per diem, ſuper cuſtodia mea ego ſto totas noctes*; id eſt, Cyrus rex tamquam fortiſſimus Leo ſtans in ſpecula ad capiendam Babylonem, ſe Domino paratum offert, ac intentum obſidioni dies noctesque. Quidam in eamdem fere ſententiam vertunt: *Et clamabat Leo: Ego o here mi, ad excubandum ſteti iugiter per diem, ego quoque ad cuſtodiam meam conſtiti per totam noctem*. Nonnulli: *Clamavit ut Leo: In ſpecula, Domine, ego conſiſtam iugiter interdiu, & in obſervatione mea ego perſtabo totis noctibus*; id eſt, quam maxima voce potuit, robuſtiſſima, leonina, teſtatus eſt hanc attentionem ſuam, & ſtudium amplius attendendi in poſterum ad ea, quæ dicturus, facturus, aut demonſtraturus eſſet Dominus.

V. 9. ECCE ISTE VENIT ASCENSOR VIR BIGAE EQUITUM. Alii ex Heb. I. *Et ecce hic venit currus aliquis, & par equitum*. II. *Et ecce iam venit currus uniuſcuiuſque paris equitum*. III. *Et ecce iſte venit currus viri biiugorum*. IV. *Et ecce iam venit currus virorum, currus, inquam, paris equitum*. V. *In terra ecce iam ingreſſi erant currus virorum, duplices equites*; id eſt, eodem momento cum nondum abſolviſſet ſpeculator oſtendere ſtudium ſuum, iam illi ordines Babylonem irruperant ab utraque parte, ut ſcribit Herodotus. Nos ita accipimus: Clamante ſpeculatore, ac teſtante ſtudium ſuum, ecce vidit iam currus, & equitatum Perſarum Babylonem irrumpere. ET RESPONDIT, ET DIXIT. Alii: *tunc elocutus eſt, dicens*, ſcilicet ſpeculator. CECIDIT, CECIDIT BABYLON. Repetitio, inquiunt, ſummæ lætitiæ & celeritatis ſignum eſt: cuius lætitiæ rationes ſubiiciuntur, ab honore Dei, & liberatione Eccleſiæ. ET OMNIA SCULPTILIA DEORUM EIUS CONTRITA SUNT IN TERRA. Alii: *& omnes ſculptiles dei eius*, quos laudabat Belſchatzar, cum ſacris vaſis convivans abuteretur in contemptum Dei, Daniel. v. 4. *perfringens deiecit in terram*, nempe Deus per Perſas & Medos.

V. 10. TRITURA MEA, ET FILII AREAE MEAE. Heb. *filius areæ*; id eſt, frumentum, vel palea, quæ in area atteritur. Aiunt eſſe verba Prophetæ in perſona Dei; quaſi dicat, Babylon conteretur a me quemadmodum triturari ſolet ſeges & palea in area. Quidam reddunt: *O tritura mea, & fili areæ meæ*, vel *edite in area mea*. Apoſtrophe ad Eccleſiam, cuius Propheta ſe membrum eſſe agnoſcens, docet Eccleſiam quantum ſit beneficium Dei revelantis con-

filia ſua, & quantum ipſius ſtudium in informanda de illis Eccleſia. *Trituram* autem, & *editum in area* vocat populum Dei, quia in Babylonia quaſi in area fuerat trituratus, atque ventilatus, ut cum triturando e gluma & follibus ſuis utriculiſque triticum educitur: quæ ſimilitudo in Scripturis eſt frequentiſſima, ut infra cap. XXVIII. 27.

V. 11. ONUS DUMA. Heb. *Oneroſa prophetia*, ut cap. XIII. 1. *Dumah*. Duplicem in Scriptura legimus *Dumah*, alteram in Arabia deſerta cultam ab Iſmahelitis Geneſ. XXV. 14. in qua oppidum Dumætha Ptolemæo Lib. V. cap. XIX. alteram urbem montanam tribus Iehudæ, vel ad Idumæam pertinentem, vel Idumææ confinem, de qua Ioſue XV. 52. hanc hoc loco intelligi S. Hieronymus ita docet: *Pro Dumah* LXX. Idumæam *ponunt: eſt autem Dumah non tota Idumæa provincia, ſed quædam eius regio, quæ ad auſtrum vergit: & ab urbe Paleſtinæ, quæ hodie dicitur Eleutheropolis, viginti diſtat millibus: iuxta quam ſunt montes Seir, ſumpto ab auctore nomine: Seir quippe interpretatur Hiſpidus & Piloſus, qui Heſau fuit.* Tremellius, & Iunius: *Prophetia oneroſa Dumæ*. Secunda hæc prophetia, quo brevior, eo eſt obſcurior. Nos ſententiam noſtram (ut ſimpliciſſima videtur) afferemus. Dumam plerique accipiunt ſynecdochice pro Iiſchmahelitis, ab illa Duma, cuius fit mentio Geneſ. XXV. 14. Sed hoc improbamus duabus de cauſis maxime: una eſt, quod Sehir mons Edomæorum hic nominatus eſt; altera, quod Duma illa æque ac Kedar ſequente prophetia continetur. Dumam itaque accipimus pro Edomæa per aphæreſin, ut cum Ram, pro Aram, & Paſdammim pro Epheſdammim, & ſimilia dicuntur: ac propterea duos hoſce verſus accommodamus Edomæis, hoc argumento: Priore verſu Edomæi ludificantur ſtudium & attentionem pervigilem piorum, & minas Dei contemnunt; poſteriore vero Propheta eaſdem minas repetens docet iudicia Dei inſtare, niſi mox reſipuerint: quæ deinde abſolute, & ſine ulla conditione denuntiantur, infra cap. XXXIV. 5. AD ME CLAMAT: Edomæus ridens, & ludificans. Alii: *Clamat quiſpiam ad me*; id eſt, videor mihi audire clamantem aliquem de Sehir. EX SEIR. Heb. *de Seghir*, monte Edomææ, de quo vide in Geneſ. XIV. 6. & cap. XXXVI. 8. & Deuteronom. II. 22. CUSTOS QUID DE NOCTE? Id eſt, qui habitant in monte Sehir, timebunt maxime, ſurgentque nocte, & paſſim interrogabunt vigiles, ac dicent: Cuſtos quid hac nocte accidit, vel quid accidit, ex quo nox eſt: ſeu quid nocte iſta de adventu hoſtium præſentiſti? Aliqui reddunt: *Vigil quid de nocte?* id eſt, Propheta, qui te cuſtodem eſſe gloriaris, & excubare pro ſalute populi, iudiciaque Dei explorare, quid de calamitatibus, quas alii toties cantarunt nobis eventuras eſſe, prænuntias? CUSTOS QUID DE NOCTE? Repetitio, augens metum & anxietatem de imminente hoſte. Alii reddunt unica voce: *vigil quid loquitur? quid dicit?* id eſt, quid novi affert Propheta? מליל *millel*, cum *Iod* quieſcente in *Tzere*, exponunt, *de nocte*, a ליל *lail* præfixa præpoſitione מן *min*. Alii *Iod* redundare putant, & cauſa alicuius myſterii adiectum, atque eſſe præteritum Pihel, *dixit*, *locutus eſt*, vel *præciſe*, *circumſcripte*, *conciſe protulit ſermonem*: ut ſolent eſſe ſermones prophetarum.

V. 12. DIXIT CUSTOS: VENIT MANE ET NOX. Exponunt: Id eſt, idem interrogabitis cras mane, & cum ſupervenerit nox, & tamen nihil proficietis. Quidam reddunt: *Dixit vigil: Advenrat mane, ſed etiam nox advenit*; id eſt, excuſſo iugo Iiſraelitarum e collo tuo, ut dicitur Geneſ. XXVII. 42. libertate, copia bonorum, ac proſperitate uſus es: ſed iam altera tibi inſtat ab Aſſyriis calamitas, qua velut tenebris noctis obſcuraberis. SI QUAERITIS, QUAERITE: CONVERTIMINI, VENITE. Exponunt: Quaſi dicat, Facimus vobis poteſtatem frequenter inculcandi hanc interrogationem, *Cuſtos quid de nocte?* ſi vultis quærere, quærite, interrogate quantum voletis, nihil tamen proficietis. *Revertimini*, *venite*, ad interrogandum, frequenter adite excubias, ſi quem rumorem aut ſtrepitum de adventante hoſte perceperint. Aliqui reddunt: *ſi eruetis*, *eruite*, vel *ſi elicietis*, *elicite* arcana: *revertimini*, *venite*. Loquitur autem, inquiunt, Propheta de perveſtiganda voluntate & adventu hoſtium, qui latebat. Nonnulli: *Si quæſituri eſtis*, *quærite; revertimini*, *venite*; id eſt, ſi quæſituri eſtis Deum vera pœnitentia & reſipiſcentia; quaſi dicat: Si eſt vobis in animo, mox facite ut ad Deum convertamini, & ſtatim redite, ſeu revocate greſſum ab inſtituta via ve-

ſtra:

ſtra: quæ hortatio fraterna ad Edomæos emphaſim habet, poſitis verbis pluribus aſyndetis.

V. 13. ONUS IN ARABIA. Heb. *Prophetia oneroſa*, *gravis*, ut cap. XIII. 1. *in Arabia*, vel *in Arabiam*, ſeu *ſuper*, *contra Arabiam*, vel *de Arabia;* id eſt, de clade Arabiæ. Deſertam nonnulli intelligunt, ex ſignificatione vocis Hebraicæ. Alii Petræam. Tremellius, & Iunius: *Prophetia oneroſa in Arabiam*. Tertia hæc prophetia ſimiliter oſtendit quantam cladem Sancherib Arabibus Iudææ conterminis allaturus ſit, poſtquam Feliſthæos, & alios circumiacentes debellaſſet iuſto Dei iudicio: ac propterea primum calamitatem deſcribit, tribus verſibus; deinde præfinit tempus, duobus ultimis. *In Arabiam:* Petræam videlicet, Iudææ AEgyptoque conterminam, quæ proinde ſæpius AEthiopibus & AEgyptiis operam ſuam commodaverat contra populum Dei, ac fortaſſe etiam Thirhakæ contra Sancheribum. IN SALTU AD VESPERAM DORMIETIS, IN SEMITIS DEDANIM. Alii ex Heb. I. *In nemore in Arab morabimini*, *o ſemitæ Dedanim*. Hic ſemitæ pro his qui faciunt iter, intelliguntur; quaſi dicat: O viatores Dedanitæ (ſolebant enim frequenter commeare) qui ante ſolebatis pernoctare in tentoriis Scenitarum Arabum, poſthac nulla invenietis, & cogemini in ſilvis pernoctare, quoniam deſtructa erit Arabia. II. *Per ſilvas in Arabia pernoctabitis*, *o cœtus commeantes Dodanæorum;* id eſt, o cœtus poſterorum Abrahami ex Ketura, Geneſ. XXV. 3. latebitis in ſilvis ac nemoribus, metu Sancheribi. IN SEMITIS. Heb. ſine præpoſitione ארחות *orechoth*, proprie *ſemitæ*, *viatoria*, *comitatus*, *turmæ viatorum*, *cœtus commeantium*, *caravanæ*, *cafilæ:* vide Notas in Geneſ. XXVII. 25. DEDANIM. Vide in Geneſ. X. 7. & in cap. XXV. 2. & 3.

V. 14. OCCURRENTES SITIENTI, &c. Hunc verſum alii ex Heb. efferunt: I. *In occurſum ſitienti venite*, *o aquæ*, *habitatores terræ Thema*, *cum pane eius prævenite fugientem;* id eſt, Excipite Arabes fugientes, ſiti confectos, alioqui perituros; *pane eius*, id eſt eſcis neceſſariis unicuique eorum reficite eos. II. *Obviam ſitienti venientes afferant aquas incolæ regionis Themæ*, *cibo ſuo præveniant evagantem*. Ergaſia ab hiſtoria incolarum Arabiæ Deſertæ, ubi ſita eſt Thema Iiſchmahelitarum, Geneſ. XXV. 15. qua ſummam penuriam Petræis Arabibus fore oſtendit, cum ab iis ipſis mendicaturi ſint victum, qui ex ſuo agro non poſſunt ſeipſos alere: *evagantem*, id eſt incolam Arabiæ Petrææ fugientem. III. *O cives Thema obviam proferte aquas ſitienti*, *pane ſuo accurrite profugo*. De Thema vide in Geneſ. XXV. 15.

V. 15. A FACIE ENIM GLADIORUM FUGERUNT. Alii: *Nam propter gladios evagabuntur:* id eſt, propter armatas Sancheribi copias. A FACIE GLADII IMMINENTIS. Heb. *a facie gladii dimiſſi*, *diſtricti*, *nudati*, *protenſi*. Quidam: *propter gladium extenſum*, id eſt pervadentem totam Arabiam. A FACIE ARCUS EXTENTI. Alii, *calcati*, *adducti*, *viati*, hoc eſt recta via directi in hoſtem: ſic ſupra cap. V. 28. Quidam: *propter arcum adductum*.

V. 16. ADHUC IN UNO ANNO, QUASI IN ANNO MERCENARII. Alii ex Heb. I. *In adhuc anno*, id eſt In termino, In fine anni *ſicut anni mercenarii*; hoc eſt, exacto anno uno ſimilis annis mercenarii, id eſt integro & perfecto: nam anni mercenarii ſunt præciſi, neque redundantes, neque diminuti. A die huius prophetiæ uſque ad deſtructionem Arabiæ fuit unicus annus, integris ſuis diebus conſtans. II. *Cum adhuc fuerit annus iuxta annos mercenarii*. III. *Intra annum*, *ut ſunt anni mercenarii:* vide ſupra cap. XVI. 14. Confirmatio a tempore, ut in verſ. 13. diximus. ET AUFERETUR OMNIS GLORIA CEDAR. Heb. *Et conſummabitur*, *terminabitur*, *ceſſabit*, *deficiet*, *finietur omnis gravitas*, *excellentia*, *ſplendor*, *maieſtas Kedaris*. Exponunt: Id eſt, Arabiæ Petrææ, & Deſertæ: vide in Geneſ. XXV. 13.

V. 17. ET RELIQUIAE NUMERI SAGITTARIORUM FORTIUM DE FILIIS CEDAR IMMINUENTUR. Alii ex Heb. I. *Et reliquiæ numeri arcu iaculantium fortium filiorum Kedar imminuentur;* id eſt, ſagittarii pauci, iique fortes qui ſupererunt, in dies fient pauciores numero. Reliquias numeri vocat paucas & exiguas: vide ſimilem locutionem Geneſ. XXXIV. 30. II. *Et reſiduum arcus quod numerabitur*, *fortium filiorum Kedar*, *imminuetur*. III. *Et reliquus numerus iaculatorum*, *potentes Kedareni diminuentur*.

ME-

Digitized by Google

MENOCHII.

Verſ. 1. ONUS: durum, & triſte vaticinium. DESERTI MARIS, id eſt contra Babylonem, quæ eum fuerit quaſi mare, propter populi frequentiam, nunc a Deo vaſtabitur, ita ut videatur eſſe eremus, & deſertum: vox enim *deſerti* eſt nomen ſubſtantivum, cum in Hebræo ſit מדבר *midbar*. SICUT TURBINES AB AFRICO VENIUNT; id eſt, quemadmodum ab Auſtrali plaga, id eſt a deſerto concitati, & violenti turbines feruntur, qui obvia quæque turbant, & evertunt. DE DESERTO VENIT: ſic vaſtitas de ſimili deſerto, hoc eſt de terra horribili, Perſide nimirum, & Media in fines Babylonis irrumpet.

V. 2. VISO DURA: vaticinium triſte, & durum Babyloni futurum. MIHI, Iſaiæ. QUI INCREDULUS EST, &c. In Heb. eſt, *ecce prævaricator, prævaricator, & ecce vaſtator, vaſtator;* id eſt, qui aliis gentibus fidem feſellerunt, & prævaricati ſunt, Perſæ ſcilicet & Medi, idem facient cum Babyloniis, eoſque vaſtabunt, ut alios populos vaſtaverunt. Itaque, *Incredulus* idem eſt, quod fidem datam non ſervans. AELAM, id eſt Perſa. Vide dicta ſupra XI. II. OBSIDE MEDE; quaſi dicat, Adeſte Perſæ, & Medi civitatem mihi inviſam obſidete. OMNEM GEMITUM EIUS CESSARE FECI: accipiendum eſt hoc active; quaſi dicat, Ceſſare feci gemitum eius, ſcilicet Babylonis, quem ipſa ſua tyrannide, & oppreſſione ab aliis exprimebat.

V. 3. PROPTEREA, &c. magnitudo eladis Babylonis ad miſericordiam commovet etiam ipſum Iſaiam, licet civitas eſſet Iudæis inimica. REPLETI SUNT LUMBI MEI, &c. Meminit lumborum, quia de ſe loquitur Propheta ſub allegoria mulieris dolores partus patientis.

V. 4. EMARCUIT: pavore, dolore, & miſeratione pene liqueſactum eſt cor meum. TENEBRAE: quaſi quadam caligine oculos, & mentem obducente. IN MIRACULUM: ruinæ, anguſtiæ, pavoris, & tremoris; hoc eſt enim Heb. חרדה *tharada*.

V. 5. PONE MENSAM; quaſi dicat, per ironiam, Epulare ſane Baltaſar, & geniale convivium inſtrue. CONTEMPLARE IN SPECULA, &c. id eſt, gaude, & lætare in in conſpectu convivarum, quos tu e throno tuo ſublimiori inferioribus menſis aſſidentes, contemplaris. SURGITE PRINCIPES, ARRIPITE CLYPEUM; id eſt, ſtatim hæc vox ad arma vos excitantis inſonabit auribus veſtris.

V. 6. VADE, ET PONE SPECULATOREM, id eſt te ipſum ſpeculatorem conſtitue. VIDERIT. LXX. habent, *Videris*.

V. 7. VIDIT, ſcilicet ſpeculator. Ego Iſaias, qui ſpeculatoris munere fungebar. CURRUM DUORUM EQUITUM: duorum aſcenſorum currus vidi, nam quilibet eorum ſuum currum habebat in quem aſcenderat. Vocatur eques (ut alibi) qui curru vehitur. Symmach. vertit *duas bigas*. Vel etiam currus dicitur *duorum equitum*, quod quilibet equus curr ulis ſuum aſcenſorem haberet, qui agebat aurigam. ASCENSOREM ASINI; id eſt, aſcenſorem currus, quem trahebant aſini, vel qui aſino inſidebat. Aſinis comparantur Perſæ, quia ad eam diem abiecti fuerant, & ignobiles; quia laborioſi & malorum patientes; quia non tam ſolertia militari, quam corporum robore, & militum multitudine bella ſuſtinebant; tandem quia licet priores Perſæ frugales eſſent, tamen qui poſt ea ſubſecuti ſunt, luxui, & libidinibus intemperanter indulſerunt. Aſcenſor huius currus erat Cyrus Rex. ASCENSOREM CAMELI. Camelo comparantur Medi, & Darius eorum Rex, quia Medi bellicoſi erant, & potentes, & camelis inequitabant, & Darius regio Medorum ſanguine natus, illuſtris erat & magnanimus. Ita D. Hieronymus. CONTEMPLATUS EST, ſcilicet is, qui ſpeculatorem agebat, nimirum Iſaias.

V. 8. ET CLAMAVIT LEO; id eſt, & ego Iſaias ſpeculator, videns civitati impendere ruinam, clamavi, vocem exaltans, quaſi rugitum leonis. SUPER SPECULAM, &c. quaſi dicat: Dies, & noctes perpetuo omnia circum ſpeculor, & obſervo diligenter.

V. 9. ECCE ISTE VENIT, &c. Sententia verſiculi eſt: Video adventare Perſicas acies, eaſque in urbem irrumpere: vidi Babylonem ab eis everſam cadere. ASCENSOR: Aſcenſores, id eſt equites duo, ſcilicet Darius, & Cyrus; ſic vulgo dicimus, *Miles adeſt*, id eſt milites. Vel ſolus Cyrus intelligitur, qui fere ſolus hoc bellum confecit. VIR, id eſt quilibet eorum; nam Hebræum איש *iſc* diſtribuit, & aliquando idem eſt quod quivis, aut quilibet. VIR BIGAE EQUITUM; id eſt, quilibet inſidet

ſuæ bigæ equeſtri, & bellicæ. ET RESPONDIT; ſcilicet, ſpeculator Iſaias clamavit ultro; nemo enim hic eum interrogat: ſic ſæpe Chriſtus in Evangelio dicitur reſpondiſſe, id eſt dixiſſe, cœpiſſe loqui. CECIDIT, CECIDIT, id eſt plane cecidit; hoc enim ſignificat vocis geminatio.

V. 10. TRITURA MEA, &c. Vos o Iudæi, gens mea, ad quos ſermone iam redeo, qui quaſi frumentum virga, & tribula affligemini ad ſalutem, ſcitote hæc quæ prædixi, fidem certam, & ratam habitura; nam ipſo Domino revelante cognovi, itaque ex his proficite. FILII AREAE MEAE: idem eſt, quod *tritura*, quæ in areis exercetur.

V. 11. ONUS: triſtis, dura, & minax prophetia. DUMA, Idumæa: nam apud Hebræos, ut fere apud alias etiam gentes, nomina propria patiuntur aphæreſim; ſic *Ieruſalem* vocatur *Salem*; ſic Abraham appellatur *Ram* Iob XXXII. 2. & *Beniamin* dicitur *Iemini*. AD ME CLAMAT EX SEIR; quaſi dicat: Ego, qui conſtitutus ſum ſpeculator a Deo, videor mihi audire clamantes Idumæos; quæ Seir dicitur ab Eſau, qui etiam Seir appellatus eſt. CUSTOS QUID DE NOCTE? Hæc eſt clamantis vox. Sententia eſt: Quid o ſpeculator nobis de noſtro ſtatu in hac nocte ſignificas? Ecquid de hoſtibus exploratam habes? Vivimusne, an funditus periimus?

V. 12. VENIT MANE, ET NOX; id eſt, venit mane, & de hoſtibus interrogatis; venit nox, & iterum ſoliciti de hoſte quæritis. SI QUAERITIS, QUAERITE: ſi effugium a malis quæritis, ita quærite ut oportet, & ab eo qui vobis opem ferre poteſt, nimirum a Deo. CONVERTIMINI, ET VENITE: reſipiſcite, mores mutate, pœnitentiam agite; tuncque armis captis fidenter venite, cum hoſte confligite, & victoriam reportabitis.

V. 13. ONUS IN ARABIA, id eſt prophetia minax contra Arabes. IN SALTU AD VESPERAM DORMIETIS, &c. quaſi dicat: Vos Iudæi a patria exules, in alieno ſolo, nimirum in regimine Dedanim, quæ eſt in Arabia, ſub dio dormietis. AD VESPERAM. Heb. בערבה *baharaba*, quod etiam verti poteſt in *Arabia*. DEDANIM. *Dedan, & Theman*, inquit S. Hieronymus, *in ſolitudine ſunt*; & videntur præcipuæ fuiſſe Iſmaelitarum provinciæ.

V. 14. OCCURRENTES SITIENTI: Iudæo, ex pavore, & fatigatione in fuga. FERTE AQUAM: date potum. QUI HABITATIS TERRAM AUSTRI: vos Arabes, quorum regio ad meridiem vergit.

V. 16. QUONIAM HAEC DICIT DOMINUS, &c. quaſi dicat: Quoniam vero in miſeros hoſce Iudæos, & ſupplices non fuiſtis miſericordes, hæc denuntiat Dominus. ADHUC IN UNO ANNO: poſt annum unum elapſum, vel poſt breve tempus, ita ut tempus definitum pro indefinito poſitum ſit. QUASI IN ANNO MERCENARII; id eſt, in anno quo dabuntur in prædam, quaſi in mercedem hoſtibus ſuis Chaldæis, pro labore quo ipſi Chaldæi ſervierunt divinæ vindictæ, in aliis gentibus exſcindendis. Vide dicta ſupra XVI. 14. GLORIA CEDAR, id eſt Arabiæ; Arabes enim & Iſmaelitæ Cedar appellantur, & Cedareni, a Cedar filio Iſmael, Geneſ. XXV. 13.

V. 17. RELIQUIAE NUMERI, id eſt reliquiæ numerabiles, id eſt paucæ Arabum, qui alioqui ſolent eſſe innumeri, & peritiſſimi ſagitarii. IMMINUENTUR: erunt in exiguo numero. For. clare vertit: *Et reſiduus numerus arcus fortium filiorum Cedar paucus erit*. DOMINUS DEUS LOCUTUS EST; contra quem nec conſilium, nec vires valent, & qui nec falli poteſt, nec fallere.

TIRINI.

Verſ. 1. ONUS DESERTI MARIS; id eſt, prophetia oneroſa, quia excidium prædicit Babyloni, iam quidem ob incolarum multitudinem & confluxum omnium nationum, inſtar *maris*, immo inſtar parvi mundi vaſtæ & amplæ, ſed mox puniente Deo vaſtandæ ac deſolandæ inſtar *deſerti a* ſeu eremi: ita S. Hieronymus & Cyrillus. Porro hoc *onus*, ſeu procella oneroſa obveniet Babyloni DE DESERTO, id eſt a Media & Perſide, quas inter & Babylonem vaſta deſerta interiacent. Et obruet Babylonem SICUT TURBINES AB AFRICO, ſeu Meridie per deſerta illa venientes ſolent obvia quæque obruere.

V. 2. QUI INCREDULUS EST, INFIDELITER AGIT. Hebraice, *qui prævaricator eſt, prævaricator eſt*; quaſi dicat: Perſæ & Medi, qui infideles, fœdifragi & prævaricatores paſſim audiunt, etiam Babyloniis fidem datam non ſervabunt: & qui tot alias gentes depo-

depopulati ſunt, etiam Babylonem vaſtabunt. Porro confœderatos fuiſſe Medos, Perſas & Chaldæos, vel inde patet, quod Nabuchodonoſor uxorem habuerit Nitocrin filiam Cyaxaris regis Medorum, unaque cum ipſo expugnarit Niniven, totamque Aſſyriam, inquit Hieronymus, Euſebius, Ioſephus & alii. Igitur adeſdum, o AELAM, id eſt Perſa (AElam enim Perſicæ regionis pars eſt:) ASCENDE *b* cum univerſis copiis tuis: & tu ſimul o MEDE; & *obſidete* iunctis viribus urbem mihi inviſam Babylonem, invadite, vaſtate, exſcindite. Sic ego CESSARE *faciam* OMNEM GEMITUM Babylonis, quo ipſa, ſua tyrannide cogebat alios populos flere & gemere: ita Chaldæus. Sanchez paſſive accipit, & per *gemitum* intelligit planctum funebrem & publicum; quaſi dicat: Faciam, ut Babylonii ita ſubito a Perſis & Medis obruantur, ut nulla ſit futura ipſis occaſio vel tempus plangendi & ſepeliendi mortuos ſuos.

V. 4. BABYLON DILECTA MEA, inquit Iſaias, cui ob eximium ſplendorem, opes & potentiam merito cara erat, ut & reliquo orbi: erat enim unum e ſeptem orbis miraculis. Iam vero exciſa a Perſis POSITA EST MIHI, totique orbi IN aliud MIRACULUM, nempe ruinæ, excidii, pavoris & doloris.

V. 5. PONE MENSAM, o Balthaſar, adorna convivium, epulare, iucundare. Ironia eſt: ſicut & ſequentia, CONTEMPLARE IN SPECULA; id eſt, ſtatue ſpeculatores, qui e turribus contemplentur quid agatur in caſtris Cyri & Darii; quaſi dicat: Fruſtra eſt, & ſerius. Iam enim hoſtis habet muros, deducto Euphrate, per ſiccum alveum Babylonem ingreſſus eſt, ad regiam advolat. Heus *vos* PRINCIPES incurii COMEDENTES in aula ET BIBENTES, SURGITE, pro poculis enſem ARRIPITE & CLYPEUM; Chaldæus, *tergite, & lucida facite arma*. Hiſtoriam expugnatæ Babylonis vide apud Xenophontem *c* & Danielem capite v.

V. 7. VIDIT viſione cælitus immiſſa CURRUM duplicem, unum protractum ab *aſinis*, cui inſidebat *Cyrus Perſa*: alterum protractum a *camelis*, cui inſidebat *Darius Medus*. *Medi* enim quia bellicoſi & potentes *camelo* deſignantur, quo pro equis etiam uti ſolebant. At aſinis comparantur *Perſæ*, quia abiecti in eam diem, & ignobiles & ſalaces, interim robuſti, laborioſi & malorum patientes. Quas etiam ob cauſas Danielis VII. 5. urſo comparantur: ita Euſebius, Hieronymus, Theodoretus, Auguſt. *d* Allegorice, Chriſtus aſcenſor eſt cameli, populi Iudaici; & aſini, populi Gentilis, inquit Heſychius. Vel, ut Alcazar *e*, S. Petrus aſcenſor aſini, Iudæorum Apoſtolus; & S. Paulus cameli, Gentilium doctor, Romam pari ſtudio ſubegerunt Chriſto.

V. 8. ET CLAMAVIT ſpeculator, rugiens quaſi LEO; qui (quod breviſſimas habeat palpebras, unde etiam dormiens vigilare videtur,) ſymbolum eſt vigilantis excubitoris, ſoletque adpingi valvis templorum ac palatiorum, quaſi vigil & cuſtos loci, inquit Horus Apollo *f*. EGO SUM; quaſi dicat: Ego Iſaias ſum ille ſpeculator iam dictus, & Propheta, iuxta munus mihi commiſſum a Deo.

V. 9. VIR BIGAE EQUITUM; id eſt, uterque rex, Perſarum Cyrus in ſua biga, & Medorum Darius in ſua biga equeſtri & bellica, ſtipata tot exercitibus. RESPONDIT; id eſt ultro clamavit ſpeculator Iſaias.

V. 10. TRITURA MEA vos eſtis, o Iudæi, ET FILII AREAE MEAE; id eſt, grana trituratione in area excuſſa vos eſtis; quaſi dicat: Babylonios non triturabo, ſed prorſus conteram ac diſperdam; vos vero, o Iudæi, qui eſtis gens mea, triturabo, paleas eventilabo, culmos ac ſtramina ſecernam, grana in horreum recondam.

V. 11. ONUS DUMA. Aphæreſis eſt, pro *Idumæa*, ut vertunt LXX. Ab *Eſau* enim ruſo *Edom*, ſeu Idumæa, a piloſo *Seir* dicta fuit regio quam poſteri Eſau incoluerunt. O CUSTOS, QUID DE NOCTE? id eſt, quota eſt noctis hora? Obſeſſi enim a Chaldæis præ metu & pavore non ſat exacte obſervabant ſingulas noctis horas. Reſpondet excubitor, verſ. 12. VENIT MANE ET NOX; id eſt, appropinquat quidem crepuſculum auroræ, ſed tamen adhuc nox eſt, & tenebræ nos tegunt: quare, SI QUAERITIS hoſtem vel explorare, vel aggredi, vel a finibus veſtris depellere, QUEARITE cito & feſtinate: CONVERTIMINI, VENITE; id eſt, rurſum venite, rurſum audete aliquid tentare. Vel, ſic *quærite* & explorate omnia hoſtilia, ut cito revertamini in urbem, priuſquam illuceſcat, & hoſtes vos perſentiſcant: ita Arias Montanus & a Lapide.

V. 13. IN ARABIA, id eſt contra Iſmaelitas, ſeu Cedarenos (ab Iſmaelis filio

 Cedar

Cedar g ſic vocari ſolitos) degentes in Arabia. Adventante Nabuchodonoſore fugam trepidi ſub noctem capeſſetis, *in ſaltu* ſub dio tranſigetis noctem & DORMIETIS IN SEMITIS, ſeu viis quæ ducunt ad urbem DEDANIM. Interim vos vicini populi,

V. 14. QUI HABITATIS TERRAM AUSTRI, id eſt verſus Meridiem (nam eo properabant Iſmaelitæ fugientes Nabuchodonoſorem ab Aquilone adventantem) OCCURRENTES SITIENTI Arabi FERTE AQUAM, offerte *panes* FUGIENTI.

V. 16. ADHUC IN UNO ANNO, ſeu poſt unum annum ab exciſa Ieroſolyma, AUFERETUR OMNIS GLORIA CEDAR, id eſt Arabum. Simile ſupra XVI. verſ. ult. Idem Arabiæ excidium prædicit quoque Ieremias & Ezechiel.

(a) Ierem. II. 37.
(b) Ierem. II. verſ. 11. 12.
(c) Xenoph. Lib. VII.
(d) Euſeb. Lib. IX. Præparat. cap. ult. Hieron. hic & Ezech. XXIII. 20. Theodor. in Levit. q. XXIV. & Auguſt. ibid. q. LVIII.
(e) Alcazar in Apoc. XVII. notæ. 1.
(f) Horus Apollo hierogl. XIX.
(g) Geneſ. XXV. 13.

G O R D O N I.

Verſ. 1. ONUS DESERTI MARIS. Hoc eſt, minax prophetia contra Babylonem, quæ ex multitudine vocatur mare, ſicut ex futura vaſtatione deſertum: & quod cap. XIII. de Babylone clare dictum eſt, hic etiam dicitur, ſed obſcurius. An inter has duas prophetias, in hac collectione propheticarum, ſervatus ſit ordo qui hic indicatur, incertum eſt. AB APHRICO VENIET, DE DESERTO. Deſertum vocat Mediam & Perſiam; inde enim venerunt in Babylonem Medi per vaſta deſerta, ut docet Geographia.

V. 2. QUI INCREDULUS EST, INFIDELITER AGIT. Heb. *qui prævaricator eſt*: בגד *bagad*, prævaricari, rebellare, fidem fallere, recte: nam Medi olim confœderati Babyloniæ, nunc eam invadent. At quid illud ASCENDE AELAM? Perſa eſt, & Elamitæ ſunt Perſæ. AElam civitas in Perſide, ſic dicta ab Elam filio Sem, ut notat Ioſephus.

V. 3. PROPTEREA REPLETI SUNT LUMBI MEI DOLORE. Verba ſunt ipſius Iſaiæ dolentis ex commiſeratione, de his Babylonis anguſtiis: ubi verſ. 5. attingit cœnam illam fatalem Baltaſaris, ubi vidit manum ſcribentis in pariete. *Ponite menſam*, ironiam habet ad Baltaſarem, qui vel in cœna, vel aliquandiu poſtea occiſus eſt: vide Dan. V. 30.

V. 6. & 7. HAEC ENIM DICIT MIHI DOMINUS. Modus loquendi eſt ex conſtitutione ſpeculatoris, qui deſcribitur videns adventum Darii & Cyri. Diſquirunt hic aliqui cur camelo comparentur Medi, & Darius; aſino vero Cyrus & Perſæ: non moror: hunc adventum & rationem temporis deſcripſi in opere Chronologico.

V. 8. ET CLAMAVIT LEO, &c. Clamavit ſpeculator, ſcilicet ipſemet Propheta hæc videns: clamavit ut leo, ex Chal. vel leo ſcilicet Darius adventat, nuntiat ſpeculator verſ. 9. quæ vidit, venit (inquit) aſcenſor, cecidit *Babylon*: at quorſum illud, TRITURA MEA verſ. 10. Idem ſane eſt tritura, & filii areæ, ſcilicet frumentum trituratione excuſſum: apoſtrophe ad Ieruſalem; quæ etiam ſuam ſæpe eſt paſſa ab hoſte triturationem.

V. 11. ONUS DUMA AD ME CLAMAT. Prophetia eſt contra Idumæam. Heb. *Duma*. LXX. τὸ ῥῆμα τῆς Ἰδουμαίας. Fabulantur Iudæi, qui putant pro Duma ſubſtituendam Romam. Senſus eſt: Clamat Idumæa timens adventum hoſtium, Cuſtos qui in excubiis es, quid vides, ſeu anne aliquid hoſtile apparet? Ceterum Duma pro Idumæa eſt (ab Edom ſeu Eſau ruſo) conſueta abbreviatione nominis, ſicut Salem pro Ieruſalem. Porro Seir quoque eſt Idumæa, ſic dicta ab Eſau piloſo: שעיר *ſehhir*, *piloſus*: rad. שער.

V. 12. DIXIT CUSTOS. Cuſtodem & ſpeculatorem hic Iſaias ſe exhibet: reſpondet cuſtos, Fruſtra toties inclamatis, quid rei ſit: quæritis, & iterum quæritis, effluxit hora, adeſt hoſtis. Properate, convertimini, ſi ſaltem cupitis, & dum tempus habetis.

V. 13. ONUS IN ARABIA. Cedar filius Iſmaelis, Gen. XXV. 13. & ab his progenitoribus Arabes vocantur Iſmaelitæ & Cedareni; de his vaticinatur nunc Iſaias, & deſcribit Arabum, ſeu Cedarenorum tum fugam nocte, tum vaſtationem adveniente hoſte, quando in fuga nocturna, in ſylva dormierunt, & in viis ad urbem Dedanim errabant. Dedem ex Hieronymo in

in ſolitudine eſt : potuit hoc accidiſſe ſub Salmanaſſare , aut etiam ſub Cyro: magis tamen videtur fuiſſe ſub Nabuchodonoſore: de qua clade vaticinatur etiam Ieremias, xxv. 23.

V. 14. Occurrentes sitienti ferte aquam. Hac compellatione & modo loquendi per apoſtrophen ad auſtrales (fugiebant verſus meridiem) declarat Iſaias ſitim, famem, & clamitatem fugientium Arabum.

V. 16. Adhuc in uno anno, &c. Hoc eſt in anno certo, quem Deus definivit: forte hoc contigit brevi poſt excidium Ieroſolymæ. His Arabibus præcipua ſalus erat in fuga. Sane equis velociſſimis utebantur in ſagittandi arte peritiſſimi; nec civitates habebant quæ obſideri poſſent, in tentoriis, & rapto vivebant: hac clade imminuta eſt gloria Cedar.

C A P U T XXII.

Sermo Domini contra Ieruſalem, cuius deflet propheta vaſtitatem: & quod neglecto Deo, fruſtra ſe muniat ad reſiſtendum Aſſyriis: carpuntur quod cum plangere deberent, gulæ indulgeant: & reiecto Sobna templi præpoſito ſubſtituitur Eliacim, cui magna datur poteſtas.

1. ONus vallis viſionis. Quidnam quoque tibi eſt, quia aſcen-
diſti & tu omnis in tecta? 2. clamoris plena, urbs fre-
quens, civitas exultans: interfecti tui, non interfecti
gladio, * nec mortui in bello. 3. Cuncti principes tui
fugerunt ſimul, dureque ligati ſunt: omnes qui inventi
ſunt, vincti ſunt pariter, procul fugerunt. 4. Propterea
dixi: Recedite a me, amare flebo: nolite incumbere ut
conſolemini me ſuper vaſtitate filiæ populi mei. 5. Dies enim interfectionis,
& conculcationis, & fletuum, Domino Deo exercituum in valle viſionis,
ſcrutans murum, & magnificus ſuper montem. 6. Et AElam ſumpſit pharetram,
currum hominis equitis, & parietem nudavit clypeus. 7. Et erunt electæ
valles tuæ plenæ quadrigarum, & equites ponent ſedes ſuas in porta. 8.
Et revelabitur operimentum Iudæ, * & videbis in die illa armamentarium
domus ſaltus. 9. Et ſciſſuras civitatis David videbitis, quia multiplicatæ ſunt:
& congregaſtis aquas piſcinæ inferioris, 10. & domos Ieruſalem numeraſtis,
& deſtruxiſtis domos ad muniendum murum. 11. Et lacum feciſtis inter duos
muros * ad aquam piſcinæ veteris: & non ſuſpexiſtis ad eum, qui fecerat
eam, & operatorem eius de longe non vidiſtis. 12. Et vocabit Dominus
Deus exercituum in die illa ad fletum, & ad planctum, & ad calvitium, &
ad cingulum ſacci: 13. & ecce gaudium & lætitia, occidere vitulos & iugulare
arietes, comedere carnes, & bibere vinum: (*a*) Comedamus, & bibamus:
cras enim moriemur. 14. Et revelata eſt in auribus meis vox Domini
exercituum: Si dimittetur iniquitas hæc vobis donec moriamini, dicit Dominus
Deus exercituum. 15. Hæc dicit Dominus Deus exercituum: Vade, ingredere
ad eum qui habitat in tabernaculo, ad Sobnam præpoſitum templi,
& dices ad eum: 16. Quid tu hic, aut quaſi quis hic? quia excidiſti tibi
hic ſepulcrum, excidiſti in excelſo memoriale diligenter, in petra tabernaculum
tibi. 17. Ecce Dominus aſportari te faciet, ſicut aſportatur gallus gallina-

linaceus, & quaſi amictum ſic ſublevabit te. 18. Coronans coronabit te tri-
bulatione, quaſi pilam mittet te in terram latam & ſpatioſam; ibi morieris,
& ibi erit currus gloriæ tuæ, ignominia domus Domini tui. 19. Et expel-
lam te de ſtatione tua, & de miniſterio tuo deponam te. 20. Et erit in die
illa: Vocabo ſervum meum Eliacim filium Helciæ, 21. & induam illum tuni-
ca tua, & cingulo tuo confortabo eum, & poteſtatem tuam dabo in manu
eius: & erit quaſi pater habitantibus Ieruſalem, & domui Iuda. 22. (b) Et
dabo clavem domus David ſuper humerum eius: & aperiet, & non erit qui
claudat: & claudet, & non erit qui aperiat. 23. Et figam illum paxillum in
loco fideli, & erit in ſolium gloriæ * domui patris eius. 24. Et ſuſpendent
ſuper eum omnem gloriam domus patris eius, vaſorum diverſa genera, omne
vas parvulum, a vaſis craterarum uſque ad omne vas muſicorum. 25. In die
illa dicit Dominus exercituum: Auferetur paxillus, qui fixus fuerat in loco
fideli: & frangetur, & cadet, & peribit quod pependerat in eo, quia Domi-
nus locutus eſt.

[a] Sap. II. 6. I. Cor. xv. 32. [b] Apoc. III. 7. Iob. XII. 14.

BRUGENSIS

ROMANAE CORRECTIONES.

Verſ. 2. *Nec mortui in bello*. Non eſt iteranda vox *mortui*, hoc modo: *Nec mortui tui, mortui in bello*.

Verſ. 8. *Et videbis in die illa*. Non mutes ſingulare *videbis* in plurale.

Verſ. 11. *Ad aquam piſcinæ veteris*. Retinenda eſt præpoſitio *ad*, non ſubſtituenda coniunctio *&*.

Verſ. 23. *Domui patris eius*. Alii ſcribunt reciprocum *ſui*.

NOTATIO.

Verſ. 8. ET *videbitis in die illa armamentarium* (*armentarium o*) *domus ſaltus*. Moguntina, & poſt eam aliæ haud paucæ typographorum editiones, cum Haymone enarratore *videbitis* habent. Porro manuſcripta pleraque omnia cum Richelio, Carenſi, Lyrano, & quod ex VII. commentariorum libro perſpicuum eſt, Hieronymo, ſingularis numeri lectionem *videbis* probant. Eamdem Hebraica probant: legunt enim והבטת quod eſt *& videbis*, vel *& vidiſti* maſculino genere. Eam ipſam lectionem probarunt & caſtigatores Dominicani, Pariſienſes, Henlenius.

COMMENTARIA

MALDONATI.

Verſ. 1. ONUS VALLIS VISIONIS, id eſt Ieroſolymæ, quæ Prophetis abundabat: dicitur autem vallis cum in monte ſita eſſet, quia conculcanda & in vallem quodammodo redigenda erat: aut, ut alii exponunt, Onus Iudææ, quæ undique montibus cincta veluti vallis erat, in eaque Prophetæ frequentes habitabant. QUIDNAM TIBI QUOQUE (videlicet אפוא, *nunc*:) Deſcribit bellum Babyloniorum contra Iudæos, quaſi iam præſens eſſet, & velut admirans interrogat, cur tota Iudæa in ſumma tecta confugiat, vel ut ſe illic occultet, vel ut inde pugnet; tecta erant Iudæis plana & ſtrata ſuperne, qualia nunc in Africa & Hiſpania Bœtica, ut Matth. x. 27. *Quæ in aure auditis prædicate ſuper tecta*: & Matth. XXIV. 17. *Et qui in tecto eſt, non deſcendat tollere aliquid de domo*.

V. 2. & 3. CLAMORIS PLENA: תשאות מלאה, *ſtrepituum plena*. URBS FREQUENS, הומיה,

הומיה, *tumultuans*, *civitas exultans*. Laudat, ut magis vituperet; quaſi dicat: O tu Ieroſolyma, quæ propter populi multitudinem ſtrepitu plena eras, & gloria exultabas, quomodo tam effeminata fuiſti, ut non acie occubueris; ſed metu te abdideris in tecta, ibique fame confecta fueris. Hoc eſt quod dicit: INTERFECTI TUI, NON INTERFECTI GLADIO. CUNCTI PRINCIPES TUI FUGERUNT. Hiſtoria eſt IV. Reg. cap. XXV. DUREQUE LIGATI SUNT, (ab hoſtibus vincti) מקשת אסרו, *ab arcu*, id eſt a militibus qui arcu utuntur, a ſagittariis vincti ſunt. Noſter Interpres videtur legiſſe מקשת. Codices Græci Sept. alii habent *ἅμα ἀπὸ τοῦ τόξου δεδεμένοι*, alii *καὶ οἱ ἁλόντες σκληρῶς δεδεμένοι εἰσί*. OMNES QUI INVENTI SUNT (in te.) Hebr. כל־נמצאיך, *omnes inventi tui*, id eſt qui in te inventi ſunt. PROCUL FUGERUNT, id eſt longe a patria, ut qui magno metu perciti ſunt, vel, מרחוק, *a procul fugerunt*, id eſt cum adhuc hoſtes procul eſſent.

V. 4. PROPTEREA; id eſt, quia hoc ſpectaculum animo vidi, DIXI (apud me, nolite me conſolari, aut decrevi nullam admittere conſolationem.) RECEDITE A ME; id eſt, ne impediatis me quo minus amare fleam. Heb. אמרר בבכי, *amarum reddam* (animum meum) *in fletu*; aut, amarum faciam fletum. NOLITE INCUMBERE; id eſt nolite laborare ut me conſolemini; nihil enim proficietis. Hebr. אל תאיצו, *ne feſtinetis*; id eſt, nolite me tam cito conſolari; diu enim flebo calamitatem filiæ populi mei, id eſt Ieroſolymæ. Filias ab Hebræis vocari civitates notum eſt.

V. 5. DIES ENIM INTERFECTIONIS: יום מהומה, *dies tumultus*. ET FLETUUM, ומבוכה, *& confuſionis*, aut *perturbationis*, id eſt quo evertetur Ieruſalem. Noſter Interpres videtur legiſſe מכבות, *Domino Deo*: (ſub. venit) id eſt, quo Dominus conculcabit & evertet Ieruſalem per Babylonios; quaſi dicat: Suus Deo veniet dies, id eſt quo faciet quidquid volet, ſicut nunc veſter eſt dies; id eſt, quidquid vultis impune facitis: ut, *Hæc eſt hora veſtra & poteſtas tenebrarum*: Lucæ XXII. 53. IN VALLE VISIONIS, id eſt Ieroſolymæ: conculcationis quæ a Domino fiet in Ieruſalem. SCRUTANS MURUM (erit Dominus, vel hoſtis Domino permittente) id eſt, diruens murum. Heb. מקר קר קיר ad verbum, *exmurans murum*, aut *exparietans parietem*, id eſt demoliens. ET MAGNIFICUS (Deus, vel hoſtis) SUPER MONTEM (Sion, aut ſuper ceteros montes, qui Ieroſolymæ vicini ſunt) aſcendet expugnandæ Ieroſolymæ cauſa. ושוע אל־ההר, *& clamor* (civium, aut hoſtium) *ad montem*: ad montes (ſing. pro plurali) *aſcendet*; id eſt, tantus erit clamor, ſcilicet civium plorantium, vel hoſtium exultantium, ut uſque ad vicinos montes audiatur.

V. 6. ET ELAM; id eſt, Elamitæ ſagittarii a Babyloniis conducti ad expugnandam Ieroſolymam, pharetras ſuas arripient. ET CURRUM HOMINIS EQUITIS, id eſt currum militarem, quo homines ad expugnandum vehuntur, ad differentiam ceterorum curruum, quibus impedimenta bellica comportantur. בכרב אדם ערשים *in curru*, vel *cum curru hominis* (pro hominum) *& equitum*. ET PARIETEM NUDABIT CLYPEUS. Solent clypei eum pax eſt, appenſi eſſe parietibus; ingruente autem bello, detractis clypeis parietes nudati manent. Alii putant Hebraicum nomen hoc loco eſſe proprium Cyrenaicæ regionis, vertuntque: regio Cyrene nudabit clypeos; id eſt, detrahet illis integumenta, quibus ne pulvere conſumantur, veſtiri ſolent; quaſi dicat: Præparabit clypeos ſuos ad pugnandum. Alii, Cyrene admovebit clypeos (utrumque enim ſignificat ערה) id eſt, facta teſtudine ſubruet muros Ieruſalem.)

V. 7. ET ERUNT ELECTAE VALLES TUAE. Heb. מבחר־עמקיך, *Electio vallium tuarum*; id eſt, amœniſſimæ valles tuæ quadrigis plenæ. Deſcribit Babyloniorum caſtra. ET EQUITES PONENT SEDES SUAS; id eſt, caſtrametabuntur iuxta ipſas portas urbis, vel conſiſtent in ipſis portis capta urbe, ne quis effugiat, ut explicat Hierem. cap. XXXIX. 3. Heb. שות שתו השערה, *ponendo ponent verſus portam*: poſſumus intelligere acies ſuas.

V. 8. ET REVELABITUR OPERIMENTUM. Aliqui operimentum interpretantur, aliqui templum, alii Deum, a quo Iudæi protegebantur, quaſi dicant: Deſtituentur omni divino auxilio; ſed fortaſſe ſimplicior eſt ſenſus: Aperientur omnia ſecreta, diri-

diripientur omnes theſauri. Et videbitis: ותבט, *& videbis*, id eſt, quilibet videbit armamentarium domus ſaltus (ubi Salomon armamentarium fecerat, III. Reg. vii.) quæ prius clauſa erat, patebit omnibus, atque expilabitur.

V. 9. Et scissuras civitatis David videbitis. Urbs David intra reliquam urbem erat ſita, quaſi eius arx & propugnaculum. Significat ergo fore ut hoſtes non ſolum muros Ieroſolymæ, ſed & urbis David (quæ intima & munitiſſima erat) perfodiant. Alii, *Videbitis ſciſſuras*, id eſt partes murorum ante ruptas luſtrabitis belli tempore, ut eas reficiatis. Quia multiplicatae sunt: præt. pro fut. id eſt, quia multæ rupturæ ab hoſtibus fient. Et congregastis, pro fut. congregabitis aquas piscinae inferioris, ut in obſidione bibatis, vel ut muros reficiatis.

V. 10. Et domos Ierusalem numerastis. Pro numerabitis, ut videatis ecquæ ſint ſupervacaneæ, eaſque ad reficiendos muniendoſque muros diruatis, ut tempore belli fieri ſolet.

V. 11. Et lacum fecistis; quaſi dicat: Adhibuiſtis omnia humana præſidia, ut vos ab hoſtibus defenderetis; ſed Dei, in quo ſolo confidere oportebat, non eſtis recordati: utitur præt. pro fut. ut ſolet. Et aquam. Heb. למי, *pro aquis*, id eſt ad recipiendas conſervandaſque aquas piscinae veteris, quæ extra urbem erat, ne ſcilicet egrediamini ad quærendam aquam ex urbe, & in manus hoſtium incidatis: vide ſupra quæ de piſcinis annotavimus cap. vii. verſ. 3. Et non suspexistis, non ſuſpicietis ut opem imploretis, ad eum qui fecit eam (aquam) id eſt, ad Deum; quaſi dicat: Spem veſtram ponetis in creatura, non in Creatore. Et operatorem eius de longe; id eſt, antequam periculum impenderet, qui iam olim fecit eam in fonte, & non nunc in lacu, ſicut vos. Non vidistis, pro fut. id eſt, ad eum vos non convertetis.

V. 12. Et vocabit (invitabit) Dominus (vos) in die illa: antequam bellum exoriatur. Ad fletum, &c. id eſt, ad agendam pœnitentiam; vos autem indulgebatis ventri, ſtudebatis lætitiæ. Reddit cauſam, cur ita affligendi ſint Iudæi, quia cum a Deo moniti eſſent, non egerunt pœnitentiam. *Sicut erant in diebus ante diluvium, comedentes & bibentes, nubentes & nuptui tradentes:* Matth. xxiv. 28.

V. 13. Et ecce gaudium; quaſi dicat, Loco pœnitentiæ, fletus, & facci, ecce gaudium. Occidere vitulos, infinitivus eſt emphaticus; id eſt, nihil aliud agebatis quam convivari, comeſſari, compotare. Comedamus. Hebraice infinitivi ſunt, אכל ושתו, *comedere & bibere* (ſub. dicentes) cras enim moriemur. Verba impiorum hominum nihil de Deo cogitantium, aut prophetas qui illis mortem denuntiabant, irridentium: Sap. ii. 6. & I. Cor. xv. 32.

V. 14. Et revelata est in auribus meis, &c. id eſt, Deus mihi locutus eſt. Si dimittetur iniquitas haec vobis. Forma eſt iurandi apud Hebr. per *ſi*, ut ſæpe monuimus; aut apoſiopeſis; quaſi dicat: Vivo ego, dicit Dominus, non dimittetur vobis hæc iniquitas, donec omnes moriamini. Heb. ונגלה באזני יהוה, *Et revelatus eſt in auribus meis Dominus Deus exercituum:* quaſi dicat, Et audivi meis auribus Dominum dicentem: *Si dimittetur*, &c.

V. 15. Haec dicit: (dixit mihi) Vade, ingredere ad eum qui habitat in tabernaculo, id eſt ad ſacerdotem. Heb. אל הסוכן alii vertunt, *ad theſaurarium*, alii, *ad fautorem illum*, id eſt qui favet hoſtibus; putant enim Sobnam cum Aſſyriis urbem obſidentibus colluſiſſe. Ad Sobnam praepositum templi. Heb. אשר עלהבית, *præfectum domus* (regis Ezechiæ.) Sobna erat Scriba IV. Reg. xvii. 18. 26. 37. & cap. xix. 2. & Iſai. xxxvi. 22. & xxxvii. 2. Quare veroſimilius eſt vocari hic Præpoſitum domus, id eſt templi, quam regiæ.

V. 16. Quid tu hic. Heb. מה-לך פה, *quid tibi hic* (eſt) ומי-לך פה, *& quis tibi hic* (eſt,) id eſt, quæ tanta præſidia rerum, aut perſonarum habere te in hac urbe putas, ut non exiſtimes poſſe te alio ablegari? Quia excidisti tibi hic sepulcrum. Aliqui putant Sobnam magnificum ſibi Ieroſolymæ ſepulcrum extruxiſſe, quaſi in ea ſe moriturum ſperaret. Sed non arbitror neceſſe eſſe hiſtorice hæc interpretari, ſed metaphorice, ut ſepulcrum vo-

vocet perpetuam manſionem, quia ubi quiſque ſepultus eſt, ibi perpetuo manet, ut Pſal. XLVIII. 12. *Sepulcra eorum, domus illorum in perpetuum;* quaſi dicat: Quibus fretus rebus, aut perſonis, confidebas te perpetuum hic domicilium habiturum. EXCIDISTI IN EXCELSO, id eſt in loco tuto ac munito, ut tu exiſtimas. MEMORIAM, monimentum, ſepulcrum. IN PETRA, id eſt in loco inexpugnabili, ut putas. TABERNACULUM TIBI, id eſt domicilium: idem vocat ſepulcrum, & tabernaculum, excelſum, & petram. Hebr. חוצבי מרום קרבו (intelligenda eſt particula ſimilitudinis) *ſicut qui excidit in loco excelſo ſepulcrum ſuum:* חקקי בסלע משכן לו, *ſicut qui ſculpit, aut expingit in petra domicilium ſibi, quaſi perpetuo ibi victurus.*

V. 17. ECCE DOMINUS ASPORTARI: מטלטלך, *tranſmigrari te faciet:* טלטלה גבר, *tranſmigratione viri* (genitivus actionis, non paſſionis) id eſt, potenter, longe te proiiciet a patria. Noſter Interpres גבר vertit, *gallum gallinaceum.* Senſus autem eſt: Tam facile faciet te Dominus migrare hinc, quam migrare facit pullarius gallum deſtructo gallinario. ET QUASI AMICTUM; id eſt, ſicut ſolet viator veſtem humeris ſuperpoſitam, aut aliam ſimilem ſarcinulam portare. Heb. ועטך עטה, *& operiet te operiendo*, (confuſione, ut Hebræi interpretantur) aut, ut Noſter Interpres videtur intellexiſſe, ſicut ſarcinula operitur & obvolvitur, ut ab uno loco in alium tranſportetur.

*V.*18. CORONANS CORONABIT, id eſt circumdabit te tribulatione, id eſt implebit: ut *Gloria & honore coronaſti eum:* Pſal. VIII. 6. *Et circumdediſti me lætitia:* Pſal. XXIX. 12. Heb. צנוף יצנפם, *volvendo volvet te quaſi globum in terram longinquam;* id eſt, ſicut funditor volvenda funda, longe lapidem proiicit, ita te Deus in terram longinquam proiiciet: hoc enim ſignificat terra lata, & ſpatioſa. Aut, quod in loco lato & ſpatioſo longius lapis iacitur, cum nihil ſit, quod liberum iactum impediat. Significat procul pellendum, quia funda, quia rotundus, quia per planum locum. ET ERIT CURRUS. Hebr. pluraliter: *Erunt currus gloriæ tuæ*, id eſt, quibus utebaris, cum in magna eſſes gloria. ET IGNOMINIA, Heb. *in ignominiam*, DOMUS DOMINI TUI; id eſt, vertentur in dedecus domus Ezechiæ regis Domini tui, quia omnes exprobrabunt eius calamitatem viſis curribus tuis.

V. 19. EXPELLAM TE DE STATIONE TUA, id eſt de habitatione iſta, ut putabas, perpetua quam tibi præparaveras. ET DE MINISTERIO, וממעמדך יהרסך, *& de ſtatu tuo evertet te* (Deus) id eſt, ego: loquitur de ſe per tertiam perſonam.

V. 20. VOCABO: ad dignitatem tuam, Eliacim, qui una cum Sobna præerant domui Ezechiæ regis: Iſai. XXXVI. 3. & XXXVII. 2. & IV. Regum XVIII. 18. ſed pulſo poſtea Sobna, omnis auctoritas ad unum Eliacim devoluta eſt. Atque hoc eſt quod ſequitur:

V. 21. ET INDUAM EUM TUNICA TUA; id eſt, omnia tua ornamenta in illum transferam. ET CINGULO TUO, id eſt baltheo tuo; quaſi dicat: Dabo illi poteſtatem, quam tu habes. Utebantur enim baltheo reges, & qui eorum perſonam referebant. Iob. XII. 18. *Baltheum regum diſſolvit, & præcingit fune renes eorum.* ET ERIT QUASI PATER; id eſt, melius præerit quam tu; tu enim gubernaſti ut tyrannus, iſte gubernavit ut pater.

V. 22. ET DABO CLAVEM DOMUS DAVID; id eſt, præficiam eum domui David. Solent præfecti domus omnes claves habere, & humero pendentes portare, aperireque & claudere quando volunt. ET APERIET; id eſt, faciet quidquid volet in domo regis, nemo ei reſiſtet. Eadem metaphora declarata eſt Chriſti poteſtas, Apoc. I. 18. & Apocal. III. 7. & poteſtas Petri in Eccleſia Matth. XVI. 19.

V. 23. ET FIGAM ILLUM PAXILLUM: יתד intellige כ *ſicut clavum* IN LOCO FIDELI, id eſt firmo, unde refigi non poſſit; quaſi dicat: Efficiam ut eius dignitas firma ſit & ſtabilis, non ſolum in eo, ſed etiam in omni eius poſteritate. ET ERIT IN SOLIUM GLORIAE, id eſt firmamentum: alia metaphora; hoc eſt, in eo reſidebit omnis gloria familiæ patris ſui.

V. 24. ET SUSPENDENT SUPER EUM; id eſt, ex eo pendebit omnis gloria & decus generis ſui: ſicut ex trabali clavo ſolent omnia ſuſpendi, ita ut non frangatur, neque avellatur. VASORUM DIVERSA GENERA; id eſt, omnes poſteri, maximi, minimi eius origine gloriabuntur. Heb. הצאצאים והצפעות, *filii & filiæ*, ut ait R. David, & R. Abraham; vel *filii*

ac nepotes, ut vertit Chald. Paraph. OMNE VAS PARVUM, id eſt non ſolum magna vaſa, ſed etiam parva. A VASIS CRATERARUM, id eſt non ſolum ignobilia, ſed etiam honorifica, qualia ſunt inſtrumenta muſica. Vaſa, id eſt inſtrumenta domeſtica vocat poſteros.

V. 25. AUFERETUR PAXILLUS: יתח, *clavus*; id eſt, Sobna avelletur tamquam clavus ex domo regia, & eius loco figetur Eliacim. QUI FIXUS IN LOCO FIDELI, id eſt firmo, ſtabili, non revera, ſed ut ipſe exiſtimabat. ET PERIBIT: ונכרת משא, *& confringetur onus quod pendebat ex eo*; id eſt, concident omnes poſteri & amici eius. Alii hoc referunt ad ipsum Eliacim; quaſi dicat: Ille ipſe qui firmiſſimo loco a Deo collocatus fuerat IN DIE ILLA, id eſt tempore Babylonicæ captivitatis, corruet cum tota civitate, & familia ſua, quæ ex eo pendebat.

S A.

Verſ. 1. VALLIS, &c. Chald. *Prophetiæ ſuper civitate quæ habitat in valle*, ſcilicet Ieruſalem, quæ valle circumdata. VISIONIS, id eſt prophetiæ.

V. 2. GLADIO, ſcilicet ſed fame.

V. 3. PROCUL FUGERUNT; pro, cum procul fugiſſent; ſcilicet deinde capti.

V. 4. FILIAE. Chald, *cœtus*.

V. 5. DOMINO. LXX. *a Domino*. Chald. *coram Domino*. SCRUTANS, ſcilicet hoſtis. MONTEM, id eſt Ieruſalem, vel prope ſcilicet ſtat hoſtis.

V. 6. AElam, id eſt Perſa. EQUITIS; id eſt equitantis, ſcilicet ſuper currum. PARIETEM, id eſt murum.

V. 8. OPERIMENTUM. LXX. *portæ*. VIDEBIS, id eſt inſpicies; ſcilicet an inde poſſis iuvari. DOMUS SALTUS, ſcilicet quam fecit Salomon. Vide III. Reg. VII.

V. 9. CONGREGASTIS; pro, congregabitis, ſcilicet ad bibendum in obſidione.

V. 10. DOMOS, ſcilicet minus neceſſarias, ut dirueretis ad muri refectionem. NUMERASTIS: præterita pro futuris.

V. 11. AQUAM, ſcilicet excipiendam. PISCINAE, iunge cum *muros*. QUI FECERAT, ſcilicet Deum omnium auctorem. EAM, ſcilicet aquam, vel Ieruſalem. DE LONGE, id eſt iam olim: iunge cum *operatorem*. VIDISTIS, id eſt conſideraſtis.

V. 12. CALVITIUM, id eſt evulſionem capillorum, vel raſuram, qua utebantur in mœſtitia Iudæi. LXX. *raſuram*. AD CINGULUM SACCI. Chald. *ad cingendum ſaccos*; quaſi dicat, Ad induendos & cingendos.

V. 13. CRAS, id eſt cito.

V. 14. DONEC; quaſi dicat, Puniam, donec MORIAMINI. Chald. *moriamini morte ſecunda*.

V. 15. TABERNACULO. LXX. *paſtophorio*, id eſt cubiculo prope templum.

V. 16. TU, ſcilicet agis? QUASI QUIS. Chald. & LXX. *quid tibi eſt?* TIBI HIC, id eſt in terra hac. TABERNACULUM, ſcilicet ubi poſt mortem habites.

V. 17. SUBLEVABIT, id eſt auferet.

V. 18. CORONANS CORONABIT, id eſt cingens cinget. ERIT; ſcilicet ad nihilum redactus, vel ignominia, ut ſtatim additur. IGNOMINIA. Chald. *in ignominiam*. Alii, *o ignominia:* fuit enim is proditor domini ſui, ſcilicet Regis.

V. 22. CLAVEM, &c. quaſi dicat, Auctoritatem in aula regia. SUPER HUMERUM. Chald. *in manu*.

V. 23. PAXILLUM; pro, velut paxillum, ſcilicet firmiter. Chald. *præpoſitum*. LXX. *Principem*. FIDELI, id eſt firmo. ERIT IN SOLIUM, &c. quaſi dicat, Nobilitabit paternam domum.

V. 24. SUSPENDENT. Perſtat in metaphora paxilli, unde pendent aliqua. VASORUM, id eſt inſtrumentorum templi.

V. 25. PAXILLUS, ſcilicet Sobna. Vide cap. XXXVI.

E S T I I.

Verſ. 1. ONUS VALLIS VISIONIS. Per vallem viſionis Ieruſalem civitatem intelligit, ſicut ex ſequentibus manifeſtum eſt: nam paulo poſt eamdem hanc vallem vocat, *filiam populi mei*, ſcilicet, Ieruſalem; dicens: *Nolite incumbere, ut conſolemini me ſuper vaſtitate filiæ populi mei*. Vocat autem Ieruſalem civitatem, vallem per Tapinoſim. Cum enim civitas illa partim in monte, partim in valle collocata fuerit, hic potius eam vallem appellat, quam montem, quia ea commemoraturus erat, quæ ad humilitatem eius pertinebant. Vocatur autem Ieruſalem *Vallis viſionis*, id eſt prophetiæ, quia civitas illa

velut

velut ſeminarium fuit omnium Prophetarum, & in ea Prophetæ ſuam præcipue habuerunt ſedem. Neque in ulla alia civitate magis verſati ſunt, quam in Ieruſalem.

V. 20. VOCABO SERVUM MEUM ELIACIM. Et paulo poſt verſ. 22. ET DABO CLAVEM DOMUS DAVID SUPER HUMERUM EIUS, ET APERIET, ET NON ERIT QUI CLAUDAT; ET CLAUDET, ET NON ERIT QUI APERIAT. Ad litteram hæc de Eliacim dicuntur, qui ſecundum prophetiam Iſaiæ ſucceſſurus erat Sobnæ præpoſito templi, idque in officio illius præfecturæ; vel ſecundum alios, in ipſo ſummo pontificatu. Et ſenſus eſt: Cura & œconomia totius familiæ David, & ſumma rerum, quæ ad domum Domini, & ſacerdotium pertinent, erit penes eum. Quomodo vulgo de aliquo primario familiæ dicimus: Eſt promus & condus; id enim ad litteram ſignificatur hic per clavem, & per apertionem & clauſionem; quaſi dicat: Erit penes eum plena commiſſio rerum ad domum David, vel templum Dei pertinentium. Sed hæc Apocalyp. III. Myſtice ad Chriſtum referuntur, & recte. Nam ſicut olim repudiato Abiathar, Sadoch aſſumptus ad ſummum ſacerdotium, ſignificabat, repudiato veteri ſacerdotio, Chriſtum ſummum ſacerdotem aſſumendum; ita reiecto Sobna, aſſumptus Eliacim, Chriſti quoque præfecturam & œconomiam ſignificavit, repudiata lege veteri. Et prorſus ibi Apoc. III. eadem clavis deſcribitur quæ hic.

MARIANAE.

Verſ. 1. ONUS VALLIS VISIONIS. *Viſionis*, id eſt Prophetiæ: ſic Ieruſalem vocat, quod multi in ea verſarentur Prophetæ. Prophetia hæc contra Ieruſalem. QUIDNAM QUOQUE TIBI EST? Hebr. *quid tibi nunc?* quaſi dicat, Quid times? Loquitur ſic, ac ſi adeſſet locus excidii. IN TECTA, ob hoſtium irrumpentium metum aſcendiſti.

V. 2. CLAMORIS PLENA. Heb. *tumultibus plena*, ſcilicet ob civium multitudinem. URBS FREQUENS, CIVITAS EXULTANS. Heb. *Urbs tumultuans*, *civitas læta*; ſcilicet ante hoc tempus excidii frequens eras & læta. INTERFECTI TUI NON INTERFECTI GLADIO. Quod eſſet genus mortis honeſtum aliquod in calamitate levamen.

V. 3. CUNCTI PRINCIPES TUI FUGERUNT: non in brachiis, ſed in pedibus poſuerunt ſpem. Nota eſt hiſtoria Ieremiæ XIX. & IV. Reg. cap. ultimo, de fuga Sedeciæ. SIMUL, DUREQUE LIGATI SUNT. Heb. *ſimul* (id eſt omnes) *ab arcu* (id eſt multitudine iaculantium, qui eos ſequebantur ſcilicet) *vincti ſunt*. INVENTI SUNT; ſcilicet qui intra urbem manſerunt PARITER, id eſt omnes vincti ſunt. PROCUL FUGERUNT; pro, cum iis qui procul fugerunt.

V. 4. RECEDITE A ME. Verba Prophetæ. Sept. *dimittite me*. Chald. *ſinite me*. Id שעה *ſahah* ſignificat, ut Iob. XIV. 6. AMARE FLEBO. Hebr. *amaricabor in fletu*. NOLITE INCUMBERE. Heb. *ne feſtinetis*. Mora opus eſt, ut dolor tantus medentium manus admittat, voces conſolantium.

V. 5. DIES ENIM INTERFECTIONIS. Heb. *contritionis*. Sept. & Chald. *tumultus*. ET FLETUUM. Heb. *confuſionis*, *perplexitatis*. SCRUTANS MURUM. Heb. *ſubruens murum*: fortaſſe melius paſſive, *ſubruto muro*. ET MAGNIFICUS SUPER MONTEM, ſcilicet, ditiores ad montem ſe receperunt. Heb. *& clamor ad montem*; id eſt, diruto muro, capta urbe, cives clamant, ut ad montes confugiant.

V. 6. ET AELAM SUMPSIT PHARETRAM; id eſt, AElamitæ Perſæ arma contra Ieruſalem ſumpſerunt. CURRUM HOMINIS EQUITIS. Heb. *in curru hominis* (ſcilicet plebeii) *equites*; ſcilicet veniunt equites in curribus plebeiis ob eorum multitudinem, & equorum penuriam. ET PARIETEM NUDAVIT CLYPEUS; id eſt, clypei, qui erant in armario, aut in templis, detracti e parietibus ſunt, unde erant ſuſpenſi. Heb. *& muro adhæſit clypeus*: ſic Chald. adhæſit ergo urbis muro, ut eum ſubrueret clypeus, id eſt clypei, milites clypeis tecti, teſtudine e clypeis facta.

V. 7. PONENT SEDES SUAS IN PORTA, ſcilicet urbis ad irrumpendum. Heb. *equites ponendo ponentur* (ad) *portam*, ſcilicet ut irrumpant. Chald. *equites conſtituentur ſuper portas*. Ita verbum שתו *ſathu* paſſive ſumpſit, quod nos ſequimur.

V. 8. ET REVELABITUR OPERIMENTUM IUDAE; id eſt arma, quæ erant occulta in domo regia, & in domo ſaltus producentur, ut ſcilicet ſe cives defendant. Heb. *& revelabit*; ſcilicet hoſtis diripiet

quæ ſunt in Iuda, & arma quæ in domo ſaltus. Et hæc eſt aptior explicatio, quoniam cives fugiſſe dixit, aut in tecta aſcendiſſe, neque occiſos gladio, id eſt non pugnaſſe.

V. 9. ET SCISSURAS, quas fecerunt hoſtes quaſſato muro, videbitis. CONGREGASTIS AQUAS, ſcilicet ut foſſas aqua replerent.

V. 10. NUMERASTIS ..... DOMOS. Sic fit vigente fame, ut annona ſingulis detur. ET DESTRUXISTIS DOMOS, ſcilicet muro coniunctas: ſic fit in obſidione, ut pomœrium liberum maneat. Præterita hæc omnia pro futuris accipiantur.

V. 11. ET LACUM. Aqua ſe tueri volunt, tum pluvia, tum piſcinæ veteris alio derivata, ut foſſam inter duos muros impleret. ET OPERATOREM EIUS DE LONGE; id eſt, qui eam piſcinam olim fecit, eum non reſpexiſtis, nec curaſtis. Quis autem eam fecerit, non traditur. Hieronymus ad Deum refert, qui piſcinam fecit, & quem non reſpexerunt.

V. 12. ET VOCABIT; ſcilicet per Prophetas provocabit Deus populum ad pœnitentiam & lacrymas. ET AD CINGULUM SACCI. Heb. *& ad cingendum ſaccum*, id eſt induendum. Illi vero in lætitiam ſolvebantur, & convivia inſtruebant, quaſi cras morituri: id continet verſ. 13. Sic faciunt qui de futura vita non cogitant.

V. 14. ET REVELATA EST IN AURIBUS MEIS VOX DOMINI. *Vox* Heb. non eſt, ſed bene ſuppletur. SI DIMITTETUR INIQUITAS HAEC VOBIS DONEC MORIAMINI; id eſt, numquam dimittetur aut expiabitur peccatum, donec moriamini. Id dixit Dominus.

V. 15. AD EUM QUI HABITAT IN TABERNACULO. An Sobna fuit Pontifex? fuit ſane, & ei ſucceſſit Eliacim: ſic Hieronymus & Nicephorus Conſtantinopolitanus. Fortaſſis etiam Sobna Regiæ erat præfectus & theſauris. Heb. *ad theſaurarium hunc*. PRAEPOSITUM TEMPLI. Heb. *qui ſuper domum*. Sed per *domum*, *templum* Noſter intellexit, alii regiam Ezechiæ. Regum miniſtri & intimi ſæpe rempub. invertunt, & implicant peccatis populum, quæ vindicat Deus. Ideo poſt commemoratam urbis cladem in Sobnam invehitur. ET DICES AD EUM. Hoc non eſt Heb. Noſter ſupplevit.

V. 16. QUID TU HIC. Fortaſſe externus erat, ſed erat Pontifex. AUT QUASI QUIS HIC? Heb. *& quis tibi hic?* id eſt quem cognatum habes? EXCIDISTI TIBI HIC SEPULCRUM; quaſi hic perpetuo victurus. EXCIDISTI IN EXCELSO MEMORIALE. Heb. *exſcindens* (in) *excelſo ſepulcrum ſuum:* mutat perſonas linguæ more. DILIGENTER, IN PETRA TABERNACULUM TIBI. Heb. *ſtatuens in petra tabernaculum ſibi*. Totum refero ad ſepulcrum, quod in ſublimi loco & in rupe conſtituit. Inſania ſepulcrorum numquam Deo placuit, ne hominibus quidem.

V. 17. ASPORTARI TE FACIET, aut *migrare te faciet*. SICUT ASPORTATUR GALLUS. גבר *gheber*, *virum* ſignificat. Sic quidam vertunt: *migrare te faciet migratione viri*. Quæ migratio & captivitas durior eſt quam feminarum, quia pedibus ire viri coguntur: eſt etiam longinquior. Verum, quoniam in Hebræo non eſt regimen, quidam ſic vertunt: *Migrare te faciet migratione*, *o vir*, ſeu *o fortis*. Verum ea voce haud dubium *gallus* ſignificatur aliquando, ut Aven Ezra fatetur in hunc locum, quoniam ſcilicet eſt gallus ut vir gallinarum. Tum ubicumque pro *Aſion Gaber* Chald. vertit *arcem galli*. Ergo noſtra verſio præfertur, ſignificatque: Ut gallus in cavea defertur in alia oppida, ſic te in cavea incluſum deportabunt. ET QUASI AMICTUM SIC SUBLEVABIT TE, ſcilicet Deus. Hebr. *& circumdans te circumdando*, id eſt clathris caveæ te circumdabit.

V. 18. CORONANS CORONABIT TE TRIBULATIONE. Heb. *Rotando rotabit te rotatione*, id eſt ludet tecum & in te. QUASI PILAM MITTET TE IN TERRAM LATAM ET SPATIOSAM. Heb. *quaſi pilam in terram latam manibus* (id eſt locis) ſcilicet rotabit te. In te quaſi ludos faciet Deus. IGNOMINIA DOMUS. Heb. (in) *ignominiam domus Domini tui:* nam te liberare non poterit.

V. 19. ET DE MINISTERIO TUO DEPONAM TE. Heb. *Et de ordine tuo diruet te*, aut *movebit te*. Mutat frequenter perſonas.

V. 21. TUNICA TUA, inſigni tui honoris.

Digitized by Google

horis. Et cingulo tuo confortabo eum, ſcilicet Eliacim, qui Sobna in Pontificatu ſucceſſit: in eum transferam munus tuum & miniſterium. *Cingulum* erat militiæ inſigne, & Concilio Nicæno cap. xi. ei, qui poſitum militiæ cingulum reſumeret, gravis infligitur pœna; perinde enim erat, ac ſi fidem negaſſet. Et credam inter Iudæos ex militibus legi ſolitos alios magiſtratus Davidis exemplo, I. Paral. cap. xxvii. Ita Sobna miles fuit, honoſque militiæ cum cingulo in Eliacim ſucceſſorem transfertur. Aut cingulum pontificale erat, & per *cingulum* alia Pontificia ornamenta intelligit.

V. 22. Domus David. Chald. *Clavem ſanctuarii & dominium domus David dabo Eliacim*. Super humerum eius. Per *clavem*, honorem intelligit, qui onus eſt, & humeris incumbere videtur.

V. 23. Paxillum in loco fideli, id eſt ſtabili. Mos erat Iudæis, ex paxillis in pariete confixis ſuſpendere veſtem pretioſam, vaſa, & ſupellectilem. Hanc metaphoram ſequitur Propheta. Fore ſignificat, ut in novum præpoſitum Eliacim præcipui honores congerantur.

V. 24. Vasorum diversa genera ſuſpendent ex eo paxillo, id eſt omnia ornamenta illi conferent. Heb. *Filii & filiæ ſuſpendent gloriam domus patris ſui*, id eſt erunt honori. Vetus Proverbium: *Quis laudabit patrem niſi filii felices?* Omne vas parvulum. Heb. *omnia vaſa parvi*, ſcilicet miniſterii. Musicorum. Heb. *nablorum*, & per *nablos* intelligit omnia muſica inſtrumenta. Per hæc & alia, omnes honores, parvos & magnos, ablatos Sobnæ, translatos in Eliacim.

V. 25. In loco fideli, ſtabili. Et frangetur, ſeu *excidetur*. Et peribit. Heb. *& excidetur onus*, *quod ſuper eum*, ſcilicet erat, nimirum *vaſa*, quæ dixit. Chald. innuit hoc non de Sobna intelligendum, ſed de Eliacim: & Hieron. ait eum periiſſe cum omnibus copiis in ultima captivitate Babylonica, ſic refert non nemo. Ego tamen id non invenio, nec ratio temporis patitur, ut Eliacim tempore acciderit captivitas Babylonica, ſed Saraiæ Pontificis: IV. Reg. xxv. 18.

MALVENDAE.

Verſ. 1. Onus vallis visionis. Heb. *Prophetia oneroſa*, ſeu *gravis*, ut cap. xiii. 1. *Vallis viſionis*. Obſervant huius capitis prophetiam eſſe duplicem, unam ad rempublicam totam pertinentem, uſque ad verſum 15. alteram ad Schebnam præfectum prætorio, inde ad finem uſque: prioris autem prophetiæ partes eſſe tres; primam, propoſitionem dialogiſticam calamitatum & luctus Iudæis omnibus enenturi, uſque ad verſ. 7. ſecundam, propoſitionem cauſarum quibus ad calamitatem iſtam importandam adducitur Deus, uſque ad verſ. 14. tertiam eſſe concluſionem, qua ſententiam fert Deus de immittendis in Iudæam calamitatibus, verſ. 14. Vallis visionis. Una omnium ſententia eſt, intelligi Ieruſalem, ſeu Iehudæam, quod in eam ceu vallem influerent omnes viſiones, & revelationes prophetarum, & eſſet veluti ſeminarium prophetiarum, ac prophetarum. Quidam exponunt: *Vallis viſionis*, id eſt Iehudææ, quæ a ſitu quidem *Vallis* nominatur, quia montoſa eſt, & vallibus abundat; *viſionis* vero, & quia Deus præſentiam ſuam quodammodo aſpectabilem, videndamque populo ſuo exhibebat, & quia ſedes ſuit prophetarum Dei, ad quam proprie olim prophetiæ cum aliæ omnes, tum hæc ipſa pertinuerunt: ſic infra verſ. 5. Nonnulli reddunt: *Vallis Prophetiæ*. Quidnam quoque tibi est, quia ascendisti et tu omnis in tecta? Alii: I. *Quid tibi hic negotii eſt*, vel *quid tibi nunc accidit*, *quod univerſa conſcenderis ſuper tecta?* Ut fieri ſolet in expugnatione urbis metu hoſtium. II. *Quid tibi iam eſt*, *quod aſcendis tota in tecta?* Plerique explanatorum priorem hanc prophetiam ad ea tempora referunt, quibus Iudæam totam occupavit Babylonius poſt annos amplius centum: aliis id minime probatur quia ſingula, quæ hic dicuntur, videntur potius ad tempora Chizkiiæ pertinere: & ſecunda prophetia huius capitis confirmat. Itaque notant eſſe dialogiſmum, quo Propheta Iudæam de calamitatum, & luctus cauſa interrogat tribus verſibus: Iudæa vero reſponſionem ſubiicit, tribus alteris. Quod ascendisti tota in tecta? id eſt, comparas te, ut publice in oculis omnium teſtatum facias luctum ingen-

gentem tuum: nam ita publice in tectis & plateis agitabatur luctus in malo publico, ut Ieremiæ XLVIII. 38. Aliqui exponunt, *Aſcendiſti tota in tecta?* ad ſpeculandum hoſtem, vel advenientem calamitatem: ut AEneas II. AEneidos:

—— & ſummi faſtigia tecti
Aſcenſu ſupero, atque arrectis auribus aſto.

V. 2. CLAMORIS PLENA, URBS FREQUENS, CIVITAS EXULTANS. Alii ex Heb. I. *tumultibus plena, urbs tumultuans, civitas lætabunda.* II. *vociferationibus plena eſt, urbs frequens, civitas exultans.* III. *Quod tumultuationibus plena, civitas ſtrepera es o urbs ante exultabunda?* Nos diximus: *Acclamationibus plena.* Vide de voce תשאות *theſchuoth*, in Iob XXXVI. 29. FREQUENS. הומיה *homiiah*, *ſonans, ſonora, obſtrepera, garrula, tumultuoſa*, id eſt populoſa, ſtrepitibus plena. INTERFECTI TUI, Heb. *violati tui, confoſſi, vulnerati tui*, NON INTERFECTI GLADIO, NEQUE MORTUI TUI, IN BELLO: ſed fame, ut plerique exponunt; quaſi dicat: Non gladio cædente, ſed fame contabeſcaciente conſumpti fuerunt. Quidam reddunt: *confoſſi tui non ſunt confoſſi gladio, neque mortui bello;* id eſt, quod homines tui non expectato adventu hoſtium, velut transfoſſi exanimantur metu.

V. 3. CUNCTI PRINCIPES TUI FUGERUNT. Heb. *Omnes extremarii tui*, id eſt *duces, capitanei, ductores, gubernatores, præfecti tui*, ut ſupra cap. I. 10. *divagati ſunt.* Quidam: *Quod omnes ductores tui evagantur pariter?* id eſt, quod omnes in fugam ſe dant abiectis armis, & vagi huc illuc diſcurrunt, & alii concurrunt Ieruſchalaima, II. Paralipom. XXXII. 3. & 4. DUREQUE LIGATI SUNT. Heb. *ab arcu ligati ſunt*, id eſt a ferentibus arcum, a iaculatoribus, ſeu ſagittariis. Quidam, *præ arcu conſtricti ſunt;* id eſt arctius conſtricti ſunt quam aſtringitur arcus. Aliqui nectunt antecedentibus: *fugerunt pariter ab arcu*, id eſt a ſagittariis, deinde ſequentur: *ligati ſunt*. Alii, *vincti ſunt ab arcu?* vel *ita vincti ſunt, ut non utantur arcu?* id eſt, oppreſſi metu, ac velut conſtricti, ita ut arcus capiendi non ſit illis animus. OMNES QUI INVENTI SUNT, VINCTI SUNT PARITER. Alii I. *Omnes deprehenſi tui vincti ſunt pariter;* id eſt, quot in te reperti ſunt. II. *quicumque præſentes ſunt tuorum, vincti ſunt pariter.* PROCUL FUGERUNT. Quidam: *quam longiſſime aufugerunt.* Alii: *a longinquo fugiunt;* id eſt, cum adhuc procul abeſt hoſtis.

V. 4. PROPTEREA DIXI. Hæc verba plerique Prophetæ eſſe volunt: alii, ipſius Ieruſalaim, ſeu Iehudææ, ut ſit reſponſio Iudææ, quæ primum gravitatem luctus velut immedicabilis explicat, deinde cauſam, quæ paucis verbis expoſita in fine verſus, duobus ſequentibus explicantur. RECEDITE A ME, AMARE FLEBO. Alii: I. *Ceſſate a me, dimittite me, ſinite me, ut a maritudine afficiam me fletu.* II. *Divertite a me*, vel *avertite oculos a me ut amarus ſim in fletu*, vel *ut amaro fletui indulgeam.* III. *Reſpicite aliorſum a me, amaritudine afficiam me in iſto fletu* &c. id eſt, ſinite me, aliis rebus incumbite quam ut me conſolemini. Vide de notione verbi שעה *ſchagah*, in Iob VII. 19. NOLITE INCUMBERE UT CONSOLEMINI ME. Verbum אוץ *utz* in Hiphil ſignificatum auget. Alii reddunt: *ne feſtinetis, properetis, contendatis, acceleretis, urgeatis, ne valde incumbatis, ad conſolandum me.* Vide in Geneſ. XIX. 15. SUPER VASTITATE FILIAE POPULI MEI. Alii I. *ſuper populatione filiæ populi mei;* id eſt, congregationis hominum gentis meæ. II. *nimirum propter vaſtationem.* Apodoſis particulæ *Propterea*, poſitæ in principio verſus, quæ ut evidentior fieret, vocem *nimirum* interiecimus: *filiæ populi mei*, id eſt uniuſcuiuſque oppidi in Iudæa, quod Ieruſchalaimis velut matri paret.

V. 5. DIES ENIM INTERFECTIONIS. מהומה *mehumah*, *turbationis, ſonitus, tumultus, ſtrepitus, rumoris, tumultuationis, commotionis, contritionis.* Aliqui: *Quia dies eſt vexationis* &c. Exornatio, ſive explicatio præcedentis cauſæ a duobus locis, nimirum a perſona Dei, hoc verſu, & a perſona inimicorum verſu ſequente. *Vexationis;* id eſt, quo Iudæa vallis viſionis dicta, a Domino vexatur, conculcatur &c. ET FLETUUM. בכה *bachah*, alii a בוך *buch*, *& intricationis, diſtractionis, perplexitatis, confuſionis, coarctationis, diſſipationis.* SCRUTANS MURUM. Alii: *diruens, ſubruens, parietem*, ſubaudi hoſtis. Aliqui iungunt cum *dies diruens*, vel *a Domino diruente.* מקרקר *mekarkar* participium verbi קרקר *kirkar* in Pihel, de quo vide Numer. XXIV. 17. Alii nomen faciunt, & ſubaudiunt: *dies deſtructionis muri, & vociferationis ad*

mon-

montana; id eſt, quo oppida Iudææ tormentis bellicis deſtruentur: hæc ut ita accipiamus, adducimur cum evidentia loci, tum Hebraicis diſtinctionibus: *& vociferationis* &c. id eſt, quo ſinguli cedentes hoſti, perfugium vociferando in montanis quærent. ET MAGNIFICUS SUPER MONTEM. Heb. *& acclamatio, clamor, vociferatio ad montem*; id eſt, cum clamore confugient ad montes, ſeu loca tuta. Quidam: *ut fragor in montibus reboet*.

V. 6. ET AELAM SUMPSIT PHARETRAM. Alii: I. *Et Helam fert pharetram*. II. *Et Helamita geſtat pharetram*, id eſt Perſa, ſynecdochice, ut ſupra cap. XXI. 2. Videntur Perſæ conductitii militaſſe in exercitu Sancheribi. Quidam, *Helam* hic non pro ipſis AElamitis aut Perſis accipiunt; ſed pro hominibus peritiſſimis ſagittandi, ut erant Perſæ & Parthi: ut Arabs pro latrone uſurpatur Hebræis. CURRUM HOMINIS EQUITIS. Alii ex Heb. I. *in curru hominis, & equitum*, id eſt milites cum qui curribus vehuntur, tum qui equis inſident; quaſi dicat, Currus & equites, ſeu cum curribus, & equitatu. II. *In curru homo animalium iugalium*, quod in curribus olim pugnarent. III. *cum curribus hominum, & equitibus*. ET PARIETEM NUDAVIT CLYPEUS. Varie ex Heb. exponunt: I. *& parieti*, ſeu *muro adhæſit clypeus*; vel *adhærere fecit clypeum muro*; id eſt, adhærere vel ſuccedere fecit muro, admovit muro teſtudinem clypeatam, vel ſcutatam, qua murum perfoderet aut perfringeret; vel *& parietem*, ſeu *murum nudavit*, id eſt aperuit, diſiecit, *teſtudo ſcutata*, ſeu *clypeata*. De teſtudine clypeata ſeu ſcutata, vide Lipſium Lib. I. Poliorceticωn, Dialogo V. Stevuechium in commentariis ad Lib. II. Vegetii de Re militari, cap. XVI. Guillelmum Choul de Caſtrametatione Romana, pag. 45. II. *& Kir nudabit clypeum*; id eſt, Cyrenæi deprompſerunt, exeruerunt clypeos. Forte Cyrenæi conductitii erant in exercitu Sancheribi, vel ita dicti ſunt milites ſcutati & clypeati, quod Kiræi vel Cyrinæi eo genere armorum excellerent: ut antea de Perſis & Parthis dicebamus in arte ſagittandi. III. *& Kir expromit*, vel *expedit clypeum*, id eſt Medus. Synecdochice: vide II. Regum XVI. 9. *Kir* hic quidam appellative capiunt pro muro ſeu pariete: *& parietem denudavit ſcutum*, quod ſcuta ad parietem appendi ſoleant; & tempore belli inde detrahi, ut induantur, & tunc parietes clypeis nudantur. Alii pro nomine proprio *Kir*, id eſt vel *Cyrene*, vel *Syro Media*, de qua Ptolemæus Lib. VI. cap. II.

V. 7. ET ERUNT ELECTAE VALLES TUAE PLENAE QUADRIGARUM. Alii ex Heb. I. *Et erit, electio vallium tuarum replebuntur curribus*. II. *Et erit, electiſſima quæque vallium tuarum plena fuit curribus*. III. *Eveniet enim lectiſſimis convallibus tuis, ut impleantur curribus*: id eſt, agro tuo, quem prius depopulatus eſt, deinde eo ordine peragravit Sancherib, qui deſcribitur ſupra cap. X. 28. in ſecunda expeditione cum venire cogitaret ad obſidium Ieruſchalaima. Iam hinc orditur ſecunda pars capitis, prophetiæ ſcilicet, cauſarum propoſitio quibus Deus ſeverum hoc iudicium in vallem viſionis exequitur. ET EQUITES PONENT SEDES SUAS IN PORTA. Alii ex Heb. I. *& equites locando locaverunt ſe in porta*. II. *obſidendo obſidebunt portam*. III. *ponendo ponent verſus portam*, ſubaudi, faciem ſuam; id eſt, convertent ſe ut oppugnent portas tuas, ſeu dirigent aciem contra portam. IV. *& equitatus ponendo poſiti ſunt ad portam*. V. *& equites incunctanter portas adoriuntur*. VI. *& equites ipſi continenter ponant caſtra ad portam*; id eſt, munitas quaſque civitates Iehudææ obſideant diligentiſſime II. Reg. XVIII. 13. Virgilius dixiſſet:

Succedunt portis, magna nituntur opum vi.

V. 8. ET REVELABITUR OPERIMENTUM IUDAE, &c. Alii hunc verſum ex Heb. reddunt: I. *Et diſcooperuit hoſtis operimentum Iehudah, & reſpexiſti in die illa ad arma domus ſaltus*. II. *Et revelabit hoſtis operimentum Iehudah, aſpicietque Iehudah* (nam verbum Hebraicum in tertia perſona futuri eſt femineum) *eo tempore ad arma domus ſaltus*; id eſt, palam erit Iehudam eſſe Dei auxilio deſtitutum & ab eo deſertum, propterea ad armorum præſidia potius confugiet, quam ad Deum. III. Forſterus: *Et revelabitur operimentum*, ſeu *abſconditum repoſitorium Iehudah*, id eſt theſaurus Iudæ, quod tempore belli æraria aperiantur, & exhauriantur: *& reſpexiſti in die illo ad armaturam domus ſilvæ*. IV. Tremellius & Iunius: *Quia retegente hoſte operimentum Iehudæ, intueris quidem eo tempore in arma domus ſaltus*. Exponunt: *Retegente hoſte*; id

eſt,

Digitized by Google

eſt, cum fines tui, aut civitates præſidiariæ & loci limitanea ab inimicis invaduntur aut expugnantur: *operimentum Iehudæ*, id eſt præmunitiones & propugnacula, metaphorice: *intueris quidem*, &c. id eſt, animum appellis ad rationes humanas, quibus proſpicias defenſioni tuæ, quo non eſt ſimpliciter ex ſua ipſius natura damnandum: vide II. Paralip. XXXII. *domus ſaltus*; id eſt, armamentarii regii, ubi ex ſaltibus & ſilvis miſſilia omnia, tormenta, & machinæ omnes bellicæ comparantur. Sic malumus hanc appellationem metonymice exponere, quam referre ad domum ſaltus Libani a Schelomone extructam I. Reg. VII. 2. & X. 17. & 21. quia hæc iam longo tempore Iudæorum eſſe deſierat. ET REVELABITUR. Heb. eſt futurum activum, ſed ſæpius monuimus Hebræis tertias perſonas activas imperſonaliter, ſeu paſſive ſumi. Plerique: *Et revelabit*, *deteget* hoſtis. OPERIMENTUM. מסך *maſach*, *tegumentum*, *opertorium*, *velum*, *aulæum*: vide in Exod. XXVI. 36. ET VIDEBIS IN DIE ILLA. ותבת *vattabbet*, poteſt eſſe ſecunda perſona maſculea futuri, & tunc ægre referatur ad Iehudah, quæ eſt feminei generis, niſi ad ſenſum, habitator, ſeu civis Iehudæ: & poteſt eſſe tertia feminea, *& reſpiciet*, vel *reſpexit*, ſcilicet Iehudah: quod nos ſecuti ſumus. ARMAMENTARIUM. נשק *neſchek*, *arma*, *armaturam*: vide I. Reg. X. 25. DOMUS SALTUS. Hanc plerique intelligunt domum ſaltus Libani ædificatam a Selomone I. Reg. VII. & cap. X. 17. & 21. nam in ea fuiſſe regium armamentarium ſatis indicari videtur II. Paralip. XII. 10. & 11. verum id non aliis probatur, quod domus illa ſaltus Libani temporibus iſtis Iſaiæ iam non eſſet in ditione Iehudæorum, utpote in Libano ædificata. Sed facile hoc argumentum eludunt, qui eam Ieruſalaimis, ſeu non procul ab Ieruſalaimis conſtructam exiſtimant, vide Notas in I. Reg. VII. 2.

V. 9. ET SCISSURAS CIVITATIS DAVID VIDEBITIS, QUIA MULTIPLICATAE SUNT, &c. Quidam hunc verſum ita ex Heb. transfundunt: *Et rimas*, ſeu *fracturas civitatis Davidis conſiderantes multas eſſe* (Vide II. Chronicorum XXXII. 5.) *colligitis aquas piſcinæ inferioris*; id eſt, piſcinam novam facitis ad confirmandum locum: itaque nominatur *facta* Nehemiæ III. 16. quia ex aquis fontium extra civitatem erat effecta, II. Paralipom. XXXII. 3. & 4. piſcina vero inferior hic dicitur reſpectu ſuperioris, de qua vide ſupra cap. VII. 3.

V. 10. ET DOMOS IERUSALEM NUMERASTIS, &c. Alii hunc verſum reddunt: *domoſque Ieruſchalaimorum recenſentes, diruitis domos quaſdam ad muniendum murum*; id eſt, luſtrantes numerum civium, & ſingulos ad munus ſuum bellicum comparantes, demolimini domos quaſdam, ineptas videlicet & incommodas ad defenſionem muri, quæ ſtantes fuiſſent impedituræ: quibus deiectis facilior redditur muri propugnatio, ac munitio, ut fieri ſolent in obſidione urbium.

V. 11. ET LACUM FECISTIS INTER DUOS MUROS. מקוה *mikuah*, proprie, *expectationem*, *collectionem*, *comprehenſionem*, *colluviem*, *confugem*, *conceptaculum*, *lacum*: vide in Geneſ. I. 10. Nonnulli exponunt: Inſuper conceptaculum facitis inter duos muros, quo nimirum deduceretur aqua Gichonis ex ſuperiore alveo inferne ad occidentem civitati Davidis, II. Paralipom. XXXII. 30. & II. Reg. XX. 20. AD AQUAM PISCINAE VETERIS. Alii: *pro aquis piſcinæ veteris*, id eſt ſuperioris, ut ſupra cap. VII. 3. quam efficiebat Gichon, ex vetere porta profluens, de qua Nehemiæ III. 6. itaque piſcina vetus dicta videtur, quod eſſet iuxta portam veterem. ET NON SUSPEXISTIS AD EUM, QUI FECERAT EAM. Heb. *& non reſpexiſtis ad factores eius*, ſcilicet piſcinæ, vel urbis Ieruſalaim; id eſt, ad Deum Patrem, & Filium & Spiritum Sanctum: nam myſterium divinæ Trinitatis pluralis numerus *factores* denotat. Quidam exponunt: *ſed non intuemini in opificem illius*; id eſt, non conſideratis Deum eſſe effectorem illius vexationis, conculcationis, & perplexitatis, de quibus ſupra verſ. 5. ET OPERATOREM EIUS DE LONGE NON VIDISTIS. Heb. *& formatorem*, *plaſten*, *fictorem eius de longinquo non vidiſtis*. Exponunt: I. *& formatorem illius de longe*, vel *eminus*, ſeu *ab antiquo*; hoc eſt, ad eum qui olim fecit illam, ſive ad priſcum auctorem illius piſcinæ; quaſi dicat, Non confugitis ad Deum, ſed ad veſtra præſidia. II. *& formatorem eius e longinquo tempore non animadvertitis*; id eſt, qui iam pridem conſilio ſuo admirabili præſtituit vobis & informavit illud malum.

V. 12.

V. 12. Et vocabit Dominus Deus exercituum, &c. Hos duos verſus, quidam ita coniungunt: *Cumque vocaverit Dominus Iehovi exercituum tempore illo ad fletum, & ad planctum, & ad calvitium, & ad cincturam cilicii: Ecce lætitiam & gaudium, occidendo boves, & iugulando pecudes, comedendo carnes, & bibendo vinum, dicentium: Edamus & bibamus, cras enim morituri ſumus.* Confirmatio præcedentis exprobrationis a ſigno: Ad Deum, inquit, vos non reſpicere ſic. probo, nam non reſpicitis ad opera eius: luctuoſa fuerunt temporibus Achazi, & adhuc luctuoſa ſunt: vos autem ridetis, comeſſamini, &c. *Vocaverit Dominus*, &c. iudiciis ſuis in vos, & in Iiſraelitas fratres veſtros: *& ad calvitium*, &c. id eſt, neque tantum habendum dolorem in animo veſtro, ſed etiam ſignis publicis & externis teſtandam reſipiſcentiam, & ſeriam pœnitentiam veſtram. Nam etſi calvitium induci pro mortuo interdictum eſt lege, Levit. XIX. 27. & Deuteronom. XIV. 1. tamen certum eſt in ſancta pœnitentia, cui nihil cum deſperatione commune eſt, calvitium probari atque imperari: ut Michææ 1. 16. *Edamus & bibamus, cras enim morituri ſumus*; id eſt, poſtmodum deſinemus eſſe: propterea dum vita ſupereſt, voluptatibus nos expleamus: ſic II. Corinth. XV. 32. Atheorum & perditorum hominum ſermo. Sic veteres cum hilarius genio indulgerent, quaſi laceſſentes lætitiam, ſolebant dicere: *Vivamus, moriendum eſt*. Hinc illud celebre Petronii in Satyrico, pag. 81.

Heu heu nos miſeros, quam totus homuncio nil eſt!
Sic erimus cuncti poſtquam nos auferet orcus:
Ergo vivamus dum licet eſſe bene.

Vide de his Lipſium Lib. I. Saturnaliorum, cap. XIX. Georgium Erhardum in Symbolis ad Petronium.

V. 14. Et revelata est in auribus meis vox Domini exercituum. Alii ex Heb. I. *Et revelabitur id in auribus meis, qui ſum Iehova exercituum*. II. *Et revelatum fuit in auribus meis*, hoc ſcilicet quod ſequitur: *Iehova Tzebaoth nequaquam remittet iniquitatem hanc vobis, quouſque moriamini*. Contra rationem notationis Hebraicæ pro יכפר *iechuppar*, voce paſſiva, legunt activam יכפר *iechapper*. III. *Et revelabitur in auribus meis Iehovæ exercituum*; quaſi dicat: Hoc non latebit me, nam audiam & intelligam. IV. *Atqui revelavit ſe in auribus meis*, ſeu *me audiente*, ut ſupra cap. V. 9. *Iehova exercituum*, ſubaudi dicens. Concluſio huius interminationis, ut dictum eſt in verſu 1. Si dimittetur iniquitas haec vobis donec moriamini. Formula iuramenti imprecatorii uſitata in Scriptura, quam communiter ſic explent: *Male mihi ſit, diſpercam, non vivam, ne mihi fidem adhibeatis, ſi expietur iniquitas hæc vobis, donec moriamini*; id eſt, umquam: nam in hac vita locus eſt remiſſioni peccatorum, & veræ pœnitentiæ; deinde vero mors ſola manet immorigeros in ſempiternum, ut Chaldæus ipſe interpres obſervavit.

V. 15. Haec dicit Dominus Deus exercituum. Quidam: *Ita ait Dominus Iehovi exercituum*. Secunda hæc prophetia (quæ cum ſuperioris argumento plane coniuncta eſt, ut oſtendit Hebraica סוכן *ſochen*, appellatio) duas partes continet, unam denuntiationem iudicii in Schebnam, uſque ad verſ. 20. alteram prophetiam de ſufficiendo in locum illius Eliakimo, verſibus ſequentibus. Vade, ingredere ad eum qui habitat in tabernaculo. Facile crediderim Noſtrum legiſſe שוכן *ſchochen*, per Scin dextrum, quod eſt *ſcenitantem, tabernaculantem*. At ipſum *ſochen* cum *Samech*, quod hic ſcribitur, varie exponunt: I. *ad theſaurarium iſtum*. II. *ad præfectum ærarii iſtum*. III. *ad apothecarium iſtum*: forte erat præfectus regiis apothecis, in quibus vina, frumenta, & aliæ fruges aſſervabantur. IV. *ad conſuetudinarium iſtum*; id eſt, Continuum, aſſiduum principis. V. *ad cenſorem iſtum*, ſeu *procuratorem, adminiſtratorem*. Vide de hac voce in I. Reg. 1. 2. VI. Tremellius & Iunius: *Age accede adiutorem iſtum, Schebnam, qui præeſt domui*; id eſt, fautorem, & magiſtrum impiorum iſtorum hominum, & conſiliorum diffidentiæ, quibus modo iudicium denuntiatum eſt, Scebnam iſtum præfectum prætorio. Videtur autem hic Scebnam ex hoc loco, & II. Reg. XVIII. fuiſſe vetus præfectus prætorio, inde a temporibus Achazi: quibus vetus illa vulpes in impietate & maleficiis conſeneſcens, ita invaluit auctoritate, ut non potuerit quam primum a Chizkiia abdicari, ac proinde

ipſius Chizkiiæ temporibus impios & maleficos confirmaſſe, & reformationem publicam & privatam, eccleſiaſticam & politicam toto conatu impediviſſe: propterea cum percepta fuit impietas ipſius a rege, aut cum primum potuit, ex præfecto prætorio, ut hic nominatur, ſcriba honorarius effectus eſſe, velut emeritus ætatis nomine II.Reg.xviii.18.PRAEPOSITUM TEMPLI. Heb. *qui eſt ſuper domum*. Alii: *præfectum domus*, *maiordomum*, *magiſtrum palatii*, *præfectum aulæ regiæ*, *præfectum prætorio*.

V. 16. QUID TU HIC, AUT QUASI QUIS HIC? Alii: I. *Quid tibi negotii eſt hic, & quis eſt tibi hic?* id eſt, quid hic agis, quid rei, aut cauſæ tibi hic? cur non alio migras? quos habes propinquos cum ſis proditor heri tui? Ex obliquo oſtendit eum externi generis fuiſſe & alienigenam. II. *Quid habes hic, & quem habes hic?* quaſi dicat, Quæ ſunt hic tuæ rationes, quæ conſilia? III. *Quid tibi hic? & quis tibi hic eſt?* id eſt, quam hereditatem a parentibus tuis, aut quam agnationem habes Ieruſalaimis, ut hic tibi inſtituas ſepulcri locum? Non meminiſti te hereditatem plane nullam a parentibus habuiſſe? inopem, egentem fuiſſe, & terræ filium? Hic primus locus eſt iſtius partis, nimirum reprehenſio graviſſima, cui ſubiicitur denuntiatio tribus verſibus. QUIA EXCIDISTI TIBI HIC SEPULCRUM: in hac ſcilicet civitate Ieruſalaimorum. Sepulcri poſſeſſio diuturnæ & fixæ habitationis indicium eſt, & loci honorati inter cives. EXCIDISTI IN EXCELSO MEMORIALE DILIGENTER, IN PETRA TABERNACULUM TIBI. Alii ex Heb. I. *ſicut qui excidit in excelſo ſepulcrum ſuum, & qui ſculpit*, ſeu *excavat in petra tabernaculum ſibi*. II. *excidit celſitudinem ſepulcri ſui*, id eſt celſiſſimum ſepulcrum ſuum: *conſtituit in rupe habitaculum ſibi*. III. *excidens in excelſo ſepulcrum ſuum, conſtituens in rupe habitaculum ſibi*. Utrumque participium Hebraice habet *Iod* paragogicum, quod alias fieri ſolet: ſed puto hic addi ad indicandam ſublimem altitudinem, & ſumptuoſitatem ſepulcri. IV. parentheſi includunt: (*exciderat nempe ſibi* Sebna *excelſum ſepulcrum, & conſtituerat ſibi in petra cubile*.) V. *o cædens in edito ſepulcrum ſuum, o ſtatuens in petra habitaculum ſibi*; id eſt, o tu qui ſumma amplitudine & dignitate ſepulcrum tibi hic curaſti excidendum. Quanta ambitione veteres ſibi ſepulcra extruenda magnificentiſſime curarint, vel pyramides regum, vel mauſoleum Cariæ, vel infinita ex hiſtoriis exempla demonſtrant.

V. 17. ECCE DOMINUS ASPORTARI TE FACIET, SICUT ASPORTATUR GALLUS GALLINACEUS. S. Hieronymus: גבר *gheber*, *quod omnes* virum *interpretati ſunt*: *Hebræus autem, qui nos in veteris inſtrumenti lectione erudivit*, gallum gallinaceum *tranſtulit*. Sic quoque Rabbi Scelemoh, & Thalmudici hunc locum interpretantur: vide Buxtorfium in Radice טלל. ſolent autem aſportari galli gallinacci vel in caveis ſeu cratibus vimineis aut arundineis, vel pedibus ligati mira facilitate. Rationem nominis, ſine ullo exemplo, a prævaleſcentia ſeu prædominio huius animantis longiuſcule derivant: *Imperitant*, inquit Plinius Lib. X. cap. XXI. *ſuo generi, & regnum in quacumque ſunt domo exercent*. Sed locum ex Heb. diverſimode alii interpretantur: I. *Ecce Iehova tranſportans te*, ſeu *migrare te facit, traſportatione*, ſeu *migratione viri*; id eſt, curabit te tranſportandum in regionem remotiſſimam: ſolent enim longius aſportari viri quam mulieres. II. *Ecce Iehova proiiciet te proiectione viri*, id eſt fortiter, ſicut proiicit vir. III. *Ecce Iehova exonerat te exoneratione viri*, id eſt magna, prævalida, ut totum te exhauriat, & exinaniat dignitate, auctoritate, opibus, &c. IV. *Ecce Iehova protelat te*, ſeu *auferet, protelatione*, ſive *ablatione viri*, vel *o vir*. V. *Ecce Iehova traducet te in captivitatem, o vir*, id eſt o tu, qui modo fidis viribus tuis, & putas te magnum eſſe. VI. *Ecce Iehova deferendum involvit te involucrum viri*: quod quæ aſportanda ſunt, involvi, & conſtringi ſoleant, ut facilius deferantur; id eſt, ut vir involucrum in itinere impoſitum humeris portat. Participium *Pihel*, מטלטל *metaltel*, geminatum, ut nomen ſequens טלטלה *taltelah*, ſignificatum intendunt, ac vehementem, validamque proiectionem, exonerationem, protelationem ſignificant. Reddunt autem potius *o vir*, quam in genitivo, *viri*: quod *taltelah* non ſit forma regiminis; quamvis abſoluta pro ſyntacticis ſæpius ponantur: vide Theſaurum Sanctis, pag. 860. ET, QUASI AMICTUM SIC SUBLEVABIT TE

Varie

Digitized by Google

Varie ex Heb. reddunt: I. *& amiciet te amiciendo*. II. *& operit te operiendo*; id eſt, obruet te confuſione & opprobrio, ſeu ignominia, pudore, ut Chaldæus exponit. III. *& obteget te obtegendo*; id eſt, omnino obteget & obſcurabit tuam gloriam: faciet te vilem & obſcurum. IV. Poſſis reddere: *& inveſtiet te, inveſtiendo*, eleganti Hebraiſmo & Hiſpaniſmo: *y te enveſtira*; id eſt, adorietur te, irruet in te. V. *& involabit in te involando*. De notione verbi עטה *ghatah*, vide in I. Samuel. XIV. 32.

V. 18. CORONANS CORONABIT TE TRIBULATIONE, &c. Multifariam alii hunc verſum ex Heb. exprimunt: I. *Convolvendo convolvet te convolutione tamquam pilam in terram latam locis: ibi morieris, & ibi currus gloriæ tuæ erunt ignominia domini tui.* II. *Convolvendo volvet te Iehova convolutione, & quaſi globum in terram longinquam manibus proiiciet:* alluſio ad iactum pilæ ſive globi, qui per locum planum & ſpatioſum facile decurrere ſolet: elegans metaphora, qua interminatur Sobnæ Deum illum iactaturum & agitaturum tamquam pilam ſeu globum: *ibi morieris, & ibi pro curribus gloriæ tuæ, erit ignominia domus domini tui*; id eſt, Currus, quibus utebaris cum eras in gloria & dignitate tua Ieruſalaimis, erunt tibi ignominioſi, quia domum domini tui voluiſti prodere. III. *Circumligando circumligabit te faſcia: velut trochum in terram ſpatioſam proiiciet te; iſtic morieris, iſtic erit pompa quadrigarum tuarum, tu o dedecus domus domini tui.* IV. *Circumgyrando circumgyrabit te, & apprehenſa coma tua, tamquam pilam proiectam in locum planum & ſpatioſum, &c.* V. *Cidarizando cidarizabit te cidari quaſi globum ad terram latam manuum: Iſtic morieris, & iſtuc currus gloriæ tuæ, ignominia domus heri tui.* Notant eſſe ſarcaſmum, & alludi ad morem, quo honoratis viris mortuis cidaris imponebatur; nam olim mortui coronati efferebantur: de quo ritu plura reperies apud Paſchalium Lib. IV. de Coronis, cap. V. & Kirchmannum Lib. I. de Funeribus, cap. XI. Huc facile reduxerim *Sudarium*, quo Hebræi capita mortuorum involvebant, quod Græci vocant σουδάριον, quaſi *cydarium*, a cydari Ioan. XI. 44. & XX. 7. nam & vox Latina eſſe poteſt a ſudore, vel Perſica a cydari, quam capitibus mortuorum circumponebant.

Tremellius & Iunius præcedentem verſum cum illo connectunt, ita atque explanant:

17. 1. *Ecce Iehova* 2. *qui contegit te integumento* 3. *quantum poteſt eſſe viri, & qui amicit te amiciendo, ſeu belle;*

18. 4. *Volutando volutabit te*, ſeu *egregie volutabit te, volutatione, ut pilam in regionem amplam ſpatiis: ubi morieris, ibique deſinent curricula gloriæ tuæ;* 5. *o ignominia domus domini tui.*

1. Hæc denuntiatio venturam calamitatem Schebnæ proponit duplice ſimilitudine: una pilæ, quæ in longinquiſſimum proiicitur, duobus verſibus; altera ædificii, verſ. 19.

2. Id eſt, qui unus te in hoc faſtigium dignitatis evehit: dignitas enim ut ab inſignibus veſtimentis cognoſcitur, ita ſynecdochice in Scriptura deſignatur veſtimentorum appellatione, ut Geneſ. XLI. 42. & ſequentibus. Hoc autem verbum Hebraicum ex comparatione ſequentis membri ita reddidimus, ſervata ſignificatione ſimplicis verbi, quod legitur Nehem. V. 15.

3. Id eſt ampliſſimo: erat enim Schebna ſecundus a rege.

4. Id eſt procul arcebit, & divexabit te: ſive in exilium fuerit actus a rege, ſive ab Aſſyriis interceptus, ſive ultro ipſe e Iudæa profectus, poſtquam & dignitate ſua & honoribus excidiſſet; nam horum nihil meminimus in Scriptura definiri.

5. Id eſt, qui par pari non retuliſti, ſerviens domino tuo regi, ſed omne genus ignominiæ domui illius inuſſiſti, qui te omni genere honoris cohoneſtaverat.

QUASI PILAM. כדור *caddur*, plerique duas eſſe voces exiſtimant, ut *Caph* ſit nota ſimilitudinis, & *dur*, id eſt *ſphæra, globus, pila, circulus*, a revolutione. Alii unam dictionem eſſe volunt, & *Caph* eſſe radicale, & alterum *Caph* ſimilitudinis particulam propter ſubſtantiale abiectum eſſe, ne duo *caphim* concurrerent, atque dictum eſſe *caddur*, pro ככדור *cecaddur*. Nonnulli *turbinem* ſeu *trochum* exponunt, qualem deſcribit Virgilius Lib. VII. AEneidos: vide Pſal. LXXXII. 14. ſic infra cap. XXIX. 3.

IN TERRAM LATAM ET SPATIOSAM. Heb. *in terram latam manuum*, ſeu [illegible]*bus*, id eſt locis, extenſionibu[illegible], terminis: ut Pſal. CIII. 25. [illegible] DOMUS DOMINI TUI; id [illegible]

Ee [illegible]

dedecus, & ignominia domus Chizkiiæ regis & domini tui. Heb. pluraliter *dominorum tuorum:* ſic reges & magnates pluraliter appellantur honoris cauſa, ut alibi paſſim.

V. 19. Et expellam te de statione tua, et de ministerio tuo deponam te. Heb. eſt mutatio perſonæ: *Et depellam te de ſtatione tua, & de conſtitutione tua diruet te.* Quidam: *Propulſo te de ſtatu tuo, inquiens: & de ſtatione tua deſtruet te;* id eſt, de ſede tua, dignitate, ſtatu evertam te, ſeu deiiciam: metaphora a dirutione ædificiorum. De ministerio. Heb. *de conſiſtentia, aſſiſtentia tua; ſtatu, conſtitutione, ſtatione tua.*

V. 20. Et erit in die illa: Vocabo servum meum Eliacim, filium Helciae. Quidam reddunt: *Erit autem die illa. ut vocem ſervum meum Eliakimum filium Chilkiiæ.* Altera pars prophetiæ, ut dictum eſt in verſ. 15. *In die illa,* qua Deus ſententiam hanc contra Schebnam cœperit exequi. De Eliakimo vide II. Reg. xviii. 18. 26. & 37.

V. 21. Et induam illum tunica tua, et cingulo tuo confortabo eum; id eſt, Inſignibus veſtimentis dignitatis tibi detractis ornabo eum: vide ſupra verſ. 17. Synecdoche. Et potestatem tuam dabo in manu eius. ממשלח *memſchaleth, eminentiam, dominationem, auctoritatem, præfecturam, poteſtatem, præſidentiam:* vide in Geneſ. i. 16. Quidam: *magiſtratum tuum.* Et erit quasi pater habitantibus Ierusalem. Heb. *& erit in patrem habitanti Ieruſalaim.* Quidam: *ut ſit loco patris habitatoribus Ieruſchalaimorum:* vide in Geneſ. xlv. 8.

V. 22. Et dabo clavem domus David super humerum eius. Aliqui: *Et imponam clavem domus Davidis humero eius,* &c. id eſt, plenam adminiſtrationem regni ſecundo loco a rege committam ei, ut imperet, vetet, permittat, puniat, denique efficiat quidquid iuſtum fuerit, & cohibeat iniuſtum, tamquam ſupremus præfectus prætorio: allegoria in Scripturis frequens. Theologi apte dicerent: *Dabo illi clavem ſcientiæ & poteſtatis. Humero eius:* vide ſupra cap. ix. 6. Et aperiet, et non erit qui claudat, &c. Significant hæc ſummam & abſolutam poteſtatem, ut Apocalyp. iii. 7. Plerique exiſtimant huic Eliakimo promitti hic ſummum ſacerdotium ſeu pontificatum Sebnæ detractum: & utrumque fuiſſe ſummum pontificem. Sed præterquamquod verba ipſa nihil tale ſignificant, & haud dubie Scriptura ſupremam hanc eorum dignitatem non prætermiſiſſet exprimere; conſtat temporibus Achazi pontificatum maximum geſſiſſe Uriam II. Reg. xvi. 10. 11. 15. 16. & temporibus Chizkiiæ, Hazariam II. Paralip. xxxi. 10. de aliis non liquet. Expendit Caſaubonus hunc locum Exercitatione xvi. in Annales Baronii, Diatriba 139.

V. 23. Et figam illum paxillum in loco fideli. Alii: I. *Et figam eum velut clavum in locum certum.* II. *Et figam eum tamquam paxillum in loco ſtabili.* Paxillo infixo parieti variam ſupellectilem imponimus ſuſtinendam; ac ſi dicat, Eliakim plurima negotia domus Ezekiæ ſuſtinebit: & ſors illius erit ſtabilis. III. *Et infigam eum velut paxillum in loco firmo;* id eſt, confirmabo eum in dignitate ipſius, & ſtabiliam vehementiſſime, ut erga omnes fungatur officio ſuo, & viciſſim omnes ab ipſo pendeant: vera deſcriptio pii magiſtratus hærentis promiſſionibus Dei, duobus verſibus. Et erit in solium gloriae domui patris eius. Alii: I. *& erit in ſedem gloriæ domui patris ſui;* id eſt, familiam paternam reddet nobiliſſimam & ſplendidiſſimam. II. *eritque ſolio honori,* id eſt erit regi ipſi honori & decori (ſynecdoche) *& domui paternæ ſuæ,* id eſt Iehudæ, hic, & ſequente verſu: ut nominaverat ſupra verſ. 21.

V. 24. Et suspendent super eum omnem gloriam domus patris eius. Alii: I. *Et pendebunt ab eo omnis gloriæ domus patris ipſius;* id eſt, nobilitatem inſeret in domum ſuam paternam: referent illi acceptum omnem ſplendorem familiæ. II. *Nam appendent ei totam gloriam domus paternæ ipſius.* Officium bonorum populorum erga magiſtratum pium, figuratum eadem allegoria, quæ cœpta eſt ſuperiore verſu: Omnia, inquit, tam maxima, quam minima, fidei illius ſecure commiſſuri ſunt. III. *Et ſuſpendent ſuper eum omnem ſubſtantiam domus patris eius,* id eſt ſupellectilem, opes, divitias: ſic accipitur כבוד *cabod,* Geneſ. xxxi. 1. Vasorum diversa genera. Diverſimode alii ex Heb. 1. *filii & nepotes,* id eſt poſteri. 2. *filii & filiæ.* 3. *nepotes & neptes.* 4. Forſterus, *egreſſiones & progenies,* ſeu *germina. Atque ex hoc,* inquit, *Ieſaiæ loco videtur mihi ſumpſiſſe Ioannes Baptiſta, quo*

Phari-

Phariſæos & Scribas increpat, progeniem viperarum vocans, Matth. III. 7. & Lucæ III. 7. *nam prius nomen progenies ſonat, & poſterius viperas, & per contractionem, progenies viperarum*. 5. Leo Iudas: *ſtirpes & poſteri*. 6. Montanus: *genimina & fœtus*. 7. Tremellius, & Iunius: *proventus eius, & redditus eius*. Prior vox צאצאים *tzeetzaim*, proprie *exitus, egreſſiones, progreſſus, propagines, ſtirpes, res prognatæ*: metaphorice, *filii, prognati, poſteri*; quod ii ſint veluti egreſſiones viſcerum, egredientes ex viſceribus matris: ſic Iob v. 25. Altera vox צפעות *tzephighoth*. Foriterus: צפע *tzephagh, ſpecies quædam ſerpentis venenati hoc nomine dicitur a vulneratione: nam a verbo* פצע *phatzagh, deductum arbitror tranſpoſitione litterarum facta: eſt autem ea conditione quod alvum matris vulneret egrediendo, & deinde animalia alia vulnerando inficiat ac necet: quidam aſpidem, alii viperam eſſe perhibent. Inde tzephighoth, genimina, tranſlatione ab aſpidum ſeu viperarum generatione, quæ fit vulneratione uteri materni ad fœtus generationem facta, quæ quoque fit matris vulneratione*. Ita ille. Ceterum de partu viperæ varia tradunt Auctores, quæ nobis nunc diſcutienda non ſunt: vide Herodotum Lib. III. Numero 109. Ariſtotelem Lib. III. de Hiſtoria Animalium, cap. I. alias II. & Lib. V. cap. XXXIV. alias. XXIX. Plinium Lib. X. cap. LXI. AElianum Lib. I. de Animalium Natura, cap. XXIV. & Lib. XV. cap. XVI. Plutarchum de Garrulitate, Philoſtratum Lib. II. de vita Apollinii, cap. VII. & VIII. e recentioribus Cælium Rhodiginum Lib. VI. Lectionum Antiquarum, cap. XIII. Iulium Scaligerum Exercitatione 101. in Cardanum, & in Commentariis ad Lib. II. cap. VIII. Ariſtotelis de Hiſtoria Animalium; pag. 241. & 242. Mercerus exponit, *egreſſiones & genimina*; id eſt, natos & nepotes, ſeu progeniem. OMNE VAS PARVULUM. Heb. *omnia vaſa parvi*, ſcilicet miniſterii. Alii ſubſtantive exponunt: *omnia vaſa parvitatis*. Intelligunt, vel omnia miniſteria, officia, dignitates, ſive honores ignobiliores, ac minimos; ſive omnes homines, qui fuerint inferioris conditionis; quaſi dicat: Omnes gradus honoris, & cuiuſcumque generis etiam minimi, ab eo pendebunt: omnia illi ferent accepta. Quidam: *omnia inſtrumenta etiam minimi*; id eſt, non tantum homines curæ futuri ſunt ipſi, & quidem homines tenuiſſimi, ſed etiam minutiſſima ipſorum inſtrumenta, ne quam iacturam faciant ipſi, aut ab aliis damnum patiantur. A VASIS CRATERARUM USQUE AD OM E VAS MUSICORUM. Alii ex Heb. I. *a vaſis phialarum ad uſque vaſa nabliorum*, vel *melodiarum, chororum*, aut *tympanorum*, ſeu *lyrarum*. II. *cum crateres, tum univerſa inſtrumenta muſica*. III. *cum iſtrumenta craterum, tum omnia inſtrumenta utrium*; id eſt, omnia inſtrumentorum genera ſuſtentabit, & parva, cuiuſmodi ſunt crateres, & magna, cuiuſmodi utres; quorum ii ad excipiendum, illi ad fundendum liquorem pertinent: ſpecies pro genere, ſynecdochice. CRATERARUM. אגנות *aghanoth, phialarum, pelvium, craterum, trullarum, malluviorum*, ut Exod. XXIV. 6. & Canticor. VII. 2. MUSICORUM. נבלים *nebalim*, vel *utrium, lagenarum, hydriarum, amphorarum, cadorum, fideliarum*, ut I. Samuel. I. 24. & cap. X. 3. vel *nabliorum*, ut I. Reg. X. 5.

V. 25. IN DIE ILLA, &c. Hunc verſum alii ita ex Heb. convertunt. I. *In die illa, dictum Iehovæ exercituum, recedet clavus iſte*, vel *emovebitur loco ſuo paxillus ille*, Sebna, *qui fixus fuit in loco fideli: evelletur & cadet; & peſſum ibit*, ſive *rumpetur onus, quod ab eo pendet*; id eſt, qui pendebant ab eo, corruent: *quia Dominus locutus eſt*. II. *Die illa dictum Iehovæ exercituum, diſcedet paxillus iſte infixus in loco firmo*; (Anabaſis, ſive regreſſio antithetos ad ſermonem de Schebna, concludens prophetiam hanc deſcriptione allegorica iudicii, quod perpeſſurus erat Schebna, contrariis plane verbis quam Eliakimo promiſit Deus, verſibus præcedentibus.) *& amputatus decidet, exſcindeturque onus illud, quod erat impoſitum ei*; id eſt, quicumque pependerunt ab eo, & in eo conquieverunt: *nam Iehova locutus eſt*.

MENOCHII.

Verſ. 1. ONUS, id eſt prophetia triſtia nuncians. VALLIS VISIONIS; id eſt Ieruſalem, quæ dicitur *vallis* reſpectu montis Sion, cui erat ſubiecta, vel quia cum prius eſſet inclyta, iam humilis facta erat, & abiecta propter ſcelera. Dicitur *viſionis* propter montem *Moria*, id eſt *Viſionis*, qui intra eamdem erat civitatem,

Digitized by Google

tem, cum eſſet idem cum monte Sion, & tantum diſtinguerentur ut duo iuga, aut vertices eiuſdem montis. TIBI: o. Ieruſalem. ASCENDISTI ET TU OMNIS IN TECTA: viri, feminæ, magni, & parvi, ut ſcilicet inde calamitatem patriæ ſpectetis, & communi eiulatu deploretis.

V. 2. CLAMORIS PLENA, URBS FREQUENS, &c. id eſt, olim plena eras populo, atque exultabas choreis, tubis, & tympanis; nunc, dum vaſtaris, timoris es plena. NON INTERFECTI GLADIO; id eſt, turpiter fame mortui ſunt, nec data eſt illis facultas ſtrenue moriendi in bello, & in acie.

V. 4. DIXI: ego, ſcilicet Iſaias animo mœrens.

V. 5. DIES ENIM INTERFECTIONIS, &c. quaſi dicat: Venit enim tempus ineluctabile, quo Deus omnia conterere, & conculcare ſtatuit in ira furoris ſui. ET FLETUUM DOMINO DEO EXERCITUUM. Vel ſenſus eſt, horrendam illam cladem, quæ interfectionem, conculcationem, & fletum afferet, a Deo eſſe immiſſam; vel tempus illud eſſe *fletuum Domino*, id eſt orandi cum fletu ante Dominum. Chald. *coram Domino*. LXX. *a Domino*. SCRUTANS MURUM: qui ſcilicet Deus vindex, & quaſi belli dux ſcrutatur murum Ieruſalem, ut videat qua parte eum commode evertere, & diruere poſſit. MAGNIFICUS SUPER MONTEM; quaſi dicat: Ipſe eſt qui montem Sion, eiuſque gloriam ſuis pedibus ſubiectum habet, ut eum deiiciat, & in imam quaſi vallem deprimat.

V. 6. AELAM, Perſæ; nam AElam urbs fuit Perſidis, unde AElamitæ dicti ſunt. CURRUM HOMINIS EQUITIS: aſſumpſit quadrigas, quibus viri bellatores inequitent. PARIETEM NUDAVIT CLYPEUS: detracto enim clypeo, qui ex paxillo pendebat in pariete, paries nudus apparet.

V. 7. ELECTAE VALLES: uberes nimirum, & amœnæ. IN PORTA: occupata iam civitate, vel iuxta portam.

V. 8. OPERIMENTUM IUDAE: arcana ſacra prius inacceſſa, ſcilicet Sancta ſanctorum. Unde Thren. 1. 10. dicitur: *Vidit Gentes ingreſſas ſanctuarium ſuum*. Alii per operimentum intelligunt antemurale, murum, & alias munitiones Urbis. VIDEBIS IN ILLA DIE ARMAMENTARIUM DOMUS SALTUS; quaſi dicat: Ut refiſtas Chaldæis non recurres ad Deum, ut dicitur numero 11. ſed ad arma, quæ Salomon repoſuit in armamentario palatii domus ſaltus Libani.

V. 9. ET SCISSURAS CIVITATIS DAVID; id eſt, inſpicietis ſciſſuras murorum Sionis, ut eas inſtauretis, & ſarciatis. CONGREGASTIS AQUAS: vel ad ſedandam civium ſitim, quia Ieruſalem aquarum penuria laborabat, vel ad macerandam, & diluendam calcem ad ſarciendos muros.

V. 10. DOMOS IERUSALEM NUMERASTIS: vel ad dimetiendam aquam, & annonam, vel ut ex iis eligerentur qui per vices excubarent ad muros; vel ut dirutis domibus compenſatio damni eſſet facienda.

V. 11. AD AQUAM PISCINAE VETERIS; hiſce lacunis excipiendam. AD EUM, &c. ad Deum, & piſcinæ, & aquæ, & omnium auctorem. DE LONGE: ne de longe quidem.

V. 12. VOCABIT: per prophetas, inſpirationeſque internas. CALVITIUM, id eſt ad raſionem capitis, ut illo ævo ſolebant in mœroris argumentum. AD CINGULUM SACCI, id eſt ad induendos, & cingendos ſaccos.

V. 13. ET ECCE GAUDIUM, &c. quaſi dicat: Tanta vero tua fuit vecordia, ut cum lugere deberes, &c. contra gaudio, & conviviis indulſeris. CRAS ENIM MORIEMUR: vox Epicureorum nihil poſt hanc vitam ſperantium, aut timentium, ac propterea ventri, gulæ, & veneri indulgentium.

V. 14. REVELATA EST, &c: id eſt, audita eſt a me vox Domini. SI DIMITTETUR, &c. Particula *ſi* eſt iurantis; quaſi dicat, Si dimittetur ita ut feratis impune, non ſim, aut non exiſtimer Deus. DONEC MORIAMINI; id eſt, non dimittetur, ſed morte luetis.

V. 15. HAEC DICIT DOMINUS, &c. Prophetia contra Sobnam Præpoſitum templi. QUI HABITAT IN TABERNACULO: in exedra, ſive cubiculo prope templum. LXX. eadem ſignificatione vertunt, *Vade in paſtophorium*, id eſt in thalamum, cubiculum, vel exedram in qua Sobna degit. PRAEPOSITUM TEMPLI, quem aliqui ſummum Pontificem fuiſſe aiunt, alii negant; exiſtimant tamen fuiſſe unum ex dignioribus ſacerdotibus, cui cura templi, & ſacri ærarii eſſet commiſſa.

V. 16.

V. 16. Quid tu hic? Quid facis in templo Dei, o Sobna homo prophane? quaſi dicat, Ineptus, & indignus es hoc loco. Aut quasi quis hic? Quid tu hic facis homo nihili, qui non tam es *aliquis*, quam *quaſi aliquis*; non tam homo, quam hominis ſimulacrum? ſimile eſt illud Zachar. xi. 17. *O paſtor, & idolum*, id eſt o paſtor, qui non tam paſtor es, quam idolum, ſimulacrum, & larva paſtoris. Excidisti tibi hic sepulcrum: Ieroſolymis, magno ſumptu ad tui memoriam. In excelso: edito, & conſpicuo loco. Memoriale: ſepulcrum ſcilicet cum inſcriptione ad perpetuam nominis memoriam. Diligenter: accurate, & artificioſe elaboratum. Tabernaculum: ſcilicet ubi poſt mortem habites.

V. 17. Ecce Dominus, &c. quaſi dicat, Sed o ſtulte, aliter de te Dominus ſtatuit. Asportari te faciet: longe ab eo loco, in quo tibi ſepulcrum paraſti. Sicut asportatur gallus gallinaceus: pedibus ligatis, & pendulus in caput. Quasi amictum, &c. In Heb. eſt, *& amiciet te amiciendo*, ut vertunt Pagninus, & Vatablus: ſententia eſt, Obvoluto capite te aſportabunt, ut quo deferaris non ſatis cognoſcas.

V. 18. Coronabit te tribulatione, id eſt circumdabit te ærumnis. Putat Salian. anno mundi 3322. num. 35. Sobnam Pontificem non fuiſſe, ſed coronam Pontificis, & auream laminam fortaſſe per ſuperbiam ſibi aſſumpſiſſe, unde etiam gallo gallinaceo ſit comparatus, quem criſtæ coronant, & hoc loco dicatur tribulatione coronandus. LXX. etiam illi tribuunt *στέφανον ἔνδοξον coronam glorioſam*. In terram latam, &c. id eſt in Aſſyriam. Ibi erit currus gloriae tuae; id eſt, & hunc infelicem, & triſtem triumphi, & gloriæ tuæ finem tibi ſuperbo, & arroganti paravit Deus. Ignominia domus domini: ſcilicet morietur, vel ibi erit. Te ſublato ceſſabit, & abolebitur dedecus templi, quod eras tu.

V. 20. Vocabo: eligam, & tibi ſubſtituam.

V. 21. Induam illum tunica tua, &c. id eſt, tradam illi inſignia ſacri miniſterii, quæ nunc apud te ſunt. Confortabo: *Roborabo*, ut vertit Vatabl. id eſt, poteſtate iſta tua eum augebo. Erit quasi pater: debent enim ſacerdotes more paterno benigne gubernare ſubditos.

V. 22. Dabo clavem domus David, &c. Valde favet hic locus eorum ſententiæ, qui docent Sobnam fuiſſe Pontificem; quaſi dicat: Dabo Pontificatum Eliacim, & ſummam in templo poteſtatem, cujus ſymbolum eſt clavis. Super humerum eius: nam claves templorum magnas fores habentium magnæ ſunt, & humeris impoſitæ facilius circumferuntur, quam alia ratione.

V. 23. Paxillum. Paxillus eſt clavus ſive ferreus ſive ligneus, ex quo ſupellex, aut ſacra templi, aut domeſtica ſuſpenditur; quaſi dicat: Efficiam ut ex Eliacim pendeant ſummi, medii, infimi, ac præſertim cantores, & muſici templi. In loco fideli, id eſt in pariete firmo, & forti, ex quo excidere, aut evelli nequeat. Et erit in solium gloriae domui patris eius; quaſi dicat, Eliacim paternam familiam reddet nobiliſſimam, & ſplendidiſſimam ſuo ſolio, & dignitate, in qua eum collocabo.

V. 24. Gloria domus patris eius. Quænam ſit hæc gloria, ſtatim ſequentibus verbis ſignificatur. Vasorum diversa genera. Pergit in eadem paxilli allegoria, & per varia genera vaſorum intelligit homines variorum ordinum, & ſtatuum. A vasis craterarum, &c. Tam crateras, phialas, mortariola, &c. quam inſtrumenta muſica. Quid hac allegoria ſignificetur proxime diximus. Paxillus. Sobnam intelligit, qui ſolido & fideli loco fixus videbatur, nec ullo umquam tempore commovendus.

TIRINI.

Verſ. 1. Onus vallis visionis; id eſt, prophetia minax Ieroſolymæ, inquit Hieronymus & LXX. & patet ex verſ. 4. Vocatur autem *vallis*, quia ſubjecta erat monti Sion. Vocatur *viſionis*, a monte *Moria a*, quod viſionem ſignificat, inquit Forerius: eratque conjunctus monti Sion, & in eo olim Abraham parabat immolare filium ſuum Iſaac, & in eodem poſtea Salomon conſtru-

ſtruxit templum *b*; quaſi dicat: O Ieroſolyma, fuiſti *Moria*, nunc es *Mara*: fuiſti mons ſplendidiſſimæ viſionis, nunc vallis es miſerrimarum lacrymarum: inſtar montis ad ſidera extollebaris excelſa arce, templo, turribus; nunc complanatis omnibus facta es vallis viliſſima, & ſpelunca latronum. ASCENDISTI ET TU OMNIS, omnes cives tui, IN TECTA *c*, in ſolaria domorum, ut ex altiori loco ſpectetis hoſtiles phalanges toti urbi circumfuſas.

V. 2. NON INTERFECTI GLADIO, ſed ſame, ſed inedia, ſed miſeriis confecti: ut contigit in obſidione Ieroſolymitana per Chaldæos, ad quam hic reſpicit Iſaias, inquit S. Hieron. Typice tamen aptari etiam poſſunt obſidioni per Titum, ut vult Euſebius & Leo Caſtrius.

V. 3. CUNCTI PRINCIPES TUI, non dimicando fortiter, ſed fugiendo ignaviter, capti, & quaſi imbelles feminæ vel pueri loris adſtricti ſunt, IV. Reg. ult. v. 4. & 18.

V. 5. SCRUTANS MURUM, ſupple eſt Deus; quaſi dicat: Dux huius belli Deus ſcrutatur & explorat mœnia Ieroſolymitana, inquirens qua parte poſſit commode dirui & everti. MAGNIFICUS debellator & triumphator SUPER MONTEM Sion, pedibus illum ſuis conculcans, gloriam eius & ſuperba palatia & turres ſolo adæquans, & quaſi in vallem deprimens.

V. 6. AELAM, ſeu AElamitæ, regionis Perſicæ Chaldæis tunc ſubiectæ vel confœderatæ, incolæ, *ſumpſerunt* PHARETRAM, inſtruxerunt currus equeſtres, & armati omni armorum genere (adeo ut parietes ante clypeis & haſtis inſtructi, iam prorſus nudati ſint) Nabuchodonoſori contra Ieruſalem militaturi accurrunt: ita Cyrillus.

V. 8. ET REVELABITUR, id eſt detegetur ac capietur, a Chaldæis *operimentum Iudæ*, id eſt antemurale, ſeu exteriores munitiones, quibus urbs quaſi operimento tegebatur. VIDEBIS ARMAMENTARIUM *d* DOMUS SALTUS. Hebraice, *reſpicies ad armamentarium*, nempe ad arma ex eo educenda, quibus Chaldæis & poſt etiam Romanis reſiſtere poſſis: ita Procopius, Forerius, Vatablus.

V. 9. ET SCISSURAS murorum CIVITATIS DAVID, ſeu arcis Sion, VIDEBITIS; id eſt, inſpicietis, ut eas inſtaurari & ſarciri curetis. ET CONGREGASTIS, ſeu colligetis, AQUAS PISCINAE INFERIORIS, quam fecit Ezechias IV. Reg. xx. 20. nempe ad levandam civium ſitim in longa obſidione.

V. 10 ET DOMOS ac familias civium *numerato* adnotabitis, ad annonam & aquam cuique admetiendam, vel ad excubias per vices curandas.

V. 11. ET LACUM, ſeu amplas foſſas & aquarum receptacula, FECISTIS INTER DUOS urbis MUROS, AD, ſeu prope, AQUAM PISCINAE VETERIS; quaſi dicat: Toti intenti fuiſtis ad humana præſidia conquirenda: ſed quod præcipuum fuit neglexiſtis, nempe ad Deum oculos animoſque attollere, ut ſolent *e* pii omnes. Hinc evanida & fruſtranea fuerunt omnia veſtra conſilia & conatus.

V. 12. VOCABIT quidem vos DEUS, imminente hoſte, per ſuos Prophetas, & excitabit ad reſipiſcentiam & pœnitentiam, quæ *calvitio* & cilicio prodi ſolet: ſed increduli & contemptores, gulæ potius ac luxui vacabitis, dicentes, *Comedamus & bibamus, cras enim moriemur f*, non corpore ſolo, ſed & anima. Vox eſt Sardanapali *g* & Epicureorum.

V. 14. SI *h* DIMITTETUR. Id eſt, iuro quod non dimittetur: nam, ut ait S. Hieron. nihil ſic offendit Deum, quam poſt peccatum erecta cervix, & contemptus.

V. 15. QUI HABITAT IN TABERNACULO, ſeu in interiore parte templi; LXX. *in paſtophorio*, id eſt in exedra, ſeu cubiculo prope ſanctuarium, ubi ſacerdotes morabantur dum templo deſervirent. Inter hos aderat tum *Sobna præpoſitus* TEMPLI, nempe ſummus ſacerdos & pontifex *i*, ut vult S. Hieronymus, Lyranus & Sanchez, & patet ex verſ. 21. & ſequentibus. Unde alius hic eſt *Sobna*, ut & alius *Eliacim*, ab illis quorum fit mentio IV. Reg. XVIII. & XIX. Nam illi laici veriſimilius erant, ſaltem non pontifices: erat enim Sobna ſcriba, Eliacim ſolum præpoſitus domus regiæ, ut vult Ioſephus, Abulenſis & Torniellus. Vel, ſi præpoſitus templi fuit, ſoli militari cuſtodiæ præerat, ut ibi dixi. Hi vero, quorum Iſaias meminit, ſacerdotes erant & pontifices.

V. 16.

Digitized by Google

V. 16. Quaſi quis hic? id eſt, Quis iſte qui ſe gerit quaſi pontificem, cum non ſit niſi larva & umbra pontificis? Sic Zachariæ xi. *O paſtor & idolum*. Excidisti tibi hic (Ieroſolymis) ſuperbum sepulcrum, quaſi æternum memoriale tui: ſed non hic ſepelieris.

V. 17. Ecce Dominus asportari te faciet una cum rege Manaſſe in Babylonem, sicut asportatur gallus gallinaceus. Hebraice, *vir gallinarum*. Videtur carpere luxuriam Sobnæ, quam inter pellices forſan exercuit: ſaltem notat ſuperbiam illius; quaſi dicat: Iam in fimeto tuo quaſi gallus inter gallinas te iactas & criſtas attollis; brevi tempus aderit, cum captus criſtas demittes, & vinctus in forum vendendus abduceris. Quasi amictum, ſeu veſtem venalem, quæ in emptorum oculis panditur & excutitur, sic sublevabit & excutiet te Deus, & tollet a te.

V. 22. Clavem domus David; id eſt, ſummam poteſtatem & præpoſituram templi: quod, quia ſumptibus a Davide præparatis, eiuſdemque deſignatione ac iuſſu conſtructum fuit, vocatur merito domus David.

Nota, hanc clavem, id eſt ſupremam pontificiam poteſtatem non niſi unam eſſe. Nam ſi plures eſſent & penes plures, falſum eſſet, quod de pio & fideli Eliacim ſucceſſore Sobnæ hic dicitur, quod ſua clave claudet, et non erit qui aperiat, &c. Hic ergo innuitur, pontificatum eſſe monarchicum. Allegorice, per Eliacim deſignatur Meſſias, inquit Cyrillus & Theodoretus. Et huc alludit S. Ioannes Apoc. iii. ubi de Chriſto dicit, *Qui habet clavem David, qui aperit & nemo claudit*. Et Chriſtus vicario ſuo *Petro* eamdem clavem, cum aliis annexis ſe delegaturum promiſit, Matt. xvi. *Tibi dabo claves regni cælorum*.

V. 23. Et figam illum paxillum *k*, ſeu clavum in pariete Eccleſiæ meæ, ex quo omnes pendeant, ſummi, medii, infimi.

V. 25. Auferetur paxillus, qui nunc eſt, nempe *Sobna*; & eo cadente, ſimul cum eo cadent filii, amici, affines, & quotquot ex eo pendebant: ita Vatablus, a Lapide & Alvarez. Allegorice: Concidet pontificatus Aaronicus, fragilis & infidus; & ſuccedet pontificatus Chriſtianus æternum duraturus, inquit S. Hieron. S. Thomas & Haymo.

(a) Gen. xix. a.
(b) II. Par. xxi. 8.
(c) IV. Reg. i. 2.
(d) III. Reg. vii. 2.
(e) Pſal. xix. 8. Iſaiæ xxxvii. 1. Iudith. ix. 1. Malach. iii. 46.
(f) I. Cor. xv. 32. & Sap. ii. 6.
(g) Cicero v. Tuſculan.
(h) Proleg. de Idiotiſm. Hebr. n. 43.
(i) Chronici c. xlii.
(K) Ezech. xv. 3.

G O R D O N I.

Verſ. 1. Onus vallis visionis. Valle circumdata erat Ieruſalem: de illa eſt hoc vaticinium; vel etiam vallis, quia licet olim in monte, tamen quando advenit quod prædicit hic Iſaias, redacta eſt ad contemptum, ac ſi eſſet humilis & abiectus locus. At cur viſionis? Certe quia erat Prophetarum velut Metropolis & nutrix, & ut olim dives opum, nunc aſcendit tecta ſua plana, aſpicit inde venientes ad excidium hoſtes.

V. 2. & 3. Clare famem, cædem & excidium deſignat. Euſebius hæc ad Titum refert. Rectius Hieronymus ad Chaldæos, & tranſmigrationem Babylonicam.

V. 6. Et Aelam (civitas Aſſyriorum) sumpsit pharetram. Deſcribit exercitum Chaldæorum; qui omnia occupat, armis ita inſtructus, ut parietes ad quos ſuſpenduntur clypei, ſint nudi relicti.

V. 8. Et revelabitur operimentum Iudae, &c. Enumerat Propheta ſingula: hoſtis ingredictur Sanctuarium, reducto velo quod eſt ante Sancta Sanctorum, diſſipabitur armamentarium, quod erat in domo ſaltus Libani: de quo III. Reg. vii. 2. Pergit recenſere quæ facturi ſunt Iudæi in illa obſidione (ubi ut præterita ponuntur, quæ fuerunt futura quando loquebatur Iſaias:) enumerat ergo ſpem eorum in armamentario, in congregatione aquarum, in everſione domorum ad munienda mœnia, & ſimilia ad quæ reſpicient in illa die, & non ad Deum ut oportuit; vocabunt etiam Prophetæ (ut Ieremias) in illo tempore ad pœ-

pœnitentiam. Sed contemnetis ludendo, bibendo.

V. 15. Haec dicit Dominus exercituum. Vaticinium eſt contra Sobnam. Erat Sobna præpoſitus domus Domini, vir arrogans & Pontifex, ex verſ. 18. & 19. & quidem vel ſummus Pontifex, ut ſignificat Hieronymus (quod videtur colligi ex verſ. 21.) vel ex dignioribus ſacerdotibus, cui eſſet templi & ærarii cura commiſſa. Cyryllus quæſtorem vocat: ſane Ioſephus Lib. X. cap. xi. non nominat inter Pontifices: hunc, cum defeciſſet ad Sennacherib, tradunt Iudæi paſſum eſſe quæ hic narrantur.

V. 20. & 22. In die illa vocabo servum. Hic de Eliakim viro bono, & fideli qui ſubſtitutus fuit in locum Sobnæ; quo tempore vel anno incertum eſt: probabile eſt quod aliqui dicunt hoc factum fuiſſe paulo ante adventum Sennacherib: vide IV. Reg. xix. 2. ubi miſſi dicuntur Ioakim præpoſitus domus, & Sobna ſcriba ad Aſſyrios qui aderant. Itaque ante adventum Sennacherib iam erat Eliakim præpoſitus. Incertum porro eſt, an hic Sobna ſit ille præpoſitus, de quo Eſaias, an alius Sobna. Ceterum, verſ. 22. & 23. per *clavem & paxillum* (lignum vel ferrum eſt, unde aliqua pendent) deſignat auctoritatem Pontificiam: alter autem paxillus (Sobna) a quo plurima etiam pendebant, auferetur.

Ex Eiusdem Auctario.

Verſ. 9. Congregastis aquas, ad ſitim levandam, & ne deſint in obſidione.

Verſ. 13. Et ecce gaudium. Vecordiam taxat: lætabuntur inſtante periculo, cum deberent lugere.

Verſ. 18. Coronabit. Sane ſi incertum eſt, an hic Sobna fuerit ſummus Pontifex, videant aliqui quam ſolide ex Pontificibus annos colligant chronologicos. Satis tamen eſt probabile ex verſ. 22. & 23. Pontificem fuiſſe.

CAPUT XXIII.

Tyri vaſtitas ad annos ſeptuaginta prædicitur propter eius ſuperbiam, & poſtea reſtituetur.

1. ONus Tyri. Ululate naves maris: quia vaſtata eſt domus,
unde venire conſueverant: de Terra Cethim revelatum eſt
eis. 2. Tacete qui habitatis in inſula: * negotiatores Si-
donis transfretantes mare, repleverunt te. 3. In aquis mul-
tis ſemen Nili, meſſis fluminis fruges eius: & facta eſt
negotiatio gentium. 4. Erubeſce Sidon: ait enim mare,
fortitudo maris, dicens: Non parturivi, & non peperi,
& non enutrivi iuvenes, nec ad incrementum perduxi
virgines. 5. Cum auditum fuerit in AEgypto, dolebunt cum audierint de
Tyro: 6. Tranſite maria, ululate qui habitatis in inſula: 7. Numquid non
veſtra hæc eſt, quæ gloriabatur a diebus priſtinis in antiquitate ſua? ducent
eam pedes ſui longe ad peregrinandum. 8. Quis cogitavit hoc ſuper Tyrum
quondam coronatam, cuius negotiatores principes, inſtitores eius inclyti ter-
ræ? 9. Dominus exercituum cogitavit hoc, ut detraheret ſuperbiam omnis
gloriæ, & ad ignominiam deduceret univerſos inclytos terræ. 10. Tranſi ter-
ram tuam quaſi flumen filia maris, non eſt cingulum ultra tibi. 11. Manum
ſuam

ſuam extendit ſuper mare, conturbavit regna: Dominus mandavit adverſus Chanaam, ut contereret fortes eius, 12. & dixit: Non adiicies ultra ut glorieris, calumniam ſuſtinens virgo filia Sidonis: in Cethim conſurgens transfreta, ibi quoque non erit requies tibi. 13. Ecce terra Chaldæorum talis populus non fuit, Aſſur fundavit eam: in captivitatem traduxerunt robuſtos eius, ſuffoderunt domos eius, poſuerunt eam in ruinam. 14. Ululate naves maris, quia devaſtata eſt fortitudo veſtra. 15. Et erit in die illa: In oblivione eris o Tyre ſeptuaginta annis, ſicut dies regis unius: poſt ſeptuaginta autem annos erit Tyro quaſi canticum meretricis. 16. Sume citharam, circui civitatem meretrix oblivioni tradita: bene cane, frequenta canticum, ut memoria tui ſit. 17. Et erit poſt ſeptuaginta annos: Viſitabit Dominus Tyrum, & reducet eam ad mercedes ſuas: & rurſum fornicabitur cum univerſis regnis terræ ſuper faciem terræ. 18. Et erunt negotiationes eius, & mercedes eius ſanctificatæ Domino: non condentur, neque reponentur: quia his, qui habitaverint coram Domino, erit negotiatio eius, ut manducent in ſaturitatem, & veſtiantur uſque ad vetuſtatem.

B R U G E N S I S

Romana Correctio.

Verſ. 2. *Negotiatores Sidonis*. Correctio eſt *negotiatores*, quod eſt mercatores, reiecta ſcriptura *negotiatio*, quod eſt mercatus.

C O M M E N T A R I A

M A L D O N A T I.

Verſ. 1. ONus Tyri, id eſt prophetia contra Tyrum. Ululate naves. Tyrus erat in inſula navigatione celeberrima; ideo iubet Propheta per proſopopœiam naves ululare, quod Tyrus earum portus everſa ſit: præt. pro fut. Maris. Heb. תרשיש, quod quid fuerit, incertum eſt. Alii mare generaliter, alii ſpecialiter Mediterraneum, alii Carthaginem, alii Ciliciam, alii Tharſim Ciliciæ, alii urbem aliam Tyro vicinam fuiſſe putant. Quia vastata est domus, id eſt Tyrus quæ veluti domus erat & receptaculum navium. Unde venire consueverant (naves.) De terra Cethim, id eſt Græcorum, Cypriorum, Italorum, & omnium occidentalium; omnes enim occidentales Iudæi Cethim appellare conſueverant. Revelatum est eis (Tyriis) malum hoc, quia Græci in auxilium veniſſe dicuntur Nabuchodonoſor. Heb. כי שדד מבית, *quia vaſtata eſt* (Tyrus) *ne ſit domus*, id eſt receptaculum navium, מבוא, *ne ingrediatur* (quiſquam in eam.) Vel coniuncte, ut alii legunt, מבוב מארץ כתים, *ne veniat* (quiſquam) *ex terra Cethim* (negotiandi cauſa, ut ante ſolebant.) Deinde ſeparatim legatur, נגלה למי, *revelatum eſt illis* (Cethim) id eſt, pervenit enim ad eos fama vaſtationis Tyri.

V. 2. Tacete, id eſt tacebitis, imperativus Hebr. pro fut. hoc eſt, in oblivionem venietis, ignobiles eritis, nemo de vobis loquetur amplius ſublata navigatione: aut, tacebitis, id eſt ceſſabitis (a negotiatione.) Qui habitatis in insula, id eſt Tyrii, qui inſulani eſtis. Negotiatio Sidonis (replevit te, *ἀπὸ τοῦ κοινοῦ*,) tacita redditio cauſæ eſt, id eſt tacebitis, quia negotiatores qui implere ſolebant civitatem veſtram, iam non implent. Hebr. סוחר צידון, *negotiator Sidonis*. Sidon non longe a Tyro aberat, magnumque propter Tyri vicinitatem & commercium emolumentum faciebat, quod Tyro deleta periit. Transfretantes; id eſt qui undique navigabant, replere ſolebant te. Apoſiopeſis; quaſi dicat, Sed poſt hac non implebunt.

V. 3. In aquis multis semen Nili; id eſt, ut plerique interpretantur, frumentum quod Nili irrigatione in AEgypto provenit. *Per aquas multas*, id eſt per mare Tyrum deportatur. Messis fluminis (Nili) fruges eius: aut ut eſt Hebr. תבואתה, *proventus eius*. Mihi alius videtur ſubtilior eſſe ſenſus: Quod in AEgypto magno labore ſeminandi, colendi agros, irrigandi provenit, provenit Tyriis in aquis multis; quaſi dicat: In ipſo mari ſine ullo labore, ſine ulla agricultura frumentum illis naſcitur, quia undique illis propter merces adportatur. *Meſſis fluminis proventus eius;* id eſt, omnes eius redditus conſiſtent in aquis; quod nunc de Venetis dicere poſſemus. Et facta est. Tacita ætiologia, id eſt quia eſt omnium gentium emporium.

V. 4. Erubesce; id eſt, erubeſces Sidon deſtructa Tyro matre tua. Ait enim mare et fortitudo maris; id eſt, Tyrus, quæ *mare* vocatur per ſynecdochen, quia in mari erat: *& fortitudo maris*, quia toto mari dominabatur, aut quia maritimarum urbium fortiſſima erat. Non parturivi; id eſt, facta ſum ſterilis, cum ante ſecundiſſima eſſem, orbata ſum civibus atque deſerta. Erat Tyrus civitas frequentiſſima, itaque multas alias civitates miſſis coloniis, quaſi filios filiaſque genuerat, Sidonem, ut quidam dicunt, Leptin, Uticam, Carthaginem, Gades, ut ait Plin. Lib. V. cap. xix. Eo igitur alludit cum dicit, *Non parturivi*, &c.

V. 5. Cum auditum fuerit in AEgypto; id eſt, cum AEgyptii audierint everſionem Tyri, timebunt ne idem ſibi accidat. Id clarius dicitur Hebr. כאשר שמע למצרים, *ſimul ac fama* (vaſtationis Tyri) *ad AEgyptum* (pervenerit) יחילו כשמע צור, *dolebunt iuxta famam Tyri;* id eſt, timebunt ne ſibi contingat, quod Tyriis contigiſſe audient; quaſi dicat: Erit Tyrus exemplar miſeriæ, calamitatis, doloris.

V. 6. Transite maria; id eſt, ne appellatis Tyrum ut ſolebatis, quia iam deſtructa eſt, ſed navigate ulterius ad quærendum portum. Hebr. תרשישה, *ad Tharſin*, id eſt ad mare, vel in civitatem Tharſin, id eſt fugite. *Habitatores inſulæ*, id eſt Tyrii.

V. 7. Nonne haec est vestra (civitas) quae gloriabatur a diebus, id eſt olim gloriabatur antiquitate ſua. Hebræi aliter diſtinguunt: *Nonne hæc eſt veſtra* (civitas) *quæ gloriabatur, a diebus antiquis antiquitas eius*, id eſt quod antiquam habuerit originem. Ducent eam pedes sui, id eſt, non curru, non equo, ſed pedibus ſuis ſugiet, ut alias quærat ſedes.

V. 8. Quis cogitavit. Hebr. מי יעצזות, *quis hoc conſilium inivit*, על צר, *contra Tyrum*; id eſt, quis potuit urbem tam fortem, tam florentem (hoc eſt quod ait coronatam:) cuius negotiatores principes (erant) &c. delere? Reſpondet verſ. 9. Dominus exercituum. Ut detraheret superbiam: לחלל גין כל־צבי, *ad contaminandam ſuperbiam* omnis gloriae, id eſt ut ignominia aſficeret omnem gloriam eius. Et ad ignominiam: להקל, *ut viles redderet univerſos inclytos terræ*, id eſt Tyrios, qui ſe totius terræ clariſſimos eſſe gloriabantur.

V. 10. Transi terram tuam; id eſt, relinque patriam tuam & fuge: vel, tranſi in terram tuam; id eſt, quære tibi in poſterum terram in qua habites, non enim habitabis amplius in mari. Quasi flumen: כיאר, poteſt eſſe nominativus, *quaſi fluvius*, id eſt celeriter, magno impetu: vel, accuſativus, *Tranſi quaſi fluvium*, id eſt ſicut tranſires fluvium, ſcilicet brevi tempore. Aut quod mihi magis placet, Tranſi, id eſt, habita, verſare, ingredere in terra, ſicut ante verſabare in flumine, id eſt mari, ſicut verſ. 3. mare vocavit flumen. Filia maris; id eſt, Tyre, quæ habitas in mare. Heb. בת תרשיש, *filia Tharſis*, id eſt maris, vel civitatis quæ vocabatur Tharſis. Alii in accuſativo, *Tranſi in filiam maris*, id eſt in mare, vel in civitatem maritimam, minus proprie. Non est cingulum, id eſt quia omnes munitiones tuæ deſtructæ ſunt. Cingulum vocat muros, aut vallum, aut mare ipſum quo Tyrus cingebatur. Alii מזח vertunt *fortitudinem*: Non eſt fortitudo ultra tibi.

V. 11. Manum suam extendit, id eſt potentiam ſuam demonſtravit. Super mare, id eſt contra Tyrum, quæ in mari erat. Conturbavit regna, ſola fama, ut ſup. verſ. 5. Dominus mandavit

vit

VIT ADVERSUS CHANAAN. Alii dicunt eſſe nomen proprium hoc loco; id eſt, dedit mandatum contra Tyrum ut vaſtaretur, quæ ad terram Chanaan pertinebat, ut apparet Matth. XV. 22. Alii eſſe nomen appellativum negotiatoris, (id enim Hebraica dictio ſignificat) ut ſup. verſ. 8. quaſi dicat: Dominus dedit mandatum contra negotiatorem, id eſt Tyrum, ſing. pro plurali. Alii contra emporium illud celeberrimum, id eſt Tyrum. UT CONTERERET FORTES EIUS. Heb. מעזניה, *fortitudines eius*, id eſt præſidia eius.

V. 12. ED DIXIT (Dominus:) NON ADIICIES. Heb. pro *non amplius gloriaberis*. CALUMNIAM SUSTINENS: מעשקה, *oppreſſa*: opponit oppreſſionem virginitati. Virginitatem autem civitatis appellat, quod numquam capta fuerit; quaſi dicat: Nunc quidem gloriaris virginitate tua, ſed cum oppreſſa fueris, non amplius gloriabere. FILIA SIDONIS; id eſt, o civitas Sidon, ut vaticinium ad Sidonem, quæ vicina erat, extendat: vel, ut alii volunt, filiam Sidonis vocat Tyrum, quia Sidonii eam fundaverant. IN CETHIM, id eſt ad occidentalem plagam, ut ſupra verſu 1. Ponit autem regionem certam pro incerta; quaſi dicat: Quocumque te te contuleris, non invenies ubi quieſcas.

V. 13. ECCE POPULUS. Exponit per quos Tyrus vaſtanda ſit, ſcilicet per Chaldæos, qui olim ignobiliſſimi fuerant & inculti, ab Aſſyriis autem in civitates congregati fundata Babylone, Geneſ. XI. Hoc eſt quod ait, TALIS POPULUS NON FUIT, id eſt qui olim non erat populus. ASSUR enim FUNDAVIT EAM; vel, ut etiam Hebræi exponunt, *cui non fuit alius ſimilis populus*. IN CAPTIVITATEM TRADUXERUNT (Chaldæi) ROBUSTOS EIUS (Tyri.) Heb. *Aſſur fundavit eam* לציים, *navibus*; id eſt, Tyrum navigatione amplificavit; vel, ut alii, ac melius, *hominibus barbaris*, *qui prius diſſipati vagabantur*, הקימו בחוניה, *erexerunt arces eius*, id eſt Babylonis: ערדו, *excitarunt*, ארמנותיה *palatia eius*. Hi igitur (Chaldæi) POSUERUNT EAM (Tyrum) IN RUINAM.

V. 14. ULULATE NAVES MARIS (Heb. *Tharſis*) QUIA VASTATA EST FORTITUDO VESTRA; id eſt, Tyrus quæ fortitudo navium dicitur, quia navibus erat potentiſſima, vel, quia navigantes in ea confidebant. Proſopopœia eſt, qua naves alloquitur.

V. 15. ET ERIT IN DIE ILLA: IN OBLIVIONE ERIS, O TYRE, SEPTUAGINTA ANNIS; id eſt, poſt ſeptuaginta annos, vel eris in oblivione ſpatio ſeptuaginta annorum. SICUT DIES REGIS UNIUS, id eſt per ætatem unius hominis, quæ ut plurimum ſeptuaginta annorum ſpatio finiri ſolet, ut ait David, Pſal. LXXXIX. 10. *Dies annorum noſtrorum, in ipſis ſeptuaginta anni*. Cur dixit, *ſicut dies regis*, & non, ſicut dies hominis? ut ſignificaret fore ut quemadmodum glorioſiſſimus quiſque rex ſeptuaginta annorum ſpatio in oblivionem venit, ita veniat Tyrus, quamvis regia, quamvis glorioſa civitas. POST SEPTUAGINTA ANNOS; id eſt, cum tranſactis iam ſeptuaginta annis venire incipiet in oblivionem, atque ab omnibus contemnetur, & curabit canticis, id eſt illecebris ad ſe amatores, id eſt mercatores pellicere, ut neglectiſſimæ meretrices faciunt, & non poterit. Ego ſic interpretor, ut Propheta deſcribat ſtatum vaſtatæ Tyri. Alii reſtaurationem potius deſcribi putant, ſenſumque eſſe contrarium. ERIT TYRO QUASI CANTICUM; id eſt, ita rurſus in ea mercatura florebit, ut eius fama quaſi meretricio cantu negotiatores alliciantur. Meam interpretationem ſequentia verba confirmant.

V. 16. SUME TIBI CITHARAM. Conceſſio eſt, non enim iubet id facere; aut, Imperativus pro futuro, Sumes tibi citharam; aut Apoſiopeſis; quaſi dicat: Utere quibuſcumque velis fraudibus, quibuſcumque illecebris; tamen non poteris te ab oblivione vindicare, ſicut neque meretrices iam deformes præ ſenectute, & ab omnibus contemptæ, nullis artibus amatores invenire poſſunt.

V. 17. ET ERIT. Accidet autem, ut poſt ſeptuaginta annos viſitet Dominus Tyrum, id eſt recordetur illius; reſtauret eam. Opponitur hic verſus ſuperiori; quaſi dicat: Conabitur Tyrus ſe ipſam in priſtinum ſtatum reſtituere, ſed non poterit: Dominus autem reſtituet. Myſtice, ſignificatur neminem a peccato ſuis viribus emergere poſſe ſine gratia Dei. ET RURSUM FORNICABITUR. Aliqui ita interpretantur, fore ut poſtquam Tyrus a Domino reſtituta fuerit, rurſus ad peccata ſua re-

redeat, quas fornicationes vocari putant. Mihi ſenſus videtur eſſe myſticus, ut Propheta loquatur de Chriſti tempore, quo tempore Tyrus fidem recepit, ut conſtat ex Act. Apoſtol. cap. XXI. verſ. 3. & 4. Dicit ergo Propheta tunc reddituram Tyrum ad ſuas merces, ſed ſpirituales, & ad ſpiritualem fornicationem. Prius vocabat merces corporeas, nunc orationes, quibus Catholici quaſi mercatores inter ſe commercium habent. Prius vocabat fornicationem mercaturam, propter fraudes quæ ſolent intervenire: nunc fornicationem appellat ſpiritualem conſuetudinem cum regibus, id eſt cum Apoſtolis & præcipuis Chriſtianis.

V. 18. ET ERUNT NEGOTIATIONES EIUS, id eſt lucra, ET MERCES EIUS. Heb. אתננה, *merces meretriciæ*. SANCTIFICATAE DOMINO, id eſt mundæ, ſpirituales, quales ſunt Chriſtianorum preces, & ſuffragia Sanctorum. NON CONDENTUR; id eſt, non erunt privatæ, ſed communes, quales ſunt orationes Eccleſiæ. Non enim dicimus, Pater mi, ſed, Pater noſter, qui es in cælis. QUIA HIS QUI HABITAVERUNT: qui habitaverint, id eſt ſanctis erit negotiatio eius, id eſt proveniet fructus ſuffragiorum Eccleſiæ. UT MANDUCENT, & ſaturentur. ET VESTIANTUR. Hebr. למכסה עתיק, *& ad operimentum vetus*; vel, ut alii vertunt, *robuſtum*. Teguntur enim Chriſti ſuffragiis Eccleſiæ, cum propria merita non habent, ſicut Iacob hœdinis pellibus: Gen. XXVII. 16.

S A.

Verſ. 1. MARIS. Heb. *Tharſis*. LXX. *Carthaginis*; quaſi dicat, Lugeant negotiatores. VENITE, ſcilicet onuſtæ mercibus. CETHIM, id eſt Græcia, vel Italia, vel Cypro. REVELATUM EST, ſcilicet eſſe deſtructam Tyrum. EIS, ſcilicet negotiatoribus.

V. 2. TACETE, ſcilicet præ triſtitia. INSULA. Tyrus olim inſula erat. REPLEVERUNT, ſcilicet opibus, vel mercibus.

V. 3. NILI, ſcilicet iacitur; quaſi dicat, In irrigua terra. FLUMINIS, id eſt ex irrigatione Nili. FACTA, ſcilicet AEgyptus advecto frumento. GENTIUM, adeoque Tyri.

V. 4. SIDON, ſcilicet unde Tyrii prodierunt, adeoque debueras defendere. MARE, id eſt Tyrus, quæ in mari. NON PARTURIVI; pro, utinam numquam parturiſſem; & ſic in ſequentibus.

V. 6. INSULA, id eſt Tyro.

V. 7. NUMQUID, &c. vox condolentis, & Tyrios alloquentis. LONGE, ſcilicet in Chaldæam.

V. 8. CORONATAM; quaſi dicat, Velut Reginam urbium finitimarum.

V. 9. GLORIAE, ſcilicet Tyri. TERRAE, ſcilicet Tyriorum.

V. 10. TRANSI, &c. quaſi dicat, Fuge adventantem hoſtem. QUASI FLUMEN, id eſt cito. Chald. *migra de terra tua, quaſi aquæ fluminis*. CINGULUM, id eſt fortitudo militum: olim milites accincti balteis.

V. 11. EXTENDIT, ſcilicet Deus. CHANAAN. Tyrii Chananæi erant; unde in Evangelio Chananæa dicitur mulier Syrophœniſſa.

V. 12. CALUMNIAM SUSTINENS, id eſt oppreſſa, ſcilicet nunc ab hoſtibus. Chald. & LXX. *iniuriam facere ſolita*. VIRGO. Sic vocantur in Prophetis Regna, quod cuſtodiantur, ut ſolent virgines. FILIA. Sic dicitur Tyrus, quod ex Sidone orta, ſcilicet Sidoniorum colonia. CONSURGENS, &c. pro, ſi conſurgens transfretes.

V. 13. TALIS, id eſt ſimilis Chaldæis, ſcilicet gloria & divitiis. IN CAPTIVITATEM, &c. quaſi dicat; Et tamen victus eſt, cum tantus eſſet.

V. 15. SICUT DIES REGIS, id eſt quantum ſolet vivere homo, etiam ſi Rex ſit. MERETRICIS; quaſi dicat: Incipiet ad ſe allicere negotiatores, ut ſolet meretrix cantu amatores.

V. 16. SUME, &c. deſcriptio morum meretricum.

V. 17. FORNICABITUR, id eſt quæſtum faciet negotiando: perſtat in metaphora meretricis. LXX. *erit emporium*.

V. 18. SANCTIFICATAE, id eſt conſecratæ, ſcilicet per eleemoſynam poſt converſionem ad fidem. NON CONDENTUR, &c. ſcilicet in pauperes diſtribuentur. HABITAVERINT; pro, habitant. Chald. *miniſtrant*. ERIT, id eſt ſerviet. USQUE AD VETUSTATEM, ſcilicet veſtibus quæ diu durent, vel uſque ad ſenectutem, id eſt tota vita.

ESTII.

E S T I I.

Verſ. 15. ET ERIT IN ILLA DIE: IN OBLIVIONE ERIS, O TYRE, SEPTUAGINTA ANNIS, SICUT DIES UNIUS REGIS. Manifeſta & evidens prophetia, qua non ſolum civitatis illius deſolatio prædicitur, ſed & certum ac definitum tempus, quo illa deſolatio duratura ſit: unde B. Hieron. Tyri deſolationem comparat cum tempore captivitatis Babylonicæ, quod ſimiliter duravit ad annos ſeptuaginta; poſt quos, ſicut Ieroſolyma inſtaurata eſt, ita & Tyrus reſtituta, non ſine quadam ſignificatione myſterii. Numerus iſte, inquit Hieron. perfectam & conſummatam ſignificat pœnitentiam, quia ex duplici perfecto numero componitur, ſeptenario, & denario inter ſe multiplicatis. Itaque ſignificatur per ſeptemplicem gratiam Spiritus ſancti, & decem præceptorum obſervantiam, animam quæ poſt varias concupiſcentias fuerat fornicata, ad priſtinum integritatis ſtatum reverti. Quod autem dicit, *Septuaginta annis, ſicut dies unius regis*, Rhetorica interpretatio eſt, & habet hunc ſenſum: Tot annis durabit vaſtitas, quot annis vivere ſolent ii, quibus omnia ad vitam & valetudinem commoda ſuppetunt, quales ſunt in primis reges. Id autem eſt tempus fere ſeptuaginta annorum. Alii de Davide rege intelligunt, qui tot annis vixit. Sed rectius generaliter intelligitur, ut dictum eſt.

V. 18. ET ERUNT NEGOTIATIONES EIUS, ET MERCEDES EIUS SANCTIFICATAE DOMINO. Hoc ad literam nuſquam factum legitur. Unde etiam ipſi Hebræi expoſitores hæc ad ſuum Meſſiam referunt, qui dicunt negotiationes Tyriorum conſecrandas eſſe in uſum templi, & miniſtrorum eius. Nos de Chriſto, ſeu vero Meſſia interpretamur; & ſenſus eſt: Tyrus iam inſtaurata verum Deum colere incipiet, Chriſtique religionem amplectetur, eoque modo fiet, ut negotiatione ſua, & mercedibus iam non amplius utatur ad ſerviendum diabolo, ut ante facere conſueverat, ſed uni vero Deo.

M A R I A N A E.

Verſ. 1. ULULATE NAVES MARIS. Sic Chald. Septuag. *naves Carthaginis*. Heb. *naves Tharſis*. Tunetum Arabice vocabatur *Tharſis*. Ioan. Leo in Deſcriptione Africæ, part. v. Porro Carthago, cui Tunetum erat vicina, Tyri colonia erat, & frequens inter utramque urbem commercium. QUIA VASTATA EST DOMUS; id eſt, Tyrus erat ut domus & patria communis. UNDE VENIRE CONSUEVERANT; ſcilicet ire & redire Tyrum conſueverunt, quaſi ad emporium nobiliſſimum Orientis. Heb. *quia vaſtata eſt a domo a veniendo*, id eſt ut non ſit domus, & eo ire amplius non poſſint. DE TERRA CETHIM REVELATUM EST EIS. *Cethim* Macedones ſunt: I. Machab. I. I. Alexander Macedo egreſſus dicitur de terra Cethim. *Revelatum eſt*, id eſt prodiit id malum, ea clades. Chald. *de terra Cethim venerunt contra eam.* Septuag. *de terra Cithiorum ducta eſt captiva*. Nempe verbum גלה *ghalah* non in ſignificatione revelandi, ſed captivandi acceperunt.

V. 2. TACETE, præ timore ſcilicet. Chald. *contriti ſunt*. Fortaſſis ea eſt vera ſignificatio vocis Heb. *domu*. QUI HABITATIS IN INSULA. Heb. *habitantes in inſula*, habitatores inſulæ. Tyrus in inſula erat ex Q. Curtio. NEGOTIATORES SIDONIS. Heb. *negotiator*, pro *negotiatores Sidonis*. REPLEVERUNT TE. Eæ urbes erant vicinæ, & multi utrimque ad alios ibant per mare. Id ſignificat TRANSFRETANTES MARE.

V. 3. IN AQUIS MULTIS SEMEN NILI. Quando inundat, fœcundat agros, & ſeminantur. MESSIS FLUMINIS, ſcilicet Nili. FRUGES EIUS. Heb. *proventus eius*, ſcilicet Tyrus alitur ex meſſe AEgypti, nec mirum. ET FACTA EST NEGOTIATIO GENTIUM. Nil mirum, ſi AEgyptus annonam defert Tyrum, ad quam omnes gentes concurrunt.

V. 4. ERUBESCE SIDON, ſcilicet quia Tyrum tueri non potuiſti. AIT ENIM MARE, id eſt maris civitas, ſcilicet Tyrus. FORTITUDO MARIS: eadem quæ munitiſſima erat & mari cincta. Quid dixit? NON PARTURIVI; quaſi dicat: Ac ſi nullos filios aut filias haberem, nullas miſiſſem ex me colonias, me cuncti in periculo deſeruerunt.

V. 5. CUM AUDIERINT DE TYRO. Heb. *ſecundum auditum Tyri*. Duram loquendi formam bene Noſter emollivit. Ergo dolebunt AEgyptii, cum audierint quid Tyro acciderit.

V. 6.

Google

V. 6. Transſite maria. Heb. *tranſite Tharſis*. Septuag. *abite Carthaginem*: nempe erat Tyri colonia. Ideo Tyrios provocat, ut exciſa ſua urbe eo migrent.

V. 7. Numquid non vestra haec est. Alloquitur Carthaginem. An non veſtra hæc eſt mater, ſcilicet ut Tyrios accipiatis? Heb. *Numquid hæc veſtra læta* (ſcilicet quondam) *ex diebus antiquis antiquitas eius*, id eſt nobiliſſima civitas eſt. Ducent eam; quaſi dicat: Nihilominus cogitur migrare procul, nihil ei ſua antiquitas prodeſt.

V. 8. Quis cogitavit. Heb. *conſuluit*, decrevit tale ſuper Tyro. Quondam coronatam. Heb. non eſt *quondam*, ſed tantum *coronantem*; ſcilicet aut ſuos habitatores, qui inſtar Regum erant, ut mox ait, aut ſe urbium ſcilicet ſe Reginam ferebat. Cuius negotiatores Principes, commercio opes parabantur. Id erat coronare ſuos.

V. 9. Cogitavit hoc: conſultavit Deus. Ut detraheret. Heb. *Ut perderet faſtum omnem gloriæ* (eius) *& ignominioſos faceret omnes inclytos nobiles terræ*, ſcilicet illius urbis.

V. 10. Transi terram tuam, id eſt cives tuos transfer. Quasi flumen, id eſt quaſi mare eſſet flumen, ne moras nectas: aut velociter, ut aquæ fluminis fuge. Filia maris. Heb. *Tharſis*, id eſt ad filiam tuam, & coloniam Tharſis tranſi, nempe Carthaginem. *Filia*, pro *ad filiam*, ut Hebræus. Chald. etiam cum vertit, *fuge in provinciam maris*, vocem *filia*, pro qua *provinciam* vertit, in accuſativo certe ponit. Noſtra littera per *filiam maris*, Tyrum intelligit, quæ mari eſt circumflua, & cui fugam ſuadet. Non est cingulum; id eſt, vires tibi ad reſiſtendum non ſunt, fuga opus eſt.

V. 11. Manum suam extendit, ſcilicet Deus. Super mare, id eſt contra mare & maritimos. Adversus Chanaan; id eſt, non Tyro ſolum, ſed vicinis Chananæorum urbibus parat excidium. Aut Tyrus ipſa in Chanaan erat. Fortes eius; aut *fortitudines eius*, ut conterat.

V. 12. Non adiicies ut glorieris, ut exultes. Calumniam sustinens. Heb. *oppreſſa*. Virgo. Sic urbes vocantur, quod cuſtodiantur ut virgines. Filia Sidonis. Forte Tyrus Sidonis colonia erat, aut propter amicitiam id dicit. In Cethim consurgens transfreta; pro, ſi ad Macedones iveris, ut captiva requiem nonhabebis.

V. 13. In captivitatem traduxerunt robustos eius; id eſt, non eſt mirum, ſi Tyrus eſt, quando Chaldæa ſeu Babylon id paſſa eſt ab Aſſyriis, qui eam fundarant. Heb. totus verſus: *Ecce terra Chaldæorum hic populus non fuit. Aſſur fundavit eam eis, qui in ſolitudine erant*, (nempe in tentoriis ante habitabant.) *Excitavit turres eius, extruxit palatia eius, poſuit in ruinam*. Ergo ſi Chaldæa a ſuo fundatore everſa eſt, nil mirum, ſi Macedones Tyrum everterunt.

V. 14. Ululate naves maris. Heb. *naves Tharſis*. Quia devastata est fortitudo vestra, id eſt Tyrus, unde opes vobis.

V. 15. Septuaginta annis. Tot anni fuere deſolationis Ieruſalem: Ierem. xxv. 11. Sicut dies regis unius. Tamdiu Reges vivunt, cum affluant delitiis, & vitæ curam magnam gerant. Erit Tyro quasi canticum meretricis, quæ deſerta ab amatoribus, voce contenta canit, ut ad eam redeant. Sic Tyrus poſt illud tempus, poſt illos ſeptuaginta annos, negotiatores convocavit. Hieronymus ex Hiſtoriis Græcorum & Phœnicum conſtare ait, tamdiu Tyrum iacuiſſe.

V. 17. Et rursum fornicabitur. Ex opulentia, vitia & mala exiſtunt; aut fornicationem vocat ipſam negotiationem, quam cum regnis omnibus exercebit. Septuag. *erit emporium*.

V. 18. Et mercedes eius. Heb. *negotiatio eius, & merces eius*. Sanctificatae. Deus proteget eam urbem, & merces eius. Et vestiantur usque ad vetustatem, id eſt uſque ad ſenectutem: toto vitæ tempore Tyrii ex negotiatione victum & veſtitum habebunt. Heb. *& ad operimentum vetus*, ſcilicet ad mutandum novis veſtibus veſtimenta vetera. Hoc ad Chriſti tempus refertur.

MALVENDAE.

Verſ. 1. Onus Tyri. Heb. *Oneroſa*, ſeu *gravis prophetia*, ut cap. xiii. 1. *Tyri*. De Tyro vide Ioſue xix. 29. Obſervant, hanc prophetiam ad conſolationem populi contra Tyrios prænuntiatam fuiſſe iis temporibus, quibus ſtare Tyrus & inexpu-

expugnabilis eſſe videbatur: nam præter naturam loci munitiſſimam, victoria acceſſerat contra Schalman-Eſeris, & Phœnicum claſſem, ut ex Menandro Tyrio Ioſepus narrat ſub finem Libri IX. Antiquitatum Iudaicarum; cuius verba ſunt: *Porro Aſſyriorum rex cum armis totam Syriam & Phœnicem peragravit, & nomen eius in Tyriorum Annalibus ſcriptum invenitur. Bellavit enim contra Tyrum regnante ibi Elulæo, atteſtante etiam Menandro, qui in ſuis Chronicis, ex Tyriorum Annalibus in Græcam linguam tranſlatis, ſic ſcribit:* Is deinde qui Elulæus nominabatur, regnavit annos triginta ſex: hic deficientes Gittæos cum claſſe eo profectus ſub imperium ſuum retraxit, contra quos miſſo exercitu Aſſyriorum rex Phœnicem totam invaſit: facta deinde pace, cum copiis domum reverſus eſt. Paulo poſt Sidon, Arce, Palætyrus, cum multis aliis oppidis a Tyriis ad Aſſyriorum regem defecerunt, & cum ſoli Tyrii facere eius imperata detrectarent, reverſus eſt contra eos eum ſexaginta navibus, quas Phœnices inſtruxerunt, impoſitis etiam octingentis remigibus. Quibus occurrentes Tyrii eum duodecim navibus, diſiecta hoſtili claſſe, quingentos ex ea captivos abduxerunt, quo facinore non mediocrem rei navalis gloriam ſibi comparaverunt. Revertens autem rex Aſſyrius cuſtodes ad fluvium & aquæductus diſpoſuit, qui aquari Tyrios prohiberent: quod cum per continuos quinque annos fieret, coacti ſunt effoſſis puteis inde ſe ſuſtentare. *Hæc ſunt quæ in Tyriorum Annalibus de Salmanaſare Aſſyrio ſcripta inveniuntur.* Hactenus Ioſephus. Cum itaque Tyrii naturæ loci, induſtriæ, opibuſque ſuis confiderent, & omnibus invicti eſſe putarentur, in propinquos Iſraelitas & alios ferocirent, nihil denique non arrogarent ſibi, declarat hoc capite Propheta, non eſſe cur alii habitationem Tyri expetant, aut ipſi de ea ſibi gratulentur: novas enim in dies illis calamitates exorturas. Continentur itaque hoc capite documenta quatuor: primum eſt, denuntiatio luctus pro ea lætitia, quæ tum agitabatur, uſque ad verſ. 8. ſecundum, explicatio cauſæ, ex qua hic luctus Tyriis imperatus eſt, inde ad verſ. 15. tertium, prophetia ſingularis tempora ex ordine circumſcribens quibus erat affligenda Tyrus, uſque ad 18. ultimum, prophetia de vocatione illius ad gratiam Dei & ſui ſanctificationem per Chriſtum; verſu ultimo.

Ululate, ſeu *eiulate*. Notant eſſe exordium ex abrupto per proleps in, quo ad luctum provocantur omnes Tyrii, & alii victum quærentes Tyria navigatione; & cauſæ ponuntur, quas Propheta deinceps explicat. Naves maris. Heb. *naves Tharſis*: vide ſupra cap. II. 16. Alii: I. *naves maris Mediterranei;* quaſi dicat: O negotiatores, qui mari Mediterraneo importatis merces Tyrum, vel inde exportatis, Tyrum lugete. II. *naves Oceani*, id eſt magnæ & onerariæ, quales Oceanum navigant; hoc eſt, navicularii & mercatores ex navigatione facientes quæſtum, metonymice, ut infra verſ. 10. & 14. Tyrios quidem ac Phœnices magnos mari negotiatores exſtitiſſe, hiſtoriæ omnes loquuntur. Diodorus Siculus Lib. V. Numero 216. de infinita argenti puri copia in Hiſpania agens, ſcribit: *Cuius uſus cum incompertus eſſet incolis, Phœnicia mercatores re cognita exiguæ permutatione mercis, illud redemiſſe, eiuſque in Græciam, Aſiamque & cunctas gentes alias tranſportatione magnas ſibi opes comparaſſe; eo quæſtus ſtudio provectos, ut cum refertis navibus multum adhuc argenti ſupereſſet, plumbo in anchoris exciſo, argento eius uſum explerent. Ex hac igitur negotiatione per multum inde temporis opulentiores facti Phœnices colonias non paucas in Siciliam & vicinas ei inſulas, in Africam, & Sardiniam, & in Iberiam denique miſerunt.* Strabo Lib. XVI. pag. 757. *Tyrus ſe recollegit cum navigationibus, qua re Phœnices ſemper aliis præſtitere.* Et paulo ante pag. 756. *Coloniæ tamen in Africam & Hiſpaniam, uſque ad loca extra columnas ductæ, Tyrum plurimum celebraverunt.* Curtius Lib. IV. Rerum Alexandri, cap. IV. *Tyrus urbs & vetuſtate originis, & crebra fortunæ mutatione ad memoriam poſteritatis inſignis, condita ab Agenore, diu mare, non vicinum modo, ſed quodcumque claſſes eius adierunt, ditionis ſuæ fecit: &, ſi famæ libet credere, hæc gens litteras prima aut docuit, aut didicit. Coloniæ certe eius pene orbe toto diffuſæ ſunt; Carthago in Africa, in Bœotia Thebæ, Gades ad Oceanum. Credo, libero commeantes mari, ſæpiuſque adeundo ceteris incognitas terras, elegiſſe ſedes iuventuti, qua tunc abundabant.* Arrianus Lib. II. Rerum Alexandri: *Tyrii mari plurimum pollebant, ipſique præterea Tyrii magnam navium vim habebant.* Hæc paulo latius commemoravimus, ut verba

Iſaiæ amplius elucidaremus. ULULATE NAVES MARIS; quas nedum univerſe negotiantium mari, ſed peculiariter Tyrias quibus Tyrii abundabant, recte accipimus. Nec abſurde hic LXX. reddunt: *Ululate naves Carthaginis*, ut Ezechiel. XXVII. 12. quod Carthago colonia Tyri eſſet, & iuberetur parentis ſuæ calamitates deflere.

QUIA VASTATA EST DOMUS, UNDE VENIRE CONSUEVERANT: DE TERRA CETHIM REVELATUM EST EIS. Alii ex Heb. I. *quia vaſtatus eſt, ita ut nulla ſit domus*, vel *ut ne domus quidem ſuperſit, nullus introitus*, &c. ſcilicet mercium, ſeu mercatorum. II. *quia vaſtata eſt intrinſecus*, &c. Quod nobis non placet. III. *vaſtatam eſſe a domo, ab adventus viris*, ſeu *a domeſticis, ab advenis; a regione Cithæorum revelatur in illam*. Exponunt, *Vaſtatam eſſe*, id eſt vaſtandam eſſe, ut ſequentia omnia prophetice. Hic autem proponuntur tria vaſtationis tempora per congeriem, quæ ſingula ex antiqua hiſtoria conſtant evidentiſſime: *a domeſticis*, id eſt ſervis Tyriorum, qui cum attritas dominorum vires animadverterent, conſpiratione facta omnem liberum populum cum dominis interfecerunt, rempublicam invaſerunt, & Stratonem fecerunt regem, ut ſcribit Iuſtinus Lib. XVIII. in hæc verba: *Tyrii Perſarum bellis diu varieque fatigati victores quidem fuerunt; ſed attritis viribus, a ſervis ſuis multitudine abundantibus, indigna ſupplicia perpeſſi ſunt: qui conſpiratione facta, omnem liberum populum cum dominis interficiunt; atque ita potiti urbe, lares dominorum occupant, rempublicam invadunt, coniuges ducunt, & quod ipſi non erant, liberos procreant. Unus ex tot millibus ſervorum fuit, qui miti ingenio, ſenis domini, parvulique filii eius fortuna moveretur, dominoſque non truci feritate trucidavit, ſed pia miſericordia ac humanitate reſpexit. Itaque cum velut occiſos alienaſſet, ſervisque de ſtatu reipublicæ deliberantibus placuiſſet regem ex ſuo corpore creari, eumque potiſſimum quaſi acceptiſſimum diis, qui ſolem orientem primus vidiſſet: rem ad Stratonem (hoc enim nomen ei erat) dominum, occulte latentem detulit. Ab eo informatus, cum medio noctis omnes in unum campum proceſſiſſent, ceteris in orientem ſpectantibus, ſolus occidentis regionem intuebatur. Id primum aliis videri furor, in occidente ſolis ortum quærere: ubi vero dies adventare cœpit, editiſſimiſque culminibus urbis orient ſplendere & ſpectantibus aliis, ut ipſum ſolem aſpicerent, hic primus omnibus fulgorem ſolis ſummo faſtigio civitatis oſtendit. Non ſervilis ingenii ratio viſa, requirentibuſque auctorem, de domino confitetur. Tunc intellectum eſt, quantum ingenua ſervilibus ingenia præſtarent, malitiaque ſervos non ſapientia vincere. Igitur venia ſeni, filioque data eſt, & veluti numine quodam reſervatos arbitrantes, regem Stratonem creaverunt. Poſt cuius mortem regnum ad filium, ac deinde ad nepotes tranſit. Celebre hoc ſervorum facinus, metuendumque exemplum toto orbe terrarum fuit. Itaque Alexander magnus, cum interiecto tempore in oriente bellum gereret, velut ultor publicæ ſecuritatis, expugnata eorum urbe, omnes qui prælio ſuperfuerant, ob memoriam veteris cædis crucibus affixit, genus tantum Stratonis inviolatum ſervavit, regnumque ſtirpi eius reſtituit: ingenuis & innoxiis incolis inſulæ attributis, ut exſtirpato ſervili germine genus urbis ex integro conderetur. Hoc igitur modo Tyrii Alexandri auſpiciis conditi, parcimonia & labore quærendi cito convaluere.* Hucuſque Iuſtinus. Ergo ad hanc Tyriorum domeſticam a ſervis cladem Iſaiam reſpexiſſe, cum ait devaſtandam Tyrum *a domo*, id eſt a domeſticis, nonnulli exiſtimant: *ab advenis*, id eſt Chaldæis ſive Babyloniis, auctore Nebucad-netzare, qui Tyrum annos tredecim obſeſſam expugnavit: vide Ierem. XLVII. Ezechiel. XXVI. & ſequentibus, & Ioſephum Lib. I. Contra Apionem, & Lib. X. Antiquit. cap. XI. extremo. *A regione Cithæorum revelatur in illam*; id eſt, a Cilicia, unde profectus Alexander Macedo, erupit in orientalem tractum: vide Geneſ. X. 4. DE TERRA CETHIM REVELATUM EST EIS: ſubaudiunt, malum. Poſſis reddere, *evolutum, devolutum eſt eis*. Alii: *revelatus*, ſeu *devolutus eſt eis*, ſcilicet hoſtis Alexander Macedo. CETHIM. Cyprii. S. Hieronymus hic: *De terra Cithim, quam Cyprum quidam interpretantur; uſque hodie enim eſt apud eos urbs Citium, de qua & Zeno Stoicæ ſectæ hæreſiarches fuit*. Et quidem Cyprios cum ſuo rege Pythagora magnam partem exſtitiſſe Tyri expugnationis, pluribus tradunt Curtius Lib. IV. cap. III. & Arrianus Lib. II. vel *Cithim* ſunt Græci, & Macedones. S. Hieronymus: *Quamquam plerique noſtrorum*,

Digitized by Google

rum, & maxime Machabæorum principium, Cethim Italicæ Macedoniæque inſulas arbitrentur. Hoc enim Scriptura commemorat, quod Alexander rex Macedonum egreſſus ſit de terra Cethim, I. *Machabæor*. I. I. Vide in Geneſ. x. 4.

V. 2. TACETE QUI HABITATIS IN INSULAS. Heb. *Silete, quieſcite habitatores inſulæ;* id eſt, miſſam facite iſtam exultationem veſtram, de qua infra verſ. 7. & a commerciis veſtris præditi luctu quieſcite. Hic enim promulgatur luctus, ut antea diximus, Tyriis, duobus verſibus, & commeantibus Tyrum omnibus, in ſequentibus. *Habitatores inſulæ*, id eſt Tyri, quæ inſula fuit, donec Alexandri magni operibus continens facta eſt. S. Hieronymus: *Inſulam quoque nominans, non mentitur: poſtea enim a Nabuchodonoſor, vel Alexandro continens facta eſt, propter expugnationem multis in brevi freto aggeribus comportatis*. De Alexandro omnes produnt hiſtorici. Strabo Lib. XVI. pag. 756. *Tyrus tota inſula eſt, ad continentem aggere eam annectente, ut cum Alexander eam obſideret*. Plinius Lib. V. cap. XIX. *Tyrus quondam inſula præalto mari ſeptingentis paſſibus diviſa: nunc vero Alexandri oppugnantis operibus continens*. Mela Lib. I. cap. XII. *In Phœnicia eſt Tyros aliquando inſula, nunc annexa terris ab impugnante quondam Alexandro, iacto opere*. Ptolemæus Lib. V. cap. XV. *Et Tyrus continenti annexa*. Arrianus Lib. II. *Nam & ipſa urbs inſula erat*. Ceterum qua ratione ab Alexandro molibus continenti annexa fuit, pluribus deſcribunt Diodorus Siculus Lib. XVII. Numer. 583. & ſequentibus, Curtius Lib. IV. Arrianus Lib. II. NEGOTIATORES SIDONIS TRANSFRETANTES MARE REPLEVERUNT TE. Heb. *circulator, circumgyrator, negotiator, mercator Tzidonis, pertranſiens, permeans, tranſmittens, tranſfretans mare impleverunt te*. Quidam: *tu, quam mercatores Tzidonis pervagantes mare, implent*; vel ſua frequentia, nam illuc plurimi ex Tzidone vicina confluunt; vel mercibus, & opibus, quas in te important: aut hoc dicit quod Tyrus colonia eſſet Tzidoniorum, nimirum a Tzidoniis condita, infra verſ. 12. De Tzidone vide Geneſ. XLIX. 13. & in Ioſue XI. 8.

V. 3. IN AQUIS MULTIS SEMEN NILI, &c. Alii hunc verſum ex Heb. explanant: I. *Et in aquis multis ſemen Sichor, meſſis fluminis erat fructus eius*, ſcilicet Tyri, *fuitque negotiatio gentium*; id eſt, ſemen iactum in AEgypto, quæ alluitur multa irrigatione Nili; ſegetes, inquam, quæ multis aquis Nili proveniunt, erant proventus Tyri; quaſi dicat: AEgyptus ſuis frumentis alebat Tyrum, eratque velut horreum eius: ipſaque Tyrus erat velut commune gentium emporium. II. *Et per aquas multas*, Nili; hoc eſt frumenta AEgypti devehebantur Tyrum: *meſſis fluvii erat proventus eius;* id eſt, demeſſi fructus, qui rivulis a Nilo deductis irrigabantur, erant annui proventus Tyri, nam illuc comportabantur, adeo *ut eſſet* Tyrus *emporium* celebre, quo omnes *gentes negotiandi gratia convenirent*. III. *Cuius proventus aquis multis;* id eſt, quæ proventum colligis ex alieno agro tuis navigationibus: *eſt ſemen Sichoris*, id eſt linum AEgypti, quæ ſynecdochice ita a termino ſuo Sichor appellatur: vide Ioſue XIII. 3. abundabat autem AEgyptus variis linorum generibus ſupra cap. XIX. 9. *meſſis rivi* AEgyptiaci; id eſt triticum, quo abundat AEgyptus, irrigata rivis a Nilo deductis, ut dictum eſt ſupra cap. XIX. 6. Quam fertilis AEgyptus tritico fuerit, docet Plinius Lib. XVIII. cap. XVIII. & omnes hiſtorici; unde Adagium: *Sulcus AEgypti arenas Libyæ non curat*; de quo Cælius Rhodiginus Lib. XXIX. Lectionum Antiquarum cap. XXI. *& quæ es mercatus gentium*. Sed AEgypti præſertim, unde portus alter Tyri apertus, dictus eſt AEgyptius, Straboni Lib. XVI. pag. 757.

V. 4. ERUBESCE SIDON. Apoſtrophe, inquiunt, ad Tzidonem, quæ fuit quodammodo parens Tyri: nam Tzidonii a rege Aſcalonitarum expugnati, ut Iuſtinus Lib. XVIII. ait, navibus appulſi Tyrum urbem condiderunt; quaſi dicat: Antehac quidem gloriata es de iſto felice partu, iam vero alia ſunt tempora, quibus Tyrus orba, & atecnos futura eſt. AIT ENIM MARE. Alii: *quia loquitur mare*, omnibus ſcilicet appellentibus Tyrum; vel *mare*, ipſa urbs Tyri inſulæ. FORTITUDO MARIS, DICENS. Quidam: *munitio maris, dicendo;* id eſt, Tyrus: periphraſis; nam ad etymon nominis reſpexiſſe videtur, quod a petra & munitione dictum videtur צור *tzor*, *rupi duriſſimæ inſidens*, inquit Brocardus. Vide in Ioſue XIX. 29. NON PARTURIVI, ET NON

Digitized by Google

PEPERI, &c. Aliqui: *Non parturio, neque pario, neque educo iuvenes, aut tollo virgines;* id eſt, iam meis orbata ſum, & inepta aliis in poſterum comparandis, ac veluti gignendis & educandis: allegorica expoſtulatio. NEC AD INCREMENTUM PERDUXI VIRGINES. Heb. abſque negatione expreſſa, ſed ſubaudita e præcedentibus, *non elevavi virgines*, ſive non *extuli*, non *evexi*, vel non *tuli;* hoc eſt, vel non procreavi, vel non ornavi virgines.

V. 5. CUM AUDITUM FUERIT IN AEGYPTO, &c. Alii hunc verſum reddunt: I. *Sicut rumor AEgyptiis, torquebuntur ſecundum auditum Tzor.* II. *Cum rumor ad AEgyptios pervenit, perinde ad iſtum rumorem dolebunt, ac Tyrus;* id eſt, Cum audierint AEgyptii devaſtationem Tyri, timebunt graviter ne & ipſi devaſtentur. III. *Simul atque AEgyptii famam perceperint, dolebunt iuxta famam Tyri;* id eſt, tantus erit dolor, quanta fama cladis Tyri. IV. *Quemadmodum rumore de AEgypto*, cum audientes ceteri populi iudicium Dei contra AEgyptios, commoti ſunt, dolore correpti, turbati, tremefacti, & diffluxerunt irruente ſuper ipſos pavore magno, ut narrat Moſch Exod. xv. 14. & ſequentibus: *intremant æque rumore Tyri:* nempe ceteri populi iudicio Dei contra Tyrum.

V. 6. TRANSITE MARIA, ULULATE QUI HABITATIS IN INSULA. Heb. *Tranſite in Tharſis, eiulate habitatores inſulæ.* Tremellius & Iunius: *Tranſite per Oceanum; eiulate habitatores inſulæ.* Hypotypoſis elegantiſſima præcedentis luctus, qua Propheta primum Tyrios migrare & vagari iubet per maria incertis ſedibus (nam etiam huiuſmodi occaſionibus Tyrii novas ſedes compararunt, & Carthaginem, Leptin, Uticam, & Gades ad Oceanum condiderunt, ut auctor eſt Plinius Lib. V. cap. XIX.) deinde ſermone ad alias gentes converſo Tyrum per ludibrium traducit, ſequente verſu, id eſt Tyri, ut ſupra verſ. 2. LXX. reddunt: *Tranſite in Carthaginem.* S. Hieronymus de Nabuchodonoſoris vaſtatione: *Legimus in hiſtoriis Aſſyriorum obſeſſos Tyrios poſtquam nullam ſpem evadendi videbant, conſcenſis navibus fugiſſe Carthaginem*, &c. Sed in Alexandri obſidione Tyrios coniuges, liberoſque devehendos Carthaginem curaſſe ac ſenio confectos, Diodorus Siculus Lib. XVII. Num. 583. Curtius Lib. IV. cap. III. produnt. Poſſis reddere: *Tranſite in Tarſum in Ciliciam*, vel *in Macedoniam;* nam eo verſimile eſt tranſmiſſos ab Alexandro plures Tyrios captivos: nam quindecim millia fuiſſe captiva, Curtius; tredecim Diodorus, triginta millia Arrianus, affirmant.

V. 7. NUMQUID NON VESTRA HAEC EST, &c. Prius hemiſtychium varie convertunt: I. *Numquid hæc eſt vobis urbs exultans*, vel *hæc eſt veſtra urbs læta? a diebus antiquis antiquitas eius?* II. *An non hæc gloriatio veſtra, cuius vetuſtas ab antiquis diebus eſt?* III. *Hæccine eſt veſtra exultans a diebus antiquis origo eius?* IV. *Hæccine eſt veſtra tripudiatrix, cuius origo a diebus priſcis?* De Antiquitate Tyri, Herodotus Lib. II. Numero 44. *Eſſe autem a Tyro condita* uſque ad ſuam ætatem, *annorum duo millia ac trecentos*. Vixit autem Herodotus ſub Xerxe. Ioſephus VIII. Antiquitatum, cap. II. *Tyrus condita eſt ducentis quadraginta annis antequam templum extrueretur.* Strabo Lib. XVI. pag. 756. *Poſt Sidonem maxima & antiquiſſima Phœnicum eſt Tyrus.* Curtius Lib. IV. Rerum Alexandri, cap. IV. *Tyrus urbs & vetuſtate originis, & crebra fortunæ varietate ad memoriam poſteritatis inſignis.* Ulpianus in Digeſtis, Titulo de Cenſibus: *In Syria Phœnice ſplendidiſſima Tyriorum Colonia, unde mihi origo eſt, nobilis regionibus, ſerie ſæculorum antiquiſſima, armipotens*, &c. DUCENT EAM PEDES EIUS LONGE AD PEREGRINANDUM. Alii I. *ducent eam pedes eius procul ad peregrinandum.* II. *ducent eam pedes eius, ut peregre proficiſcatur habitatum;* id eſt, abducent eam captivam in quam remotiſſimam & procul diſſitam regionem. Tremellius, & Iunius aliter hunc verſum accipiunt inverſo ordine verborum: *Hæccine vobis exultabunda videretur, cuius pedes a diebus antiquitatis, ſeu præcedentibus, a præcedente ſtatu ipſius deducunt eam ad peregrinandum procul?* id eſt; ad quærendas peregrinas ſedes, & colonias in remotiſſima loca deducendas, de quibus verſ. 6. dicebamus. Volunt hoc verſu eſſe ſarcaſmum ex comparatione præſentis abiectionis cum antecedente faſtu & gloria.

V. 8. QUIS COGITAVIT HOC SUPER TYRUM. Heb. *Quis conſultavit iſtud ſuper Tzor?* Alii: I. *Quis decrevit*, aut *ſtatuit*, vel *conſuluit hoc;* id eſt, cuius conſilio aut decreto factum eſt hoc de Tyro? II. *Quis*

cepit

Google

cepit conſilium hoc contra Tyrum illam? Secunda pars capitis de auctore & cauſa luctus Tyriorum, ut dictum eſt in verſ. 1. ſic verſu ſequente. QUONDAM CORONATAM? Alii: I. *Tyrum illam coronatam*, vel *quæ capiti ſuo coronam imponebat?* id eſt, quæ ſe reginam maritimarum urbium eſſe dicebat? II. *coronantem* viros ſuos, id eſt dantem coronam & gloriam viris ſuis, quæ cives ſuos divitiis & gloria ornabat. III. Forſterus participium מעטירה *maghatirah*, *coronantem*, vel *coronare facientem*, nominaliter accipiendum putat, ſicque locum hunc reddit: *Quis conſuluiſſet hoc de Tzor corona?* id eſt, quæ Tyrus eſt corona & ornamentum urbium. IV. *contra Tyrum illam coronariam;* id eſt, quæ non tantum ipſa regina erat, ſed etiam gignebat quodammodo reges, & mercatores ſuos opibus coronabat, ut ſequentia verba explicant. CUIUS NEGOTIATORES PRINCIPES, &c. Alii: *cuius mercatores erant principes*, *cuius negotiatores honoratiſſimi terræ*. נכבדים *nichbadim*, *graves*, *honorati*, *glorioſi*, *ſplendidi*, *inclyti*, *excellentes*, *præſtantes:* ſic verſu ſequente.

V. 9. DOMINUS EXERCITUUM COGITAVIT HOC. Hebr. *Iehovah exercituum conſultavit eam;* id eſt, conſilium cepit de ea. Alii: *conſuluit hoc;* id eſt, decrevit, ſtatuit hoc. Quidam: *Iehova exercituum conſilium illud cepit*. UT DETRAHERET SUPERBIAM OMNIS GLORIAE. Alii ex Heb. I. *ad profanandum ſuperbiam omnis regionis gloriæ*, id eſt regionis glorioſæ & inclytæ, vel *cuiuſcumque magnifici*. II. *ut profanaret ſuperbiam totius iucunditatis*. III. *ut profanaret faſtum omnis magnificentiæ*. IV. *ad fœdandum faſtum omnis gloriæ*. Hebr. omnia iſta complectuntur: *ad violandum*, *profanandum*, *polluendum*, *fœdandum*, *confodiendum*, *ſauciandum ſuperbiam*, *faſtum*, *arrogantiam*, *elationem omnis nobilitatis*, *placiditatis*, *iucunditatis*, *voluptatis*, *oblectationis*, *decoris*, *gloriæ*, *ornamenti*. De voce צבי *tzebi*, quam Noſter *gloriam* vertit, vide in II. Samuel. 1. 19.

V. 10. TRANSI TERRAM TUAM QUASI FLUMEN FILIA MARIS. Exponunt: O Tyrus filia maris, quæ inſula es, & in mari omnem tuam potentiam & negotiationem exerces, fuge celerrime tamquam fluvius rapidus; ex terra tua alio velociter migra, ne te hoſtis potentiſſimus occupet. Alii. I. *Pertranſi patriam tuam*, *quaſi rivum*, *filia Tharſis;* id eſt, O Tyrus filia maris, quod te totam maritimis tranſvectionibus dederis, perambula ipſum mare, quod eſt tibi velut patria; quaſi dicat: Filia maris cum ſis, exerce ſcilicet marinas negotiationes & mercaturas tuas. Sarcaſmus; ac ſi dicat, Nihil minus poteris ab hoſte oppreſſa. II. *Remea in terram tuam*, *ſimilis rivo*, *navis Oceani*. Apoſtrophe ad mercatores exteros, illuſtrans gravitatem mali Tyriis eventuram: *ſimilis rivo*; id eſt, indeſinenter & cito, ut rivus a natura fertur ſecundo alveo. *Filiam Oceani* vocat *navem Oceani*, forte quod etiam a Gadibus Oceani Tyrum mercatores navigarent. NON EST CINGULUM ULTRA TIBI. S. Hieronymus: *Id eſt*, *non poteris ultra reſiſtere*, *non habebis ultra vires*, *nec accinctos ad pugnandum lumbos tuos*, *ut poſſis adverſariis contraire*. Alii ex Hebr. I. *non eſt obfirmatio amplius*. II. *non eſt tibi fortitudo ultra*. III. *nulla eſt zona amplius;* id eſt, plane infirmata eſt Tyrus, nullæ ſunt amplius vires illi, nulla latera, quibus accingatur, aut ſe ipſam confirmet: ut Iobi XII. 21. מזח *mezach*, proprie *obfirmatio*, *firmamentum;* translate, *cingulum*, *zona*, *balteus*, quo lumbi & latera firmantur, ut Pſalm. CVIII. 19. quidam pro muro, quo cingebantur Tyrii, hic accipiunt.

V. 11. MANUM SUAM EXTENDIT, &c. Hunc verſum diverſimode ex Hebr. explanant: I. *Manum ſuam extendit* Deus *ſuper mare*, *commovit regna: Iehova præcepit ſuper Chenahan ad diſperdendum fortitudines eius*. II. *Manum ſuam extendit ſuper mare*, *commovit regna: Iehova Tzebaoth amandavit ad Chenahanæum*, *ut perdat munitiones eius;* id eſt, extendit Iehova manum ſuam contra Tyrum, commovit regna Phœniciæ, & alia circumvicina adverſus Tyrum, ut late deſcribunt Diodorus, Curtius, Arrianus, auxilio Alexandro veniſſe: exercitum conſcripſit, miſit Tyrum emporium Chenahanæorum, id eſt mercatorum ac negotiatorum, ut everteret omnes munitiones & propugnacula eius. III. *Manum ſuam extendit*, ſubaudi, Deus; *ſuper mare*, id eſt Tyrum urbem, omnium maritimarum urbium nobiliſſimam; *concuſſit*, vel *perterruit*, *regna: Iehova mandavit adverſus Chenahan*, *ut vaſtaret robo-*

ra

Digitized by Google

ra eius, ſubaudi, Iſrael; quaſi dicat: Iehova, qui extendit manum ſuam in Tyrum, ut perderet illam, antea regna multa perdidit, & Chenahanæos e terra ſancta eiecit; quare non dubium quin Tyrum poſſit evertere. Futilis & alienus ſenſus. IV. *Manum ſuam extendit ſuper mare, commovet regna*: explicatio conſilii, quod Iehova cepiſſe contra Tyrum dicitur. Sunt autem hæc Prophetæ verba, dicentis: Tyrii Tzidone orti, ac proinde Chenahanæorum reliquiæ, nunc mare obtinent arbitratu ſuo, & omnia regna vicina commovent victo Schalman-Eſere, atque Phœnicibus, ut diximus in verſ. 1. & iis victoriis partis, omnes ſibi ceſſuros exiſtimant: ſed aliud viſum eſt Iehovæ. *Iehova præcipit contra Chenahanem, perdere munitiones iſtius*, id eſt Chenahanæos, qui adhuc ſuperſunt Tyri, Tzidone, & ceteris locis: nam Tzidonii parentes Tyriorum Chenahanæi erant, ſiquidem Tzidon primogenitus Chenahanis, Geneſ. x. 15. & Tzidon terminus incluſus Chenahanææ, ibidem, verſ. 19. & Ioſue XIX. 28. & Iudicum I. 31. & 32.

V. 12. NON ADIICIES ULTRA UT GLORIERIS. Alii: I. *Non ultra luxu exultabis*. II. *Non perges amplius exultare*. CALUMNIAM SUSTINENS. Alii: 1. *vim paſſa*. 2. *defraudata*. 3. *defraudatrix*, vel *calumniatrix*, ut quæ tota mercaturæ vacabat: proprium autem eſt mercatorum alios defraudare. Sed id eſt contra rationem punctorum, cum ſit Pahul Pihel, מְעֻשָּׁקָה *meghuſchſchakah*. 4. *o oppreſſa*. VIRGO FILIA SIDONIS. Plerique ipſam Tzidonem accipiunt, ut *filia Ieruſalem* eſt ipſa Ieruſalaim, & *filia Tyri*, ipſa Tyrus, & eiuſmodi paſſim; quod ipſa Tzidon exultaret in calamitate ſuæ Coloniæ Tyri, quaſi aliena eſſet ab illa tempeſtate; quod ſane veriſſimum fuit in expugnatione Alexandri, uti hiſtorici tradunt: verum in priore illa altera Nabuchodonoſori clade, eamdem cum Tyro fortunam ſubiit, ut ſcribitur Ierem. XLVII. 4. ad quam potuit hic reſpexiſſe Propheta. Ceterum S. Hieronymus, & præſtantiſſimi quique Explanatorum, Tyrum hic potius intelligunt, quæ filia Tzidonis dicitur, quod Tyrii a Tzidoniis condiri fuerint, & Tyrus Tzidonis Colonia, uti Iuſtinus diſertiſſime prodit Lib. XVIII. cuius verba poſuimus in Ioſue XIX. 29. S. Hieronymus ad verſ. 2. *Tradunt enim hiſtoriæ, quod Tyrus coloniæ Sidonis ſit*. Et in verſ. 4. *Dixi ſupra coloniam Sidoniorum eſſe Tyrum*. Et hoc verſu: O virgo filia Sidonis, *id eſt colonia Sidoniorum*. Alii: id eſt, Tyre a Tzidoniis condita, ut meminimus in verſ. 4. Nam in Scriptura civitates maiores & antiquiores, ſeu metropoles, nomine mulierum & matrum vocantur, ut II. Samuel. XX. 19. & infra XXXII. 9. ut minores, & recentiores ab illis veluti propagatæ, & generatæ, nempe coloniæ, *filiæ* appellantur, ut infra cap. XXXII. 9. vide Numer. XXI. 25. Et Plinius Lib. V. cap. XIX. eodem modo loquitur de Coloniis, quæ a metropoli tamquam filiæ a matre ſunt ædificatæ, ut de hac ipſa Tyro: *Olim partu clara, urbibus genitis, Lepti, Utica, & illa Romani imperii æmula, terrarum orbis avida, Carthagine*, &c. Virginem autem dici hic Tyrum quidam intelligunt, quod nulla adhuc vi externa oppreſſa hactenus fuiſſet, a nullo adhuc rege armis ſubacta: qua ratione hic locus non poterit de Alexandri expugnatione accipi, ſed de illa Nebuchad-netzaris. Rectius alii, ita appellari ob divitias, pulchritudinem, ornatum, decorem, delicias, luxum, inſolentiam, laſciviam, petulantiam, exultationem, quæ ſunt propria virginum, & adoleſcentularum, vel quod arctiſſime claudantur & cuſtodiantur a procis & amatoribus regibus. IN CETHIM CONSURGENS TRANSFRETA, IBI QUOQUE NON ERIT REQUIES TIBI; quaſi dicat: Captiva abduceris in Cyprios, vel Cilicas, vel Græcos, aut in Macedones, nec tamen ibi quiete ages, ſed ſub iugo ſervitutis agitaberis. Quidam reddunt: *Ad Cithæos*, id eſt Cilicas, ut verſ. 1. *ſurge, tranſi, etiam illic non erit quies tibi*.

V. 13. ECCE TERRA CHALDAEORUM, &c. Obſcurum hunc verſum varie ex Heb. explanant: I. *Ecce terra Chaldæorum, iſte populus non erat illic olim, nam Aſſur fundavit eam navibus*; id eſt, Iſte populus, qui nunc habitat in Chaldæa, hoc eſt, Chaldæi olim non incolebant eam regionem, nam Aſſyrii prius eam ædificarant navibus, ut per Euphraten & Tigrin navigationes & tranſvectiones mercium in ſinum Perſicum exercerent: *erexerunt arces illius, excitaverunt ædes eius: poſuit eam*

in

Digitized by Google

in ruinam ; id eſt , cum Aſſyrii prius in ea munitiones & varia ædificia ad ſecuritatem & commoditatem excitaviſſent, poſtea tamen hoſtis Chaldæus omnia deſtruxit. II. *Ecce terra Chaldæorum talis populus non fuit ; Aſſur fundavit eam eis , qui vaſta loca inhabitabant ;* id eſt , Aſſyrii conſtruxerunt in ea Chaldæa urbes iis , qui prius in deſerto ſub tentoriis habitabant , nempe proximis latronibus Attalis , Arabibus , Scenitis , & Nomadibus , de quibus Plinius Lib. VI. cap. XXVI. extremo : *erexerunt arces eorum* , ſcilicet Chaldæorum , *contriverunt* , ſeu *deſtruxerunt palatia eius ;* id eſt, Chaldæi palatia eius regionis Aſſyriorum everterunt : *& redegit eam in ruinam* , nempe rex ipſe Chaldæorum . Volunt eſſe argumentum a maiori ad minus , quo innuit translationem ſeu everſionem regnorum poſſibilem eſſe : nam ſi a Chaldæis everſi ſunt Aſſyrii , quid mirum Tyrios a Chaldæis , ſeu Macedonibus devaſtari ? Iam hoc tempore Iſaiæ Chaldæi excuſſo Aſſyriorum & Medorum imperio novam dynaſtiam Babylone condiderant , ac tum Babylone rerum potiebatur Mardokempadus : vide II. Reg. XX. 12. III. *Ecce terra Chaldæorum , iſte populus non fuit : Aſſur fundavit eam navibus ;* id eſt, aptam navibus ſtationem effecit : cum enim ingentibus fluminibus alluatur Tigri , & Euphrate , ibi ingentem triremium numerum habebant Chaldæi , quibus veriſimile eſt eos mare Perſicum , atque Indicam oram adnavigaſſe : nam infra cap. XLIII. 14. legimus Chaldæos navibus ovantes : *erexerunt munitiones eius , excitarunt palatia eius : poſuit* Deus *in ruinam ;* id eſt , cum talis eſſet regio , cum eſſet fortiſſima civitas, cum munitiones & palatia haberet ampliſſima , tamen Dominus demolitus eſt eam , & in ruinas redegit . Ac ſi hoc verſu dicat : Quid mirum ſi Phœnices devaſtentur ? Chaldæi fortiſſimi populi , qui ſuas munitiones & turres haberent , perierunt , & Dominus per hoſtem Babylonem ſubvertit cum turribus & palatiis eius . Hic Chaldæos & Aſſyrios pro eiſdem accipiunt , non ſatis apte ex more Scripturæ , & humanæ hiſtoriæ . IV. *Ecce de terra Chaldæorum iſte populus non fuit ;* id eſt, Tyrius populus non fuit ortus a Chaldæis , ſed a Tzidoniis , ſeu Agenore : *Aſſur fundavit eam pro erronibus* , in gratiam ſcilicet illorum , qui incertis ſedibus in ſolitudinibus vagari conſueverant ; quaſi dicat : Cum Aſſyrii rerum in oriente potirentur , Tyrum nomadibus Arabibus poſſidendam tradiderunt , *qui in ea erexerunt munitiones & palatia :* ſed hoſtis Chaldæus , vel Macedo *poſuit eam in ruinam* . V. *Ecce terra Chaldæorum , huius populi , qui nunc occupat eam , olim non fuit : ſed Aſſur poſuit fundamenta eius , pro ſolitudinis beſtiis ;* id eſt, cum antea deſerta eſſet , & ferarum habitatio , ipſi Chaldæi erexerunt arces eius , ſurgere fecerunt palatia eius : *& ipſe Deus poſuit eam in ruinam* . VI. *En terram Chaldæorum :* confirmatio prophetiæ , exemplo Babylonici regni , quod Sancheribi maiores occupaverant atque everterant , ut apparet ex II. Reg. XIII. 24. & 30. & cap. XIX. 12. cui argumento ineſt comparatio a maiore : *iſte populus non fuit ;* id eſt, iam nulla eſt ipſorum reſpublica , ſed devenit in poteſtatem alterius : *ex quo Aſſyrius fundavit eam pro barbaris ;* id eſt , ſtatuit in ea colonos barbaros , regioni incognitos : *erexerant exploratorias ſpeculas ſuas , excitaverant palatia illius* , id eſt Babylonii , ſeſe omnibus modis confirmantes : *Aſſyrius diſpoſuit illam in ruinam ;* id eſt, evertit totam regionem . IN CAPTIVITATEM . לציים *letzijim* , proprie , *ſiccis , aridis* ; vel *pro ſiccis , aridis* . Quidam , naves intelligunt , quod ſint aridum quid & ſiccum in aquis , ut Numeror. XXIV. 24. Alii , beſtias , ac feras deſerta loca incolentes : ut ſupra cap. XIII. 21. Nonnulli , homines barbaros , feros , eremicolas , deſerticolas , ſolitudinicolas , ut Pſalm. LXXI. 9. & LXXIII. 14. TRADUXERUNT ROBUSTOS EIUS . Heb. *ſurgere fecerunt , erexerunt , ſtatuerunt , conſtituerunt , excitaverunt , ſtabiliverunt , confirmaverunt probationes eius .* בחונים *bachunim* , vel *bachonim* , proprie , *probamenta , tentamenta , experimenta , exploramenta :* vallos , munitiones , arces , fortalitia , propugnacula intelligunt , quæ ſunt probatæ contra oppugnationes hoſtium . Alii , turres munitas , vel ſpeculas exploratorias interpretantur , ex quibus tranſeuntes , vel venientes probant , explorant , & ſpeculantur . SUFFODERUNT . עוררו *ghoreru* , *excitaverunt* . Nonnulli Hebræorum non tam recte , *deſtruxerunt , contriverunt , confregerunt , demoliti ſunt* . DOMOS EIUS . Hebr. *palatia eius , celſas ædes eius* .

V. 14. ULULATE NAVES MARIS , QUIA

DE-

Digitized by Google

DEVASTATA EST FORTITUDO VESTRA. Alii: I. *Ululate, naves Tharſis, quia devaſtata eſt munitio veſtra;* id eſt, portus Tyri, quo maximæ omnes naves tamquam in locum munitum & ſecurum ſe recipiebant, ubi illis erat tuta & fida ſtatio a ventis & tempeſtatibus. Strabo Lib. XVI. pag. 757. *Tyrus portus duos habet, alterum clauſum, alterum apertum, quem AEgyptium vocant.* II. *Eiulate, naves Oceani, quia vaſtatur munitio veſtra.* Apodoſis præcedentis exempli, concludens hanc partem verbis primi verſus. Hæc autem prædictio de tempore Nebucadnetzaris accipienda eſt, qua tranſit Propheta ad ſingularem temporum deſcriptionem, quam ſupra diximus in verſ. 1.

V. 15. ET ERIT IN DIE ILLA, &c. Quidam: *Erit autem tempore illo.* Tertia pars capitis, exponens ſtatum Tyri, qui fuit primum ſeptuaginta annis a vaſtatione effecta per Nebucadnetzarem & Babylonios, hoc verſu; deinde a tempore Cyri ad Alexandrum uſque Macedonem, quæ ſpatia definiuntur ipſis temporibus hiſtoriæ Iudæorum, ut ex Scriptura commonſtravimus, uſque ad verſum ultimum. *Cum oblivioni tradita fuerit Tyrus*, id eſt neglecta, & nullo pretio habita: *Secundum dies regis*, ſeu *regni, unius*: ut apud Danielem ſæpe; id eſt, dum ſtcterit regnum Babylonicum ioſt everſam Tyrum. *Ut exactis ſeptuaginta annis*; id eſt, ineunte regno Perſico, cum Cyrus regnare cœpit occupata Babylone, qui alienus erat ab odio illo hereditario, quo proſequebantur Tyrum Babylonii propter obſidionem diuturnam, cuius ante in verſ. 1. ex Ioſepho meminimus. *Sit Tyro ſimile canticum meretricio;* id eſt, refloreſcens Tyrus opibus, ad ſe pelliciat iterum mercatores ſuos, ut ex parte cognoſcitur ex Hezræ III. 7. Nehem. XIII. 16. SICUT DIES REGIS UNIUS: vel *ſecundum dies regis unius.* Hebræi exponunt: Tamdiu quandiu homo vivere ſolet, etiam rex, qui diiicate vivit, & optime alitur, ac proinde diutius vivere potcſt; vel *iuxta dies regis unius*, ſcilicet Davidis, pui ſeptuaginta annos vixit, II. Samuel. V. 4. Hiſpanicus Interpres: *como los dias de un rey*, id eſt *muy contados;* nam dies regm ſolent certius & accuratius numerari. ERIT TYRO QUASI CANTICUM MERETRICIS. Id eſt, ut meretrix dulci ac ſuavi cantu ſolet allicere amatores; ſic Tyrus dabit operam ut divitiis ac mercibus ad ſe trahat negotiatores, a quibus neglecta fuerat: nam & meretrix magnam cum mercibus affinitatem habet, & a merendo dicitur, & mercede copiam ſui facit, & ſe venditat velut in mercatu. Quidam reddunt: *Uſuvenit Tyro quod meretriculæ pſaltriæ, cui dicitur: Sume citharam*, &c.

V. 16. SUME CITHARAM, CIRCUI CIVITATEM MERETRIX OBLIVIONI TRADITA, &c. Apoſtrophe ad Tyrum, qua Propheta oculis ſubiicit florentem ſtatum, & luxuriantem Tyri, ex quo cœpit aſſurgere ineunte regno Perſico: nimirum per annos ducentos triginta unum, quibus ſecundum meliorem Chronologiam ſtetit Perſarum regnum. BENE CANE, FREQUENTA CANTICUM. Alii: I. *bene fac pulſando, multiplica canticum.* II. *optime pulſa, utere quamplurimo cantico.* III. *argute pulſando, & omnigena carmina cantando.* IV. *ſtude bene*, ſeu *perite pulſare.* V. *bonam fac melodiam.* VI. *pulchre ludendo inſtrumentis muſicis multiplica canticum:* vide ſimilem locutionem Pſalm. XXXII. 3. quaſi dicat, Eſto multa in modulationibus, & cantionibus. UT MEMORIA TUI SIT. Hebr. *ut memoreris, ut ſis in memoriam;* id eſt, ut in memoriam redeas mercatoribus tuis, & apud te negotiationes inſtaurent. Alii: I. *ut renovetur memoria tua;* id eſt, ut in priſtinam claritudinem & celebritatem redeas. II. *tui memoriam refrica.*

V. 17. ET ERIT POST SEPTUAGINTA ANNOS: VISITABIT DOMINUS TYRUM, ET REDUCET EAM AD MERCEDES SUAS. Quidam: *Erit enim ut exactis ſeptuaginta annis, reviſat Iehova Tyrum, quæ reverſa fuerit ad quæſtum ſuum*, priſtinum. Explicatio copioſior verſus 15. Quantam magnitudinem, claritudinemque opum Tyrus ſub Imperio Perſarum ad Alexandrum uſque adepta fuerit, Diodorus, Curtius, Iuſtinus, Arrianus, & alii commemorant. Seorſim Curtius Lib. IV. Rerum Alexandri, cap. 11. *Tyrus & claritate & magnitudine ante omnes urbes Syriæ, Phœniceſque memorabilis, facilius ſocietatem Alexandri acceptura videbatur, quam imperium.* AD MERCEDES SUAS. Hebr. *ad mercem, capturam, quæſtum ſuum.* Vide in Deuteronom. XXI. 18. Forſterus reddit: *ad meretriciam ſuam.* Nam אתנן *e:hnan*, proprie

eſſe

Google

eſſe ait *mercedem meretriciam*, quæ ſcorto pro re turpi datur: perſtat enim Propheta in allegoria meretricis. ET RURSUM FORNICABITUR CUM UNIVERSIS REGNIS, &c. Alii: I. *& exercebit commercia cum omnibus regnis*, &c. ut ſit explicatio metaphoræ. II. *deinde ſcortabitur cum omnibus regnis regionis, in ſuperficie terræ*. Putant hic agi de temporibus Tyri poſt expugnationem & cladem Macedonicam; quaſi dicat, Ne iterato quidem iudicio, everſa per Alexandrum revertetur in bonam frugem. Hunc locum illuſtrant verba Iuſtini Lib. XVIII. *Hoc igitur modo Tyrii Alexandri auſpiciis conditi, parcimonia & labore quærendi, cito convaluere*. Et Curtii Lib. IV. cap. IV. extremo: *Multis ergo caſibus defuncta, & poſt excidium renata, nunc tamen longa pace cuncta refovente, ſub tutela Romanæ manſuetudinis acquieſcit*. Videtur Curtius ſub Auguſto ſcripſiſſe. Vide quoque verba Ulpiani quæ poſuimus in Ioſue XIX. 29. huc etiam facientia.

V. 18. ET ERUNT NEGOTIATIONES EIUS, ET MERCEDES EIUS SANCTIFICATAE DOMINO. Aliqui: *Tandem erit merx eius, & quæſtus eius ſanctitas Iehova*, ſeu *ſanctificatus*, vel *conſecratus ipſi Iehovæ*. Ultimum documentum de vocatione piorum ad regnum Dei, ut diximus in verſ. 1. cui ſimile eſt ſupra cap. XIX. verſ. 18. & ſequentibus; quaſi dicat, Tandem Tyrii accedent ad Chriſtum. NON CONDENTUR, NEQUE REPONENTUR. Quidam: *non reponetur in theſaurum, neque recondetur*; id eſt, tam ſeria erit pœnitentia Tyriorum & converſio ad Chriſtum, ut non amplius ſtudeant coacervandis opibus, ſed omnia liberali animo ſanctificent & conſerant in uſum, quem perſcribit Deus, & exponit Propheta ſequente membro. NEQUE REPONENTUR. Hebr. ſingulariter: *& non recondetur*, vel in theſaurum tectum, & reconditum; vel ut aſſervetur in robur & præſidium: verbum חסן *chaſan*, aiunt notatione Hebraica ſignificare *protectionem*; Chaldaica vero ſeu Syriaca, *robur*. Videtur Chriſtus Matth. VI. 19. ad hunc locum reſpexiſſe. QUIA IIS QUI HABITAVERINT CORAM DOMINO, ERIT NEGOTIATIO EIUS. Alii I. *Sed erit eorum, qui habitant ante Iehovam*, id eſt fidelium Chriſti, vel miniſtrorum Eccleſiæ. II. *Sed pro habitatoribus, coram Iehova*, ſive *expoſita Iehovæ*, ut Geneſ. XIII. 9. *erit merx eius*; id eſt omnes poſſeſſiones, merces, ac facultates ſuas conſervantes Deo, diſpertient Eccleſiæ, prout cuique opus erit, & nullus erit egens inter eos. Vide Actor. II. 44. & ſequentibus, & cap. IV. 34. & ſequentibus. UT MANDUCENT IN SATURITATEM, ET VESTIANTUR USQUE AD VETUSTATEM. Alii ex Hebr. I. *ad comedendum ad ſaturitatem, & ad operimentum vetus*, ſeu *durabile*, id eſt veſtem, quæ non cito atteritur, ſed diu durat. Alii: *in operimentum honeſtum, decorum, pulchrum*; vel *ad integumentum robuſtum, denſum, pretioſum*. II. *ad comedendum in ſaturitatem, & ad tegumentum validum*; id eſt, ad iuſtum alimentum & amictum, quibus contenti ſunt pii. I. Timoth. VI. 8. Quidam pro voce מכסה *mecaſſeh, operimentum, tegumentum*, mutatis punctis legunt eiſdem litteris *micſah*, id eſt *annumeratio, additio, collatio, contributio*, ut Exodi XII. 4. & Levit. XXVII. 23. Numeror. XXXI. 28. unde reddunt: *& ad contributionem durabilem*, ſeu *collectam*, aut *collationem durabilem*, quæ non exhauriatur: ſed ſemper habeant, unde eis neceſſaria ſuppeditentur. Similes Paulus volebat collectas & collationes, quæ fiebant in ſanctos qui erant Ieroſolymis, amplas, liberales, non triſtes, aut parcas, ſed quæ abunde ſarcirent inopiam ſanctorum: & veriſimile putant ad hunc locum alluſiſſe Apoſtolum in Epiſtolis ſuis, cum de collectis in Sanctos loquitur, ut I. Corinth. XVI. 1. & ſequentibus. Sed hi non animadvertunt hic מכסה עתיק *mechaſeh ghathik*, recte cohærere, ut nunc ſcribitur, cum utrumque ſit maſculeum, *integumentum durabile*: at *michſah ghathik*, *contributio durabilis*, diſcordare genere, cum prius ſit femineum, & poſterius ſit maſculeum.

MENOCHI.

Verſ. 1. ONUS TYRI: dura & triſtis prophetia contra Tyrum: prædicit enim excidium eius per Nabuchodonoſor; ſunt tamen qui explicant de eius expugnatione ab Alexandro Macedone. NAVES MARIS: naves negotiatorum. DOMUS UNDE VENIRE CONSUEVERANT: Tyrus orbis totius emporium, unde ad varias regiones ſolvebant naves auro, & pretioſis mer-

cibus onuſtæ. DE TERRA CETHIM, id eſt ex inſulis maris mediterranei: nam ut notat D. Hieronymus Cethim ſunt Inſulæ Cypri, Italiæ etiam, & Macedoniæ, unde ex Cethim dicitur egreſſus Alexander Macedo I. Mach. 1. 1. REVELATUM EST EIS: ſcilicet navibus maris; id eſt, negotiatoribus marinis revelatum eſt vaſtatam eſſe Tyrum, cum qua negotiabantur, ideoque ulularunt.

V. 2. TACETE: mœror, ac ſtupor ex calamitate inexpectata uſum loquendi eripit. IN INSULA: olim enim Tyrus erat inſula, ut conſtat ex Curtio Lib. IV. & aliis. REPLEVERUNT TE: ſuis opibus, & mercibus.

V. 3. IN AQUIS MULTIS SEMEN NILI: ſcilicet iacitur, hoc eſt, in irrigua terra, ideoque etiam plurimum frumenti, &c. colligitur. MESSIS FLUMINIS; quaſi dicat: Meſſis autem copioſa, quæ fit in AEgypto, erat quaſi proprius Tyri proventus, quia triticum Tyrum advehebatur navibus, & ibi ob magnam populi multitudinem expedite vendebatur. NEGOTIATIO GENTIUM: commune orbis, & gentium omnium emporium.

V. 4. ERUBESCE SIDON: quod cum Tyrus ex te prodierit, & colonia tua ſit, tamen ei laboranti, & ab hoſtibus preſſæ opem non tuleris. AIT ENIM MARE: hoc enim queruntur Tyrii negotiatores, qui in mari verſantur. FORTITUDO MARIS: hoc queritur ipſa Tyrus, decus, & munimentum maris. DICENS: NON PARTURIVI, &c. Videtur imitatio verborum Sidonis recuſantis opem ferre, & dicentis: *Non peperi*, &c. Id eſt, vos, o Tyrii, non agnoſco, non vos peperi, nec alumni mei eſtis, nec commune aliquid vobiſcum habeo. Itaque illud *dicens* debet necti cum *Sidon*, ut ordo verborum ſit: *Erubeſce Sidon dicens*.

V. 5. DOLEBUNT: quia magis illis quæſtus peribit, quem faciebant negotiatione cum Tyriis; & quia par exitium ſibi timebunt.

V. 6. TRANSITE MARIA: quærite vobis, o Tyrii, alias ſedes trans mare, ubi habitetis, & negotiemini. IN INSULA: Tyro, quæ olim, ut diximus, erat inſula.

V. 7. NUMQUID NON VESTRA HAEC EST, &c. id eſt, Numquid non patria hæc veſtra Tyrus, verè de ſua antiquitate gloriabatur, ac propterea etiam credebat ſe porro diutiſſime permanſuram; & tamen everſa eſt. DUCENT EAM PEDES SUI, &c. quaſi dicat: Tyrii captivi educentur, pediburque ibunt in Babylonem. Vel certe ſignificat aliquos fuga lapſos, longinquas regiones petituros beneficio navium, quæ Tyriorum in inſula ſitorum quaſi pedes quidam erant.

V. 8. QUONDAM CORONATAM: quæ ſcilicet quaſi maris erat regina, metropolis, & regni caput. PRINCIPES: quaſi Principes. INCLYTI TERRAE; id eſt, Tyriorum mercatorum nomen inclytum erat propter magnitudinem divitiarum.

V. 9. COGITAVIT HOC: ita decrevit, & diſpoſuit Dominus. UT DETRAHERET, &c. ut Tyriorum ſuperbiam comprimeret.

V. 10. TRANSI TERRAM TUAM; quaſi dicat: Quæ prius fuiſti inſula, iam exiguo admodum intervallo diſtas a continenti, cum ſpatium interiacens hoſtes impleverint, ut ad te poſſent accedere tempore obſidionis: itaque in continentem proximam tranſire potes, canali illo tranſmiſſo, qui habet inſtar fluminis. FILIA MARIS: ita dicitur Tyrus, quia inſula. NON EST CINGULUM ULTRA TIBI; id eſt, iam te mare non amplius cingit.

V. 11. MANUM SUAM EXTENDIT SUPER MARE. Reſpicit tranſitum maris rubri, cum Dominus Iſraelitis iter aperuit per undas maris; quaſi dicat: Potens Dominus hoc fecit, qui olim manum ſuam extendit ſuper mare rubrum. Vel, per mare Tyros intelligit, qui ad mare ſedes habebant. CONTURBAVIT REGNA: evertit regna earum gentium, quæ ante Iſraelitarum adventum habitabant terram Chanaan. Vel regnum Tyriorum intelligit. MANDAVIT, &c. Imperavit ut Chananæi exterminarentur, vel Tyrii, qui etiam ipſi ad terram Chanaan pertinebant.

V. 12. NON ADIICIES ULTRA UT GLORIERIS: tuis operibus, & potentia. CALUMNIAM SUSTINENS: vim paſſa, & oppreſſa. VIRGO: quæ pulchra es inſtar virginis, vel quæ virgo es, quia nondum hactenus expugnata. Vel, generatim ſic vocantur regna in Scripturis, quod cuſtodiantur ut virgines. IN CE-

THIM

THIM: in Cyprum, aliaſque inſulas, in Græciam & Italiam. IBI QUOQUE NON ERIT REQUIES TIBI: quia Deus ibi te quoque perſequetur, & peſte & fame, vel bello affliget.

V. 13. ECCE TERRA CHALDAEORUM, &c. Senſus eſt: Quid mirum ſi Phœnices mercimoniis addicti, ac propterea minus bellicoſi, devaſtentur, cum Chaldæi ferociſſimi, qui ſuas & ipſi munitiones habebant, & turres, perierint, capta Ninive a Nabuchodonoſore. TALIS POPULUS NON FUIT: robore, ac potentia. ASSUR FUNDAVIT EAM: ſcilicet ditionem Chaldæorum, & regnum Babylonis: nam primum Aſſyrii cum reliquis & condiderunt urbem, & turrim Babel, indeque egreſſus Aſſur in Aſſyriam, condidit Ninivem: Geneſis x. 11. DOMOS EIUS; ſcilicet Ninives, & Chaldæorum.

V. 14. ULULATE, &c. repetitio eius quod dixit primo verſiculo huius capitis. FORTITUDO VESTRA: Tyrus munimentum & præſidium veſtrum.

V. 15. IN OBLIVIONE ERIS: vaſtata, & deſolata. SEPTUAGINTA ANNIS: poſt quos reædificaberis, ut factum eſſe patet II. Eſdræ XIII. 16. SICUT DIES REGIS UNIUS; id eſt, quantum ſolet vivere homo præſertim qui læte, & liberaliter vivit, ut faciunt reges, id eſt ſeptuaginta annis; hæc enim eſt ætas, & vita hominis, Pſal. LXXXIX. 10. Alludit ad celeberrimum regem David, qui 70. annis vixit. QUASI CANTICUM MERETRICIS; quaſi dicat: Rurſus poſt ſeptuaginta annos Tyrus ſpecie, oſtentatione, & proclamatione mercium ſuarum alliciet ad ſe mercatores, ſicut meretrix cantu illecebroſo allicit amaſios.

V. 16. SUME CITHARAM, &c. quaſi dicat: Ut meretrix citharam, cantum, & omnes illecebras adhibet ad alliciendum iuvenes; ita Tyrus omnia adhibebit lenocinia, & invitamenta, ut merces, & mercatores ad ſe ſuaſque nundinas revocet.

V. 17. VISITABIT DOMINUS TYRUM: Tyri recordabitur in bonum. REDUCET EAM AD MERCEDES SUAS: Tyrios captivos, & exules reducet in patriam, & facultatem faciet ut quæſtuoſam artem mercaturæ ut prius exerceant. FORNICABITUR CUM UNIVERSIS REGNIS; id eſt, commercia contrahet, & negotiabitur cum omnibus gentibus, eaſque hoſpitio excipiet; hoc enim ſignificat Hebræum זון *zun*.

V. 18. SANCTIFICATAE DOMINO, id eſt conſecratæ, ſcilicet per eleemoſynam, & quia erogatæ in alios pios uſus a Tyriis ad Chriſtum converſis: ſuo enim more Propheta a triſtibus ad læta, & Chriſtum avolat. HIS QUI HABITAVERINT CORAM DOMINO: Eccleſiæ miniſtros intelligit. ERIT NEGOTIATIO EIUS: id lucrum negotiationis in uſus pios, ad Eccleſiæ cultum, & ad alendos pauperes convertetur. USQUE AD VETUSTATEM: ſcilicet veſtibus quæ diu durent, vel uſque ad ſenectutem, id eſt, tota vita. Vatablus vertit *ad operimentum ſenum*, id eſt ut veſtiantur veſte honeſta, & decora, qualis decet ſenes, & presbyteros.

TIRINI.

Verſ. 1. VLULATE NAVES MARIS. Hebraice, *naves Tharſis a*; LXX. *naves Carthaginis*, quia Carthago fuit colonia *b* Tyriorum, & navibus in mari abundabat. DE TERRA CETHIM, id eſt ex inſulis maris Mediterranei, Cypro, Italia, Græcia *c*, &c. primo REVELATUM EST EIS, ſcilicet navibus maris, id eſt mercatoribus marinis, captam, vaſtatam, exciſam eſſe Tyrum: ita Cyrillus, Hieronymus, Procopius, S. Thomas & alii.

V. 2. QUI HABITATIS IN INSULA, Tyro, TACETE: iam ſubacti a Nabuchodonoſore; quaſi dicat: Non amplius gloriemini & ſuperbiatis ut ante, ſed præ dolore, pudore, pavore ac ſtupore continete vos in ſilentio.

Nota, Tyrum olim inſulam, partim a Nabuchodonoſore *d*, partim ab Alexandro Magno coniunctam fuiſſe continenti, factamque peninſulam, teſte Curtio, Guilielmo Tyrio & Adrichomio *e*. NEGOTIATORES SIDONIS (vicinæ Tyro,) REPLEVERUNT TE ſuis mercibus & opibus.

V. 3. IN, ſeu ex, AQUIS MULTIS NILI exundantis, oblimantis & fecundantis agros prognatum SEMEN: FRUGES & meſſes AEgypti, factæ ſunt fruges & meſſes Tyri, ut inde per negotiationem in reliquum orbem diſtraherentur.

V. 4. Erubesce Sidon de hac Tyri filiæ & coloniæ tuæ nuditate; quia cum eſſes mater illius, opem tamen illi ferre atque ab hoſte eam liberare non ſtuduiſti. Hoc tibi opprobrat *mare*, id eſt omnes mercatores maris: ſed præ omnibus ipſa fortitudo maris, nempe Tyrus arx munitiſſima, atque humanis viribus pene inſuperabilis: patet ex Nabuchodonoſoris 13. annorum obſidione, & tot Alexandri laboribus, ut urbe illa potiretur. Iam deſerta a te, & omni alio confœderatorum auxilio, dolens ac lamentans dicit: Non parturivi, non peperi, &c. id eſt nullos habro ſuperſtites cives, nullos filios, nullas filias; capti ſunt omnes vel cæſi ab hoſte, vel ad alia loca dilapſi, vidua me nudaque derelicta, perinde ac ſi nullos umquam liberos procreaſſem vel aluiſſem.

V. 7. Gloriabatur in antiquitate sua. Ioſephus dicit Tyrum conditam eſſe 240. annis ante templum Salomonis. Sed Beroſus & alii putant, paulo poſt diluvium conſtructam fuiſſe a *Thras g* ſeptimo filiorum Iapheth: ita Guilielmus Tyrius *h*. Ducent eam; id eſt, incolas eius cladi ſuperſtites abducent pedes sui longe a patria ad peregrinandum; vel coacte in Chaldæam, vel ſponte in alia regna. Nempe, nulli audebunt, nulli permittentur in patrio ſolo ſubſiſtere: omnes vel fugient, vel capti in exilium abducentur.

V. 8. Coronatam, opibus, delitiis, gloria inſtar reginæ urbium & inſularum, inquit Hieronymus: vel inclytis mercatoribus undique advolantibus, inquit Haymo.

V. 10. Filia maris: *filiam maris* vocat inſulam, e mari quaſi genitam, auctam, enutritam. Talis eras, o Tyre; ſed nunc per Chaldæos & Macedones continenti coniuncta, transi non iam mare, ſed terram tuam, & quasi flumen: neque enim Tyrum inter & continentem aliud interiectum manſit, quam anguſtum maris brachiolum, quod *flumen* potius, quam fretum dicebatur. Non est cingulum maris ultra tibi; quaſi dicat: Cum ante mari vaſto undique cingereris quaſi cingulo, eſſeſque inacceſſa & inexpugnabilis; iam per Chaldæos & Macedones peninſula facta, cingulo iſto ſpoliata, & hoſti expoſita es, non amplius *maris*, ſed *terræ filia*.

V. 11. Dominus mandavit, id eſt miſit exercitus ſuos, adversus Chanaan, id eſt contra Tyrum a Chananæis conditam & habitatam. Unde & tribui Aſer attributa fuit, ſed numquam per eam occupata. Et mulier Chananæa Matth. xv. dicitur exiiſſe de finibus Tyri.

V. 12. Filia, id eſt colonia, Sidonis, ut dixi verſ. 4. In Cethim, id eſt in inſulas alias maris Mediterranei, ut ſupra verſ. 1. transfreta, & tranſmigra & ſuge. Nec tamen tuum ibi reperies aſylum.

V. 13. Ecce terra Chaldaeorum ſubvertet te, o Tyre, & fugientem te perſequetur. Tanto robore & potentia nullus alius populus eſt, iam inde ab antiquo: nam Assur, ſeu Ninus, priuſquam in Aſſyriam & Ninivem demigraret, fundavit una cum aliis turrim & urbem Babel, Geneſis x. caput terræ & ſedem imperii Chaldæorum.

V. 15. In oblivione eris, nempe deſerta & deſolata septuaginta annis, sicut dies regis unius, puta Davidis famoſiſſimi regis; quaſi dicat: Quamdiu ſolet vivere homo, qui laute & liberaliter ſe habet, ut ſolent reges, id eſt 70. annis. Et hoc vult Ezechiel cap. xxvi. cum Tyro dicit, *Non ædificaberis ultra*, id eſt in longum *i* tempus, nempe 70. annorum. Nam reſtauratam iterum fuiſſe conſtat ex II. Eſdræ xiii. 16. & ex eo quod Alexander Magnus eamdem rurſus expugnarit. Per quem vero, vel qua occaſione rurſus inſtaurata fuerit, nec ſacra, nec profana narrat hiſtoria. Post septuaginta autem annos erit Tyro quasi canticum meretricis; id eſt, inſtar meretricis cantu illecebroſo allicientis amaſios, iterum Tyrus oſtentatione & proclamatione mercium ſuarum undique alliciet ad ſe mercatores.

V. 17. Rursum fornicabitur cum universis regnis; id eſt, *k* negotiabitur cum toto orbe. Hebræum enim זון *zun* ſignificat in genere quæſtum facere, ſive id fiat commutatione mercium, ſive appoſitione ciborum, ſive proſtitutione corporis. Unde זנה *zona* Hebræis, & *πορνὴ* Græcis nunc mercatricem ſignificat, nunc cauponam, nunc meretricem.

V. 18. Mercedes eius; id eſt, lucra mercimoniis parta, sanctificatae erunt Domino, nempe mittentur Ieroſolymam Deo offerendæ in templo. Ita factum colligi-

Digitized by Google

ligitur ex I. Eſdræ v. & vi. & Zachariæ xiv. 16. Sed complete perfectum tempore Chriſti, inquit S. Hieronymus, quando in Tyro maxime floruit fides, ut docet Guilielmus Tyrius & Adrichomius *l*. Neque enim ſordide tunc *recondebant* opes ſuas, ſed *negotiationem*, id eſt lucrum ſuum, liberaliſſime elargiebantur HIS QUI HABITAVERINT CORAM DOMINO, id eſt, miniſtris Dei & Eccleſiæ, ut ex eo alantur, ET VESTIANTUR veſtibus ad multos annos, & USQUE AD VETUSTATEM duraturis, id eſt valde bonis & firmis.

(a) II. Paral. ix. 21.
(b) Virg. I. Æneid.
(c) Vide de Cethim I. Mach. I. I.
(d) Ezech. xxvi. xxvii. xxviii.
(e) Curt. Lib. IV. Tyr. de Bello ſacro. Adrich. in Tyro.
(f) Ioſeph. Lib. VIII. Antiq. cap. 2.
(g) Gen. x. 3.
(h) Tyrius Lib. XIII. Belli ſacri cap. 2.
(i) III. Reg. x. 5. Ioel II. 19.
(K) Apoc. xvii. & xviii.
(l) Tyr. & Adrich. ſupra.

GORDONI.

Verſ. I. TYrus Sidoniorum colonia in Phœnicia reges ſuos habuit; negotiatione dives orbis emporium, ac demum florentiſſima civitas, inſulam fuiſſe narrat Poſſidonius; ſed auctore Alexandro iniectis aggeribus, acceſſiſſe ad continentem: iuxta Plinium Lib. V. cap. xix. diſtabat a continente 700. paſſibus. Iam de excidio. *Plorate* (inquit Iſaias) *naves*, hoc eſt negotiatores maris mediterranei, quia exciſa eſt Tyrus (prophetice excidetur) & narratum eſt hoc negotiatoribus de terra Cethim, hoc eſt e Cypro, vel Græcia.

V. 2. TACETE QUI HABITATIS IN INSULA. Hoc eſt, Tyrii tacete dolore, quia hanc reginam civitatum vaſtabit Nabuchodonoſor: fuit colonia Sidonis, hinc Sidonii repleverunt te transfretantes.

V. 3. IN AQUIS MULTIS SEMEN NILI. Hoc eſt, copia frumenti quam affert AEgypto inundans Nilus, ſunt fruges & merces in Tyrum delatæ.

V. 4. ERUBESCE SIDON. Apoſtrophe eſt ad Sidonem, unde velut a matre miſſa eſt colonia in Tyrum filiam; erubeſce, inquit, de filiæ nuditate & vaſtatione: ait enim Tyrus, FORTITUDO MARIS, NON PARTURIVI, &c. Per mare intelligi poſſunt negotiatores in mari: quod additur verſ. 6. IN INSULA, Tyrus eſt, quia tunc inſula erat, & uſque ad Alexandrum: gloriabatur Tyrus ex verſ. 7. de ſua antiquitate. Beroſus ait aliquot annis poſt diluvium excitatam.

V. 10. & 11. TRANSI TERRAM TUAM QUASI FLUMEN. Hoc eſt, deſere terram tuam velociter, ut ſolet decurrens fluvius: NON EST TIBI ULTRA CINGULUM; niſi velis referre ad tempora Alexandri, qui Tyrum continenti iunxit. MANDAVIT DOMINUS (verſ. 11.) ADVERSUS CHANAAN, adverſus Tyrum, quæ a Chananæis ſeu Sidoniis habitata eſt. Hinc in Evangelio Chananæa dicitur egreſſa de finibus Tyri & Sidonis: & fuit hæc pars Chanaan data Tribui Aſer, Ioſue xix. 29. quam tamen expugnare numquam potuit Aſer. Vocatur vero filia maris Tyrus, ut nunc quis Venetias dicet maris filiam.

V. 12. & 13. ET DIXIT, &c. CALUMNIAM SUSTINENS, hoc eſt ex LXX. *iniuriam facere ſolita*: μὴ προσθῆτε τοῦ ὑβρίζειν. Dixi paulo ante Cethim deſignare Cyprum, & alias mediterranei maris inſulas. Tandem verſ. 13. repetit terrorem ex adventu Aſſyriorum, qui ab Aſſur conditore Ninivæ nomen acceperunt: vide Gen. x. 11.

V. 15. ET ERIT IN DIE ILLA. Tyrii quidem ſub Nabuchodonoſore tranſlati putantur facto excidio in Babylonem: quando tamen & quo anno redierint poſt reditum Iudæorum, non ſatis exploratum eſt. Conſtat ſane hic poſt 70. annos extitiſſe iterum Tyrum; & vero extabat poſtea tempore Eſdræ, ut colligo ex Eſdræ II. xiii. 16. Conſtat etiam ex rebus Alexandri fuiſſe tandem reſtitutam: nam eam, ut dixi verſ. 1. Alexander expugnavit, & fecit peninſulam. Hinc apparet vaticinium hoc de oblivione ſeptuagenaria Tyri. Et poſtea reſtituetur convocatis mercatoribus in lætitia, & cantico, ſed quaſi meretricio. Immo Iſaias vocat mercaturam Tyriorum meretricium, verſ. 17. FORNICABITUR, inquit; hoc eſt, ad ſimilitudinem meretricum convocantium cantu amaſios, Tyrus convocabit mercatores: ubi ad hanc ſimilitudinem explicandam favet, quod tam meretrix quam mercator exponant ſuas merces venales, ut alios ad ſe invitent: & זונה *zona*, eſt caupona vendens eſculenta, aut meretrix. At quomodo Ezech. xxvi. 14. dicitur de Tyro, *Non ædificaberis ultra*? Certe *ultra*, ibi deſignat longum tempus, ut eſt tempus 70. anno-

norum, SICUT DIES REGIS (inquit Iſaias) UNIUS ſeu quantum ſolet unus homo vivere: aut certe numquam redibis ad priſtinam gloriam: vide locum Ezechielis.

V. 18. ET ERUNT NEGOTIATIONES EIUS ... SANCTIFICATAE; hoc eſt pollutæ, ut ſolet vox hæc aliquando exponi, Deuter. XXII. 9. Poteſt etiam de tempore accipi Machabæorum, a quibus ſuperati ſunt Tyrii, & præda capta ac dicata Domino, I. Machab. XI. 59. cum Ioſepho Lib. XII. Antiq. cap. XII. denique poſſunt hæc optime exponi de tempore Chriſti.

EX EIUSDEM AUCTARIO.

Verſ. 7. NUMQUID. Numquid Tyrus hæc patria veſtra eſt? Ducent vos in Babylonem hoſtes, & docebunt vos peregrinari.

Verſ. 10. NON EST CINGULUM. Non te amplius cinget undique mare. Hoc quidem referri videtur ad Alexandrum.

CAPUT XXIV.

Mala quæ Dominus propter peccata univerſo orbi facturus eſt, adjecta interim reliquiarum conſolatione: & quam terribilis erit dies divini iudicii.

1. ECce Dominus diſſipabit terram, & nudabit eam, & af-
fliget faciem eius, & diſperget habitatores eius. 2. (*a*)
Et erit ſicut populus, ſic ſacerdos: & ſicut ſervus, ſic
dominus eius: ſicut ancilla, ſic domina eius: ſicut emens,
ſic ille qui vendit: ſicut ſœnerator, ſic is qui mutuum acci-
pit: ſicut qui repetit, ſic qui debet. 3. Diſſipatione diſ-
ſipabitur terra, & direptione prædabitur. Dominus enim
locutus eſt verbum hoc. 4. Luxit, & defluxit terra, & infirmata eſt: deflu-
xit orbis, infirmata eſt altitudo populi terræ. 5. Et terra infecta eſt ab habi-
tatoribus ſuis: quia tranſgreſſi ſunt leges, mutaverunt ius, diſſipaverunt fœdus
ſempiternum. 6. Propter hoc maledictio vorabit terram, & peccabunt habi-
tatores eius: ideoque inſanient cultores eius, & relinquentur homines pauci.
7. Luxit vindemia, infirmata eſt vitis, ingemuerunt omnes qui lætabantur cor-
de. 8. Ceſſavit gaudium tympanorum, quievit ſonitus lætantium, conticuit dul-
cedo citharæ. 9. Cum cantico non bibent vinum: amara erit potio bibenti-
bus illam. 10. Attrita eſt civitas vanitatis, clauſa eſt omnis domus nullo in-
troeunte. 11. Clamor erit ſuper vino in plateis: deſerta eſt omnis lætitia:
translatum eſt gaudium terræ. 12. Relicta eſt in urbe ſolitudo, & calamitas
opprimet portas. 13. Quia hæc erunt in medio terræ, in medio populorum:
quomodo ſi paucæ olivæ, quæ remanſerunt, excutiantur ex olea: & racemi,
cum fuerit finita vindemia. 14. Hi levabunt vocem ſuam, atque laudabunt:
cum glorificatus fuerit Dominus, hinnient de mari. 15. Propter hoc in do-
ctrinis glorificate Dominum; in inſulis maris nomen Domini Dei Iſrael. 16.
A finibus terræ laudes audivimus, gloriam iuſti. Et dixi: Secretum meum mi-
hi, ſecretum meum mihi, væ mihi: prævaricantes prævaricati ſunt, & præ-
varicatione tranſgreſſorum prævaricati ſunt. 17. Formido, & fovea, & laqueus
ſuper te, qui habitator es terræ. 18. Et erit: (*b*) Qui fugerit a voce formi-
dinis,

dinis, cadet in foveam: & qui ſe explicaverit de fovea; tenebitur laqueo: quia cataractæ de excelſis apertæ ſunt, & concutientur fundamenta terræ. 19. Confractione confringetur terra, contritione contereτur terra, commotione commovebitur terra, 20. agitatione agitabitur terra ſicut ebrius, & auferetur quaſi tabernaculum unius noctis: & gravabit eam iniquitas ſua, & corruet, & non adiiciet ut reſurgat. 21. Et erit: In die illa viſitabit Dominus ſuper militiam cæli in excelſo, & ſuper reges terræ, qui ſunt ſuper terram. 22. Et congregabuntur in congregatione unius faſcis in lacum, & claudentur ibi in carcere: & poſt multos dies viſitabuntur. 23. Et erubeſcet luna, & confundetur ſol, cum regnaverit Dominus exercituum in monte Sion, & in Ieruſalem, & in conſpectu ſenum ſuorum fuerit glorificatus.

(a) Oſee IV. 8. (b) Ier. XLVIII. 44.

COMMENTARIA

MALDONATI.

Verſ. 1. ECCE DOMINUS DISSIPABIT: בוקק, *evacuabit*; id eſt vacuam habitatoribus reddet. ET NUDABIT: ובולקה, *& depopulabitur eam*, id eſt ſterilem faciet. ET AFFLIGET: עוב, *pervertet faciem eius*; id eſt, immutabit ita ;ut alia eſſe videatur.

V. 2. ET ERIT SICUT POPULUS; id eſt, non habebit Deus rationem cuiuſquam, neque dignitatis, neque potentiæ, neque divitiarum; ſed omnes pariter perdet. Aut ſignificat ſic eſſe immutandum omnium rerum ſtatum, ut nulla ſit perſonarum diſtinctio, ſed omnes ſint æque miſeri.

V. 3. DISSIPATIONE DISSIPABITUR: חבוק הבוק, *evacuando evacuabitur*; id eſt, omnino vacuabitur terra, & omnino diripietur, quia cum Dominus hoc dixerit, non poteſt aliter evenire.

V. 4. LUXIT ET DEFLUXIT; id eſt, decidit & labefacta eſt terra: præterita pro futuris. ET INFIRMATA EST ALTITUDO; id eſt, deiecti ſunt ſuperbi populi totius terræ.

V. 5. TERRA INFECTA EST, id eſt peccatis contaminata, AB HABITATORIBUS SUIS. Heb. חנפה, *impie egit propter habitatores ſuos*. QUIA TRANSGRESSI SUNT, &c. id eſt, terra deſinet proferre fructus ſuos; hoc enim eſt terram impie agere.

V. 6. PROPTER HOC MALEDICTIO VORABIT, id eſt conſumet, exuret; id eſt, Deus propter hominum peccata maledicet terræ, ne illis fructus reddat, ut Geneſ. III. 17. ET PECCABUNT, id eſt peccatorum ſuorum pœnas dabunt habitatores eius. IDEOQUE INSANIENT; id eſt, attoniti erunt & obſtupeſacti metu habitatores eius, חרו, *exuſti ſunt*; id eſt, ira Dei tamquam igne abſumpti omnes, exceptis paucis.

V. 7. LUXIT, (id eſt triſtis fuit & ſterilis) VINDEMIA. Aut, הירוש, *muſtum*. INFIRMATA EST, id eſt ſterilis facta eſt & effœta. Præt. pro fut. INGEMUERUNT OMNES, QUI LAETABANTUR CORDE, id eſt ebrioſi, qui vino ſolebant delectari.

V. 8. CESSAVIT. Præterita pro futuris, id eſt non erit qui lætetur, omnes lugebunt.

V. 9. CUM CANTICO, id eſt non utentur cantu in conviviis, ut ſolebant. AMARA ERIT POTIO, id eſt cum luctu & mœrore bibent. Heb. שכר, *ſicera*; quaſi dicat: Neque vinum bibent, neque cum lætitia, ſed ſiceram & cum mœrore.

V. 10. ATTRITA EST CIVITAS VANITATIS, id eſt vanitati dedita. Intelligit Babylonem, Tyrum, Damaſcum: ſing. pro plurali. Alii intelligi volunt Jeruſalem; alii totum orbem, minus bene. NULIO INTROEUNTE: מבוא; id eſt, ne quis ingrediatur, vel quia nemo ingreditur, deſerta eſt, & ſola.

V. 11. CLAMOR ERIT SUPER VINO, id eſt propter vinum, propter vini penuriam. Solent emptores cum multi ſunt, magna vero rerum venalium penuria agglomerati clamare. DESFRTA EST, ערבה, *obſcurata eſt*, OMNIS LAETITIA. TRANSLATUM EST: גלה, *relegatum eſt*, *ſublatum eſt a terra*.

V. 12.

V. 12. Relicta est in urbe solitudo: שמה, *vaſtatio;* id eſt, nihil in urbe apparebit præter ruinas. Et calamitas opprimet, id eſt occludet. Solent portæ deſertæ ac vaſtatæ urbis, quia nemo eſt qui ingrediatur aut egrediatur, aggeribus ruderis, aut ſtercoris obturari ſic, ut aperiri non poſſint. Heb. שאיה יכת שער, *vaſtitate percutietur porta*, id eſt portæ ipſæ urbis vaſtabuntur; quaſi dicat, Nihil in urbe integrum remanebit.

V. 13. Quia haec erunt; id eſt, talia evenient terræ, qualia evenire ſolent olivæ, cum excuſſa eſt, ut pauculæ oleæ remaneant in ea: clarius Heb. כי כה יהיה, *quoniam ſic accidet in medio terræ*, id eſt mediæ terræ, mediis populis, pro frequentiſſimis, ut excuſſio olivæ; id eſt, quemadmodum ſi oliva excuteretur, & raræ aliquæ oleæ remanerent, &c.

V. 14. Hi levabunt; id eſt, racemi qui relicti fuerint, hoc eſt, pauci illi homines electi, qui poſt calamitatem quaſi racemi poſt vindemiam reliqui fuerint. Laudabunt Deum: agent illi gratias, quod non perierint cum ceteris. Cum glorificatus fuerit, id eſt oſtenderit gloriam & potentiam ſuam in delendis impiis. Hinnient, id eſt præ lætitia vociferabuntur: eſt enim hinnitus in equis lætitiæ ſignum. Heb. צהלו, *exultabunt*. De mari. מים, *a mari*, id eſt a remotiſſimis quibuſque locis; quaſi dicat: Omnes laudabunt Deum, etiam Barbari, qui in remotiſſimis inſulis habitant.

V. 15. Propter hoc in doctrinis, id eſt qui doctrinæ ſcientiæque Scripturarum dediti eſtis. Heb. באורים, *in vallibus*, ut Hebræi interpretantur; id eſt, tam qui in continenti terra, ubi valles ſunt, quam qui in inſulis habitatis.

V. 16. A finibus terrae laudes audivimus; pro, audiemus. Ponit etiam primam perſonam certam, pro tertia incerta; quaſi dicat: Qui tunc erunt, audient totam terram ab ultimis uſque finibus Dei laudibus reſonare. Gloriam iusti, id eſt Dei, (audivimus.) Secretum meum mihi; quaſi dicat: Cum hæc quæ eventura ſunt animo cernerem, obſtupui, neque effari potui. Sicut D. Paulus dicit, II. Cor. xii. audiviſſe ſe arcana Dei, quæ non liceret homini loqui. Heb. לי רזי לי רזי. Significat autem, רזי, *ſecretum meum*, aut, *maciem meam*. Plerique etiam Hebræi interpretantur, *ſecretum meum*. R. vero Abraham, *maciem meam*: alii, *inteſtina mea;* quaſi dicat: Emarcui præ horrore, aut commota ſunt viſcera mea, defecit me animus præ dolore. Sequitur enim, Vae mihi: Praevaricantes, &c. id eſt, valde prævaricati ſunt (homines,) quando Deus tam iratus eſt illis, ut ita totam terram devaſtet. Praevaricatione transgressorum; id eſt, nullum eſt ſcelus, quod perditiſſimi homines patrare ſoleant, quod illi non admiſerint.

V. 17. Formido. Heb. elegans eſt paronomaſia: פחד ופחת ופח, *formido*, fovea, laqueus super te; id eſt, tibi imminet, o homo, qui habitas terram; ſing. pro plur. פחד autem, id eſt *formidinem*, vocat gladium formidabilem: itaque his tribus gladio, fovea, laqueo, voluit omnia periculorum genera ſignificare.

V. 18. Et erit qui fugerit; id eſt, ita fiet ut qui fugerit ab uno ex his tribus periculis incurrat in aliud. A voce formidinis, id eſt fama imminentis gladii, vel hoſtis adventantis. Quia cataractae de excelsis apertae sunt; id eſt, demittet Deus cælitus talem in terras tempeſtatem, ut cataractæ cæli ruptæ eſſe videantur, & fundamenta terræ commoveri: per tempeſtatem autem iram Dei intelligе.

V. 19. Confractione confringetur, id eſt penitus contereretur terra. Heb. eſt reciproca ſignificatio: התרעעה, *ſe ſe conteret;* id eſt, alii contra alios pugnando ſe vieſſim omnes conſument. Contritione. Heb. *diſſipando diſſipabit ſeſe*.

V. 20. Agitatione .... Sicut ebrius; id eſt, homines erunt attoniti metu, & errabundi huc illuc ſicut ebrii. Et auferetur; id eſt, migrare cogentur homines de ſuis ſedibus, sicut tabernaculum unius noctis. Alludit ad tabernacula militaria, quæ progrediente exercitu non ſolent eſſe niſi una nocte uno in loco; qua metaphora ſignificat nuſquam homines inventuros eſſe ſedes, ubi diu poſſint conquieſcere. Heb. non eſt, *Unius noctis;* neque Septuag. legerunt. Et gravabit; id eſt, pondere peccatorum ſuorum concidet, neque reſurgere poterit (ſuis viribus.)

V. 21. Et erit: In die illa visitabit, id eſt puniet militiam cæli. Aliqui inter-

interpretantur de dæmonibus; quaſi dicat: Puniet ſimul dæmones atque homines: alii de ſtellis quæ militia cæli appellari ſolent; quaſi dicat: Oſtendet Deus ſigna in ſole, & luna, ceteriſque aſtris, futuræ calamitatis. Ego hunc locum per hypotheſin intelligendum eſſe arbitror; quaſi dicat: Omnes puniet Deus, & qui in terra ſunt, & qui in cælo, non quod in cælo punitu-turus ſit aliquem, ſed quod tam generalis futura ſit punitio, ut ſi in ipſo cælo Angeli (qui militia dicuntur) peccaviſſent, ipſi quoque puniendi eſſent. Ad eumdem modum intelligo illud, I. Cor. IV. 9. *Spectaculum facti ſumus mundo, Angelis, & hominibus*, id eſt omnibus; non enim ſpectaculum erat Angelorum, neque inanimatarum rerum (quas mundum appellat.) Et illud, I. Cor. VI. 3. *Neſcitis quoniam Angelos iudicabimus;* id eſt, ipſos quoque Angelos, ſi quid haberent peccati, condemnaremus. Et illud, I. Cor. XIII. 1. *Si linguis hominum loquar & Angelorum;* id eſt, omnibus linguis, etiam Angelorum, ſi linguam illi ullam haberent, ut Primaſius & Sedulius exponunt. Item illud, Coloſſ. I. 20. *Pacificans per ſanguinem crucis eius, ſive quæ in terris, ſive quæ in cælo ſunt*: non enim ſignificat Chriſtum etiam pro Angelis mortuum eſſe, ut aliqui magni etiam Auctores putaverunt, ſed mortem Chriſti adeo fuiſſe efficacem, ut quantum in ipſa fuit omnes inimicos Deo reconciliare potuerit, etiam in ipſo cælo, ſi qui illic fuiſſent.

V. 22. ET CONGREGABUNTUR IN CONGREGATIONE UNIUS FASCIS, id eſt quaſi in unum faſcem ut coniiciantur in foveam, id eſt ut omnes ſimul pereant. Sicut cum Titus Ieroſolymam expugnavit, omnes Iudæi eo convenerant, ut Euſebius narrat, etſi non de ea clade Propheta vaticinatur. Heb. אספה היר עלבור, *congregatione vincti in carcere*; id eſt, ſicut vincti in carcere congregari ſolent, ita ut fugere non poſſint. ET POST MULTOS DIES VISITABUNTUR, id eſt liberabuntur, cum dignas pœnas dederint. Prius dixerat verſ. 20. ita ruituros ut non reſurgerent; nunc eſſe liberandos. Sed illud intelligendum de ipſorum viribus, hoc de gratia Dei. Alii viſitandi verbum in malam partem accipiunt, ut ſenſus ſit, Congregabuntur, deinde viſitabuntur, id eſt punientur.

V. 23. ET ERUBESCET LUNA. Qui præcedenti verſu verbum viſitandi in malam partem accipi putant, hunc verſum ſic exponunt: *Erubeſcet luna*, &c. Sol & luna quodam modo obſcurabuntur. CUM REGNAVERIT DOMINUS, id eſt cum punierit, cum iudicium tamquam rex exercuerit: qui autem verbum viſitandi accipiunt in bonam partem, ii ſic interpretantur, *Cum regnaverit Dominus;* id eſt, cum liberaverit Iudæos a captivitate, tam illuſtre erit & clarum regnum eius, id eſt Iudæorum, ut Sol ipſe & Luna comparatione illius obſcurari videantur. ET IN CONSPECTU SENUM. Senes ponit pro toto populo, id eſt meliorem partem pro toto. FUERIT GLORIFICATUS, id eſt declaraverit illis videntibus gloriam ſuam liberandis ipſis a ſervitute.

S A.

Verſ. 1. TERRAM. LXX. *totum terrarum orbem*. Quidam tamen Iudæam intelligunt. NUDABIT, ſcilicet habitatoribus.

V. 2. POPULUS, ſcilicet afflictus. FOENERATOR, ſcilicet mutuum dans.

V. 3. PRAEDABITUR, ſcilicet a Domino.

V. 4. LUXIT, &c. præterita pro futuris. DEFLUXIT. Chald. *deſolata eſt*. INFIRMATA, id eſt viribus deſtituta. Chald. *deſerta eſt*. ALTITUDO. Chald. *fortitudo*.

V. 5. INFECTA, ſcilicet peccatis. Chald. & LXX. *peccavit*. AB. Chald. *ſub*. LXX. *propter*. IUS, id eſt Dei præcepta. SEMPITERNUM: perpetuo eis obſervandum.

V. 6. MALEDICTIO, id eſt calamitas. ET PECCABUNT. Chald. *& deſolati ſunt*. LXX. *quia peccaverunt*. INSANIENT. Chald. *conſumpti ſunt*. LXX. *pauperes erunt*.

V. 7. LUXIT, ſcilicet vino deficiente.

V. 10. CIVITAS VANITATIS, id eſt mundus.

V. 11. VINO, ſcilicet deficiente.

V. 13. HAEC ERUNT. Chald. *relinquentur ſoli iuſti*. EXCUTIANTUR. Chald. *poſt excuſſionem*.

V. 14. HI, ſcilicet pauci reliqui. HINNIENT, id eſt vocem tollent. MARI, id eſt inſulis, vel mundo.

V. 15. DOCTRINIS; quaſi dicat, Docti fidem. Chald. *lumine*.

V. 16. LAUDES. LXX. *miracula*. GLORIAM; pro, nempe gloriam. IUSTI, ſci-

licet Chriſti. SECRETUM, &c. quaſi dicat: Myſterium id magnum eſt, paucíſque notum. Chald. *Secretum, præmium iuſtorum monſtratum; ſecretum, vindicta impiorum revelata eſt mihi, Væ eis qui vim faciunt.* PRAEVARICANTES, ſcilicet Iudæi, vel impii.

V. 18. A VOCE FORMIDINIS, id eſt propter timorem. CADET, &c. per hæc ſignificatur nullum evaſurum. CATARACTAE. LXX. *feneſtræ*.

V. 21. ILLA, ſcilicet iudicii. VISITABIT, ſcilicet puniens. MILITIAM, &c. id eſt excelſos quoſque, vel dæmones, qui olim Angeli.

V. 22. IN CONGREGATIONE, id eſt inſtar. LACUM, ſcilicet inferni. VISITABUNTUR, ſcilicet die iudicii, antea illic incluſi, nam corpore etiam deinde punientur; vel quaſi dicat: Quantocumque tempore in inferno manſerint, ſemper tamen punientur, nullaque erit ſupplicii levatio.

V. 23. LUNA, ET ... SOL. Chald. *cultores lunæ, & ſolis*. IERUSALEM, ſcilicet cæleſti.

ESTII.

Verſ. 2. ET ERIT SICUT POPULUS, SIC SACERDOS: ET SICUT SERVUS, SIC DOMINUS EIUS: SICUT ANCILLA, SIC DOMINA EIUS, SIC ILLE QUI VENDIT, &c. Hebræis ad verbum ſic ſonat: *Sic populus, ſic ſacerdos*: Hebræi enim quoties duas res inter ſe comparare volunt, repetunt idem ſimilitudinis vocabulum; & ita reddi poteſt; vel ut Interpres noſter reddidit; vel hoc modo: Et erit ſic populus ſicut ſacerdos. Rectius tamen, ut in textu: vult enim ſignificare Propheta, quando Deus ad puniendum veniet, neminem ratione dignitatis aut potentiæ liberum futurum, ſed tam ſacerdotem, quam populum, tam dominum, quam ſervum, tam divitem, quam pauperem meritas pœnas luiturum. Abutuntur quidam hac ſententia, ut oſtendant in inferno omnium ſuppliciorum eſſe paritatem; & ex conſequente in hac vita etiam omnia peccata eſſe paria; quod Stoicorum fuit Paradoxon, a Cicerone inter alia paradoxa tractatum. Sed reſpondendum, hic tantum ſignificari, quod Scriptura alibi frequentiſſime inculcat, apud Deum non eſſe acceptionem perſonarum; ſed tantum eſt apud eum acceptio & diſcretio operum. Iudicat enim unumquemque ſecundum opera ſua, & non ſecundum perſonas; & hoc vult hic Propheta.

V. 21 22. & 23. ET ERIT: IN DIE ILLA VISITABIT DOMINUS SUPER MILITIAM CAELI. Militia cæli, ut aliunde conſtat, ſunt ſol, luna, & aſtra. Origenes hunc locum ad ſuum errorem accommodat, quo putavit quaſdam etiam animas aſtris eſſe alligatas, eaſque viſitandas, & iudicandas in iudicio extremo. Catholici duplicem fere ſenſum reddunt. Unus eſt: Viſitavit Dominus militiam cæli, diſperdendo de terra idola eorum, qui aſtra pro diis colunt; unde ſequitur: ET ERUBESCET LUNA, ET CONFUNDETUR SOL: quia videlicet intellecta idolorum vanitate, cultores eorum magno pudore & ignominia perfundentur. Aliter ſenſus ab iſto non multum diſcrepat, ut per militiam cæli intelligatur exercitus dæmonum, quos viſitabit Dominus in die iudicii, puniendo eos, & mittendo in ignem æternum, ſicut ſubditur: ET CLAUDENTUR IN CARCERE, ET POST MULTOS DIES VISITABUNTUR; ſcilicet viſitabuntur, non ad liberationem, ſed ad punitionem; & quidem poſt multos dies, id eſt poſt quantumcumque multos dies adhuc viſitabuntur, quia vermis eorum non morietur, & ignis non extinguetur. Viſitabit, non quomodo medicus ægrotum, ſed quomodo carnifex condemnatum. Sic alibi: *Viſitans iniquitatem patrum in filios*. Dicit quidem Hieron. ſuper hunc locum, viſitanda aſtra, quomodo Medicus viſitat ægrotum; ſed ſciendum hanc non eſſe Hieronymi, ſed Origenis ſententiam, quæ irrepſit; ipſe autem Hieron. ſententiam ſuam aperit ad cap. XLV. Vide noſtra in II. Sentent. diſtinct. XV.

MARIANAE.

Verſ. 1. ECCE DOMINUS DISSIPABIT TERRAM. Septuag. *diſſipat orbem terræ*. Nimirum putarunt, quæ hoc capite continentur, dici contra totum orbem, quæ fuit Hieronymi ſententia. Alii contra Iudæam hæc dirigi credunt, & de captivitate Babylonica eſſe ſermonem. Heb. *Ecce Dominus evacuat terram*, ſcilicet habitatoribus. NUDABIT EAM, aut *deſolabit eam*, ne ſcilicet habitetur. ET AFFLIGET

FACIEM

Digitized by Google

FACIEM EIUS, aut *perverter faciem eius*, ſublatis ſcilicet omnibus, qui vitam habent.

V. 2. ET ERIT SICUT POPULUS, SIC SACERDOS. Omnes patientur hanc calamitatem, nullo diſcrimine ſexus, aut conditionis.

V. 3. DISSIPATIONE DISSIPABITUR. Heb. *evacuatione evacuabitur* terra.

V. 4. LUXIT, ET EFFLUXIT. Chald. *luxit, & deſolata eſt*; pro, quia deſolata eſt. Hæc eſt luctus cauſa. INFIRMATA EST ALTITUDO, id eſt ſublimes, proceres populi.

V. 5. ET TERRA INFECTA EST, ſcilicet peccatis. Chald. & Sept. *peccavit*. Heb. *terra impia erit*. Terra fructibus deſtituta videtur peccaſſe: videbitur peccaſſe, neque ullos profert fructus. AB HABITATORIBUS SUIS. Heb. *propter habitatores ſuos*, ut illi puniantur, quod magis declarant verba ſequentia: QUIA TRANSGRESSI SUNT LEGES, MUTAVERUNT IUS, ſeu *ſtatutum*, ſeu *præceptum*: id חק *hok* ſignificat. FOEDUS SEMPITERNUM, quod ſemper ſervare debebant, id ſunt tranſgreſſi.

V. 6. MALEDICTIO. Sic Sept. alii, *periurium*: VORABIT TERRAM. Propter peccata vaſtatur terra. ET PECCABUNT HABITATORES EIUS. Heb. *deſolabuntur habitantes in ea*. INSANIENT CULTORES EIUS. Heb. *areſcent habitatores terræ*.

V. 9. CUM CANTICO NON BIBENT VINUM. Conviviis ſolent adhiberi cantica. Non erunt convivia. AMARA ERIT POTIO. Heb. *amara erit ſicera bibentibus illam*. *Sicera* omne genus potionis eſt, quæ inebriat præter vinum.

V. 10. ATTRITA EST CIVITAS VANITATIS; pro, quoniam attrita eſt civitas, & clauſa eſt omnis domus, propterea omne genus gaudii ceſſabit. CIVITAS VANITATIS; pro, vanitati dedita. NULLO INTROEUNTE, ita clauſa eſt, ut nullus intrare poſſit. Heb. *ab intrando;* id eſt, ne quis ingrediatur, clauſa eſt civitas.

V. 11. CLAMOR ERIT SUPER VINO, quia illis deeſt. DESERTA EST OMNIS LAETITIA. Heb. *obtenebrata eſt*.

V. 12. IN URBE, id eſt in omni urbe, aut in urbe Ieroſolyma. CALAMITAS OPPRIMET PORTAS. Heb. *ſolitudine percutietur porta*. Ad urbis portas erat forum, & civium frequentia. Erit ergo ſolitudo, ubi erat frequentia.

V. 13. IN MEDIO POPULORUM, id eſt in populis ita continget. QUOMODO SI PAUCAE OLIVAE. Heb. *ſicut excuſſio olivæ*, ſcilicet quia paucæ olivæ in arbore maneent olivitatis tempore. ET RACEMI. Heb. *ſicut racemi parvi, ſi fuerit finita vindemia*; ſic pauci ſcilicet homines in urbibus manebunt.

V. 14. HI LEVABUNT VOCEM SUAM, ſcilicet qui remanſerint. CUM GLORIFICATUS FUERIT DOMINUS. Heb. *in gloria Domini*, id eſt propter gloriam Domini. HINNIENT. Heb. *exultabunt*. DE MARI, id eſt ab Occaſu: nam Occaſus *mare* vocatur: ſic Heb. Schol. & Pagn. Sed quare ab Occaſu? Chald. *Exultabunt ſicut exultaverunt in magnalibus, quæ facta ſunt eis in mari. De mari;* pro, ſicut de mari, ſcilicet olim exultaverunt in AEgypto.

V. 15. IN DOCTRINIS GLORIFICATE DOMINUM, id eſt ſapienter. *Urim*, *illuminationes* aliquando ſignificat: ideo Hieronymus dixit *in doctrinis*. Sed ſignificat etiam *valles*. Ergo glorificate Deum in vallibus, ibi plurimum urbes ſitæ erant. IN INSULIS. Quoniam de mari fecit mentionem, ad inſulas tranſit.

V. 16. A FINIBUS TERRAE. Hebr, *ab ala terræ*, id eſt ab extremo terræ, per totum orbem. AUDIVIMUS GLORIAM IUSTI. Chriſti ſcilicet gloriam univerſæ gentes celebrabunt. SECRETUM MEUM MIHI. Alii, *macilentia mea mihi*. רזי *raſi*, & *ſecretum* & *macilentiam* ſignificare poteſt. Si *macilentiam*, ſenſus erit: Perii miſer. Iſraelitæ Chriſto non obedient, ſed prævaricabuntur potius. Si *ſecretum*, erit ſenſus: Ex illis canticis intellexi Chriſtum venturum. Chald. indicat, duo ſecreta Iſaiæ revelata, ultionis ſcilicet contra impios, & ſalutis iuſtorum. ET PRAEVARICATIONE TRANSGRESSORUM, aut *prævaricatorum*; id eſt, haud dubium Iſraelitæ prævaricabuntur, non obedient legi, neque Chriſtum agnoſcent.

V. 17. FORMIDO. Non erit impune ea prævaricatio. SUPER TE, id eſt contra te, o Iſrael.

V. 18. A VOCE FORMIDINIS. Heb. *A voce timoris qui fugerit, cadet in foveam*. Chald. *a facie timoris*. Septuag. *Et erit fugiens qui fugerit timorem*. Voces *a facie*, & *a voce* redundant. QUIA CATARACTAE DE EXCELSIS, id eſt feneſtræ de cælis aper-

tæ ſunt; id eſt, ira Dei parata eſt contra prævaricatores.

V. 19. CONTRITIONE CONTERETUR TERRA. Heb. *diſſipatione diſſipabitur;* hoc eſt, magna clades terræ imminet & orbi.

V. 20. SICUT EBRIUS, ſine prudentia, ſine ſenſu erunt homines. ET AUFERETUR terra. Heb. *agitabitur*. QUASI TABERNACULUM UNIUS NOCTIS. Heb. *quaſi augurium, quod brevi diſſipatur*. Sed quia מלונה *meluna* deducitur a verbo לון *lun*, quod *pernoctare* ſignificat *nocte una*, Hieronymus addidit, *unius noctis;* cum tamen ea voce *tugurium* promiſcue ſignificetur: cap. 1. 8. *Sicut tugurium in cucumerario:* eadem ibi dictio eſt.

V. 21. VISITABIT DOMINUS SUPER MILITIAM CAELI, id eſt ſtellas affliget: vocat ſtellas Iſrael. ET SUPER REGES TERRAE, id eſt ſuper alias gentes.

V. 22. ET CONGREGABUNTUR IN CONGREGATIONE UNIUS FASCIS; id eſt, ſimul omnes Reges coniicientur in lacum, id eſt carcerem. Heb. *& congregabuntur congregatione vincti*, (id eſt ſicut vinctus congregatur, & includitur) *in puteum*: ſic carcerem vocat. ET POST MULTOS DIES VISITABUNTUR, id eſt liberabuntur.

V. 23. ET ERUBESCET LUNA; id eſt luminaria cæli obſcurabuntur præ gloria Domini & Chriſti, cum victis hoſtibus & vinctis regnaverit in Sion. ET IN CONSPECTU SENUM SUORUM FUERIT GLORIFICATUS. Heb. *& coram ſenibus ſuis gloria*, id eſt coram primis Synagogæ & Eccleſiæ Principibus glorificabitur Chriſtus non occulte, ſed publice.

M A L V E N D AE.

Verſ. 1. ECCE DOMINUS, &c. Sententiam huius capitis Explanatores in plures expoſitiones diſtrahunt. Quidam tamen quatuor hæc ſequentia capita propterea una coniungunt, quod unius ſint concionis, ut narratio & ſeries argumentationum oſtendunt. Sunt autem, inquiunt, huius concionis tres præcipuæ partes: prima eſt narratio prophetica iudiciorum, quæ ipſe Deus in gratiam populi ſui effecturus erat (ut Propheta denuntiavit capitibus antecedentibus, quibus hæc concio velut colophon fuit impoſita) uſque ad verſum 6. capitis XXV. ſecunda pars eſt, narratio prophetica formæ, quam Deus adhibiturus erat in iudiciis exequendis ad Eccleſiæ bonum & conſolationem, inde ad finem uſque capitis XXVI. tertia eſt inſtitutio populi in retinendo officio ſuo, & amplectendis promiſſionibus Dei, quæ exponuntur inde ad finem cap. XXVII. In prima autem propoſitione continentur tria, narratio iudiciorum Dei contra peccatores, duodecim primis verſibus huius capitis, & gratiæ eius erga Eccleſiam, uſque ad verſ. 16. deinde confirmatio denuntiati illius iudicii, uſque ad finem capitis; & poſtremo uſus illius, nimirum prædicatio gloriæ Dei in Eccleſia, quinque primis verſibus cap. XXV. DISSIPABIT TERRAM. Heb. eſt participium, *evacuans terram*. Quidam: *Ecce Iehova exhauſturus eſt*, cum habitatoribus, ut ſex primi verſus oſtendunt, tum rebus omnibus, ſex aliis verſibus, quæ duo his verbis prolepticе continentur; *terram*, id eſt ſingulas illas regiones in ſuperioribus prædictas, ſuis verberibus caſtigaturus quamque. ET NUDABIT EAM. Participium בולק *bolek*, varie reddunt. 1. *& exinaniens eam*. 2. *& deſolans, devaſtans*, vel *deſolare faciens eam* 3. *& aperiens eam*, ante clauſam & munitam hoſtibus ingreſſuris, id eſt reddens eam perviam hoſtibus. 4. *& diſſipans, diſtringens eam*. 5. *& evellens, decerpens eam*, id eſt depeculans, deprædans, depopulans, quaſi floccos, & pilos tenuiores eius evellens, ac ſi dicas, *Deſloreans eam*. Sed hi vaniſſima perſuaſione ſonum tantum verborum ad eruendam ſignificationem conſectantur. ET AFFLIGET FACIEM EIUS. Heb. *& incurvabit, diſtorquebit, depravabit, pervertet faciem, ſuperficiem, formam eius*. Exponunt: Id eſt, auferet, aget ſurſum deorſum omnia, cum ad perſonas, tum ad res ipſorum pertinentes, ut ſequens verſus demonſtrat.

V. 2. ET ERIT SICUT POPULUS, SIC SACERDOS, &c. Hunc verſum alii ex Heb. clarius ita convertunt: *Eritque perinde populo ac præſidi, perinde ſervo ac domino ſuo, perinde ancillæ ac heræ ſuæ, perinde emptori ac venditori, perinde mutuo danti, atque mutuo accipienti, ac ei qui fœnerat ipſi;* id eſt, omnes perſonarum omnium ordines confundentur, calamitatibus æque ſummos atque infimos opprimentibus. SIC SACERDOS. כוהן *cohen*, hic nonnulli potius *præſidem* quam *ſacerdotem* malunt exponere,

pro-

Digitized by Google

propter antitheton *populi* & *præſidis :* ſed recte quoque *ſacerdos* accipitur *populi* antitheton*:* vide in Geneſ. XIV. 18. & in cap. XLI. 45. SICUT FOENERATOR, SIC IS QUI MUTUUM ACCIPIT; SICUT QUI REPETIT, SIC QUI DEBET. Heb. *ſicut mutuum dans*, *ſicut mutuum accipiens*: *ſicut qui fœnerat, ſic qui fœneratur*, vel *ſicut accipiens fœnori*, *ita dans ei:* aut *ut debitor, ita oppreſſor eius*, id eſt *fœnori* fœnerator*:* vel *ſicut oppreſſus debitor*, *ita qui irruit in eum*. Hebræi prius membrum de iis accipiunt, qui mutuum dant, & recipiunt gratis, & ſine ullo fœnore aut lucro; poſterius vero, de iis qui dato pignore cum uſura & fœnore mutuum dant & accipiunt*:* in poſteriore vero membro, quidam priorem vocem, creditorem; poſteriorem, debitorem intelligunt*:* alii rectius priorem, debitorem; poſteriorem, creditorem, vel oppreſſorem, ſcilicet fœneratorem accipiunt. Recte notant particulam *Caph* geminatam hoc verſu ad ſingula antitheta, abſolutam utrimque ſimilitudinem, & æqualitatem ſignificare. De ſignificatione verbi נשה *naſchah*, quod *obruere* hic reddimus, vide in Deuteronom. XV. 2.

V. 3. DISSIPATIONE DISSIPABITUR TERRA, ET DIREPTIONE PRAEDABITUR. Heb. *Evacuando evacuabitur terra*, *& diripiendo diripietur*, id eſt penitus, omnino evacuabitur & diripietur. Quidam*: Exhauriendo exhaurietur*, ſeu *plane exhaurietur terra*, ut dixerat de AEgypto ſupra cap. XIX. 3. *& diripietur*, vel *plane diripietur:* ut ſupra cap. VIII. 3. cap. X. 6. cap. XI. 14. cap. XIV. 17.

V. 4. LUXIT, ET DEFLUXIT TERRA. Alii ex Hebr. I. *Deſtructa eſt*, *ruit terra*. II. *Periit*, *cecidit terra*. III. *Corrupta eſt*, *decidit terra*. IV. *Luxit*, *flaccuit*, *emarcuit*, *elanguit nativo humore & ſucco deſtituta fuit*. V. *Luxit*, *expalluit terra*. VI. *Lugebit*, ut ſupra cap. III. 26. & cap. XIX. 8. *concidet terra:* ut prædixerat ſupra cap. I. 30. ET INFIRMATA EST, DEFLUXIT ORBIS. Alii : I. *deſolatus eſt*, *ruit orbis*. II. *infirmatus eſt*, *defluxit orbis*. III. *exciſus eſt*, *emarcuit orbis* IV. *deformatus*, *langueſfactus eſt*, *& expalluit orbis*. V. *languebit*, *concidet orbis habitabilis*, ut ſupra cap. XVI. 8. & cap. XIX. 8. De notione verbi *amalal*, quod hic per *infirmari* vertit Noſter, vide ſupra cap. XVI. 8. INFIRMATA EST ALTITUDO POPULI TERRAE. Hic rurſus ponitur verbum אמלל *amalal*, de quo nunc dicebam. Alii, 1. *infirmati ſunt elatio populi terræ*, vel *excelſi populi terræ*. מרום *marom*, collective accipiunt, pro *excelſis*, *elevatis*, qui in populo eminent & elevantur dignitate, opibus, &c. 2. *deformati ſunt ſublimes populi terræ*. 3. *languebunt celſitudo populi terræ*, ſeu *celſi populorum terræ*, ut interminatus fuerat ſupra cap. II. 11. & 22. & IX. 14.

V. 5. ET TERRA INFECTA EST AB HABITATORIBUS SUIS. Alii: I. *Et terra impie & inhumane aget ob incolas ſuos*. II. *Et terra hypocrita eſt ſub habitatoribus ſuis*, vel *& terra ſimulata fuit*, *fallax fuit incolis ſuis*; id eſt, ſpem agricolarum fruſtrata eſt. III. *Et terra impia fuit erga incolas ſuos*, quia deſiit producere fructus ſuos incolis neceſſarios, quaſi invida & inhumana erga illos. IV. *Et terra impie egit propter habitatores ſuos*, id eſt pœnas luet impietatum habitatorum ſuorum, nam deſolabitur. V. *Et terra polluta*, *contaminata*, *infecta fuit propter habitatores eius*. VI. *Etiam hæc terra contaminata eſt ſub habitatoribus ſuis*. AEtiologia a peccatis hominum aſſerens iuſtitiam Dei, quam Propheta amplificat per comparationem Iehudæorum, ſequente verſu, ut ad alterum iudiciorum genus tranſeatur : vide ſimile Numeror. XXXV. 33. QUIA TRANSGRESSI SUNT LEGES. Aliqui : *qui tranſgrediuntur leges*, naturales & politicas, ad publica & privata hominum officia pertinentes. MUTAVERUNT IUS: proprie, *ſtatutum*, *præceptum*. Quidam: *mutant decretum*, poſitum in cæremoniis, & externo Dei cultu. DISSIPAVERUNT FOEDUS SEMPITERNUM. Alii : *irritum faciunt fœdus perpetuum*, vel *pactum ſæculi*, cum Abrahamo initum circumciſione, Geneſ. XVII. & redintegratum in traditione legis, Exod. XXIV.

V. 6. PROPTER HOC MALEDICTIO VORABIT TERRAM. Alii: I. *Ideo periurium deſolavit terram*. II. *Idcirco execratio conſumet terram*; id eſt, execratio ſeu imprecatio, cui ſe Iſraelitæ devoverunt, ſi tranſgrederentur leges, mutarent decretum, irritumque facerent fœdus perpetuum, Exod. XXIV. & Deuteron. XXIX. 10. & ſequentibus. Nam hoc prius membrum ad Iſraelitas reſpicit, de quibus nominatim dixerat poſteriore loco, verſu ſuperiore.

Digitized by Google

אלה *alah*, *adiuratio*, *deieratio*, *imprecatio*, *execratio*: vide in Deuteronom. XXIX. 14. ET PECCABUNT HABITATORES EIUS. Varie alii ex Hebr. I. *& deſolati ſunt habitantes in ea*. II. Forſterus: *aſſlabiles enim ſunt, qui eam inhabitant*; id eſt, cum flatu quodam ſunt abominationi & horrori, ſeu ſunt prorſus abominandi & exſibilandi. III. *& piaculares ſunt habitantes in ea*, id eſt ſacrilegi, flagitioſi, quorum ſcelera non niſi publicis ſacrificiis expiari poſſunt. IV. *& ſtupende deſolabuntur habitantes in ea*. IDEOQUE INSANIENT CULTORES EIUS. Alii ex Hebr. I. *propterea incaluerunt habitatores terræ*. II. *ob id combuſti, exuſti, aduſti ſunt incolæ terræ*. III. *idcirco exardeſcent habitatores terræ*. Exponunt: *Idcirco*, nimirum propterea quod gentes tranſgrediuntur legem, cuius opus ſcriptum geſtant in cordibus ſuis, una teſtimonium reddente ipſorum conſcientia, &c. Romanor. II. 15. nam hoc poſterius membrum per hyſteroſin de aliis gentibus eſt accipiendum, quarum Propheta meminerat priore loco, ſcilicet ante verſ. 5. *exardeſcent habitatores terræ*; id eſt, incendio iræ Dei conflagrabunt, ut ſupra cap. IX. 18. & cap. X. 16. ET RELINQUENTUR HOMINES PAUCI. Hebr. *& relinquetur*, ſeu *remanebit homo modicus*, collective, id eſt homines pauci. Alii: I. *homo paucitatis*. II. *hominis paucum*, *puſillum*. III. *paucique mortalium reliqui facti ſunt*. IV. *& reliqui fient mortales perpauci*.

V. 7. LUXIT VINDEMIA. Alii: I. *Lugebit muſtum*. Altera pars prolepſeos, de qua verſ. 1. expreſſa proſopopœiis vehementiſſimis. II. *Deſolatum eſt*, *defecit*, *periit vinum novum*. INFIRMATA EST VITIS. Idem verbum *amalal*, quod ſupra verſ. 4. Alii reddunt: *exciſa*, *deformata*, *deſolata*, *enervata eſt vitis*. Quidam: *languebit vitis*, ut ſupra cap. XVI. 8. INGEMUERUNT OMNES QUI LAETABANTUR CORDE. Quidam: *ſuſpirabunt omnes læti animo*.

V. 8. CESSAVIT. Alii: *Ceſſabit gaudium tympanorum*, de quibus ſupra cap. V. 12. QUIEVIT SONITUS LAETANTIUM. Hebr. *deſiit obruitio*, *ſtrepitus*, *tumultus*, *fremitus*, *fragor*, *ſonitus*, ut Pſalm. XXXIX. 3. *exultantium*.

V. 9. CUM CANTICO NON BIBENT VINUM: id eſt, non convivabuntur pergræcando. AMARA ERIT POTIO BIBENTIBUS ILLAM. Alii: *amareſcet potus inebrians bibentibus ipſum*; id eſt, ingratus erit, adeo obruentur calamitatibus: metaphora; quaſi dicat, Nullum guſtum habebunt in lautitiis. De שכר *ſchechar*, quam *ſiceram*, *ebriamen*, *ebriamentum*, *potum inebriantem* reddunt, vide in Levit. X. 9.

V. 10. ATTRITA EST CIVITAS VANITATIS. Alii: I. *Perfracta eſt civitas inordinationis*, ſeu *civitas inordinata*; id eſt, gubernatione, magiſtratibus, iudiciis, mercimoniis, cultibus, ſacrificiis, ceteriſque eiuſmodi rebus carens, quæ in republica bene conſtituta certo ordine, ſtatu, tempore peragi ſolent. II. *Contrita eſt civitas vanitati dedita*. III. *Confringetur urbs inanis futura*, ut de Babylone & Tyro dictum eſt ſupra cap. XIII. & XXIII. De voce תהו *tohu*, quam *vanitatem*, ſeu *inanitatem* vertunt, vide in Geneſ. I. 2. CLAUSA EST OMNIS DOMUS NULLO INTROEUNTE. Hebr. *de ingrediendo*. Quidam: *ne quis ingrediatur*. Alii: *claudetur omnis domus*, *ne quiſquam ingrediatur*. Nonnulli: *clauſa eſt omnis domus extrinſecus*.

V. 11. CLAMOR ERIT SUPER VINO IN PLATEIS. Alii: I. *Clamor in plateis erit propter vinum*; id eſt, propter vini penuriam multis certatim concurrentibus, & ſe trudentibus cum clamoribus ad emendum vinum, cuius maxima eſt caritas: ut fieri ſolet cum populus vini, aut alicuius rei neceſſariæ inopia premitur. II. *Querela erit ſuper vino in plateis*, ut ſupra cap. XVI. 7. Poſſis accipere, ut ex vino & ebrietate naſcantur in plateis iurgia, & clamores, ac lamentabiles, & luctuoſæ vociferationes, qua ratione ſumitur hæc vox Pſalm. CXLIII. 14. DESERTA EST OMNIS LAETITIA. Varie alii ex Heb. I. *obtenebrata eſt*, vel *obtenebrabitur omnis lætitia*. II. *adveſperatum eſt omne gaudium*; id eſt, ad finem uſque deductum, quo ceſſare ſolet. III. *adveſperaſcet omnis lætitia*, id eſt occidet ut ſol incunte veſpera, & terminabitur luctu: metaphora; iuxta illud: *Extrema gaudii luctus occupat*. Sic ſumitur verbum ערב *gharab*, Iudic. XIX. 9. nimirum ex voce ערב *ghereb*, *veſpera*. Noſter ex ערבה *gharabah*, *deſerto*, accepit. Nos genuinam & primariam verbi notionem retinuimus, *miſta*, *commiſta*

ſuit

Digitized by Google

ſuit omnis lætitia, ſcilicet triſtitia & mœrore.

V. 12. RELICTA EST IN URBE SOLITUDO. Non ſatis apta conſtructio, nam Heb. participium eſt maſculeum, ſolitudo vero femineum; reddunt alii: *Relictum in urbe*, vel *quod reliquum eſt in urbe*, *deſolatio eſt*. Quidam: *Reliquum factum in civitate*, *deſolatione*, ſcilicet atteretur, e ſequente membro; id eſt, denique nihil omnino integrum relinquetur in urbe. ET CALAMITAS OPPRIMET PORTAS. Alii: I. *& in tumultu contundetur porta*. II. *& ruina*, *fragore*, *ſtrepitu percuſſa eſt porta*. III. variatis punctis: *& ruina contundet*, vel *contudit portam*. IV. *& deſolatione contundetur porta*. V. *& vaſtitate atteretur porta*. VI. *& portæ devaſtatione percutientur*.

V. 13. QUIA HAEC ERUNT IN MEDIO TERRAE, &c. Hunc verſum ita quidam ex Hebræo exponunt: *Quando ita fuerit in medio terræ inter populos iſtos*, *ſimiles ſtrigmento oleæ*, ſeu *olivis diſtrictæ oleæ*, *ſimiles racemis cum finita eſt vindemia*. Secundus locus narrationis de gratia Dei erga Eccleſiam, ut monuimus in verſ. 1. quo continentur, primum explicatio ſalutis percipiendæ a Deo, hoc verſu; deinde profeſſio illius, & gentium omnium provocatio ad percipiendam & agnoſcendam illam, duobus ſequentibus. *Ita fuerit in medio terræ*; id eſt, iudicia Dei perfecta fuerint: *ſimiles olivis diſtrictæ oleæ*, &c. id eſt, Illi qui ſecundum electionem gratiæ reſidui facti fuerint, & ſervati a Deo, ut ſupra cap. XVII. 6. & 9.

V. 14. HI LEVABUNT VOCEM SUAM, &c. Alii hunc verſum ex Hebr. transfundunt: I. *Hi elevabunt vocem ſuam*, *& laudabunt in excellentia Iehovæ*, vel *propter excellentiam Iehovæ*, *exultabunt a mari*, vel *vociferabuntur*, vel *prorumpent in laudes ab occidente*, id eſt ab extrema orbis parte, cum ſcilicet viderint Deum ſumpſiſſe pœnas de improbis. II. *Iſti levabunt vocem ſuam*, *congratulabuntur in magnificentia Iehovæ*, *hinnient a mari*, ſeu ab occidente; id eſt, reliquiæ ſalutem adeptæ in Græcia, Italia, Germania, Gallia, Hiſpania, &c. læti laudes Iehovæ decantabunt, converſo ad fidem Chriſti toto occidente. III. *Hi attollent vocem ſuam*, *iubilabunt in magnificentia Iehovæ*, vel *ovabunt*, *præconizabunt*, *acclamabunt ob præſtantiam Iehovæ: exclamabunt præ gaudio*, *& lætitia*, *de mari*. IV. *Hi efferentes vocem cantabunt propter excellentiam Iehovæ*, *claram vocem edent inde a mari*, *dicentes*; id eſt, ubicumque fuerint in omnibus finibus terræ.

V. 15. PROPTER HOC IN DOCTRINIS GLORIFICATE DOMINUM. Alii ex Hebr. I. Kimchius & Sanctes, Vatablus & Schindlerus, ac Leo Iudas: *Propter hoc in vallibus glorificate Iehovam*. II. Vatablus, Marinus, Tremellius, Iunius, Buxtorfius: *Idcirco in flammis*, *in ipſis ignibus*, *honorate*, ſeu *glorificate Iehovam*. Notant eſſe genus ſeu formulam poſſeſſionis, qua boni a Deo ſervati hortantur alii alios, propter probationem ſive experimentum mirificæ liberationis ſuæ, qua ſpem in ſe ipſis confirmant, & in aliis exemplo, doctrinaque excitant: ſpes autem non pudefacit, Roman. V. 5. Eſt autem in hac laudatione paralepſis Hebræis frequentiſſima, cum reticentur laudationis argumenta. *In ipſis ignibus*; id eſt, vos, qui adhuc verſamini in mediis tribulationibus exemplo noſtro ſecuri de liberatione veſtra gaudentes ſpe, in afflictione tolerantes, Romanor. XII. 12. III. Forſterus: *Idcirco in cavernis glorificate Iehovam*. Intelligit autem Troglodytas. De Troglodytis vide Agatharchidem Gnidium Lib. V. de mari rubro, cap. IV. Diodorum Siculum Lib. III. Num. 115. Strabonem Lib. XVI. pag. 775. & ſequent. Plinium Lib. V. cap. VIII. & Lib. VI. cap. XXIX. Heliodorum Lib. VIII. AEthiopicorum, cap. XXIII. Forerius ſecutus interpretationem Forſteri, Troglodytarum nomine hic ſynecdochice quaſvis feras & barbaras nationes accipit, quod Troglodytæ eſſent ſupra modum barbari, quas Propheta ad Chriſtum acceſſuras prædicit. Nec immerito hic intelleximus Abyſſinorum AEthiopum eam partem, quæ ſinui Arabico incumbit, quam regnum Barnagaes nunc appellant: ii enim exiſtimantur eſſe veterum Troglodytæ, quos conſtat initio naſcentis Eccleſiæ fidem Chriſti ſuſcepiſſe. In imperio AEthiopum Abyſſinorum Gorages Troglodytas deſcribit Franciſcus Alvarez anno Chriſti 1521. in legatione AEthiopica, cap. CXI. Nec alienum eſt prænuntiaſſe hic Iſaiam ſacros illos Troglodytas,

dytas, id eſt ſanctos monachos & eremitas, qui in ſpeluncis & in cavernis degentes in deſertis AEgypti & aliis regionibus, ſimiles illis, quos celebrat Paulus Hebræor. XI. 38. & angelica vita, & ſacris hymnis Deum mirifice glorificabant. IV. Montanus: *Propter hoc in luminibus amplificate Iehovam*. Putat alludi ad veterem & novum morem, quo accenſis per noctem luminibus, tædis, ignibus publicam lætitiam teſtabantur; ut canat Propheta gratiam liberationis publicæ lætitiæ teſtificatione celebrandam, vel reſpici ad ignes, ad faces quibus ex turribus & pharis nuntii, aut rerum ſignificationes oſtendebantur: quaſi adminiſtri verbi nuntios & faces Evangelii procul diſſitis gentibus oſtentarent. V. Avenarius: *Ideo in rivulis glorificate Iehovam*, ut congruat cum ſequente membro, *in inſulis*. ארים *urim*, plures deducunt ab אור *or*, *luce*, quaſi dicas, *Luces*, *illuminationes*; quod Noſter metaphorice pro *doctrinis* accepit. Alii ab אור *ur*, *flamma*, *igne*, *foco*, tamquam eius plurale, *flammæ*, *ignes*. Nonnulli a יאור, *icor*, *fluvio*, *rivo*. Forſterus *cavernas* exponit, per antiphraſin, quod luce careant, vel potius quæ ſuperne foramina habeant, per quæ lux illabatur, ſicut מנהרות *minharoth* dicuntur, & חורים *chorim*, ab albicatione. Nec deſunt, qui alluſum hic putent ad locum Exod. XXVIII. 30. quaſi dicat, Propterea in Oraculo Urim glorificate Iehovam: quod de luce & oraculo Evangelii eſt accipiendum. IN INSULIS MARIS NOMEN DOMINI DEI ISRAEL: id eſt, quicumque, quocumque in loco, & inter quoſcumque ſitis, honorate nomen IHUH, &c. Aliqui, *inſulas maris* intelligunt extremos quoſque populos, & toto orbe diviſos, quales erant Europæi reſpectu Ieruſalaim, & quales ſunt nunc habitatores novi orbis ad occidentem, qui iam lucem Evangelii perceperunt.

V. 16. A FINIBUS TERRAE LAUDES AUDIVIMUS, GLORIAM IUSTI. Diverſimode exponunt: I. *Ab extremo terræ pſalmos audivimus*, *iucunditatem Iuſto*; id eſt, per totum orbem audivimus decantari Pſalmos in honorem Chriſti, qui Iuſto illi Chriſto gratiſſimi & iucundiſſimi ſunt. II. *Ab extremo terræ cantiones audivimus*, continentes *gloriam*, *&* *gratulationem* Chriſto *Iuſto* debitam & exhibitam. III. *Ab ala terræ cantica audivimus*, in hæc verba concepta, *Decus*, vel *gloria ſit Iuſto ipſi*, id eſt Chriſto iuſto, & iuſtificanti impium. IV. *Ab ora terræ pſalmos audiveramus*, *decorem fuiſſe iuſto*, &c. Confirmatio iudiciorum, quæ modo prædicta ſunt, primum a peccatis præſentibus, perfidiaque populi, in quam non poteſt ira Dei non revelari e cælo, tribus verſibus; deinde a fide ceterarum rerum in cælo & in terra, in exequendis & teſtificandis Dei iudiciis, ad finem uſque capitis. Sunt autem prima hæc verba emphatica, quibus Propheta amplificat indignitatem præſentem a comparatione priſcæ dignitatis, quæ in populum Dei emicuerat, ut Pſalm. XLIII. *Pſalmos audiveramus*, id eſt beneficia Dei, quæ pſalmorum ſunt argumenta, & prædicationis illorum, ſynecdoche: *decorem fuiſſe iuſto*, id eſt populo Dei alieno a præſente perfidia, & amplectenti iuſtitiam Dei per fidem Chriſti, eamque colenti ſanctificatione vitæ. De voce צבי *tzebi*, vide ſupra cap. XXIII. 9. ET DIXI: SECRETUM MEUM MIHI, SECRETUM MEUM MIHI. Exponunt: I. Id eſt, ex illis carminibus & pſalmis intellexi Chriſtum venturum, quod tamquam arcanum myſterium in pectore meo aſſervo, & exoſculor: væ mihi, ſi illud non agnovero, ac non bene uſus fuero. Plerique ex Chaldæo Interprete annotant geminatam vocem ſecreti a Propheta, quod duplex ſecretum in Chriſto revelatum fuerit ei, nempe ſalutis electorum, & ultionum in malos; vel ſalutis gentium, & ruinæ Iudæorum. II. *Et dixi: Tenuitas*, vel *macilentia mihi*, *tenuitas mihi*, *væ mihi*; quaſi dicat: Ad ſummam maciem redactus ſum quando prævidi ruinam, ſeu ultionem populi mei. III. *Iam autem dico*: expoſtulatio graviſſima abundans anaphoris, homæoteleutis, antonomaſiis, metaphoris, gradationibus, & comparationibus patheticis, quibus exaggerat Propheta peccata, hoc verſu; tum peccatorum pœnas, ſequentibus, uſque ad verſum ultimum. *Macies eſt mihi*, *macies eſt mihi*; id eſt, mærore ingenti a rebus iſtis indeſinenter contabeſco. רזי *razi*, Hebraice, *tenuitas*, *macilentia*, *macritudo*, *macies*. Chaldaice, *ſecretum*: apte, quod ſervare ſecretum maciem inducat: & Hiſpanice dicimus, *pu-*

drir-

drirſe el ſecreto ; & *Iod* poteſt eſſe ſubſtantiale, ſeu formativum nominis, & aſfixum, *macies mea mihi*, vel *ſecretum meum mihi*. Ve mihi: quidam ſequentibus nectunt; alii præcedentibus: quod eſt diſtinctioni Hebraicæ congruentius. Praevaricantes praevaricatæ sunt, &c. Varie alii hoc hemiſtychium ex Heb. convertunt. I. *excurſores, incurſores, irruptores excurrerunt, incurrerunt, irruperunt; & excurſione, incurſione, irruptione excurſores, incurſores, irruptores excurrerunt, incurrerunt, irruperunt*. II. *hei mihi; perfidi perfide agunt, & perfidia quidem perfidorum*, ſeu *perfidiſſime, perfide agunt*.

V. 17. Super te, qui habitator es terrae. Alii: *imminent tibi, o habitator terræ*.

V. 18. Et erit: Qui fugerit a voce formidinis, &c. Hunc verſum dilucidius alii ex Hebr. reddunt: *Erit enim ut fugiens ab audito pavore incidat in ipſam foveam, & qui aſcendet e medio ipſius foveæ, capiatur laqueo: nam cataractæ ex alto aperientur, & concutientur fundamenta terræ;* id eſt, communis erit cæli & terræ conſpiratio ad efficienda iudicia Dei. Sunt autem hæc verba deſumpta ex Moſeh Geneſ. vii. 11. per allegoriam, & ex Davide Pſal. xvii. 8.

V. 19. Confractione confringetur terra. Alii: I. *Confringendo confracta eſt terra*. II. *Confringendo confringet ſe terra*, vel *omnino confringet ſe terra*. III. *Male depaſcendo*, vel *malefiendo, male depaſta eſt terra*. IV. *Depaſtione depaſta eſt terra*; id eſt, omnino depaſta eſt. V. *Male afficiendo male affecta eſt terra*, vel *male habendo male habita eſt terra*, ſeu *male tractando, male tractata eſt terra*. Nos utriuſque verbi רעה *raghah*, & רעע *raghagh*, quod affinia ſint, & ſignificata communicent, notiones coniunximus: *Male depaſcendo, male depaſcere ſeſe fecit terra*. Et geminatio verbi, & coniugatio Hithpahel in ſecundo verbo ſignificatum intendit; id eſt, omnino, prorſus, maxima depaſtione depaſta, arroſa, exciſa fuit terra: ſic in ſequentibus. Quidam reddunt: *vehementer crepabit terra*. Contritione conteretur terra. Alii ex Hebr. I. *labeſcendo illabetur terra*, vel *labefactando labefactabitur terra*. II. *diſſipando diſſipata eſt terra*. III. *diſſolutione diſſoluta eſt terra*. IV. *exciſione labefactata eſt terra*. V. *graviter rumpetur terra*. VI. *diſrumpendo diſrumpet ſe*, vel *omnino diſrumpet ſe terra*. Commotione commovebitur terra. Alii ex Hebr. I. *amovendo amovit ſe terra*. II. *vacillando vacillavit*, vel *nutando nutavit*, ſeu *labendo lapſa fuit terra*. III. *omnino nutabit terra*. IV. *atrociter commovebitur terra*: ſenſum huius verſus ita concipiunt; ac ſi dicat, Peſſumdabuntur & ruent omnia: quod hic exaggeratur congerie verborum, ut ſupra verſu 3. & 4.

V. 20. Et auferetur quasi tabernaculum unius noctis. Alii ex Heb. I. *& movebitur ſicut tugurium*. II. *& traſferetur*, vel *agitabitur*, ſeu *dilaniabitur, dilacerabitur ſicut tabernaculum nocturnum*. III. *& evagabitur ut tegillum*. De voce מרוגה *melunah*, vide ſupra cap. 1. 8. Et gravabit eam iniquitas sua. Alii: I. *& gravis fuit contra eam transgreſſio eius*; id eſt, terra tranſgreſſione ſua gravabitur. II. *& ingraveſcet ſuper eam defectio, rebellio, ſeditio, ipſius*; id eſt habitatorum eius: metonymice, ut ſequente verſu.

V. 21. Et erit: In die illa visitabit, &c. Hunc verſum alii ex Hebr. convertunt: I. *Erit & hoc illa die, viſitabit Dominus*, id eſt affliget, puniet *exercitum ſupernum* vel *exercitum excelſi*, id eſt Iſraelis: quem Iſaias vocat excelſum, quod Deus dignatus eſt eum ſua lege, & magnis beneficiis: *in excelſo*, id eſt in terra ſancta, *& ſuper reges terræ, qui ſunt ſuper terram ipſam*. II. *Ee erit tempore illo, animadvertente Iehova in exercitum excelſi cuiuſque cum ipſo excelſo, & in omnes reges terræ cum terra ipſorum*; id eſt, reges & ſubditos, ſummos & infimos puniente, ut dixerat ſupra verſ. 2. Aliqui exponunt: *Super militiam excelſi*, ſeu *cæli*; hoc eſt, ſuper omnem ſtatum eccleſiaſticum, ut alibi in Scriptura nomen militiæ capitur.

V. 22. Et congregabuntur, &c. Hunc verſum alii ex Hebr. reddunt: I. *& colligentur quemadmodum vincti ſolent colligi in foveam*, vel *lacum*; id eſt, ut ſervi ſive mancipia compinguntur in ergaſtulum: *atque in carcerem includentur, & poſt multos dies viſitabuntur*, id eſt liberabuntur. II. *ut colligantur collectio* ſeu *collecti*; *vinctus* ſeu *vincti*, per ſyllepſin,

in foveam, ut includantur in clauſtro; id eſt, ut captivi teneantur potentia Dei quicumque adverſantur ipſi: metaphora a regno humano ad regnum ſpirituale Dei: *& poſt multos dies deſiderentur;* id eſt, longo intervallo non extollant ſe adverſus Deum, neque extent inimici eius. Hoc autem proprie ſignificari *viſitandi* verbo in hac Niphal coniugatione, cum abſolute ponitur, exempla omnia confirmant. Vide in Numer. XXXI. 49. & in I. Samuel. XX. 18. & cap. XXV. 7. & 21. quaſi dicat, Deviſitabuntur, derecenſebuntur, deerunt, ſubtrahentur de ſumma, de loco, &c.

V. 23. ET ERUBESCET LUNA, &c. Alii ex Hebr. hunc verſum transfundunt: I. *Itaque erubeſcet luna, pudoreque afficietur ſol: quia regnavit Dominus exercituum in monte Tziionis, & Ieruſalaim, & coram ſenibus ſuis erit in gloria.* Hyperbole, ac ſi dicat: Cum luna & ſol viderint iudicia de improbis, & Iehovam ſumere tam acerbas pœnas de illis, videbuntur quaſi erubeſcere & pudore ſuffundi; & tunc palam apparebit regnare Chriſtum in Eccleſia glorioſe. II. *Denique pudebit ipſam lunam, & erubeſcet ſol ipſe: cum regnabit Iehova exercituum in monte Tziionis, & Ieruſchalaimis, & coram ſenioribus ſuis gloria,* ſeu *glorioſe;* id eſt, nulla plane lux ſive gloria lunæ aut ſolis ipſius futura eſt, ſi cum Dei regnantis in Eccleſia luce comparabitur; puderet ipſos, ſi cum Deo committendi eſſent: proſopopœia hypothetica. *Glorioſe,* cum gloria ſua operumque ſuorum maxime, tum ſanctorum prædicatione, ad quam hæc verba ſunt metabatica, ſeu tranſitiva. ERUBESCET LUNA. Hebr. proprie, *infodiet ſe, infodietur luna.* Quidam hic reddunt: *Et avertet faciem luna,* ſcilicet præ pudore: ſic cap. I. 29.

MENOCHII.

Verſ. 1. ECCE DOMINUS, &c. Poſt onera, & excidia aliarum gentium de quibus egit a cap. XIII. huc uſque, tranſit ad onus totius mundi, ac diem extremi iudicii. DISSIPABIT. Hebraicum בּוֹקֵק *boqeq* ſignificat, inanem, & vacuam reddet. TERRAM. LXX. *Totum terrarum orbem.* NUDABIT EAM: hominibus, animalibus, aliiſque ſuis ornamentis. AFFLIGET FACIEM EIUS: exuret ſuperficiem terræ igne conflagrationis I. Petri III. 10. DISPERGET HABITATORES EIUS: ſoluta hominum ſocietate.

V. 2. SICUT POPULUS, SIC SACERDOS: erit omnium ordinum confuſio, nullumque erit gradus, aut dignitatis diſcrimen.

V. 3. PRAEDABITUR: Domino igne omnia vaſtante, & ignis prædam & pabulum faciente.

V. 4. DEFLUXIT. Chald. *deſolata eſt,* corruentibus domibus, civitatibus, arcibus, &c. INFIRMATA, id eſt viribus deſtituta. INFIRMATA EST ALTITUDO POPULI TERRAE; id eſt, principes, & nobiles, qui ſunt fortitudo, & excellentia populi terræ.

V. 5. INFECTA EST; ſcilicet peccatis. Chald. & LXX. *Peccavit.* FOEDUS, id eſt iura, & leges Dei. SEMPITERNUM: perpetuo eis obſervandum.

V. 6. MALEDICTIO: calamitas. ET PECCABUNT: *quia peccaverunt,* ut habent LXX. INSANIENT: furentes libidine, & cupidinibus, vel timore gravi quaſi in amentiam verſi, iuxta illud Deut. XXVIII. *Percutiet te Dominus amentia, & caecitate, & furore mentis,* & illud Chriſti Luc. XXI. 26. *Areſcentibus hominibus præ timore, & exſpectatione, quæ ſupervenient univerſo orbi.* CULTORES EIUS: terræ habitatores. RELINQUENTUR HOMINES PAUCI; quaſi dicat: A qua trepidatione, atque amentia in tanta multitudine eximentur pauci, qui divinam legem ſancte, & pie coluerunt.

V. 7. LUXIT VINDEMIA, ET INFIRMATA EST VITIS: uvis & vino deficiente. CUM CANTICO NON BIBENT VINUM: ſolebant enim muſicam ſociare conviviis.

V. 10. ATTRITA: vaſtata, deſolata. CIVITAS VANITATIS, id eſt mundus, in quo omnia vana ſunt, iuxta Eccleſiaſten I. 1. *Vanitas vanitatum, & omnia vanitas.*

V. 11. SUPER VINO: contendentibus inter ſe emptoribus quis illud emat, tanta erit eius penuria. Vide verſiculum ſeptimum.

V. 12. CALAMITAS OPPRIMET PORTAS. In foro erit hominum ſolitudo, & ſi qui apparebunt, erunt calamitate afflicti, & miſerandi.

V. 13. IN MEDIO TERRAE: in ipſa terra, in tota terra. QUOMODO SI PAUCAE OLIVAE, &c. quaſi dicat: In fine mundi, præſertim tempore Antichriſti, tam pauci erunt fideles conſtantes in fide, quam paucæ olivæ remanent in olea poſt eius excuſſionem.

V. 14. HI LEVABUNT VOCEM SUAM, &c. Iuxta illud Chriſti Luc. XXI. 28. *Levate capita veſtra, quoniam appropinquat redemptio veſtra*. HINNIENT DE MARI: vocem lætitiæ tollent ex pelago huius mundi, iam portum propinquum in quo quieſcant, cernentes.

V. 15. IN DOCTRINIS GLORIFICATE DOMINUM. Monentur viri Apoſtolici ut glorificent Deum, orbem percurrendo, & omnes gentes docendo. IN DOCTRINIS. In Hebræo eſt באורים *beurim*, id eſt *in lumine*, vel *in igne*; quaſi dicat: Igne zeli veſtri, & lumine prædicationis veſtræ illuminate, & ſuccendite totum orbem. LXX. Pagninus, & Vatablus vertunt *in Vallibus*, alii *in ſpeluncis*: quæ interpretatio ſignificare poteſt prædicationem etiam ad pauperes populos, & in ſpeluncis agentes, ut ſunt aliqui Indi, circumferendam eſſe. NOMEN DOMINI: ſcilicet glorificate, & prædicate.

V. 16. A FINIBUS TERRAE LAUDES AUDIVIMUS. Exultat Propheta, videturque ſibi extremorum orbis populorum ad Chriſtum converſorum voces audire laudantium Dominum. GLORIA IUSTI: laudantium, & glorificantium Iuſtum, id eſt Chriſtum. SECRETUM MEUM MIHI. S. Hieronym. ita explicat: *Non poſſum cuncta narrare, quæ cerno, hæret lingua faucibus meis, vox dolore concluditur: Væ mihi quantus ordo pœnarum ante oculos verſatur meos*. PRAEVARICANTES: ſcilicet Iudæi, vel peccatores. PRAEVARICATIONE TRANSGRESSORUM: non ex fragilitate, ſed ex malitia, & ſtudioſe peccantes.

V. 17. FORMIDO, ET FOVEA, ET LAQUEUS, &c. quaſi dicat, Omne genus malorum. QUI FUGERIT: ſignificat inevitabilia fore mala illa, & calamitates, quæ terram invadent. CATARACTAE DE EXCELSIS APERTAE SUNT. Cataractæ ſunt retinacula aquarum, quibus ſolutis, aut in altum ſublatis, aquæ magno impetu defluunt: ſignificatur malorum inundatio, & diluvium, ſicut tempore Noe apertis cæli cataractis, aquarum cataclyſmus in terras emiſſus eſt. CONCUTIENTUR FUNDAMENTA TERRAE: agmine malorum in terras e cæli cataractis defluente, & incumbente. Vel certe ſignificat terram tunc temporis inſolitis motibus concutiendam.

V. 19. CONFRACTIONE, &c. quaſſabitur terra, commovebitur, & variis locis propter concuſſionem illam ſcindetur.

V. 20. AUFERETUR, &c. non quoad ſubſtantiam, ſed quoad incolas, & quoad ſpeciem, & figuram, & ut ait Sanctus Hieronymus, non terra, ſed omnia terrena; id eſt, omnis terrena manſio, converſatio, omnes terreni homines, & priſtina vita, mores, & actus tranſibunt. QUASI TABERNACULUM UNIUS NOCTIS: quod veſperi figitur, & extenditur, & mane refigitur, complicatur, & aufertur. GRAVABIT EAM INIQUITAS SUA; id eſt, ſua illam ad caſum impellet iniquitas. NON ADIICIET UT RESURGAT: non reſurget.

V. 21. VISITABIT: iudicium exercebit. MILITIAM CAELI: dæmones, qui olim Angeli. Forerius intelligit Sacerdotes, & miniſtros Eccleſiæ.

V. 22. IN CONGREGATIONE UNIUS FASCIS. Dæmones, reges impii, ceterique peccatores quaſi uno faſce facto deiicientur in infernum. POST MULTOS DIES VISITABUNTUR; id eſt, æternum erit illorum ſupplicium; nam etiam poſt multos dies, quantumvis in infinitum extendas, eorum pœna innovabitur.

V. 23. ERUBESCET LUNA: nam ut ait Ioel, & ex eo S. Petrus Act. II. *Luna vertetur in ſanguinem*. CONFUNDETUR SOL: obſcurabitur, caligine involvetur. CUM REGNAVERIT DOMINUS: cum in ſolio ſuo regali ad iudicandum ſederit. IN MONTE SION: in Valle Ioſaphat, prope montem Sion. IN CONSPECTU SENUM: viginti quatuor ſeniorum, quorum mentio in Apocalypſi, & ceterorum ſanctorum, qui maxime venerabilis ſenatus ſpeciem exhibebunt.

Digitized by Google

TIRINI.

Verſ. 2. ERIT SICUT POPULUS, SIC SACERDOS; id eſt, eadem clade involventur omnes, tam ſacerdotes, quam laici; tam creditores, quam debitores; tam divites, quam pauperes.

V. 4. DEFLUXIT ORBIS; id eſt, corruit quidquid in orbe fuit, palatia, arces, oppida, pyramides, mauſolæa, arbores, ſilvæ, &c. omnia enim igne conflagrationis abſumentur, II. Petri III. 10.

V. 5. ET, pro quia. Cauſam enim exponit tantæ tamque horribilis cladis: nempe, quia tota TERRA INFECTA EST omni genere peccati, ut vertunt LXX. & Chaldæus. Simili modo

V. 6. ET, pro quia, PECCABUNT, & INSANIENT peccando, furentes libidine, faſtu, cupidine. ET RELINQUENTUR HOMINES PAUCI; quaſi dicat: Ab illa inſania pauci admodum eximentur, qui non ut bruta vivent, ſed ut homines, ex ratione & præſcripto legum Dei: ita S. Hieron. & Haymo.

V. 7. LUXIT VINDEMIA: nempe ariditate ſqualida, uvis deſtituta. Alludit ad plagas iudicio prævias, Apocal. VIII. &c.

V. 10. CIVITAS VANITATIS eſt totus mundus, in quo *omnia vanitas*, Eccleſiaſt. I. Hæc opponitur *civitati veritatis*, quæ cælum eſt, inquit S. Auguſt. initio libri de Civitate Dei.

V. 11. CLAMOR ERIT SUPER VINO, id eſt ſuper vini penuria, ut patet ex verſ. 7.

V. 13. HAEC ERUNT IN MEDIO TERRAE, non geometrice, ſed vulgata phraſi, qua *in medio* id fieri dicitur quod palam & paſſim fit; quaſi dicat: Hæc evenient orbi non ſecreto in uno angulo, ſed paſſim pluribus locis, immo ubique & palam. Porro fideles tum Chriſtiani & in virtute conſtantes, tam pauci erunt, quam PAUCAE cernuntur reliquæ OLIVAE in olea poſt eius excuſſionem. Quod maxime locum habebit ſæviente Antichriſto.

V. 14. HI, deiecto Antichriſto *ſpiritu oris Chriſti*, LEVABUNT capita in cælum præ gaudio, & HINNIENT DE MARI, quaſi generoſi equi e præcipitio vel lacu educti, & iam ad ſeſe vindicandum accincti.

V. 15. PROPTER HOC tam ſeverum imminens toti orbi excidium, vos, o fideles, GLORIFICATE DOMINUM IN DOCTRINIS, docendo & inſtruendo paſſim omnes aberrantes a via cæli & vitæ æternæ: traiicite maria, percurrite inſulas hactenus inacceſſas, extremas Indias penetrate. Atque o factum bene! Nam ecce

V. 16. A FINIBUS TERRAE, id eſt ab extremis Indiis, a quatuor angulis mundi, iam audivimus concini LAUDES Dei, quibus paſſim celebratur *gloria* IUSTI, Meſſiæ, redemptoris & iuſtificatoris mundi: ita S. Thomas, Lyranus & Sanchez. ET DIXI: SECRETUM MEUM MIHI; quaſi dicat: Cum in hac Deum & Chriſtum laudantium maſſa videam pauciſſimos eſſe ex Iudæis, pene omnes ex Gentibus collectos, non audeo triſte iſtud nuntium ſecreto mihi revelatum, aliis exponere ac propalare. Idem myſterium admiratione potius, quam proclamatione proſequitur S. Paulus Roman. XI. *O altitudo divitiarum ſapientiæ & ſcientiæ Dei!* Ita S. Auguſt. Forerius, Leo Caſtrius & a Lapide. VAE MIHI: heu crucior, ex tam miſera populi mei PRAEVARICATIONE ac reprobatione: & quod tanto malo obviare non poſſim.

V. 17. FORMIDO *a*, metaphora venatorum ſignificat *terriculamentum* quod avibus vel feris obiicitur, ut timore perculſæ in adverſam partem agantur, ibique in paratas foveas, vel laqueos incidant, inquit Seneca & S. Auguſtinus *b*; quaſi dicat: Nulla miſeris ſupererit ſpes evadendi; nam ſi unum malum effugiant, incident in alia graviora.

V. 18. CONCUTIENTUR FUNDAMENTA TERRAE, ſaltem ſpecie & apparentia tenus. An etiam reipſa, vide Iob IX. 6. Et de ſuo loco

V. 20. TERRA AUFERETUR, non tam quoad ſubſtantiam ſuam, quam quoad incolas & ſubſtructiones ſibi infixas, ait S. Hieron. *Auferetur*, inquam, QUASI TABERNACULUM, quod viatores noctu figunt ut ſub eo conquieſcant, ſed mane facto refigunt & ſecum devehunt: ſic terrena omnis manſio, nocte mundi peracta, tolletur & exſcindetur.

V. 21. MILITIAM CAELI, angelos malos exponit *c* Cornelius a Lapide: ſed hoc myſticum eſt, inquit Gabriel Alvarez. Ad litteram enim ſignificantur aſtra, ut

Digitized by Google

ut alibi dixi, & patet ex verſ. 23. quaſi dicat: Etiam ſolem, lunam, reliquaſque ſtellas offuſcabit Deus, & quaſi obcæcabit, ut ex illis ſic obcæcatis timor, horror, luctus, mœror & dolor hominibus accreſcat.

V. 22. POST MULTOS DIES, immo poſt multa ſæcula, perpetuo VISITABUNTUR; id eſt, punientur impii in lacu & barathro infernali: τὸ enim *viſitabuntur*, ſignificat hic actum continuatum; quaſi dicat: Etſi multis ſæculis ſint in gehenna, tamen numquam pœnæ illorum finientur, ſed pergent perpetuo viſitari, ſeu puniri: ita S. Hieron. Saſbout & Suarez: *d* unde LXX. vertunt, *Per multas generationes viſitatio eorum erit*.

V. 23. ERUBESCET LUNA, inſtar ſanguinis rubicunda, ut ait *e* Ioel: ET SOL obſcuratus CONFUNDETUR, quod homini tam ingrato, tam impio, tot ſæculis luxerint. CUM REGNAVERIT DOMINUS, & iudex univerſi Chriſtus IN MONTE SION, ſeu ſupra Ieruſalem, ad vallem Ioſaphat, iudicando omnes mortales, IN CONSPECTU SENUM; id eſt, in publico conſeſſu Patriarcharum omnium & Apoſtolorum, ceterorumque Beatorum, qui ſupremo iudici Chriſto ſocii erunt & aſſeſſores.

(a) Baruch. VI. 69.
(b) Seneca Lib. II. de Irac. 11. Auguſt. Lib. I. de Nuptiis & concup.
(c) II. Eſdr. IX. 6. & Eccl. XLIII. 9.
(d) Suarez in III. p. q. LII. art. 6.
(e) Ioel. II. v. 31.

GORDONI.

Verſ. I. ECCE DOMINUS DISSIPABIT TERRAM. Hic univerſe tantum proponit communem hanc cladem, & excidium orbis terrarum: pluribus id verbis explicat.

V. 5. Hic dat cauſam huius cladis communis & excidii; nempe quia homines iura Dei & leges violaverunt, ideo maledictio vorabit terram, opes nempe & luxum. Porro verſ. 6. RELINQUENTUR HOMINES PAUCI; hoc eſt, pauci erunt exempti, nempe qui recte vivendo parabunt ſe ad meliorem vitam, &c.

V. 15. PROPTER HOC IN DOCTRINIS GLORIFICATE DOMINUM. Hoc de doctrinis ex Hieron. eſt, *in ſcripturis eruditi, glorificate Dominum*: vel monitio eſt ad viros Apoſtolicos, ut percurrendo per orbem glorificent Deum. Heb. באורים *beurim*, *in lumine*, ſeu igne zeli.

V. 16. A FINIBUS TERRAE. Optime hoc de gloria iuſti ad Chriſtum refertur, cuius laus eſt in extremis orientis plagis & inſulis, ut etiam noſtra teſtantur tempora. Sed quid eſt ſecretum illud? an paucitas electorum quam admiratur? an ex Aug. in Pſal. VII. vocatio gentium, & reprobatio Iudæorum? uterque ſenſus bonus eſt: an altitudo ſcientiæ Dei, quam admiratur Paulus, Rom. XI. quod non ab illa abeſt Auguſtini ſententia? Promovet ſubinde ſermonem de malis illorum temporum.

V. 18. Per cataractas habes ſimilitudinem petitam a diluvio Noetico; ac ſi diceret: Sic Deus aperiet cæli feneſtras, ut effundat cladem in terram. Denique, ut ſubiungit, erit ſumma rerum perturbatio.

V. 21. ET ERIT: IN DIE ILLA, VISITABIT DOMINUS SUPER MILITIAM CAELI. Ex uſu Scripturæ ſunt ſol, luna, & ſtellæ quæ compoſito ordine, velut inſtructæ acies incedunt: ita Hieronymus; nam illa immutabuntur, vel (quod indicant verba *viſitabit*, & *lacus*) ſunt Angeli mali cælo pulſi, qui nunc licet in aere & alibi ſint, tamen omnes tandem inferno claudentur. At quid illud verſ. 22. POST MULTOS DIES VISITABUNTUR? Hoc videtur denotare acceſſionem æternitatis pœnarum; ita nempe punientur, ut iterum & deinceps duratura ſit acerba viſitatio hæc poſt diem iudicii, ſine levatione ſupplicii; vel iterum viſitabuntur, quando etiam corpore incipient puniri.

EX EIUSDEM AUCTARIO.

Verſ. 10. CIVITAS VANITATIS. Mundus iſte & omnia vana; inania, non ſolida abeunt.

Verſ. 13. SOLITUDO. Et pauci reperientur, ſic vaſtato mundo tot malis, qui parati erunt ad veram doctrinam, de qua verſ. 15. Et ſic pergit deſcribere ſubſequentia mala, etiam extremis mundi temporibus, donec adveniat dies iudicii.

Verſ. 19. CONFRINGETUR TERRA. Habitatores terræ, ex Hieronymo.

Verſ. 20. TABERNACULUM, quod veſpere figitur, & mane refigitur.

CA-

CAPUT XXV.

Propheta Deo gratias agit de operibus ſuis mirabilibus, & beneficiis populo ipſius in monte Sion præſtandis.

1. DOmine Deus meus es tu, exaltabo te, & confitebor no-
mini tuo: quoniam feciſti mirabilia, cogitationes antiquas
fideles, amen. 2. Quia poſuiſti civitatem in tumulum,
urbem fortem in ruinam, domum alienorum: ut non
ſit civitas, & in ſempiternum non ædificetur. 3. Super
hoc laudabit te populus fortis, civitas gentium robuſta-
rum timebit te. 4. Quia factus es fortitudo pauperi, fortitudo
egeno in tribulatione ſua: ſpes a turbine, umbraculum ab æſtu. Spiritus enim robu-
ſtorum quaſi turbo impellens parietem. 5. Sicut æſtus in ſiti, tumultum alienorum
humiliabis: & quaſi calore ſub nube torrente, propaginem fortium marceſcere
facies. 6. Et faciet Dominus exercituum omnibus populis in monte hoc con-
vivium pinguium, convivium vindemiæ, pinguium medullatorum, vindemiæ defæcatæ.
7. Et præcipitabit in monte iſto faciem vinculi colligati ſuper omnes populos, & telam
quam orditus eſt ſuper omnes nationes. 8. Præcipitabit mortem in ſempiter-
num: (*a*) & auferet Dominus Deus lacrymam ab omni facie, & opprobrium
populi ſui auferet de univerſa terra: quia Dominus locutus eſt. 9. Et dicet
in die illa: Ecce Deus noſter iſte, expectavimus eum, & ſalvabit nos: iſte
Dominus, ſuſtinuimus eum, exultabimus, & lætabimur in ſalutari eius. 10.
Quia requieſcet manus Domini in monte iſto: & triturabitur Moab ſub eo,
ſicuti teruntur paleæ in plauſtro. 11. Et extendet manus ſuas ſub eo, ſicut exten-
dit natans ad natandum: & humiliabit gloriam eius cum alliſione manuum
eius. 12. Et munimenta ſublimium murorum tuorum concident, & humilia-
buntur, & detrahentur in terram uſque ad pulverem.

(a) Apoc. VII. 17. & XXI. 4.

COMMENTARIA

MALDONATI.

Verſ. 1. ET CONFITEBOR, id eſt laudabo nomen tuum. Frequens Hebraiſmus. QUONIAM FECISTI, facturus es, præt. pro fut. COGITATIONES ANTIQUAS. Declarat per appoſitionem, quænam mirabilia facturus ſit, nempe, ut quæ longo ante tempore decreverat, & per Prophetam prædixerat, (has enim vocat cogitationes antiquas.) Sint AMEN, id eſt vera. Heb. אמונה, *veritatem* (feciſti,) אמן, *firmam*, ut certo evenirent.

V. 2. QUIA POSUISTI (pones) CIVITATEM. Aliqui Ieroſolymam intelligunt, quam vocari putant domum alienorum, id eſt Iudæorum, qui peccatis ſuis a Deo ſeſe alienaverant, ut Pſal. XVII. 46. *Filii alieni mentiti ſunt mihi*. Babylonem intelligi debere arbitror; & eius nomine omnes alias nobiles civitates, quarum excidium ante narravit Iſaias. IN TUMULTUM. לגל, *in tumulum*, (quemadmodum credibile etiam eſt Interpretem noſtrum vertiſſe, ſicut & Septuag. εἰς χῶμα, id eſt, ut ſit tantum acervus lapidum, ac ruderum, quales eſſe

ſolent urbes funditus everſæ. Urbem fortem: eamdem. Domum alienorum: ארמין, *palatium*, *arcem alienorum*, id eſt hoſtium, Babylonem, & ceteras urbes, quæ velut aſylum hoſtium erant. Ut non sit civitas; id eſt, deſtruxiſti penitus, ut reædificari nequeat.

V. 3. Super hoc: hac de cauſa: עלכן, *propterea*. Laudabit te populus fortis, id eſt Iudæi, cum viderint deletos hoſtes ſuos, ſeque a ſervitute liberatos. Civitas gentium robustarum, id eſt Ieroſolyma, vel, civitates omnes hoſtium, (ſing. pro plurali.) ſicut verſu ſequenti vocat hoſtes eodem verbo עצרים.

V. 4. Quia factus es: qui eris fortitudo pauperis, id eſt Iudæorum, quos ab hoſtium manibus liberabis; ſing. pro plurali. Spes a turbine: מחסה, *tegumentum*, *protectio adverſus tempeſtatem*, id eſt impetum hoſtium. Umbraculum ab aestu, id eſt contra hoſtium furorem; quaſi dicat, Liberabis nos ab omni periculo & iniuria. Spiritus enim robustorum, id eſt impetus hoſtium. Hæc verba duos contrarios ſenſus habere poſſunt: alter eſt, ut Propheta reddat cauſam cur turbinem vocarit, quia ſpiritus; id eſt, impetus & irruptio robuſtorum hoſtium contra Iudæos, ſimilis fuit turbini in parietem incurrenti. Alter eſt, ut cauſam reddat, cur Deum dixerit fuiſſe tegumentum, quia ita Deus Iudæos protexit, ut non magis eos hoſtes deiecerint, quam turbo deiicit murum firmiſſimum.

V. 5. Sicut aestus. Nunc reddit cauſam ſecundi membri, cur dixerit Deum fuiſſe umbraculum ab æſtu, quia humiliabit tumultum שאין *ſtrepitum*, *alienorum*, id eſt hoſtium, ſicut æſtum in siti: בציון, *in loco arido*, qui ſtrepitus alienorum eſt velut æſtus in loco arido: itaque melius vertemus per accuſativum, *ſicut æſtum in loco arido*, &c. Et quasi calore sub nube torrente. Solet ſeges in regionibus calidis, cum nimius quidam calor ſub nubibus concluſus magis ardet, marceſcere. Hiſpani eum calorem *bochorno* vocant, & ſegetes eo calore lædi, *abochornarſe*. Significat ergo Propheta elegantiſſima metaphora, fore ut Deus faciat ut Iudæorum hoſtes ſuo ipſorum furore, quaſi ardore illo nubibus incluſo conſumantur. Heb. חרב בצל עב, *æſtum in umbra nubis*, id eſt ſicut æſtum per umbram nubis, hoc eſt ſuperinducta umbroſa nube: זמיר עריצים יענה, *excisionem*, aut *inſultationem robuſtorum* (hoſtium) *deprimet* (Deus:) mutatio perſonæ Prophetis uſitata.

V. 6. Et faciet Dominus: poſtquam omnes pœnas luerint, & Chriſtus venerit. In monte hoc, Sione, per quem Eccleſia Catholica ſignificatur. Convivium pinguium, id eſt ex optimis & delicatiſſimis cibis. Solent enim pinguiores cibi eſſe meliores: convivium autem appellat Evangelii prædicationem & cognitionem, quæ in monte Sion primum proponi cœpta eſt, ac per totam deinde Catholicam Eccleſiam propagari, ut Matth. xxii. 4. *Ecce prandium meum paratum eſt, tauri mei & altilia mea occiſa ſunt, & omnia parata: venite ad nuptias*: & Pſal. xxi. 27. *Edent pauperes, & ſaturabuntur*. Convivium vindemiae, id eſt oppiparum, quale tempore vindemiæ præ lætitia fieri ſolet, cum fructuum & omnium aliarum rerum copia eſt. Vel, *vindemiæ*, id eſt vino abundans, ut per vindemiam vinum ſignificet. Heb. משתה שמרים quod alii vertunt, *Convivium fæcium*, alii, *defæcatorum*, id eſt delicatiſſimorum vinorum, in quibus nihil ſit fecis; alii, *ſervatorum* (vinorum) id eſt vetuſtiſſimorum, quæ diu ſervata fuerint. Pinguium medullatorum, id eſt ex pinguibus medullis. Vindemiae defaecatae, id eſt vini defæcati: שמרים מזוקקים, *fæcium defæcatarum*, id eſt vini defæcati, vel *fæcium transfuſarum*, aut *vetuſtorum* (vinorum) *colatorum*. Hiſpani vocant *Vino traſegado*. Solent enim vinum ex uno vaſe in alterum transfundere, ut purius efficiatur. Myſt. (totus enim locus myſticus eſt) Pingues medullæ ſunt Evangelica myſteria, vina vetera & defæcata, Evangelica Sacramenta, quæ gratiam conferentia ſicut vinum lætificant cor hominis. Dedit ſponſus, id eſt Chriſtus principio peiora vina, id eſt Sacramenta veteris Legis, quæ quia vacua erant gratiæ non inebriabant; ad finem vero dedit bonum vinum, id eſt Evangelica Sacramenta, quibus homines Spiritu ſancto inebriantur, ut Ioan. iv.

V. 7. Et praecipitabit. ובלע, proprie *devorabit*, ſicut verſu ſequenti, בלע מות, *devorabit mortem*. Noſter Interpres reddidit *præcipitabit*, quia ex monte aut alio loco edito præcipitare ſolemus. Faciem vincu-

LI COLLIGATI. Heb. הלוט הלוט, *tegumenti involuti* SUPER OMNES POPULOS, id eſt, auferet velum ignorantiæ & peccatorum: quod efficit ut homines faciem Dei videre nequeant, id eſt illi reconciliari. Quod idem alia metaphora D. Paulus ad Coloſſ. II. 14. vocavit chirographum decreti, quod adverſus nos erat. Id ſignificavit moriente Chriſto ſciſſum velum templi. ET TELAM QUAM ORDITUS EST. Telam vocat pœnam omnibus paratam propter peccata, quam Chriſtus in cruce ſubiit, & a nobis abſtulit. המסכה הנסוכה על־כל הגוים, *& operimentum quod expanſum eſt ſuper omnes gentes*.

V. 8. PRAECIPITABIT: בלע, *devorabit*, Oſee XIII. 14. *Ero mors tua, o mors, morſus tuus ero inferne*: & I. Cor. XV. 54. *Abſorpta eſt mors in victoria. Ubi eſt mors victoria tua? ubi eſt mors ſtimulus tuus?*

V. 9. ET DICET IN DIE ILLA: ECCE DEUS NOSTER ISTE. Particula *Ecce*, emphatica eſt, ſignificans inventum eſſe ſubito eum, qui magno ſtudio quærebatur. Chriſtum autem vocat Deum ſuum. EXPECTAVIMUS EUM. Notat longum deſiderium Iudæorum, quo Meſſiam expectaverunt. ET SALVABIT NOS, aut ſalvavit nos; quaſi dicat, Tandem diu expectatus venit, ac liberavit nos. SUSTINUIMUS: קוינו, *expectavimus*; id eſt, iſte eſt Dominus ille, quem expectavimus. EXULTABIMUS, ET LAETABIMUR, aut exultavimus, & lætati ſumus. IN SALUTARI EIUS, id eſt propter ſalutem quam nobis attulit.

V. 10. QUIA REQUIESCET. Per montem intelligit Eccleſiam Catholicam; per manum Domini, Chriſti auxilium, operationem, gubernationem. *Pater meus uſque modo operatur, & ego operor*, Ioan. V. 17. Verbo autem quieſcendi ſignificat Chriſtum non ad breve tempus, ſed perpetuo Eccleſiæ adfuturum. *Ecce ego vobiſcum ſum uſque ad conſummationem ſæculi*: Matth. XXVIII. 20. ET TRITURABITUR MOAB, id eſt, Diaboli tyrannis conteretur. SUB EO, id eſt ſub manu Domini. Moab unum adverſarium pro omni poſuit, & viſibilem pro inviſibili. *Deus autem pacis conterat Satanam ſub pedibus veſtris velociter*: ad Rom. XVI. 20. SICUT TRITURANTUR PALEAE: כהדוש מתבן בסי מדמנה, *ſicut trituratur palea in ſterquilinio*, id eſt facile, aut minute.

V. 11. ET EXTENDET (Dominus) MANUS SUAS SUB EO: בקרבו, *in medio eius*. SICUT EXTENDIT NATANS (השחה *natator*) AD NATANDUM; id eſt, facile diſperdet omnes hoſtes, quemadmodum natator paſſis leviter manibus, & quaſi nihil agens aquam diſſecat. ET HUMILIABIT (Dominus) GLORIAM, גאותו, *ſuperbiam eius* (Moab, id eſt Diaboli.) CUM ALLISIONE MANUUM EIUS (Domini) levi iactu manuum, nullo negotio, עם ארבות ידיו, *cum cubitis manuum eius*; id eſt, cum ea parte quæ eſt a cubitu ad manus; ea enim natatores natant. Myſtice, Chriſtus paſſis in crucem manibus omnem Satanæ poteſtatem abolevit.

V. 12. ET MUNIMENTA, id eſt præſidia. Heb. מבצר, *munitionem*. SUBLIMIUM MURORUM TUORUM. Heb. *altitudinis murorum tuorum*, (o Moab) CONCIDENT. Heb. active, השח, *deiiciet*, *& cadere faciet*, *& trahet in terram uſque ad pulverem* (Dominus,) id eſt potentiam tuam, o Satan, in nihilum rediget (Chriſtus.)

S A.

Verſ. I. COGITATIONES. Chald. & LXX. *conſilia*. FIDELES, AMEN, id eſt omnino veras. Chald. *opere confirmatas*; quaſi dicat, Olim promiſſa præſtitiſti. LXX. *veræ fiant*, id eſt confirmentur opere, ſeu exhibitione.

V. 2. POSUISTI CIVITATEM IN TUMULUM, id eſt diruiſti. URBEM, ſcilicet Ieruſalem. ALIENORUM, ſcilicet a te, per iniquitatem Iudæorum vel Romanorum; nam facta eſt Ieruſalem arx Romanorum. NON AEDIFICETUR, ſcilicet ſplendore antiquo: vel loquitur de mundi deſtructione in die iudicii.

V. 3. FORTIS, ſcilicet fide & operibus. LXX. *pauper*. GENTIUM, ſcilicet ad fidem converſarum.

V. 4. TURBINE, id eſt oppreſſione. AESTU, id eſt afflictione. ROBUSTORUM, ſcilicet opprimentium pauperes, & debiles.

V. 5. SITI, id eſt loco arido, ſcilicet deprehenſos torquet.

V. 6. Hoc, ſcilicet Ieruſalem poſt Chriſti adventum: poteſt & de cæleſti intelligi beatitudine. CONVIVIUM, &c. Metaphorica deſcriptio ſpiritualium delitiarum.

V. 7.

Digitized by Google

V. 7. Faciem vinculi, id eſt iniecta vincula, ſcilicet errorum & peccatorum. Orditus est, ſcilicet diabolus.

V. 8. Praecipitabit mortem in sempiternum. LXX. *abſorbuit prævalens mors;* pro, *abſorpta eſt*, ut Paulus citat I. Cor. xv. quamquam Paulus videtur ſecutus Heb. quæ verti poſſunt, *abſorbuit mortem*, *vincendo*. Poſſunt & LXX. ſic intelligi, *Chriſti mors prævalens abſorbuit*, ſcilicet mortem hominibus debitam. Opprobrium, ſcilicet quo laborabat apud infideles, quaſi erraret fide; vel ſervitutem diaboli.

V. 9. Dicet, ſcilicet populus fidelis. Iste, ſcilicet Chriſtus. Sustinuimus, id eſt expectavimus. Salutari, id eſt ſalute, vel ſalvatore, ſcilicet Ieſu.

V. 10. Moab, id eſt mundus, ſeu diabolus, ſcilicet delebuntur errores & peccata. In; pro, ſub. Plaustro, id eſt tribula, ſeu traha.

V. 11. Sub eo. Heb. *in medio eius*. Chald. *inter eos*. Sicut extendit, &c. quaſi dicat, Porrecta utraque manu puniet. Manuum eius, id eſt ſuarum.

V. 12. Tuorum, ſcilicet o Moab.

ESTII.

Verſ. 6. Et faciet Dominus exercituum omnibus populis in monte hoc convivium pinguium, convivium vindemiae, pinguium medullatorum, vindemiae defaecatae. Primum notandum ſchema ſermonis: cum enim dixiſſet, convivium pinguium, convivium vindemiæ, deinde utrumque repetit, ſed cum incremento, addito videlicet eo, quod orationem reddit longe vehementiorem, dicens: *Convivium pinguium medullatorum*, *vindemiæ defæcatæ:* nam inter pinguia maxime laudantur medullata, & inter vina, purum & defæcatum præſtantiſſimum eſt. Itaque per hæc duo ſignificantur deliciæ. Porro cum dicit, *in monte hoc*, non alius quam mons Sion intelligitur, quatenus tamen typum gerit illius montis Sion, qui ſurſum eſt, id eſt cæleſtis Ieruſalem. Senſus ergo eſt: In monte Sion cæleſti exhibebit Dominus omnibus populis, id eſt ſanctis ſuis ex omni natione electis ſplendidiſſimum & delicatiſſimum convivium. Iudæi hæc carnaliter intelligunt de delitiis corporalibus, quas expectant tempore ſui Meſſiæ. Sed contra eos facit quod dicitur, *omnibus populis;* non ſolis ergo Iudæis. Itaque nos ſicut cæleſtem Sion intelligimus, ita & cæleſte & ſpirituale convivium.

MARIANAE.

Verſ. 1. Cogitationes antiquas feciſti. Heb. *conſilia a longe*, id eſt olim a Prophetis prædicta. Fideles, amen. Heb. *veritatem veritatem;* id eſt, conſilia & firma ut eſſent, feciſti.

V. 2. Posuisti civitatem in tumulum, ſcilicet Ieruſalem. Urbem fortem, ut *munitam*. Domum alienorum: ut non sit civitas. Heb. *palatium alienorum* (id eſt hoſtium) *ex civitate*. Hoc eſt, feciſti, ut quæ erat ante civitas, verſa ſit in diverſorium, ſeu arcem hoſtium. *Poſuiſti*; pro, pones.

V. 3. Laudabit te populus fortis. Hæc eſt Chriſti Eccleſia, quæ Deum veracem videns honorat & colit.

V. 4. Spes a turbine factus eſt Deus egeno, ſeu *tegmen a turbine*. *Turbinem* vocat malorum & afflictionum multitudinem. Spiritus, id eſt ira robuſtorum, nempe hoſtium. Quasi turbo impellens parietem. Heb. *quaſi turbo parietis*. Sed bene ſuppletur *impellens*. Ab hoc turbine tenues liberat Deus.

V. 5. Sicut aestus in siti. Heb. *ſicut æſtus in loco arido*, ſive *ſiticuloſo:* ibi enim æſtus maxime moleſtus eſt. Ergo ſicut æſtus iis locis magnas vires habet, ſic tu, o Deus, hoſtium tumultum & ſuperbiam humiliabis. Et quasi calore sub nube torrente. Heb. *æſtus in umbra nubis;* pro, ſicut æſtus in umbra nubis. Sol inter nubes imbre gravidas vehementior eſt. Ergo ſicut ille æſtus herbis eſt noxius, ſic Propaginem fortium marcescere facies. Heb. *propago fortium* (filii ſuperborum) *humiliabitur*.

V. 6. Et faciet Dominus.... In monte hoc. Superbis deiectis, Dominus convivio omnes gentes accipiet, cum in Eccleſiam convenient. Convivium vindemiae, id eſt vinum affatim erit. Heb. *convivium fæcium*, id eſt vini veteris, quod fæces habet. Vindemiae defaecatae. Heb. *fæcium purgatarum*, id eſt vini veteris & percolati.

V. 7. Et praecipitabit. Heb. *& abſorbebit*, ſeu *rumpet*. Faciem vinculi, id eſt vinculum. *Faciem* redundat. Colligati super omnes populos, id eſt quo vinculo ligati omnes tenebantur; id eſt, peccatum, quo vincti omnes erant. Hebraica ſic alii vertunt: *Rumpet faciem operimenti operti ſuper omnes populos*, id eſt carceris, quo includebantur omnes. Ita ſententia non diſcrepabimus a Vulgata. Et telam quam orditus est, id eſt rete, quod omnibus a dæmone eſt impoſitum, rumpet ſcilicet. Heb. *& velamen expanſum ſuper omnes gentes*. *Velamen* etiam pro reti pono, quod avibus imponitur, & ſuper eas extenditur.

V. 8. Praecipitabit, abſorbebit. Sic Paulus citat I. ad Corinth. xv. 54. Mortem. Ad illam ea vincula & retia ferebant. Rumpit ergo illam, ut nos a morte liberet. Et auferet. Heb. *abſterget*, aut *delebit* lacrymam. Non mortem, ſed & luctum tollet, ſublatis moleſtiis, quibus conciliatur. Et opprobrium, ex miſera ſcilicet ſervitute & captivitate, auferet.

V. 9. Et dicet, ſcilicet fidelis quicumque. Sustinuimus; pro, expectavimus, ut nos a malis liberaret. Laetabimur in salutari eius. Heb. *in ſalute eius*, quam ipſe nobis immeritis confert.

V. 10. Quia requiescet manus Domini. Numen, poteſtas. In monte isto: in Ieruſalem, quæ eſt Eccleſia. Triturabitur Moab sub eo, id eſt in loco ſuo hoſtes triturabuntur, ubicumque illi fuerint. Per *Moab* hoſtes intelligit. Sicuti teruntur paleae in plaustro. Septuag. *ſicut calcant aream in curribus*. Nimirum pro מדמנה *madmenah*, ut nunc eſt, id eſt *ſterquilino*, Hieronymus & Septuag. legerunt מרכבה *merchebah*, id eſt *currum*; quæ lectio commodior videbatur, & *tribulam*, ſeu *traham*, *currum* vocari putarunt. Alii iuxta lectionem alteram vertunt, *ſicut teruntur paleæ in ſterquilinio*, id eſt in illud proiiciuntur tandem.

V. 11. Manus suas sub eo. Heb. *in medio eius*, ſcilicet Moab, extendet Deus manus ad puniendum. Gloriam eius, aut *ſuperbiam eius*. Cum allisione manuum eius humiliabit, id eſt plauſu, plaudentibus qui ſupplicium viderint. Heb. *cum cubitis manuum eius*, per quod brachia intelligit, & per brachia robur; quaſi dicat: Superbiam & robur eius humiliabit.

V. 12. Et detrahentur in terram usque ad pulverem, ſcilicet muri, ad terram poſternentur muri, arces, & munimenta tua, o Moab.

M A L V E N D AE.

Verſ. 1. Domine Deus meus es tu, &c. Notant iam hic eſſe tertium locum propoſitionis præcedentis de uſu iudiciorum Dei, ut annotavimus in verſ. 1. cap. xxiv. Eſt autem uſus illorum in Eccleſia, prædicatio gloriæ Dei, qualis habetur his quinque verſibus: in quibus primum gloria Dei prædicatur, & cauſæ illius proleptice proponuntur, hoc verſu; deinde cauſæ proponuntur duæ: una eſt, iudiciorum in hoſtes Eccleſiæ, verſ. 2. altera beneficiorum in Eccleſiam, verſibus ſequentibus. Quoniam fecisti mirabilia. פלא *pele*, *arduum*, *excelſum*, *ſublime*, *excellens*, *velatum*, *mirum*, *admirandum*, *ſupra captum*, *& vires humanas*, ſeu *naturæ*. Cogitationes antiquas fideles amen. Alii: I. *conſilia*, *quæ iniſti a longe*, *fides*, *veritas* ſunt, vel *firma* ſunt. II. iungunt cum verbo præcedente *feciſti*: *conſilia iam olim decreta veritatem*, *veritatem*, vel *ſtabilitatem*, *firmitatem*, ſeu *ſtabilia & firma*, id eſt tu feciſti ut vera eſſent ac ſtabilia; quaſi dicat, Præſtitiſti quæ iam olim decreveras. III. Forſterus: *conſilia a longinquo*, ſeu *antiqua ſunt fides veritatis*, id eſt ipſiſſima veritas, certiſſima veritas. Sed Heb. non eſt regimen, niſi forte intelligatur: *ſunt fides*, *fides*, *inquam*, *veritatis*: vel ſtatus abſolutus ponatur pro ſyntactico, quod utrumque alias fieri ſolet. IV. *conſilia tua ſunt procul vere & firmiter*. V. *conſilia a longinquo tempore prædicta fides ſunt*, *veritas*; id eſt, promiſſiones, & minæ quas ab æterno decretas in conſilio tuo prædixiſti, ſuo tempore nunc demum fideliſſime completæ ſunt.

V. 2. Quia posuisti civitatem in tumulum. Alii I. *Quoniam tu civitatem in acervum redegiſti*. II. *Nam diſpoſuiſti ex civitate acervum*. Exornatio præcedentis ætiologiæ, qua docet Propheta complementum minarum, hoc verſu; & promiſſionum verſ. 4. & 5. ut antea diximus. Urbem fortem in ruinam. Quidam: *ex urbe munita ruinam*; proprie, *civitatem muni-*

Digitized by Google

munitam in caſu, ſeu *vanam*. DOMUM ALIENORUM: UT NON SIT CIVITAS. Alii, *palatium extraneorum ex civitate;* id eſt, ita evertiſti, & ſubruiſti oppidum, ut ne ab exteris quidem advenis ex totius oppidi ruderibus unica domus excitari poſſit.

V. 3. SUPER HOC LAUDABIT TE POPULUS FORTIS, &c. Alii I. *Quo fit ut populus robuſtus te glorificet*, *civitas gentium tyrannicarum te timeat*. II. *Idcirco honorabunt te populus fortis*, *urbs gentium formidabilium reverebuntur te*. Anaphora, ſive repetitio laudationis tranſitum comparans ad ſequentem cauſam. עריצים *gharitzim*, *prævalidi*, *prævaleſcentes*, *potentes*, *tyranni*, *terribiles*, *qui aliis ſunt terrori*, *formidabiles*: ſic infra verſ. 4.

V. 4. QUIA FACTUS ES FORTITUDO PAUPERI, FORTITUDO EGENO IN TRIBULATIONE SUA. Alii: *Quod fueris munitio tenui*, *munitio egenti*, *cum aliqua anguſtia eſſet ei*, &c. Exornatio beneficentiæ Dei, fideique erga pios, duabus comparationibus, quæ poſtea his duobus verſibus ordine exponuntur. SPES A TURBINE. Alii: I. *protectio ab inundatione*. II. *refugium a nimbo*. III. *receptus ab inundatione*. Proprie reddes, *protectio*, *tegmen*, *receptaculum*, *latibulum a cataracta*, *a fluxu repentino & impetuoſo aquarum*. Vide de voce זרם *zerem*, in Iob XXIV. 7. ſic paulo inferius. UMBRACULUM AB AESTU. Heb. *Umbra a ſiccitate;* pro, ab æſtu, metonymice, quod æſtus ſiccitatis ſit cauſa, verſ. 5. SPIRITUS ENIM ROBUSTORUM QUASI TURBO IMPELLENS PARIETEM. Alii ex Heb. I. *ſpiritus enim fortium ſicut turbo ruere faciens parietem*. II. *nam ira*, ſeu *indignatio*, *robuſtorum ut inundatio parietis*, ſive *muri*, id eſt, ſimilis eſt inundationi deiicienti parietem obvium. III. *quandoquidem ſpiritus prævalidorum eſt veluti repentina inundatio in parietem;* id eſt, faſtus & ſuperbia hominum violentorum non minus aliis damno eſt, quam impetus aquarum ruentium in parietem, qui eum evertit. IV. *quoniam ſpiritus violentorum tyrannorum nimbi inſtar eſt*, *qui in murum irruit*. V. *eum ſpiritus violentorum ſimilis eſſet inundationi labefacturæ murum*. Ergaſia prioris comparationis, qua hoſtes Eccleſiæ cum aquis inundantibus, Deus vero cum receptus & perfugii loco comparatur.

V. 5. SICUT AESTUS IN SITI, TUMULTUM ALIENORUM HUMILIABIS. Alii ex Heb. I. *More æſtus in loco ſicco*, id eſt in regione arente, *ſtrepitum alienorum humiliabis*. II. *Et ut æſtus in loco ſiticuloſo*, *ſic fremitum alienorum humiliabis;* id eſt, non aliter ceſſare facies impetum alienorum a fide tua & fœdere in ſanctos, quam æſtus ſuperveniens attonitos reddit homines deprehenſos in loco arido. III. Iungunt ſequentibus: *Sicut æſtum in ſiccitate*, *tumultuationem extraneorum depreſſeris*, *æſtum*, *inquam*, *umbra denſa*. Ergaſia ſecundæ comparationis, qua tumultuatio extraneorum cum æſtu ſicciſſimo, & Dei protectio erga ſuos cum denſiſſima umbra comparatur. ET QUASI CALORE SUB NUBE TORRENTE, PROPAGINEM FORTIUM MARCESCERE FACIES. Diverſimode alii ex Heb. I. *ſicut æſtus in umbra nubis*, *exſciſſio fortes humiliabit*. II. *æſtus cum umbra nubis*, id eſt refrigerio, erit populo tuo, *& cantio fortium humiliabit ſeſe;* quaſi dicat: Permittes quidem populum tuum affligi interim, tamen aderis illis, nam conatus affligentium deprimentur. III. *æſtum nube umbratili*, *propaginem tyrannorum amputabis*. IV. *æſtum umbra nubis* deprimes*: palmes prævalidorum opprimetur*. V. *æſtus in umbra nubis*, *propago formidabilium humiliabitur*. VI. *æſtum in umbra nubis humiliabis*, *& exſciſſionem*, ſeu *putationem fortium*, id eſt ferociam & crudelitatem, *humiliabit Deus*. VII. *æſtum*, *inquam*, *umbra denſa* deprimes, *qui propagini violentorum reſpondebat;* id eſt, qui æſtus improbis erat optatiſſimus atque gratiſſimus: quia illi dum torrentur pit calamitatibus, ſe valde augeri dicunt, & tamquam luxuriare ſuas propagines, pergit enim Propheta in allegoria. Quidam Hebræorum exponunt: *exſciſſionem fortium reſpondebit*, vel *vocabit*, id eſt accerſet, invehet Deus. זמיר *zamir*, proprie *inciſio*, *exciſio*, *computatio*: hinc *palmes*, *propago*, ab incidendo & amputando: poteſt accipi de inciſione muſica, *cantus*, *modulatio*. Verbum ענה *ghanah*, & *reſpondendi*, & *humiliandi*, ſeu *deprimendi* ſignificatum complectitur.

V. 6. ET FACIET DOMINUS EXERCITUUM, &c. Hunc verſum Hebræorum nonnulli in malum accipiunt, ut metaphorice contineat graviſſimum ac acerbiſſimum iudicium, quod Deus propinaturus eſt gentibus hoſtibus populi Dei a ſimilitudine convivii

vivii inſuaviſſimi, quo craſſi & pingues liquores ac fæces vinorum in potum exhibentur, cum abominatione guſtus, & nocumento ſalutis: ac forte referendum ad ſupremum mundi prælium Gogi & Magogi ſub Antichriſto. Sed frequentior & melior Explanatorum pars in bonum interpretantur. Notant autem eſſe hic iam ſecundam partem concionis, ſive ſecundam prophetiam, quæ exponit formam cum iudiciorum, quibus propter Chriſtum uſurus eſt Deus, hoc capite; tum laudum, quibus Eccleſia prædicatura eſt beneficentiam illam Dei, capite ſequente. Formam autem iudiciorum eſſe duplicem: unam, ut inimicæ gentes amice ad ſacrum Chriſti epulum & communionem provocentur verbo, uſque ad verſum 10. alteram, ut contumaces qui extolluntur adverſus cognitionem Dei, profligentur, verſ. 10. & ſequentibus. In monte hoc, Tziionis & Ieruſalem, cuius meminit ſupra cap. xxiv. 23. id eſt, in Eccleſia: ut etiam prædixerat cap. ii. 2. Sic infra verſ. 7. 10. Convivium pinguium. Heb. *convivium oleorum*, vel *pinguedinum*. Quidam: *convivium rerum pingutum*, id eſt opimum & munificentiſſimum; quod exhibetur ſanctis prædicatione Evangelii, & virtute ſpiritus Chriſti: allegoria res ſpirituales figurans corporeis, ut Matth. xxii. Lucæ xiv. Apte quoque poſſit hic intelligi Sacrum Euchariſtiæ convivium. Convivium vindemiae. Heb. *convivium obſervatorum*. Alii: I. *convivium fæcium*, id eſt vini defæcati atque puriſſimi; quod genus locutionis explicant ſequentia: ſimile vide ſupra cap. xix. 18. II. *vinorum defæcatorum*. III. *vinorum aſſervatorum*, in multos annos, id eſt vetuſtiſſimorum, quæ dulciora & generoſiora eſſe ſolent: vide in Pſal. lxxiv. 9. IV. *vinorum conditorum*, melle, ſacharo, aromatibus, quæ in deliciis habentur: Hiſpanice, *Vinos adobados*, *conſervados*: ſic paulo poſt. Pingutum medullatorum. Quidam: *pinguium*, *inquant*, *ſaginatiorum*; id eſt, panis carnium, & aliorum eduliorum opimorum & optimorum. Vindemiae defaecatae. Alii: I. *& fæcibus deſæcatis*, *ſubtiliatis*. II. *& vinorum deſæcatorum purgatorum*, id eſt puriſſimorum. III. *Vinorum aſſervatorum decolatorum*. Hiſpanice diceremus: *de vinos aneios traſſegados*. IV. *vini fæcibus expurgatis*.

V. 7. Et praecipitabit in monte iſto, &c. Hunc verſum alii ex Heb. reddunt: I. *Et perdet*, vel *tollet in monte hoc faciem operimenti operti*, ſeu *expanſi* vel *extenſi ſuper omnes populos*, *& tegmen opertum*, ſive *expanſum ſuper omnes gentes*. II. *Et abſorbebit in monte hoc faciem involucri*, *quod involucrum eſt ſuper omnes populos*, *& operimentum oppanſum* ſeu *expanſum ſuper omnes gentes*; id eſt, omnia operimenta, tegumenta, involucra errorum, quibus involutus eſt mundus, auferet, & diſſipabit Chriſtus per Evangelium in Eccleſia ſua. III. *Et devorabit in monte iſto faciem involucri*, *involucri ſuper omnibus*, *vel operimentum*, *quod opertum eſt*, *ſuper omnibus gentibus*. IV. *Et deteget in monte iſto faciem cuiuſlibet velaminis ſuper omnes populos*, *& ſingula operimenta ſuper omnes nationes*. V. *Et abſorbebit in monte hoc ſpeciem iſtius veli obvelantis omnes populos*, *& iſtius operimenti obducti ſuper omnes gentes*. Enarratio beneficiorum, quæ in convivio Chriſti populi percepturi ſunt: primum eſt, vindicare illos a cæcitate, ſeu excæcatione, & quaſi ſublato velamine donari cognitione Dei, hoc verſu; ut oſtendit Paulus II. Corinth. iii. ſecundum eſt, domita poteſtate mortis, donari vita æterna, I. Corinth. xv. 54. tertium, donari gaudio & pace per Spiritum Sanctum, Romanor. xiv. 17. & Apocalyp. xxi. 4. ex quibus conſequitur effectus, verſ. 9. nimirum conſtantiſſima beneficii divini prædicatio. Hunc locum de Antichriſto interpretati ſumus Lib. XIII. de Antichriſto cap. vi. in ſecundo loco Scripturæ. Et telam, quam orditus est. Sic iſtud verbum accipitur Iudic. xvi. 13. Alii: *opertorium opertum*, ſeu *velamentum*, ſeu *velamen obtectum*. Nos retenta primigenia verbi ſignificatione reddidimus, *fuſionem fuſam*; id eſt, fuſilia omnia & conflatilia ſimulacra, idola manu facta ſeu conflata per omnes gentes: ſic enim hæc vox ſumitur Exod. xxxiv. 17. Deuteronom. ix. 12. & alibi paſſim: ut indicet Chriſtum ſublaturum omnia idola ac deos fuſiles gentium.

V. 8. Praecipitabit mortem in ſempiternum. Leo Iudas: *Mortem abſorbebit vincendo*, vel *deſtruet mortem in*

æter-

Digitized by Google

æternum. Tremellius, & Iunius: *Abſorbebit ipſam mortem in victoriam;* id eſt, ita ut in ſempiternum devicta & proſtrata iaceat, neque amplius in beatos illos convivas Chriſti dominetur. Forſterus: *Paulus I. Corinth.* xv. 54. *iſtum Iſaiæ locum adducens:* Abſorpſit mortem in victoriam; *ita reddidit*, Abſorpta eſt mors in victoriam: *volens ſignificare quod abſorpta morte vicerit, & prævaluerit, regnetque & triumphet vita; quamquam etiam ſic Hebræa verba interpretari licebit:* Abſorpſit mortem omnino, atque adeo quidem, ut nullum amplius ius ſive imperium in ipſum habeat. *Vel ſic*: Abſorpſit mortem victorioſe, penitus, prorſus, omnino. *Sicut & I. Theſſalonicenſ.* II. 16. Pervenit autem in illos ira Dei in finem; *id eſt, prorſus, omnino, penitus, perpetuo, æternaliter, finaliter*. Nam Hebræi ſic loqui ſolent, לנצח *lanetzach*, *in victoriam, in finem*. ET AUFERET DOMINUS DEUS LACRYMAM AB OMNI FACIE. Vide Apoc. VII. 17. & cap. XXI. 4.

V. 9. ET DICET IN DIE ILLA. Vel, *dicetur in die illa*; ut tertia perſona activa ſumatur imperſonaliter more Hebraico: vel, *dicet populus eius*, e præcedente verſu. Quidam: *Ut dicat tempore illo*. ECCE DEUS NOSTER ISTE, EXPECTAVIMUS EUM, ET SALVABIT NOS. Alii: *Ecce Deus noſter hic eſt, expectamus eum, & ſervat nos*, &c. Elegantiſſima prædicatio illius pacis a Deo, & gaudii per Spiritum ſanctum, de quibus verſu 7. diximus. Verbum *expectandi* hoc verſu bis conſtruitur cum dativo, & tunc reddendum videtur, *intenti fuimus ei;* id eſt, in eum collimamus, toti ab eo pendemus, magno animi deſiderio eum reſpicimus, affectamus, amplectimur, nobis applicamus.

V. 10. QUIA REQUIESCET MANUS DOMINI IN MONTE ISTO. Id eſt, gratia, favor, efficacia operationis Dei confidebit in Eccleſia. Alii: quieſcet a feriendo ſuos, ceſſabit caſtigare & affligere Eccleſiam. Nonnulli: *Nam quieſcet manus Iehovæ in monte hoc*. AEtiologia ſuperioris prophetiæ a præſentia Dei benigna in Eccleſia, qua tranſitio comparatur ad alteram ſpeciem iudiciorum eius contra præfractos atque contumaces, ut diximus in verſ. 6. ET TRITURABITUR MOAB SUB EO: ſcilicet monte, vel ſub Iehova, hoc eſt eius imperi & potentia. Alii: I. *& triturabitur Moab apud ſe*; id eſt, conculcabuntur adverſarii Chriſti in loco ſuo, hoc eſt, ubicumque illi fuerint. II. *& exteretur Moab ſub ipſo*, ſeu *in ſe*. III. *& triturabitur Moab*, id eſt contumax quiſque & perverſus hoſtis Dei, & Eccleſiæ, ſynecdochice, ut infra cap. XXXI. 8. *in loco ſuo*, id eſt ubicumque fuerit. SICUTI TERUNTUR PALEAE IN PLAUSTRO. Heb. *ſecundum atteri, triturari, conculcari ſtramen, ſtramentum, paleam* (vide Geneſ. XXIV. 25.) *in ſterquilinio, ſtercorario, fimeto, luto, ſtercorationis loco*. Quidam: *ut trituratur palea in ſtercorato agro;* id eſt, ut abiectiſſima palea, quæ nullum alium uſum præſtat, quam ut ea ſtercorentur agri. Nonnulli Hebræorum מדמנה *madmenah*, pro nomine proprio urbis accipiunt, ut ſupra cap. x. 31. locumque ita exponunt: *& conculcabitur Moab in loco ſuo, in Madmenah*, id eſt in urbe ſua, quæ vocatur *Madmenah*, de qua Ioſue xv. 31. *ſicut conculcatur palea*, in arca, vel in loco in quem abiecta fuerit.

V. 11. ET EXTENDET MANUS SUAS SUB EO, SICUT EXTENDIT NATANS AD NATANDUM. Alii: I. *Et expandet manus ſuas in interiori eius, quemadmodum expandere ſolet qui natat, ad natandum*. De ipſo Moab loqui putant Prophetam, & de iis qui in Eccleſiam & populum Dei inſurgentes, pauci & circumdati periculis, ut rari, nantes in gurgite vaſto reperiuntur: vel alludit ad morem ſervorum & captivorum, qui expanſis brachiis in modum nantium, & ad terram proſtrati miſericordiam a dominis ſeu victoribus implorant: vel forte fit alluſio ad quoddam gentilitiæ devotionis genus, quæ etiam nunc apud quaſdam barbaras nationes, ut Indos orientales, in uſu eſt, ut currui quo vehitur idolum, ſeſe expanſis brachiis in media via proſternant, ut rotis currus medii præſcindantur. De quo ritu vide Fernandum, Mendes, Pintum Suarum Peregrinationum cap. CLX. ut Deus Moabum & quoſvis hoſtes Eccleſiæ, curruum ſuarum rotis ſit protriturus & proſciſſurus. II. *Expandet enim manus ſuas in medio eius, ſicut expandere ſolet natator ad natandum*. Altera comparatio venuſtiſſima ad explicandum iudicium Dei contra inimicos ſuos, pro eo quod eſt, omnia ſubiiciet ſibi Deus.

ET

Et humiliabit gloriam eius. Alii: I. *& deprimet faſtum eius*. II. *& demittet ſuperbiam eius*: de qua ſupra cap. xvi. 6. Cum alliſione manuum eius. I. Kimchius, Sanctes: *& humiliabit altitudinem ſuam cum cubitis manuum ſuarum*. Nam cum quis natat, ſuam humiliat altitudinem; vis enim natantis eſt in cubitis manuum: per cubitum intelligit partem illam brachii a cubito ad manum, qua natator potiſſimum nititur ac verberat aquam. II. Iidem: *& humiliabit altitudinem ſuam cum inſidiis manuum eius*; id eſt, deprimet faſtum ſuum Moab ab inſidiis Iiſraelitarum, qui ei inſidiabantur in locis eius. III. Rabbi Ioſeph, Kimchii pater: *& humiliabit altitudinem ſuam Moab in inſidiis manuum*, hoc eſt copiarum, manipulorum, exercituum *eius*, ſcilicet Iiſraelis. IV. Rabbi Ionah: *& humiliabit ſuperbiam eius in multitudine*, vel *exſuperantia*, *præſtantia locorum eius*, id eſt in meliori terra eius; quia melior eſt terra Iehudæ, hoc eſt Eccleſia, quam Moabi, hoc eſt infidelium natio. ארבות *arebboth*, a רוב *rub*, *multiplicare*, deduxit; ut *Aleph* ſit accidentale. V. Vatablus: *& humiliabit* Deus *ſuperbiam eius Moabi*, *cum cubitis manuum ſuarum*; id eſt, vi & potentia ſua. VI. Marinus: *& humiliabit ſuperbiam eius cum inſidiis manuum illius*; hoc eſt, & ſuperbiam & inſidias eius reprimet, vel humiliabit ſuperbiam eius inſidiis, quas illi manibus ſuis ponet. VII. Forerius & Montanus: *& humiliabit* Chriſtus *ſuperbiam eius* Moabi, id eſt gentium, ſeu hoſtium Eccleſiæ, *cum perforationibus*, vel *in foraminibus*, *feneſtris*, *manuum ſuarum*; id eſt, per crucem perforatis manibus. VIII. Leo Iudas & Schindlerus: *& deprimet faſtum eius ſub axillis manuum ſuarum*; id eſt, ita Iehuda deprimet ſuperbiam Moabi, ut eum quaſi rem levem ſub axillis ſuis tamquam captivum auferat. Sic Hiſpanice loqui ſolemus cum aliquem nullarum virium contemnimus: *me lo llevare debaxo del braco*. IX. Iſidorus Clarius: *& humiliabit ſuperbiam eius cum artubus*, ſeu *brachiis manuum ſuarum*. X. Forſterus: *Arebboth*, *nomen pluralis numeri*, *ſtatus regiminis*: *prædationes*, *capturæ*. *Iſaiæ* xxv. *& humiliabit ſuperbiam eius*, *cum prædationibus ſeu capturis*, *manuum eius*. *Alii pro* cubitis; *alii pro* axillis; *alii pro* lacertis; *alii pro* maſculis *ſeu* artubus, *aut* brachiis: *ſed iſta omnia nihil ad rhombum*. Hanc interpretationem Forſterii ſequuntur Mercerus & Avenarius. XI. Tremellius, Iunius, & Buxtorfius: *& demittet ſuperbiam eius*, Moabi, *cum cataractis* ſeu *obicibus manuum ſuarum*, id eſt ampliſſimis & valentiſſimis manibus ſuis, quibus ſuperbiam rebellium ita compreſſurus eſt, ut obicibus & cataractis coercentur aquæ. Hanc interpretationem, quia optime cum allegoria convenit, alii præferunt. Nos ex primaria nominis ſignificatione expoſuimus: *cum foraminibus manuum ſuarum*; ut intelligat vel intervalla, & internodia digitorum; quaſi dicat, Pugnis contundet ac deprimet ſuperbiam hoſtium ac rebellium: vel reſpiciat ad crucem, & clavos, ſeu plagas manuum Chriſti, quibus devicit ac ſubiugavit gentes.

V. 12. Et munimenta sublimium murorum tuorum, &c. Alii hunc verſum ex Heb. convertunt: I. *Munitionem denique*, *& altum præſidium murorum tuorum inclinabit*, ſeu *proſternet*, *deprimet*, *ac ad terram in lutum uſque deiiciet*. II. *Ita munitionem*, *editumque locum murorum tuorum deprimet*, *demittet*, *deturbabit in terram*, *in pulverem uſque*. Apoſtrophe ad Moabum, & omnes homines adverſantes Dei, quos docet ad ferulam ipſius ita defluxuros, ut aqua diffluit; ſicut dicitur Exodi xv. 15. vel quos Deus in minutiſſimum pulverem friabit.

MENOCHII.

Verſ. 1. Domine Deus, &c. Eſt laus Dei glorificatoris, quam aſſumit Iſaias in perſona ſalvandorum per Chriſti paſſionem, qui pauci in tanto damnandorum numero mire exultabunt, Deoque & ſibi gratulabuntur. Feciſti; id eſt, certo facies, & in tua præſcientia, & decreto iam feciſti. Cogitationes antiquas; quaſi dicat, Quæ ab æterno cogitaſti, & decreviſti. Chald. & LXX. habent, *conſilia*. Fideles: quæ fideliter adimpleſti, vel adimplebis. Chald. *opere confirmatas*. Amen, id eſt *fiat*, ut vertunt LXX. Pagnin. & Vatabl. vertunt, *Conſilia quæ iniſti a longe firma ſunt*, id eſt fideliſſima, & firmiſſima.

V. 2. Civitatem: orbem terrarum.

Alii intelligunt Ieruſalem. ALIENORUM, ſcilicet a te per iniquitatem & ſcelera.

V. 3. POPULUS FORTIS: Sanctorum ſcilicet, & electorum, qui fortiter ſe, & cupiditates ſuas, mundi illecebras, & dæmonum tentationes ſuperarunt. CIVITAS GENTIUM ROBUSTARUM, id eſt Eccleſia. TIMEBIT TE: reverebitur te, ut filii obſervant, & reverentur parentes.

V. 4. SPES A TURBINE, perſecutionis, & oppreſſionis. AB AESTU, tentationis. ROBUSTORUM: violentorum tyrannorum, opprimentium pauperes, & debiles.

V. 5. SICUT AESTUS IN SITI; id eſt, quemadmodum æſtus mire torquet homines deprehenſos in loco arido; ita tu Domine iniquos affliges in extremo iudicio, & tumultum eorum, qui fideles tuos opprimere ſtudent, humiliabis, comprimes, & tolles. CALORE SUB NUBE TORRENTE: æſtus enim, qui ex denſis nubibus provenit, eſt vehementiſſimus; ſolares enim radii anguſtiis nubium conſtricti, & condenſati validius agunt, & feriunt.

V. 6. FORTIUM, id eſt violentorum, impiorum. IN MONTE HOC, Sion, aut monte Olivarum; iuxta enim hos montes Chriſtus ſedens in aere ſuper vallem Ioſaphat iudicium exercebit, ibique ſuos electos glorificare, & æternis delitiis paſcere incipiet, idque facere perget in Sione cæleſti, per omnem æternitatem. CONVIVIUM PINGUIUM, &c. Allegoria convivii deſcribit delitias beatorum in cælo. VINDEMIAE: in Hebræo שמרים, *ſcemarim*, quæ vox *feces* ſignificat; aiunt enim illud vinum quod in fecibus ſuis reſidet, nativum ſaporem, & vigorem retinere. Senſus ergo eſt, Convivium in quo optimum, & generoſiſſimum vinum apponetur. Pagninus, & Vatablus vertunt, *convivium defæcatorum*. Noſter interpres videtur reſpexiſſe vindemialia convivia poſt collectas uvas, & expreſſas agitari ſolita. Sic Iudic. IX. dicuntur Sichimitæ collegiſſe uvas in vindemiis ſuis, atque calcaſſe; & indulſiſſe lætitiæ, & ingreſſi templum Baal comediſſe, & bibiſſe. MEDULLATORUM: medulla enim oſſium eſt delicatiſſima, & argumentum eſt etiam carnes eorum animalium eſſe delicatiſſimas. VINDEMIAE DEFAECATAE: vini puriſſimi, limpidiſſimi, & ſuaviſſimi.

V. 7. ET PRAECIPITABIT FACIEM VINCULI, &c. id eſt, tunc, ne quid iuſti in poſterum timere poſſint, præcipitabit Dominus in illo monte, diſſolvetque omne vinculum, quod in hominum genus peccatum primi parentis invexit, & telam ærumnarum, & calamitatum rumpet, atque diſcindet, quam Dominus ad originalis peccati vindictam in omnes nationes orditus eſt.

V. 8. PRAECIPITABIT MORTEM: nam ſancti donabuntur immortalitate. AUFERET LACRYMAM: nam ut eſt Apocal. XXI. 4. *Abſterget Deus omnem lacrymam ab oculis eorum, & mors ultra non erit, neque luctus, neque clamor, neque dolor erit ultra.*

V. 9. DICET; chorus ſcilicet beatorum. DEUS NOSTER ISTE, ſcilicet Chriſtus Dominus. SALVABIT NOS: ſalute æterna; quaſi dicat, Semper durabit hæc Chriſti ſalvatio.

V. 10. REQUIESCET MANUS DOMINI IN MONTE ISTO; id eſt, potentia Dei ſuas opes, & ſuas delicias exeret, & exhibebit in monte hoc cæleſtis Sionis in æternum. TRITURABITUR: malis, & pœnis affligetur. MOAB: populus impiorum ad æterna ſupplicia damnatorum. SUB EO, ſcil. Chriſto iudice eiuſque populo ſancto, & beato.

V. 11. ET EXTENDET MANUS SUAS, &c. ſcilicet Moab; hoc eſt, damnati ſub tritura divinæ ultionis extendent manus, ut illi extendunt, qui enatare ſtudent e naufragio: ſed fruſtra extendet, quia nullus erit evaſioni locus. HUMILIABIT GLORIAM EIUS, &c. ſed Deus deprimet gloriam, & ſuperbiam illorum, licet ipſi alliſione manuum ad fluctus effugium quærant.

V. 12. ET MUNIMENTA, &c. quaſi dicat: O Moab, o reprobi, Chriſtus in die iudicii omnia in quibus nunc confiditis, evertet. USQUE AD PULVEREM, id eſt in minutiſſimum pulverem redacta.

T I R I N I.

Verſ. 1. FECISTI per prædeſignationem ac decretum tuum, & ſuo tempore certiſſime facturus es, COGITATIONES ANTIQUAS FIDELES; id eſt, quæ ab antiquo, immo ab æterno cogitaſti & decreviſti, ſæpiuſque prædixiſti de orbis & impiorum

tum excidio, & de piorum gloria ac felicitate, illa iam fideliter adimpleſti tempore extremi iudicii. AMEN, id eſt fiat.

V. 2. *Civitas* & *urbs fortis* eſt orbis terrarum *a;* qui etiam vocatur *domus* ALIENORUM, id eſt impiorum, ut vertunt LXX. qui nempe ſuis ſceleribus degenerant & alienant ſe a Deo.

V. 3. CIVITAS GENTIUM ROBUSTARUM, & verſ. 5. *propago* FORTIUM; Hebraice עריצים, *aritſim*, id eſt violentarum & tyrannicarum, ut Vatablus vertit. Sic Geneſ. x. *Nemrod* dicitur *robuſtus* fuiſſe *venator*, id eſt violentus tyrannus. Porro impii *timebunt* Deum non timore filiali, ſed ſervili; nempe tamquam iudicem inexorabilem, & durum carnificem. E contrario LAUDABIT Deum POPULUS FORTIS. Hebraice עז *az*, id eſt ſtrenuus, nempe ſancti & electi, qui in paupertate, infirmitate, tentationibus & mille miſeriis pro Deo tolerandis fortes, ſtrenuos invictoſque ſe præſtiterunt.

V. 5. QUASI CALORE, ſeu æſtu, SUB NUBE TORRENTE terram; quaſi dicat: Æſtu vehementiſſimo, qualis ſolet eſſe qui ex ſolaribus radiis ſub denſa nube unitis & conſtrictis naſcitur. Alludit ad ſententiam iudicis Chriſti in nube reſidentis, quæ impios horrende cruciabit & uret. O quam erit alius hic æternus impiorum ſine ullo refrigerio æſtus, a momentaneo piorum æſtu, cui temperando ſe exhibet UMBRACULUM Deus! ut hic verſ. 4. dicitur.

V. 6. IN MONTE HOC Sion, ſuper quo Chriſtus iudex reſidebit in nube quaſi in throno ſuo, FACIET CONVIVIUM PINGUIUM, &c. nempe inchoabit ibi delitias cæleſtes, quas deinceps in cælo proſequetur: delitias, inquam, ſuaviſſimas ac perfectiſſimas, quales in hac vita cenſetur ſubminiſtrare convivium, in quo altilia pinguia & medullata, vinumque defæcatum, id eſt præſtantiſſimum ac delicatiſſimum convivis apponuntur. Hæc eſt voluptas & gaudium cæleſte quod ex fruitione Dei colligunt Sancti. Cuius prægustum aliquem haurimus hic in terris ex S. Euchariſtia: de qua proinde locum hunc exponit S. Cyrillus, Procopius, Euſebius *b* & Leo Caſtrius.

V. 7. ET PRAECIPITABIT FACIEM VINCULI COLLIGATI; Hebraice, *abſorbebit vinculum vinculum*, id eſt omnia vincula. Ergo *vinculum colligatum*, idem eſt quod multiplex vinculum replicatum & convolutum, & pluribus ſpiris arctius ſtringens. Denotat autem *peccatum* tum originale, tum actuale, & effectus utriuſque, ærumnas & miſerias huius vitæ, morbos, errores, afflictiones animi & corporis. Hoc *vinculum* vocat mox TELAM, ſeu funem, quem ORDITUS EST; id eſt, cœpit effundere a primo Adamo SUPER OMNES NATIONES, ex Adamo omnium capite & parente procreatas. Mox explicat præcipuas telæ huius partes, nempe

V. 8. MORTEM, LACRYMAM, OPPROBRIUM. Huc alludit S. Paulus I. Corinth. xv. *Abſorpta eſt mors in victoria*. Et Ioannes Apocalypſ. xxi. *Abſterget Deus omnem lacrymam*, &c.

V. 9. ET DICET populus Dei, ſeu Eccleſia, ECCE ISTE, (ſcilicet Chriſtus Ieſus iudex, & dominus omnium) eſt DEUS NOSTER.

V. 10. REQUIESCET MANUS, id eſt potentia, DOMINI IN MONTE ISTO; quaſi dicat: Deus potentiam ſuam mirabiliter exeret in Sion, inchoando ibi cæleſtes delitias, quas deinde proſequetur æternum in cælo: ita Adamus Saſbout. MOAB vero, id eſt populus impius, grex damnatorum, quorum typus fuerunt Moabitæ, perpetui hoſtes populi Dei, & mancipia fœdiſſimi idoli *Beel-phegor c* TRITURABITUR SUB EO, id eſt calcabitur & conteretur ſub pedibus Chriſti eiuſque populi ſancti, ſicut olim Moabitæ ſub Davide protriti & conciſi fuerunt, II. Reg. VIII. 2. Idem populus Moab

V. 11. EXTENDET MANUS SUAS ſeſſas, victas, deſperatas, SICUT EXTENDIT naufragus natatu captans levamina, vel effugia, ſed fruſtra.

(a) Cap. xxiv. 10.
(b) Euſeb. Lib. I. de Demonſtrat. c. ult.
(c) Num. xxv.

GORDONI.

Verſ. 1. & *deinceps* DOMINE DEUS MEUS, &c. Exordium Cantici agnoſcit, & confitetur fideles eſſe Dei promiſſiones de ſalute, & gloria Sanctorum, ac firma eſſe quæ ab æterno decrevit, & per

ſuos

ſuos denunciavit de hac re hominibus . At quænam eſt hæc civitas magna redacta in tumulum, & domus aliena in ruinam? Illa ſane eſt, quam Auguſt. toties in libris de duabus civitatibus opponit civitati Dei. Eſt, inquam, civitas impiorum, quam Deus in die illa evertet ſpiritu oris ſui. Heb. ארמון *armon*, *palatium*, rad. ארם, deſignatur domus ſuperba: nec ab hoc ſenſu multum abeſt aliorum quorumdam ſententia, hic agi de gratiarum actione pro everſa Synagoga, & civitate Ieruſalem redacta in tumulum; ut ſic naſceretur ſub Chriſto nova iuſtorum Eccleſia, ex qua naſcentur iuſti, cum gratia ac gloria, non peritura. Eſt plurium hæc interpretatio, & in quam propendeo: miſcet enim Propheta capitibus inſequentibus pleraque pertinentia tum ad res geſtas ſub primo adventu in Eccleſia, tum de pertinentibus ad ſecundum adventum: quo etiam modo facilius quod verſ. 2. habetur de civitate everſa, intelligetur de Ieruſalem & Synagoga deſtructis: de hoc iubilat Iſaias.

V. 6. ET FACIET DOMINUS EXERCITUUM, &c. Eleganti & varia metaphora depingit lætitiam, & gloriam Eccleſiæ Chriſtianæ, tum in eius progreſſu, tum in fine, quando deſtructa morte ſalvabit nos. En amplum nationibus paratum convivium, ſed in monte Sion, in Cruce ibi fixa, & Paſſione Chriſti.

V. 10. QUIA REQUIESCET MANUS DOMINI IN MONTE ISTO: ET TRITURABITUR MOAB. Per Moabitas aliqui damnatos intelligunt, ut fuerunt illi, Dei & populi eius hoſtes perpetui; & quidni etiam mundum, ac diabolum licebit intelligere per Moab? In hos manus ſuas extendet Chriſtus inſtar natantis, ut utraque manu puniat.

Ex Eiusdem Auctario.

Verſ. 5. SICUT. Similitudines hæ explicant vim divinæ caſtigationis in impios. Sane ſi ad magnam ſitim accedat æſtus, & locus aridus, grave tormentum eſt. FORTIUM, impiorum.

Verſ. 6. Hoc de iuſtis & beatorum convivio, multis titulis pingui, ut ſunt convivia vindemialia. VINUM DEFAECATUM, quod diu in dolio cum fæcibus conſervatum, evadit generoſum.

Verſ. 7. PRAECIPITABIT: deſtruet faciem, & vim vinculi, unde primum & originale peccatum, unde mors nata eſt, & peribunt lacrymæ.

CAPUT XXVI.

Canticum gratiarum actionis ob exaltationem iuſtorum & humiliationem impiorum, & de reſurrectione mortuorum.

1. IN Die illa cantabitur canticum iſtud in terra Iuda;
† Urbs fortitudinis noſtræ Sion ſalvator, ponetur in ea murus & antemurale.
2. Aperite portas, & ingrediatur gens iuſta, cuſtodiens veritatem.
3. Vetus error abiit: ſervabis pacem: pacem, quia in te ſperavimus.
4. Sperastis in Domino in ſæculis æternis, in Domino Deo forti in perpetuum.
5. Quia incurvabit habitantes in excelſo, civitatem ſublimem humiliabit.
Humiliabit eam uſque ad terram, detrahet eam uſque ad pulverem.

6. Conculcabit eam pes, pedes pauperis, greſſus egenorum.
7. Semita iuſti recta eſt, rectus callis iuſti ad ambulandum.
8. Et in ſemita iudiciorum tuorum Domine ſuſtinuimus te: nomen tuum ; & memoriale tuum in deſiderio animæ.
9. Anima mea deſideravit te in nocte: ſed & ſpiritu meo in præcordiis meis de mane vigilabo ad te.
Cum feceris iudicia tua in terra, iuſtitiam diſcent habitatores orbis.
10. Miſereamur impio, & non diſcet iuſtitiam: in terra ſanctorum iniqua geſſit, & non videbit gloriam Domini.
11. Domine exaltetur manus tua, & non videant: videant, & confundantur zelantes populi: & ignis hoſtes tuos devoret.
12. Domine dabis pacem nobis: omnia enim opera noſtra operatus es nobis.
13. Domine Deus noſter, poſſederunt nos domini abſque te, tantum in te recordemur nominis tui.
14. Morientes non vivant, gigantes non reſurgant: propterea viſitaſti & contriviſti eos, & perdidiſti omnem memoriam eorum.
15. Indulſiſti genti Domine, indulſiſti genti: numquid glorificatus es? elongaſti omnes terminos terræ.
16. Domine in anguſtia requiſierunt te, in tribulatione murmuris doctrina tua eis.
17. Sicut quæ concipit, cum appropinquaverit ad partum, dolens clamat in doloribus ſuis: ſic facti ſumus a facie tua Domine.
18. Concepimus, & quaſi parturivimus *, & peperimus ſpiritum: ſalutes non fecimus in terra, ideo non ceciderunt habitatores terræ.
19. Vivent mortui tui, interfecti mei reſurgent: expergiſcimini, & laudate qui habitatis in pulvere: quia ros lucis ros tuus, & terram gigantum detrahes in ruinam.
20. Vade populus meus, intra in cubicula tua, claude oſtia tua ſuper te, abſcondere modicum ad momentum, donec pertranſeat indignatio.
21. *a* Ecce enim Dominus egredietur de loco ſuo, ut viſitet iniquitatem habitatoris terræ contra eum: & revelabit terra ſanguinem ſuum, & non operiet ultra interfectos ſuos.

(a) Mich. 1. 3.

B R U G E N S I S

Romana Correctio.

Verſ. 18. *Et peperimus ſpiritum: ſalutes non fecimus in terra*. Accuſativus pluralis *ſalutes*, non eſt mutandus in genitivum ſingularem *ſalutis*, & iungendus ei quod præcedit, quod quidam libri faciunt.

Lectionum Varietas.

V. 1. *Urbs fortitudinis noſtræ Sion, Salvator*, Vetus Epanorthotes noſter annotat in hæc verba: *Urbs fortitudinis noſtræ, ſalvator*, „ Hebræus & antiqui non interponunt „ *Sion* “, ſed nec Græcus inter alios.

COM-

COMMENTARIA

MALDONATI.

Verſ. 1. IN TERRA IUDA, id eſt in Eccleſia Catholica ubi Chriſtus habitat, ſicut ante notus tantum erat in Iudæa Deus. URBS FORTITUDINIS. Hoc eſt initium carminis: URBS FORTITUDINIS NOSTRAE SION SALVATOR; id eſt, Eccleſia, in qua ſola ſalus eſt, noſtra eſt fortitudo, noſtra arx, noſtrum præſidium. Heb. עיר עזלנו, *urbs fortis nobis* (eſt). Poteſt etiam eſſe appoſitio ad hunc modum: Cantabitur canticum in terra Iuda, quæ eſt urbs fortis noſtra. *Sion* Hebraice non legitur, neque Septuaginta tranſtulerunt. PONETUR IN EA MURUS ET ANTEMURALE, id eſt bene munita erit; portæ enim inferi non prævalebunt adverſus eam. Heb. ישועה, *ſalutem ponet* (Deus) *muros*, & חל *antemurale*, vel *foſſam*, aut *vallum*; id eſt, inexpugnabiles faciet muros eius, aut non faciet alios muros eius quam ſalutem, id eſt quam quod pro ea moriendo ſalvam ac tutam faciet: mors enim Chriſti muri ſunt Eccleſiæ.

V. 2. APERITE PORTAS (Eccleſiæ, o Apoſtoli, & quicumque Eccleſiam adminiſtratis) ET INGREDIATUR: ut ingrediantur gentiles, & iuſtificentur. Gentem enim iuſtam per anticipationem vocat, non quæ ante iuſta erat, ſed quæ poſtquam ad Eccleſiam veniſſet, iuſta futura erat. Idem ſignificatur hic, atque illa parabola Matth. XXII. 9. *Ite ad exitus viarum, & quoſcumque inveneritis vocate ad nuptias.*

V. 3. VETUS TERROR ABIIT: quo ante Chriſti adventum diabolum timebamus. Vel, ut alias legitur, utque Hieronymus teſtatur ſe vertiſſe, *Vetus error abiit*, id eſt idololatria. SERVABIS PACEM; id eſt, tu, o Chriſte, veram nobis pacem ſecuritatemque attuliſti, eamque perpetuo conſervabis. QUIA IN TE SPERAVIMUS. Heb. יצר סמוך, *cogitatio fixa*: (apud te, o Deus) *ſervabis pacem*, id eſt ut ſerves pacem: כי בך בטוח, *quoniam in te ſperavit*; quaſi dicat: Hoc tuum conſilium eſt firmum ac fixum, hæc tibi ſtat ſententia, ut ſperantibus in te pacem conſerves. Vel, ut R. David interpretatur, (ei cuius) *deſiderium fixum eſt* (in te) *ſervabis pacem*. Vel, *hæc cogitatio fixa*, (nobis eſt) id eſt, perſuaſum habemus fore ut pacem ſerves ei, qui in te ſperaverit. Vel, ut Hieron. *Cogitatio* (noſtra) *fixa eſt*, (iam in te) *cum ante inter te & idola fluctuaret*: propterea ſe vertiſſe dicit, *Vetus error abiit*, ut clarior eſſet ſenſus, in quo neque Hebræos, neque Septuag. ſecutus eſt, ſed Aquilam & Symmachum, qui verterunt τὸ πλάσμα ἡμῶν ἐπηρεισμένον.

V. 4. SPERASTIS IN DOMINO. Hebr. בטחו *ſperate*, ut ſit epiphonema. IN SAECULIS AETERNIS, id eſt ſemper. IN DOMINO DEO FORTI (ſub. ſperate.) Heb. כי ביה יהוה עלמים, *quoniam in Domino Deo fortitudo ſæculorum*, id eſt perpetua eſt, quæ non deficit, non fruſtratur ſperantes in illo.

V. 5. QUIA INCURVABIT HABITANTES IN EXCELSO; id eſt, deiicere ac deturbare ſolet homines de editiſſimo ac munitiſſimo quoque loco. Reddit cauſam, cur dixerit in Deo eſſe fortitudinem.

V. 6. CONCULCABIT EAM PES. Pedes, inquam, non qualeſcumque, ſed pauperum; id eſt, tollet Deus civitatem a divitibus & potentibus, & dabit pauperibus: ut, *Depoſuit potentes de ſede, & exaltavit humiles*: Luc. I. 52. Vel, per homines pauperes & imbecilles ſuperabit civitatem fortem. *Infirma mundi elegit Deus ut confundat fortia*: I. Cor. I. 28. Myſt. Civitatem ſublimem, mundum poſſumus intelligere, qui in ſuperbia fundatus eſt, per pauperes Apoſtolos, qui totum mundum pedibus ſuis ſubegerunt.

V. 7. SEMITA IUSTI RECTA EST, id eſt plana, facilis, ſine errore, ita ut in ea non offendat. Eſt antithetum præcedentis verſus: dixerat enim Deum deturbare ſuperbos, nunc dicit iuſtis nihil eſſe periculi, quia a Deo quaſi per rectam & planam viam manu ducuntur. Heb. ארח לצדיק מישרים, ad verbum: *Semita iuſti rectitudines*, id eſt, recta eſt: ישר מענך צרגל תפלס, *rectum greſſum iuſti ponderabis* (o Deus) id eſt, diriges greſſus eius.

V. 8. ET IN SEMITA IUDICIORUM TUORUM; id eſt, etiam cum iudicia tua

in nos exerceres, etiam in rebus adverſis. SUSTINUIMUS TE, id eſt ſperavimus in te. Pſal. XXII. 4. *Si ambulavero in tenebris, & umbra mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es*. NOMEN TUUM; id eſt, etiam in rebus adverſis nomen & memoria tui non diſcedebat ab animo meo. Pſal. CXVIII. 109. *Anima mea in manibus meis ſemper, & legem tuam non ſum oblitus*.

V. 9. ANIMA MEA. Quod ante dixit perſona omnium iuſtorum, dicit nunc perſona ſua, ponens perſonam ſuam pro omnibus. ANIMA MEA DESIDERAVIT TE IN NOCTE. Heb. *anima mea* (in ablativo) *deſideravi te in nocte*. ET SPIRITU MEO IN PRAECORDIIS MEIS, id eſt, qui eſt in viſceribus meis: בקרבי *qui eſt intra me*; quaſi dicat, Et intimo ſpiritu meo. DE MANE VIGILABO. אשחרך, *mane quæram te*, vel, *quæſivi*. Senſus eſt, Dies atque noctes quæram te intimis animi mei ſenſibus. Nam animam & ſpiritum hoc loco pro eodem accipio, Pſal. LXII. 2. *Deus Deus meus, ad te de luce vigilo: Sitivit in te anima mea*. CUM FECERIS IUDICIA TUA; id eſt, cum ſuppliciis terram affeceris, homines diſcent iuſtitiam. Pſal. LXXVII. 34. *Cum occideret eos, quærebant eum*.

V. 10. MISEREAMUR IMPIO; id eſt, etiamſi clementer cum impio agamus, non corrigetur. Redditio cauſæ eſt verſus præcedentis; quaſi dicat: Habitatores terræ non cognoſcunt iuſtitiam Dei, niſi cum puniuntur; non enim corriguntur impii miſericordia, ſed pœna: vel eſt antitheſis. Dixerat habitatores terræ (iuſtos) ex ſuppliciis fieri meliores: dicit nunc impios miſericordia peiores effici. Heb. יחן רשע, *præſtabitur impio miſericordia*, id eſt ſi præſtetur miſericordia: בל־למד צדק, *non diſcet iuſtitiam*: בארץ נכחות יעול, *in terra rectitudinum perverſe aget*; quaſi dicat, Quo Deus magis illi rectam viam demonſtraverit, atque planiorem reddiderit, magis aberrabit. Opponit perverſe agere, id eſt errorem a via, viæ rectitudini. ET NON VIDEBIT GLORIAM DOMINI; id eſt, non cognoſcet, non animadvertet Domini magnificentiam, etiam ab eo beneficiis cumulatus.

V. 11. DOMINE EXALTETUR MANUS TUA; id eſt, etſi exaltetur non videbunt. Clarius Heb. יהוה רמה ידך, *Domine excelſa eſt manus tua*; id eſt, opera tua omnibus conſpicua ſunt. Per manum enim opera intelliguntur: per excelſam, quod ab omnibus videri poſſint. UT NON VIDEANT: בל יחזיון, *non videbunt*, id eſt tamen non videbunt ea; id eſt, videntes, non magis corrigentur quam ſi non viderent. VIDEANT. Heb. *videbunt* (opera tua) & tantum aberit ut emendentur, ut potius CONFUNDANTUR, id eſt contabeſcant invidia populi tui: קנאת־עם, cum ſcilicet viderint te benefacere populo tuo iuſto, punire autem iniuſtos. ET IGNIS. אף אש צריך תאכלם, *atque adeo ignis*, id eſt invidia, *hoſtes tuos conſumat*, Pſal. XXXVI. 12. *Obſervabit peccator iuſtum, & ſtridebit ſuper eum dentibus ſuis*.

V. 12. DABIS PACEM NOBIS: תשפות, *ordinabis*, aut *diſpones pacem nobis*, id non brevem, ſed perpetuam nobis pacem concedes. Antithetum eſt præcedentis membri; quaſi dicat: Impii morientur invidia, nos autem perpetua pace perfruemur. OMNIA ENIM OPERA: כי גם כל מעשינו, *qui omnia etiam opera noſtra*. Reddit cauſam cur dixerit pacem noſtram a Deo dari, quia omnia bona noſtra a Deo ſunt. *Omne datum optimum, & omne donum perfectum de ſurſum eſt, deſcendens a patre luminum*: Iacob. I. 7.

V. 13. DOMINE, POSSEDERUNT NOS DOMINI ABSQUE TE, id eſt qui alieni ſunt a te, qui non cognoſcunt, neque colunt te. TANTUM IN TE: בך, *propter te*, RECORDABIMUR, נזכיר, NOMINIS TUI; id eſt, quamvis nos barbari tyranni opprimant, & in ſervitutem redigant, tamen numquam tui obliviſcemur, ſed in media captivitate colemus te.

V. 14. MORIENTES (domini qui poſſederunt nos) NON VIVANT; id eſt, utinam poſtquam mortui fuerint, non iterum ad vitam revocentur, ac vexent nos. Non quod ſuſcitandos putet, ſed declarat tam duram fuiſſe eorum tyrannidem, ut quodammodo metuat ne iterum reviviſcant. Heb. *morientes*: בל יחיו, *non vivent*, id eſt extinguetur eorum memoria cum morte: Pſal. IX. 8. *Periit memoria eorum cum ſonitu*. Vel, non vivent, id eſt non reſurgent, ſicut dicet ſtatim de gigantibus; quaſi dicat, Morientur morte ſempiterna: Pſal. I. 5. *Ideo non reſurgent impii in iudicio*. GIGANTES. רפאים ſignificat gigantes & occiſos. Si vertimus gigantes, intelligendi erunt

Digitized by Google

erunt reges tyranni; ſi occiſos; erit repetitio; nam quos vocavit mortuos, vocat nunc occiſos; & quod dixerat, non vivant, dicit, non reſurgant. PROPTEREA, id eſt *propterea quod* לכן. Redditio cauſæ, quia Deus eos voluit abolere. Pſal. XXXIII. 17. *Vultus autem Domini ſuper facientes mala, ut perdat de terra memoriam eorum.*

V. 15. INDULSISTI GENTI; id eſt, affeciſti impios multis beneficiis; ſed nullum ab eis honorem, nullam gloriam reportaſti: ut ſupra cap. IX. 3. *Multiplicaſti gentem, non magnificaſti lætitiam.* ELONGASTI; id eſt, dilataſti eorum imperium, & tamen non cognoverunt te. Heb. יספת לגוי, *addidiſti genti* (numerum) id eſt multiplicaſti gentem. Quod poſſumus intelligere de populo Iudaico, ut ſit antithetum verſus præcedentis; quaſi dicat, Aboleviſti tyrannos & impios, & auxiſti populum. NUMQUID. Heb. ſine interrogatione: נכבדת, & glorificatus es; id eſt, oſtendiſti gloriam tuam in multiplicatione populi tui, & deletione hoſtium.

V. 16. DOMINE IN ANGUSTIA; id eſt, cum caſtigares eos, & affligeres rebus adverſis, requiſierunt te (populus tuus.) Pſal. LXXVII. 34. *Cum occideret eos, quærebant eum.* IN TRIBULATIONE MURMURIS DOCTRINA TUA; id eſt, diſciplina, caſtigatio tua cauſa fuit eis, ut in ſua afflictione perpetuo ſubmurmurarent preces. Clarius Heb. צקון לחש מוסרך למו, *effuderunt tacitam orationem cum caſtigares eos.*

V. 17. DOLENS CLAMAT; id eſt, præ dolore clamoribus Dei opem implorat. SIC FACTI SUMUS, id eſt ſic nobis accidit. A FACIE TUA, id eſt præ timore tui, cum punires nos.

V. 18. CONCEPIMUS. Hebræi legunt, ET PEPERIMUS SPIRITUM, poſito ibi puncto; & interpretantur, *peperimus ventum*; id eſt, non edidimus verum fœtum; quaſi dicat, Cum arbitraremur nos ex una calamitate liberatos eſſe, (hoc eſt peperiſſe) invenimus nos in aliam incidiſſe, hoc eſt ventum peperiſſe: ישועות בל נעשה ארץ, *ſalutes non ſunt factæ in terra*; id eſt, propterea ventum peperimus, quia terra non eſt liberata penitus a tyrannis, nec ceciderunt eius habitatores. Mihi magis placet verſio & ſenſus Interpretis noſtri, niſi quod punctum debet eſſe poſt *ſpiritum*. Vocat autem ſpiritum orationem, qua pii confitentur peccata ſua, ſeque a Deo merito puniri; quaſi dicat: Hoc conſecuti ſumus cum a te caſtigaremur, quod cognovimus, palamque profeſſi ſumus, hoc eſt peperimus ſpiritum, cauſam pœnarum noſtrarum. Cauſa autem eſt, quia ישועות בל נעשה, *ſalutes non fecimus*; id eſt, quæ ſalutaria nobis erant, non ſervavimus Dei mandata. Atque ideo non ceciderunt, id eſt nondum a Deo occiſi ſunt HABITATORES, id eſt dominatores terræ, qui ſoli in terra videntur habitare velle, aut, *Habitatores terræ*, id eſt impii, qui non habent aliam habitationem quam in terra, qui cæleſtem Ieruſalem non inquirunt, *Qui vocaverunt nomina ſua in terris ſuis*: Pſal. XLVIII. 12.

V. 19. VIVENT MORTUI TUI. Antitheſis eſt verſus 14: illic enim dixerat impios mortuos non reſurrecturos, hic dicit mortuos Dei (hoc eſt, tui) id eſt iuſtos reſurrecturos: non quod non omnes qui in Domino moriuntur reſurrecturi ſint, ſed quod illi ad mortem, hi ad vitam: *Omnes enim reſurgemus, ſed non omnes immutabimur*: I. Cor. XV. 51. Debet autem hic locus intelligi non ſolum de ultima reſurrectione, ſed etiam de liberatione ac erectione populi Iudaici tyrannide oppreſſi atque proſtrati, ſicut & ille Ezech. XXXVII. 1. Uſitatum enim erat Iudæis, ut in magnis calamitatibus reſurrectionis fide & commemoratione ſe conſolarentur. *Vivent mortui*, id eſt certe vivent: emphatica aſſeveratio. *Tui*, (o Domine, apoſtrophe ad Deum) id eſt, qui in Domino moriuntur, aut qui tui erant, id eſt iuſti. INTERFECTI MEI, id eſt qui ſunt ex populo meo. Heb. נבלת, *cadaver meum*: ubi alii intelligunt כ *cum cadavere meo*; alii כ, *ſicut cadaver meum*. Ego nihil ſubaudiendum arbitror, ſed vocat Propheta totum populum ſuum, id eſt Iudaicum, cadaver ſuum, quod iam emortuus eſſe videretur: propterea iungit cum verbo numeri pluralis, *cadaver meum reſurgent*. EXPERGISCIMINI, ET LAUDATE, id eſt bono animo eſtote, & רננו, *cantate*, QUI HABITATIS IN PULVERE, id eſt Iudæi, qui preſſi eſtis ſervitute, & humi proſtrati, quia liberabimini. Alia apoſtrophe. QUIA ROS LUCIS, id eſt matutinus aut vernus, quando dies luceſcere incipiunt, ROS TUUS (o Domine, alia ad Deum apoſtrophe) id eſt, ita virtus & gratia tua vireſcere facit afflictos & mortuos reviviſcere,

ſicut

ſicut ros matutinus, aut vernus herbas. Heb. *ros* אורות *olerum*. Et terram Gigantum; id eſt, e contrario vero gigantes, id eſt tyrannos, perdes. Heb. וארץ רפאים תפיל, *& terra occiſos proiiciet*, id eſt reddet mortuos qui ſunt in ſepulcris, ut Apocal. xx. 13. *Et dedit mare mortuos qui in eo erant, & mors & infernus dederunt mortuos ſuos, qui in ipſis erant.*

V. 20. Vade popule meus. Metaphoricus & myſticus eſt totus hic locus. Iubet Deus, aut Propheta (ad utrumque enim verba referri poſſunt) Iudæos bono patientique eſſe animo, fore ut brevi tempore indignatio (Dei, aut tyrannorum qui eos divexabant) prætereat. Intra in cubicula tua; id eſt, collige tete in intimos receſſus animi tui. Claude ostia; id eſt, obfirma, & quaſi obſera animum tuum adverſus omnes res adverſas, ut Matth. vi. 6. *Tu autem cum oraveris, intra in cubiculum tuum*; id eſt, recipe te, collige, & claude animum tuum ab omnibus curis. Metaphora ſumpta eſt a tempeſtate, qua ingruente, ſolemus nos in abditiſſima domus penetralia recipere. Modicum ad momentum. Significat breve eſſe, quidquid iuſti in hac vita perpetiuntur, ſi cum æterna alterius vitæ conſolatione conferatur; nam *Quod momentaneum eſt & leve tribulationis noſtræ, ſupra modum in ſublimitate æternum vitæ pondus operatur.* II. Cor. iv. 17.

V. 21. Ecce enim Dominus egredietur de loco suo. Heb. יצא, *egreditur*, quod ad ponendam rem ante oculos maiorem vim habet. Dicit autem Deum egredi, id eſt opem ferre, & oſtendere ſe; quia cum non ſuccurrit iuſtis, rebus adverſis iactatis, videtur alicubi deliteſcere: cum autem fert opem, videtur alicunde prodire, ſicut proverbio dicitur, *Deus e machina*. Ut visitet, id eſt puniat, Iniquitatem: ſing. pro plurali. Habitatoris terrae, id eſt eorum qui in terris dominantur, vel, qui non habent ſpem niſi in terris defixam, ut ſupra verſ. 9. Contra eum (habitatorem.) Heb. עליו, *ſuper eum*, id eſt convertendo in caput eius, ut Pſalm. vii. 17. *Convertetur dolor eius in caput eius, & in verticem ipſius iniquitas eius deſcendet*. Et revelabit terra sanguinem suum, id eſt non amplius teget ſanguinem interfectorum. Tegere terram ſanguinem eſt, quod Deus non ulciſcatur illum, quod Deus diſſimulet, & non magis illum videre videatur, quam ſi tutus eſſet. Quod autem terra ſanguinem revelet, eſt quod Deus oſtendat ſe eum videre, & ulciſcatur. Apocalyp. vi. 10. *Uſquequo Domine* (ſanctus & verus) *non iudicas, & non vindicas ſanguinem noſtrum de iis qui ſunt in terra?* Idem ſignificat, terram non operire mortuos.

S A.

Verſ. 1. In die illa, ſcilicet tempore Evangelii. Cantabitur, ſcilicet a fidelibus. Salvator, ſcilicet eſt; quaſi dicat, Chriſtus eſt fortitudo noſtra. Chald. & LXX. *ſalus*. Ponetur, &c. quaſi dicat, Erunt tutiſſimi fideles in Eccleſia.

V. 2. Portas, ſcilicet Eccleſiæ, vel cæli. Veritatem, ſcilicet Evangelium.

V. 4. In saeculis, &c. pro, in ſæcula æterna, id eſt in perpetuum: poteſt autem coniungi cum *ſperaſtis*, vel cum *Domino*.

V. 5. Habitantes, &c. id eſt ſuperbos, vel Ieroſolymitanos. Civitatem, ſcilicet Ieruſalem, vel Romam, vel mundum.

V. 6. Conculcabit, id eſt ſubiiciet, vel contemnet. Pauperis, ſcilicet Chriſti & Apoſtolorum.

V. 8. In semita, &c. quaſi dicat: Dum nos punis, vel in rectitudine, ſeu iuſtitia. Sustinuimus, id eſt expectavimus, ſcilicet ut opem ferres ſeu liberares. Memoriale tuum, id eſt tui memoria, vel tuam noſtri memoriam. In desiderio animae; pro, deſideravimus.

V. 9. Desideravit. LXX. *conſurgit ad* Te. Chald. *orare te*. Cum feceris, &c. id eſt cum punieris peccatores. LXX. *quia lux præcepta tua ſuper terram*.

V. 10. Misereamur, ſcilicet expectando ad pœnitentiam. Vox Dei. In terra sanctorum, &c. quaſi dicat, Habitans inter iuſtos. LXX. *Tollatur impius, ne videat gloriam Domini*.

V. 11. Exaltetur, &c. quaſi dicat: Oſtende tuam potentiam, vel puni. Non videant, ſcilicet ad ſalutem, ſed confuſionem. Zelantes, id eſt invidentes, ſcilicet Iudæi ſaluti gentium; vel, zelantes non ſecundum ſcientiam.

V. 12.

V. 13. POSSEDERUNT, &c. LXX. *Poſſide nos Domine, extra te alium non ſcimus, invocamus nomen tuum*. DOMINI, ſcilicet dæmon, mundus, & caro. IN TE, ſcilicet confidimus.

V. 14. MORIENTES, ſcilicet in peccatis. VIVUNT, pro, vivent, ſcilicet cum iuſtis. GIGANTES, id eſt tyranni, ſeu oppreſſores aliorum. RESURGANT; pro, reſurgent, ſcilicet ad vitam æternam: vide Pſal. I.

V. 15. INDULSISTI, ſcilicet remittendo peccata, vel non puniendo. GLORIFICATUS ES? ſcilicet ab ingratis. ELONGASTI, id eſt produxiſti; quaſi dicat, Dilataſti Eccleſiam.

V. 16. MURMURIS, id eſt ingemiſcente. Chald. *tacite*. LXX. *parva*. EIS, ſcilicet adhibetur, vel prodeſt.

V. 17. A FACIE TUA. Chald. *quia peccavimus coram te*. LXX. *propter timorem tuum*.

V. 18. SALUTES, id eſt opera ſalutis. CECIDERUNT, id eſt Deo ſe humiliaverunt; vel, ideo a nobis ſuperari non potuerunt.

V. 19. TUI, id eſt propter te, vel in gratia tua. MEI. Vox Dei. PULVERE, id eſt humilitate; vel quaſi dicat, Sepulti. LUCIS, id eſt matutinus. LXX. *ſanitatis ipſis eſt*. ROS TUUS, id eſt gratia, vel auxilium. GIGANTUM, id eſt improborum, ſeu violentorum.

V. 20. CUBICULA, id eſt ſepulcra. Hieron. epiſt. LXI. & Tertul. Lib. de Reſur. car. INDIGNATIO; ſcilicet Dei: vide locum ſimilem Iob XIV.

V. 21. EGREDIETUR, ſcilicet ad puniendum; quaſi dicat, Manifeſtabit ſuam potentiam. REVELABIT, id eſt manifeſtabit. SANGUINEM, &c. Chald. *ſanguinem innocentem ſuper ſe effuſum;* quaſi dicat: Apparebunt peccatores & punientur a Deo.

E S T I I.

Verſ. 12. OMNIA OPERA NOSTRA OPERATUS ES NOBIS. Ex hoc loco patet quodam ſenſu ex parte Dei omnem gratiam dici poſſe prævenientem; quatenus nimirum Deus omne bonum ac totum ab initio bonæ voluntatis uſque ad conſummationem boni operis, in nobis efficaciter operatur, faciens ut faciamus. Hoc enim veriſſime eſt prævenire, ſcilicet ordine cauſalitatis. Hinc & Apoſtolus I. Cor. IV. *Quid autem habes quod non accepiſti?* Quomodo autem per hoc non tollatur libertas arbitrii, vide ad illud Eſther XV. *Convertit Deus ſpiritum regis*.

V. 14. MORIENTES NON VIVANT, GIGANTES NON RESURGANT. Huic contrarium videri poteſt, quod paulo poſt dicitur verſ. 19. VIVENT MORTUI TUI, INTERFECTI MEI RESURGENT. Sed Reſp. De aliis mortuis loquitur in poſteriori ſententia, & de aliis in priori. In priori enim agit de impiis, qui in peccatis ſuis moriuntur, in poſteriori de piis qui in Domino moriuntur: illos negat reſurrecturos, ſcilicet ad beatam vitam, hos autem prædicit ſic reſurrecturos. Senſus itaque prioris eſt: *Morientes* (ſed non tui) id eſt, qui in te non moriuntur, *non vivant* in æternum; *gigantes*, id eſt ſuperbi ac Dei contemptores *non reſurgant* ad beatam vitam. Poſterioris: *Vivent mortui tui*, ut ſit vox Prophetæ; quaſi dicat: O Domine mortui tui, id eſt qui in te moriuntur, vivent in æternum. Ac deinde verba ſequentia ſint Dei reſpondentis; immo vel ſane: *Interfecti mei reſurgent*; quaſi dicat: Verum & certum eſt, quod dicis: Quicumque in me moriuntur, vel iniuſte, propter me, vel iuſtitiam interfecti ſunt, reſurgent ad vitam æternam. Vide etiam Iob VII.

M A R I A N AE.

Verſ. I. URBS FORTITUDINIS NOSTRAE. Heb. *urbs fortis nobis*. SION: Hebr. *Sion* non eſt, neque in Gotth. neque in Regiis, neque in Septuag. & Chald. neque in Hieronymi Commentariis; ſed ſuppleri poteſt. SALVATOR PONETUR IN EA; id eſt, Chriſtus nobis muri inſtar erit. Heb. *ſalutem ponet murus & antemurale*, id eſt eius munitio liberabit nos. Aut in accuſativo, *ſalutem ponet murum & antemurale*, ſcilicet obiiciens hoſti, ne irrumpat.

V. 2. APERITE PORTAS. Mutentur cives; nam propter peccata priorum, capta ante eſt ab hoſtibus. Ea gens iuſta Chriſti cultores ſunt. Ingrediatur gens iuſta.

V. 3. VETUS ERROR ABIIT. Ex Aquila id Hieronymus ſumpſit, qui ſic vertit: *τὸ πλάσμα ἡμῶν ἐπηρμισμένον*, id eſt *error noſter ablatus eſt:* ſic etiam Symmachus; id

eſt,

eſt, peccata, ob quæ ea urbs exciſa eſt, ſequetur pax & tranquillitas. Heb. *figmentum fultum*, id eſt decretum firmum eſt. SERVABIS, ſcilicet eam a malis. PACEM: PACEM, ſcilicet dabis illi urbi, quia in te ſperavit, non in ſuis viribus, aut externis auxiliis.

V. 4. SPERASTIS, aut *ſperate*. Sic Heb. & Hieronymus in Comment. IN SAECULIS AETERNIS, ſcilicet in eo qui eſt in perpetuum. IN DOMINO DEO FORTI IN PERPETUUM. Heb. *in Domino Deo petra* (fortitudo) *ſæculorum*, id eſt in omni tempore & ætate eſt Deus fortitudo.

V. 5. INCURVABIT, vel *humiliabit*, ut Septuag. & Chald. HABITANTES IN EXCELSO, id eſt fortes, opulentos, proceres. CIVITATEM; id eſt Ieroſolymam deiiciet. USQUE AD PULVEREM, id eſt ad terram illam proſtrabit.

V. 6. CONCULCABIT EAM, id eſt in ea habitabunt ſoli pauperes & egeni, qui ſoli in ea poſt excidium manebunt. Aut pauperes ſint Chriſtus & Apoſtoli.

V. 7. RECTUS CALLIS IUSTI AD AMBULANDUM. Heb. *rectum callem iuſti diriges*; quaſi dicat: Si ſublimes Deus evertit, iuſtos ſervabit a malis.

V. 8. ET IN SEMITA IUDICIORUM TUORUM DOMINE SUSTINUIMUS TE; id eſt, quod recta ſit ſemita tua, ratio agendi, in te ſperavimus. Heb. *etiam ſemita iudiciorum tuorum*, *Domine*, ſcilicet recta eſt: *ſperavimus in te*, ſcilicet cum mala nos premerent. IN DESIDERIO ANIMAE. Nil aliud quam te cupimus. Heb. *ad nomen tuum*, *&* *ad memoriam tuam deſiderium animæ*, id eſt nihil aliud cupimus. Per *nomen* & *memoriam* Deum ipſum intellige.

V. 9. ANIMA MEA DESIDERAVIT TE. Heb. *anima mea deſideravi te*, pro *deſideravit*. SED ET SPIRITU MEO. Per *animam* & *ſpiritum* vires omnes intellige. IN PRAECORDIIS MEIS. Heb. *in medio mei*, id eſt intra me, non extrinſecus id dico, ſed ex toto corde. DE MANE VIGILABO AD TE, ut precibus vacem. Itaque ſignificat dies & noctes nihil aliud quam Deum cupere. CUM FECERIS IUDICIA. Hoc iungit cum illo verſ. 8. *ſemita iudiciorum tuorum recta*, ſcilicet eſt.

V. 10. MISEREAMUR IMPIO, ET NON DISCET IUSTITIAM; pro, quod non diſcat iuſtitiam facere. Eo ipſo miſerior eſt, & lacrymis dignus. Heb. *Miſericordia ſit impio* (id eſt væ impio) *non didicit iuſtitiam*; id eſt eo quod iuſtitiam non facit, væ illi. IN TERRA SANCTORUM. Heb. *in terra rectitudinum*, id eſt rectorum, perverſe egit. Malum eſt inter pravos peccare, peius inter bonos & ſanctos. ET NON VIDEBIT GLORIAM DOMINI, ſublimitatem, myſteria eius, & conſilia non intelliget.

V. 11. EXALTETUR MANUS TUA, id eſt potentia tua, ne ſcilicet tua opera videant impii. VIDEANT, ET CONFUNDANTUR; aut *videbunt* (id eſt ſi viderint) *erubeſcent*. ZELANTES POPULI, *populi* in genitivo. Heb. *invidia populi*, ſcilicet ob invidiam, qua populo tuo invidebunt videntes eius felicitatem. DEVORET, aut *devorabit* hoſtes tuos ignis: dabunt pœnas.

V. 12. DABIS PACEM NOBIS; pro, dato. Heb. *diſpones pacem*. Per pacem bona omnia intelligit. OMNIA ENIM OPERA NOSTRA OPERATUS ES; id eſt, ſicut alia opera & beneficia nobis præſtitiſti, ita hoc præſta.

V. 13. POSSEDERUNT NOS DOMINI ABSQUE TE; id eſt etiam cum poſſederunt nos domini alieni, cum in captivitate eramus. TANTUM IN TE, id eſt tantum propter te. RECORDEMUR: recordati ſumus nominis tui.

V. 14. MORIENTES NON VIVANT. Heb. *mortui* (ſunt ſcilicet ii domini) *non vivent*. GIGANTES NON RESURGANT; pro, non reſurgent. Chald. pro רפאים *rephaim*, *gigantes*, id eſt domini illi violenti. Alii *manes*, aut *extincti* interpretantur, ut ſit repetitio eius quod dixit, *mortui non reſurgant*. PROPTEREA VISITASTI; pro, ſic factum eſt, ut cum eos viſitaſti puniendo, perierunt tum ipſi, tum eorum memoria; quaſi dicat: Non ſolum ipſi non reſurgent, ſed ne memoria quidem eorum extabit.

V. 15. INDULSISTI GENTI, id eſt peperciſti eis. Num propterea te glorificarunt? quaſi dicat, Minime. Solum ea indulgentia fines terræ dilatati ſunt ob multitudinem, ſcilicet hominum. Hebraica aliter, quæ ſic verto: *Addidiſti gentem*, *Domine*, *addidiſti gentem* (id eſt multiplicaſti) *glorificatus es*. *Elongaſti fines terræ*, id eſt imperii tui, ſcilicet ex quo tibi maior gloria.

V. 16. IN ANGUSTIA REQUISIERUNT TE. Tot affecti beneficiis numquam ad te confugiunt, niſi malis coacti. IN TRIBULA-

TIONE

TIONE MURMURIS DOCTRINA TUA EIS; id eſt, doctrina tua id proficiunt, ut rebus adverſis murmurent, id eſt orent muſſitantes. Heb. *effundunt murmur* (id eſt preces ſummiſſa voce) *correctio tua eis*, id eſt quando illos corripis. *Correctio*, pro, in correctione. Hieronymus pro *correctione*, *doctrinam* poſuit.

V. 17. SICUT QUAE CONCIPIT. Dixerat rebus afflictis ad Deum concurrere; nunc explicat quanta eſſet afflictio, nempe ut parturientis.

V. 18. ET PEPERIMUS SPIRITUM, id eſt ventum, fruſtra labor fuit & vanus. SALUTES NON FECIMUS IN TERRA, id eſt non impetravimus, ut liberares terram noſtram. IDEO NON CECIDERUNT. Heb. *& non ceciderunt habitatores orbis*, id eſt gentes, quæ nos affligunt: hoſtes noſtri non ceciderunt.

V. 19. VIVENT MORTUI TUI, id eſt iuſti, quantumvis nunc videantur oppreſſi malis. INTERFECTI MEI RESURGENT, id eſt fideles, cives mei, qui ut mortui ſunt. Heb. *cadaver meum reſurgent*; id eſt ſicut cadaver meum reſurget, ſic illi reſurgent. LAUDATE, Deum ſcilicet. QUI HABITATIS IN PULVERE, id eſt mortui. QUIA ROS LUCIS: ſic Chald. benignitas tua, o Deus, auroræ rori ſimilis eſt. Alii *ros olerum* vertunt: neque ſententia variat: *ros* enim oleribus utilis eſt. Vox אורות *oroth*, & *lucem* & *olera* ſignificat. ET TERRAM GIGANTUM. Hic eſt eadem vox, quæ verſ. 14. & ſignificat *gigantes*, hoſtes Iudæorum tyrannos, quos ad terram affliget Deus. Aut terram eorum vaſtabis.

V. 20. VADE POPULUS MEUS. Verba ſunt Prophetæ monentis ſuos, ut ſe in ſilentio teneant in tempeſtate, neque ſumant arma. DONEC PERTRANSEAT INDIGNATIO. Sic Heb. Vatablus, *donec tranſeat indignatio tyrannorum*. Septuag. *ira Domini*.

V. 21. HABITATORIS; pro, habitatorum iniquitatem Deus viſitabit. ET REVELABIT TERRA SANGUINEM SUUM, id eſt occiſos in ea. ET NON OPERIET ULTRA. Repetitio eſt. *Revelabit* autem, ut vindicentur, & puniantur qui eos occiderunt.

MALVENDAE.

Verſ. 1. **I**N DIE ILLA CANTABITUR CANTICUM, &c. Expoſita prophetia de beneficiis Dei erga Eccleſiam, ſubiicitur pars altera de prædicatione Eccleſiæ hoc cantico, cuiuſmodi ordinem iam ante obſervavimus in verſ. 6. præcedentis capitis. Sunt autem, inquiunt, in hoc cantico partes quatuor: prima eſt exordium, prædicans firmitatem Eccleſiæ in Deo, hoc verſu 1. ſecunda, propoſitio Eccleſiæ, omnes ad ſe, & ad Deum iubentis accedere per fidem, uſque ad verſ. 5. tertia, confirmatio ab operibus Dei, inde ad verſ. 19. poſtrema vero concluſio verſ. 19. IN TERRA IUDA. Quidam: *in regione Iehudæ*, id eſt in Eccleſia, quæ olim ea regione circumſcripta & figurata erat. URBS FORTITUDINIS NOSTRAE. Heb. *firmitudinis*, *roboris nobis*. Aliqui: *civitas fortis eſt nobis*; id eſt, Eccleſia, in qua nos verſamur, eſt potentiſſima, quippe quæ munita eſt præſentia & præſidio Dei. SALVATOR PONETUR IN EA MURUS ET ANTEMURALE. Heb. varie alii reddunt: I. *Salutem ponet* Deus *muros & propugnaculum*. II. *ſalvator*, ſeu *ſalus ponet muros, & munitionem*. Sed id non ſatis apte ſuſtinet Hebraica conſtructio, nam *ſalus* eſt femineum, & *ponet* maſculeum. III. *ſalutem diſponit muris & præmunitioni*; id eſt, in ſalute, quam dedit Deus, ſervat, adeo ut ne ipſæ quidem inferorum portæ prævaleant adverſus eam, Matth. XVI. 18. חיל *chail*, vel חל *chel*, quod hic ponitur, aiunt proprie eſſe *virtutem*, *ſtrenuitatem*; inde *munitionem*, *præmunitionem*, *propugnaculum*, unde ſtrenue pugnatur, *antemurale*, vel *foſſam*, quæ circum muros duci ſolet, Hiſpanice, *foſſo*. Vide I. Reg. XXI. 23.

V. 2. APERITE PORTAS, &c. Quidam hæc verba Eccleſiæ eſſe volunt, omnes ad ſe accedere iubentis. Alii, Dei, quod eodem recidit: ut ſit amplificatio ſuperioris prædicationis a forma gratioſiſſima, quam obſervat Deus, cum ſervos ſuos & adminiſtros Eccleſiæ informando, ut pateſiant ianuæ Evangelii miniſterio ipſorum, tum iuſtos & pios in Eccleſiam introducendo, ſeu intromittendo. GENS IUSTA: nimirum iuſtificata per Chriſtum, qui iuſtificat impium, vivens ex fide in Chriſtum, ut ſequen-

quentia verba docent exegetice. CUSTODIENS VERITATEM. Heb. *ſervans fidium*, ſeu *fidelitatum*. Quidam: *conſervans omnem fidem*; numerus enim pluralis auget ſignificatum.

V. 3. VETUS ERROR ABIIT, &c. Hunc verſum multiſariam ex Heb. elucidant: I. *Figmentum*, vel *cogitationem*, aut *imaginationem*, id eſt animum, *innixam tibi cuſtodies; pax, pax erit illi, qui in te confidit.* II. Eum cuius *deſiderium eſt coniunctum* tibi, *cuſtodies* in *pace*, in *pace* inquam, *quia tibi fidet*; id eſt, deſiderium iuſti; qui eſt coniunctus tibi & innixus, cuſtodies a malo, dabiſque illi pacem, quia ſperat in te. III. *Affectu firmo cuſtodies pacem, pacem, inquam, eo quod in te ſperatum ſit*. IV. *Figmento fulto*, ſive *cogitatione firma*, *firmata ſervabis pacem*, *pacem*, inquam, *quia in te confiſum eſt*. V. *Cogitatio, quæ innititur*, vel *ſuſtentata*, *obtinebit pacem, pacem, quia in te confiſa*. Sed non recte congruit cum Hebraica conſtructione, in qua *cogitatio* eſt maſculeum, & *obtinebit* femineum. VI. *Cogitatio firma*; id eſt, firma, certa, ſtabilis, indubitata nobis eſt hæc cogitatio, quod tu, Domine, *ſervabis pacem, pacem, quando in te ſperatum erit*; quaſi dicat: Firma hæc noſtris animis hæret cogitatio, pulſo omni vetere errore, quo ſecus exiſtimabamus, quod tu, Domine, conſerves pacem & felicitatem iis, qui in te fidunt. VII. *Compreſſione fulta ſervabit pacem, pacem, inquam, quia in te ſperatum*. VIII. *Cogitationi ſuffultæ ſervabis pacem, pacem, inquam, quia in te ſperatum eſt*. IX. *Cogitationi innitenti cuſtodis continuam pacem, cum tibi confidit.* Tranſitio ad ſecundam partem, videlicet propoſitionem, qua Eccleſia omnes ad Deum provocat in Chriſto, ſumpta occaſione ex præcedentibus Dei verbis, quæ primum epiphonemate confirmat hoc verſu, deinde omnes iubet eamdem fidem ſeu fiduciam in Deum adhibere ad percipiendam ſalutem, uſque ad verſ. 7. Eſt autem cogitationis nomen ſynecdochice accipiendum, pro viro, qui tota cogitatione, & toto animo confidenter nititur Deo per fidem ſeu fiduciam in Chriſtum, ut fine verſus explicatur. יצר *ietzer*, *formatio*, *fictio*, *figmentum*, *imaginatio*, *cogitatio*, &c. Vide in Geneſ. VI. 5. סמוך *ſemuch*, participium paſſivum, *ſuſtenta*, *ſuſtentata*, *innixa*, *fulta*, *ſuffulta*, *firmata*, *ſtabilita*, *confirmata*. Poſſis reddere: *cogitationem innixa ſervabis*, dabiſque *ei pacem*, *pacem*, *quia in te confiſa*; id eſt, Imaginationem iuſtam, quæ te innititur & fulcitur, cuſtodies a malo, & dabis ei omnimodam pacem, nam in te acquieſcit & confidit. Vel *cogitationi innixæ ſervabis pacem, quia in te confiſa*. Noſter, pro *fictione*, *figmento*, *imaginatione*, dixit *error*, aptiſſime: & pro *ſuſtentato*, *nixo*, *fulto*, dixi *vetus*, recte: & verbum, *fuit*, vel *abiit*, ſubaudivit, appoſite. Noſtra Translatio verbis & interpunctioni Hebraicæ propius hæſit: (*Formatio ſuſtentata; aſſervabis pacem, pacem quia in te confiſus*.) Geminatio vocis, *pacem*, *pacem*, plurimam, continuam, omnimodam, perennem proſperitatem & felicitatem ſignificat, uſu Hebraico.

V. 4. SPERASTIS IN DOMINO, &c. Alii hunc verſum ex Heb. reddunt: I. *Fidite Iehovæ uſque in ſæculum, fidendum eſt Deo Iehovæ Forti in ſæcula*. II. *Confidite in æternum, quoniam in Deo Iehova eſt fortitudo ſæculorum*, id eſt fortitudo ſempiterna, quæ numquam finem inveniet. III. *Confidite in Iehova aſſidue: quia in Iah Iehova eſt petra ſæculorum*. IV. *Sperate in Iehova in ſempiternum; quia in Iah Iehova eſt petra perpetua*, ſeu *robur ſæculorum*, id eſt ſempiternum. V. *Confidite Iehovæ uſque in ſempiternum:* propoſitio Eccleſiæ omnes ad fidem hortantis, a naturali promiſſione, & operibus Dei, ut paulo antea dximus in verſ. 3. *nam in Iah Iehova rupes ſæculorum eſt:* ut Deuteronom. XXXII. 4. id eſt, immota arx & propugnaculum fidelium: quod illuſtratur antitheſi ſequentis verſus. IN SAECULIS AETERNIS. עדי־עד *ghadeghad*, *uſque ad*, *uſque ad*, exponunt: *ultra ultra; aſſidue aſſidue; magis ac magis; amplius amplius*. Alii: *uſque ad ſempiternum*, ſeu *perpetuo, perpetuo; æternaliter, æternaliter:* quæ vocis geminatio plenam & abſolutam æternitatem ſignificat. IN DOMINO DEO. Heb. *in Iah Iehova*, vel *in Iah Iehovæ*, hoc eſt in Deo Dei, in Deo de Deo, Ieſu Chriſto vivo & æterno Dei Patris Filio: vide Exod. XV. 2. & in Pſal. LXVII. 5. & ſupra cap. XII. 2. FORTI. צור *tzur*, *petra:* poteſt eſſe epithetum Dei, id eſt in Deo, qui eſt petra, ſeu munitio, in qua tuti conſiſtimus, ut Deuter. XXXII. 4. alias: vel per ſe ſtat ſubaudito verbo

Digitized by Google

bo ſubſtantivo, *in Iah Iehovah eſt petra*, id eſt totum robur & munitio.

V. 5. QUIA INCURVABIT HABITANTES IN EXCELSO. Alii: I. *Quia proſtravit habitatores excelſi*, vel *altitudinis*, *ſublimitatis*, *celſitudinis*; id eſt, Deiiciet eos qui habitant in loco ſublimi, qui in ſumma auctoritate conſtituti ſunt. II. *Nam deprimit habitatores loci alti*. Tertia pars cantici, ut dictum eſt in verſ. 1. narratio ſcilicet confirmans hortationem ab operibus Dei, primum quidem contra adverſarios, duobus verſibus; deinde vero erga electos verſ. 7. & ſequentibus. Ait ergo: *Nam deprimit habitatores loci alti*, id eſt omnem ſublimitatem, quæ extollitur adverſus cognitionem Dei, II. Corinth. x. 5. CIVITATEM SUBLIMEM HUMILIABIT. HUMILIABIT EAM USQUE AD TERRAM, &c. Alii: I. *civitatem altam deiiciet*, *proſternet eam ad terram*, *&* *deducet eam ad lutum uſque*. II. *urbem editam: deiicit eam*, *deiicit eam uſque in terram*, *deturbat eam in pulverem uſque*; id eſt, certiſſime & indeſinenter deiicit: nam hic eſt uſus anadiploſeos, ſeu reduplicationis, ut ſupra verſ. 3.

V. 6. CALCABIT EAM PES: vel *quatiet*, *conculcabit eam pes*; ſeu *incedet per eam pes*. PEDES PAUPERIS. Recte hæc accipiunt, quod pedes pauperis Petri, Pauli, aut cuiuſque Apoſtolorum ſtraverint omnem gloriam & ſublimitatem mundi, & regna atque imperia peſſum dederint, ac iugo Chriſti ſubiecerint. GRESSUS EGENORUM. Heb. *percuſſiones*, *ictus*, *pulſus*, *veſtigia*, *plantæ*, quibus pulſatur & quatitur terra, *exhauſtorum*, *attenuatorum*, *tenuium* facultatibus & viribus, nimirum inopum, pauperum, egenorum.

V. 7. SEMITA IUSTI, &c. Alii: I. *Via iuſto rectitudinis*; id eſt, via æqua, plana, æquabilis erit iuſto: *o Deus*, *recte callem iuſti ponderabis*. II. *Semitam æquitatum dabis iuſto: tu*, *qui rectus es*, *viam iuſti æquabis*. III. *Semita iuſti rectitudinum*, id eſt rectiſſima: *rectum actum*, ſeu *viam tritam & plauſtralem*, quæ nimirum orbitas habet, *orbitam iuſti regulabis*, ſeu *librabis*; id eſt, libratam reddes, ad libellam & perpendiculum diriges, complanabis, æquabis, ne ſcilicet anfractus habeat aut offendicula. III. *Iter iuſto rectitudinibus*, ſeu *rebus æquiſſimis*, *recto orbitam iuſti libras*. Secundus locus ab operibus Dei: quorum aſſeritur primum iuſtitia & æquitas ſumma in electos, uſque ad verſum 11. deinde veritas uſque ad 19. *Iuſto*, illi, qui definitus eſt ſupra verſ. 2. & 3. *rebus æquiſſimis*; id eſt, facis ut omnia fidelibus tui ſuccedant æquiſſime, & utramque lancem ſecundarum & adverſarum rerum iuſtius quam ulla artificis ſtatera moderaris: quod dictum ſimiliter amplificatur repetitione, ut antea verſ. 5. vidimus. De voce מַעְגָּל *maghgal*, quam nos *magale* vertimus, vid in Pſal. XXII. 3. & in I. Samuel. XVII. 20. magale autem hic intelligimus omnem adminiſtrationem iuſti, ut Proverbior. IV 26.

V. 8. ET IN SEMITA IUDICIORUM TUORUM, &c. Quidam hunc verſum reddunt: *Etiam in itinere iudiciorum tuorum Iehova expectamus te: ad nomen tuum*, *&* *ad memoriam tui fertur deſiderium animæ*. Accommodatio, qua Eccleſia ſuperiorem theſin de adminiſtratione Dei confidit ad ſe pertinere, & eam a ſe expeti docet, ut Dei iuſtitiam magis ac magis agnoſcat ex ipſius operibus. *In itinere iudiciorum tuorum*; id eſt, tantiſper dum in hac vita verſamur, & exercemur iudiciis tuis. Aliqui contra rationem diſtinctionis Hebraicæ reddunt, ac ſuperioribus nectunt: *Rectam orbitam iuſti regulabis; quanto magis ſemitam iudiciorum tuorum?* quaſi dicat: Si vias iuſtorum rectas facis, quanto magis facies rationes iudiciorum tuorum? deinde ſequatur: *Iehova intenti te expectavimus*, *ad nomen tuum*, *ad commemorationem tui*, *deſiderium animæ*; id eſt, audito tuo nomine; vel ad locum tui commemorationem ſeu recordationem ardens deſiderium tuum mox in animis noſtris excitari ſolet. Nonnulli exponunt: *Etiam in via iudiciorum tuorum*, *o Iehova*, *te expectamus*; id eſt, etiam cum nos affligis, quod iuſto tuo iudicio facere ſoles, ſperamus in te, tibi fidimus, te reſpicimus, a te pendemus, &c.

V. 9. DE MANE VIGILABO AD TE. Heb. *aurorabo te*: vide de hoc verbo Iob VII. 21. Alii: I. *in aurora*, vel *ſummo mane*, *diluculo*, *quæram te*. II. *maturabo ad te*. III. *tempeſtive quæram te*. IV. *ſedulo te quæram*. CUM FECERIS IUDICIA TUA IN TERRA, IUSTITIAM DISCENT HABITATORES ORBIS. Alii: I. *Quando iudicia tua fuerunt in terra*, *iuſtitiam didicerunt habitatores orbis*. II. *Iuxta iudicia tua erga terram*, *iuſtitiam diſcent habitatores orbis*; id eſt, iux-

ta normam iudiciorum tuorum, quæ in homines exerces, illi quoque iuſtitiam addiſcunt, ut talia videlicet iudicia exerceant, qualia te exercere vident: vel cum te animadvertunt in improbos exercere iudicia, alieno exemplo ediſcunt, & colunt iuſtitiam, ac iuſtitiæ ſtudent. III. *Nam cum iudicia tua extant in terra, iuſtitiam diſcunt habitatores orbis habitabilis*. AEtiologia præcedentis propoſitionis, & optati, a depravatione carnis noſtræ, quæ adeo fera & indomita eſt etiam in filiis Dei, ut retundi non poſſit, & iuſtitiam illius diſcere, niſi crebris, gravibuſque ferulis revocetur: ac proinde in reliquo mundo longe ferocior eſt, cum neque gratioſis verbis, neque verberibus corrigatur, ſed tantum evincatur, velit nolit, ut fiat inexcuſabilis. *Iuſtitiam diſcunt*, &c. pios quidem ad ſalutem docentibus calamitatibus iuſtitiam Dei; impios vero convincentibus, Iudicum II. 3.

V. 10. MISEREAMUR IMPIO, ET NON DISCET IUSTITIAM. Alii ex Heb. I. *Fiat miſericordia impio, & non diſcet iuſtitiam*. II. *Gratiam obtinebit impius, nec diſcet iuſtitiam*. III. *Num gratiam conſequetur improbus*, qui *non didicit iuſtitiam?* IV. *Conſequatur improbus miſericordiam, nequaquam iuſtitiam didicit*; quaſi dicat: Finge improbum non puniri, quinimmo bene habere, & beneficiis affici; ſcito eum ad ſanam mentem numquam rediturum. V. *Impius etiam beneficiis affectus non diſcit iuſtitiam*, ſed peior fit. VI. *Cum gratia fit improbo, non diſcit iuſtitiam*. Ergaſia ſuperioris dicti, ex antitheſi diverſæ adminiſtrationis: Vere, inquit, iudicia tua opus eſt adhiberi, ſi voles ut ad ea animum advertat mundus; nam quo magis certat beneficentia tua cum improbitate illius, eo amplius obliviſcitur tui, & præfidit ſibi. IN TERRA SANCTORUM INIQUA GESSIT, ET NON VIDEBIT GLORIAM DOMINI. Alii ex Heb. I. *Sed in terra plana inique agit, & non videbit maieſtatem Iehovæ*. II. *in terra rectitudinum iniuſte aget, & nequaquam videbit magnificentiam Iehovæ*. III. *in terra æquiſſima inique agit, & non conſiderat celſitudinem Iehovæ*; id eſt, quo æquiorem te in ipſum, leviorem que & mitiorem exhibes, eo fit ſceleratior. IN TERRA SANCTORUM. Heb. *in terra directionum, rectitudinum*, vel *rectarum*, ſubaudi rerum: dicuntur recta, plana, obvia, & quæ ſunt coram; quaſi dicat: Etiam in rebus planiſſimis, obviis, facilibus, & ante oculos poſitis impingit ac depravatur improbus. GLORIAM DOMINI. Heb. *ſuperbiam, excellentiam, ſublimitatem, magnificentiam, elationem, maieſtatem* IHUH.

V. 11. DOMINE EXALTETUR MANUS TUA, &c. Alii hunc verſum ita ex Heb. reddunt: *Iehova, cum exaltatur manus tua, non vident: videbunt erubeſcentes zelum populi*, ſeu *erga populum; quinetiam ignis hoſtes tuos conſumet*. Altera pars narrationis, qua Eccleſia aſſerit veritatem iudiciorum proleptice, cum in improbos, hoc verſu; tum erga pios, ſequente, quæ poſtea pluribus exponuntur elegantiſſime, uſque ad verſ. 19. *Cum exaltatur manus tua*, &c. id eſt, non conſiderant celſitudinem tuam (quod dixit ſuperiore verſu) ſed experientur tandem ſuo magno malo: ſic aſſeritur cum veritate iuſtitia iudiciorum Dei, & cum noxa comparatur pœna. ET CONFUNDANTUR ZELANTES POPULI. Heb. *populi* eſt genitivus ſingularis, *zelus ipſius populi*, ubi zelum concrete & collective ſumunt pro zelatoribus & invidis populi; unde quidam reddunt: *invidentes populo tuo*; id eſt, qui zelotypiam, invidentiam, æmulationem, indignationem exercent adverſus populum tuum. Alii: *& confundentur zelo populi tui*. Nonnulli: *& pudefient æmulatione quadam populi tui*. Nec deſunt, qui inverſo verborum ordine, *videbunt zelum populi tui*, id eſt amorem quo populum tuum proſequeris, *& erubeſcent*, ſeu pudefient. ET IGNIS HOSTES TUOS DEVORET. Heb. *etiam ignis hoſtes tuos comedet eos*. Geminatio pronominis auget ſignificatum; id eſt, & ignis abſumet ipſiſſimos hoſtes tuos. Quidam inverſo ordine verborum: *devorabitque eos ignis, qui hoſtes tuos abſumere ſolet*; vel *igne hoſtium tuorum devorabis*, ſeu *abſumes eos*, ideſt eo igne, quo ſoles hoſtes tuos conſumere.

V. 12. DOMINE DABIS PACEM NOBIS. Alii ex Heb. I. *Iehova diſpones*, ſeu *ſtabilies, præparabis, ordinabis, pacem nobis*. II. *Iehova collocabis intra limites noſtros pacem nobis*, id eſt firmabis & conſervabis intra terminos noſtros proſperitatem & felicitatem. III. *Iehova diſponens pacem noſtris*: ſecundum membrum prolepſeos, ut dictum eſt verſu præcedente, quo Eccleſia docet improbis velut ſtipula conflagrantibus, Eccleſiam utcumque ferventem adverſis rebus tamquam

quam in olla manu Dei conſervatam eſſe, & porro ſtatuit conſervatum iri ex anteacta Dei adminiſtratione. Verbum שפת ſapbath, de diſpoſitione Ollæ dicitur II. Reg. IV. 38. & שפתים ſephathaim, ſunt *chytropodes*, Pſal. LXVII. 14. OMNIA ENIM OPERA NOSTRA OPERATUS ES NOBIS. Quidam exponunt: Id eſt, tu auctor es omnium rerum quæ nobis accidunt. Alii: *nam etiam omnia facta noſtra*, paſſive, pro eo quod eſt, *quæ facta ſunt nobis*, ſive *omnes res noſtras confeciſti nobis*; id eſt, quæcumque adhuc nobis evenerunt, ſive cum alii inſolenter cruciaverunt nos, de quibus agitur duobus verſibus ſequentibus, ſive cum ſervaſti & liberaſti nos miſericorditer.

V. 13. POSSEDERUNT NOS DOMINI ABSQUE TE. Alii ex Heb. I. *dominati ſunt nobis domini præter te*. II. *ſubiugaverunt nos domini præter te*. III. *imperant nobis domini præter te*. Exornatio ſuperioris dicti, Deum confeciſſe res omnes Eccleſiæ: quæ per antitheſin hic confitetur ſe ita preſſam fuiſſe mundi tyrannide, ut neque per illum licuerit facere mentionem Dei, neque ipſa per ſe potuerit: ac proinde per Deum ſolum effectum eſſe, ut Eccleſiæ ſua facultas reſtitueretur ad laudandum illum. *Præter te*, qui cum illegitime dominium occupabant in populum Dei, tum eo perinde abutebantur ac ſi Deus non immiſiſſet ipſos; denique nihil minus quam de conſilio ipſius cogitabant, ut dictum eſt ſupra cap. x. 5. & ſequentibus. Nos vertimus: *potiti ſunt nos heri præter te*; id eſt, in ſervitutem redegerunt. Sic Latinis dicebatur *potitus ſervitutis*, qui ſervitutem ſerviſſet; *potitus hoſtium*, qui in poteſtatem hoſtium deveniſſet: vide Feſtum. TANTUM IN TE RECORDEMUR NOMINIS TUI. Heb. *tantum in te recordari faciemus nomen tuum*. Alii: I. *tantum in te*, vel *de te commemorabimus nomen tuum*; id eſt, annuntiabimus, prædicabimus, celebrabimus nominis tui gloriam; ſic enim ſumi verbum זכר *zachar*, in Hiphil notant: vide Forſterum pag. 214. II. *ſolum propter te memorabimus nomen tuum*. III. *dumtaxat tamen tui, nominiſque tui recordemur*. IV. *tantum per te recordamur nominis tui*; id eſt, ſuperſtites ſumus, ut celebremus te in æternum liberati metu omnium inimicorum, verſu ſequente.

V. 14. MORIENTES NON VIVANT, &c. Hunc verſum alii ex Heb. transferunt: I. *Mortui ſunt, non vivent, & violenti tyranni non reſurgent; idcirco quod viſitaſti, & exterminaſti eos, atque perdidiſti omnem memoriam eorum*. II. *Hi mortui non reviviſcent, expertes vitæ non reſurgent*; id eſt, domini iſti & tyranni, de quibus ſuperiore verſu, non amplius impedient nos, quin celebremus te: alludit enim his verbis & ſequentibus ad genus illud liberationis quo uſus eſt Deus cum educeret populum ex AEgypto, Exod. XIV. & XV. NON VIVANT, vel *vivent*, ſubaudi, in hac vita communi in terra, cum aliis, vel in alia, cum iuſtis. GIGANTES NON RESURGANT. רפאים *rephaim*, vide ſupra cap. XIV. 9. hic pro immanibus & violentis tyrannis accipiunt, ſeu pro vitæ expertibus: ſic infra verſ. 19. *Non reſurgent*, ad hanc communem vitam in mundo ad opprimendum alios: vel in futura ad vitam beatam in cœtu iuſtorum, Pſal. I. 5.

V. 15. INDULSISTI GENTI, DOMINE, INDULSISTI GENTI, &c. Varie hunc verſum ex Heb. elucidant: I. *Addidiſti huic genti o Iehova, addidiſti huic genti, glorificatus es: elongaſti uſque ad omnes terminos terræ*. II. *Augebis genti tuæ, Iehova, augebis, inquam, genti tuæ beneficia, glorificaberis in ea, poſteaquam ieceris eam in omnes fines terræ*; quaſi dicat: Multis ac variis beneficiis afficies eos; ſed poſtea in illis oſtendes gloriam iuſtitiæ & potentiæ tuæ cum illos diſperſeris ob ſua peccata in extremos terminos orbis. III. *Addidiſti genti, o Iehova, addidiſti genti*; id eſt, cumulabis in te credentes variis beneficiis: & in ea gente *glorioſus apparebis*; id eſt, in Chriſtianis oſtendes gloriam tuam: quam *prorogabis longe ad omnes fines terræ*, id eſt propagabis & diffundes Chriſtianos per omnes mundi regiones, in quibus illi prædicabunt te. IV. *Adieciſti huic genti, Iehova, vitam, adiiciens huic genti glorificas te: genti, quam procul amoveras ad omnes extremitates terræ*. Amplificatio ſuperioris narrationis de veritate iudiciorum Dei in Eccleſiam admirabilium, a circumſtantiis: Primum enim, inquit, erant depulſi in terras extimas, hoc verſu; deinde ſummis anguſtiis & doloribus preſſi, duobus ſequentibus; tertio plane perditi & mortui, niſi maieſtas tua ſuccurriſſet, verſ. 18. & 19. & tamen ait Eccleſia, eadem opera tua gloriæ tuæ conſuluiſti, & ſaluti meæ.

V. 16.

V. 16. IN TRIBULATIONE MURMURIS DOCTRINA TUA EIS. Alii ex Heb. I. *effuderunt orationem, cum correctio tua fuit eis*; id eſt, cum caſtigarentur a te. II. *Effundunt oratoriam quando caſtigatio tua eis*; quaſi dicat: Magna vi verborum, & artificio oratorio apud te utuntur, ut ſuam ferulam depellant. III. *Extorſerunt orationem, cum caſtigatio tua illis eſſet*; quaſi dicat, Vexatio illis orationem extorſit. IV. *Fuderunt ſubmiſſam orationem*, ſeu *ſuſurrum caſtigatione tua premente ipſos*, ut ſolent qui demiſſi ſunt, & deiecti caſtigationibus, cum lacrymis ſubmiſſe deprecari. Præteritum צקון *tzakun*, plerique deducunt a יצק *iatzak*, ut deficiat *Iod*, & abundet *Nun*, pro יצקו *iatzaku*, *fuderunt*: nonnulli a צוק *tzuk*, *coarctaverunt*, *preſſerunt*, *extorſerunt*. לחש *lachaſch*, proprie *muſſitationem*. Vide ſupra cap. III. 3. & Eccle. X. מוסר *muſar*, *diſciplina*, *correptio*, *correctio*, *caſtigatio*, *animadverſio*. Hic non tantum de verbali, ſed de reali caſtigatione accipiendum.

V. 17. DOLENS CLAMAT IN DOLORIBUS. Alii: *parturit*, *enititur*, *in funibus*, ſeu *torminibus ſuis*. Vide ſupra cap. XIII. 8.

V. 18. CONCEPIMUS, ET QUASI PARTURIVIMUS, &c. Hunc verſum alii ex Heb. convertunt: I. *Concepimus*, *parturivimus*, *ac veluti ventum enixæ ſumus*; quaſi dicat: Pertulimus dolores pares doloribus mulieris parturientis: ea tamen cum peperit, liberata eſt dolore; nobis autem, aliis atque aliis ſuperatis ærumnis, aliæ quoque expectandæ ſunt: *Salutes terræ non factæ ſunt*, vel *ſalus non eſt facta in terra*; id eſt, tribulatio non ceſſavit: *neque cadent habitatores terræ*; id eſt, non corruerunt, aut proſtrati ſunt manu Dei, qui nos affligebant. II. *Gravidi fuimus*, *doluimus quaſi pareremus ventum*; id eſt, nihil umquam poſſemus parere, ſed perpetuis torminum ventorumque inter ſe in utero colluctantium cruciatibus conſtringeremur: *Salutem ullam non fuiſſemus effecturi terræ*, *neque caſuri fuiſſent incolæ orbis habitabilis*. Exegeſis verborum proxime præcedentium; quaſi dicat Eccleſia: Non fuiſſet mihi ex me facultas aut virtus pariendi, aut præſtandi quidquam ad ſervandum meos, aut deturbandum adverſarios; ſed utrumque penes Deum eſt, qui præſtat utrumque verbo, ſequente verſu. III. *Concepimus*, *parturivimus*, *veluti peperimus ſpiritum ſalutum*: *nequaquam confecimus terram*, *neque ceciderunt habitatores orbis*; quaſi dicat: Quamvis ſimiles ſimus gravidis, parturientibus, & parientibus, propter dolores, curas, & ſollicitudines quibus angimur, patienter ferimus: maledicimur, & benedicimus; blaſphemamur, & obſecramus; nulli malum pro malo reddimus, immo ſpiritum ſalutum, id eſt ſaluberrimum & gratiſſimum ſpiramus: Chriſti enim bonus odor ſumus: nequaquam compreſſimus, aut oppreſſimus, ſeu confecimus, vel confregimus terram: neminem læſimus, neminem corrupimus, neminem circumvenimus: ne quem veſtrum gravaremus, pro his quibus indigemus, manibus noſtris laboravimus: lucrari omnes volumus, & ad ſalutem perducere: homines quærimus, non eorum bona: flemus cum flentibus, gaudemus cum gaudentibus: denique imperium non exercemus in homines, neque terram nobis ſubigimus: neque cadunt habitatores orbis, a nobis de poſſeſſione ſua deiecti, vel deleti aut interfecti. SALUTES NON FECIMUS IN TERRA. נעשה *naghaſeh*, ſecundum normam eſt futurum plurale Kal, *faciemus*: aliqui accipiunt pro tertia perſona præteriti ſingulari Niphal, *ſalutes non facta fuit in terra*; id eſt, nulla ſalutum facta fuit, vel res ſalutum non facta eſt in terra.

V. 19. VIVENT MORTUI TUI, &c. Varie hunc verſum ex Heb. elucidant: I. *Vivent mortui tui, cum cadavere meo reſurgent*; id eſt cum corpore meo, ſive una mecum; quaſi dicat: Vivent vita æterna electi tui, qui propter te & propter gloriam nominis tui morientur: unaque cum illis ſcio me reſurrecturum. Aliqui reddunt: *ſicut corpus meum reſurgent: expergiſcimini & laudate habitatores pulveris*, *quia ut ros olerum*, *ros tuus*; id eſt, quo pullulant ac germinant, aluntur que herbæ, quanto magis virtus tua excitatura eſt mortuos, ac ſepultos in terra? *& terra mortuos proiiciet*, id eſt eiiciet a ſe, ut mulier abortivum. II. *Vivent mortui tui*, *cadaver meum*, ſeu *cadavera quæque mea*, *reſurgent*: *expergiſcimini*, *& ovate cohabitatores pulveris*: *quia ros matutinus ros tuus*, *& terram gigantum ruere facies*; id eſt, violentorum & potentum tyrannidem ſolo proſternes. III. *Mortui tui*, id eſt qui propter te mortui ſunt, ut ſancti martyres, *vivent*, vitæ æterna, *& quemadmodum corpus meum reſurgent*: *expergiſcimini*, ſubaudi, mortui Dei; *& iubilate habitatores pulveris*, id eſt ſepulcri: *quoniam ut ros herbarum*

rum virentium, *ros tuus;* id eſt, ut rore pullulant herbæ, ſic virtute tua reſurgent: *& terram violentorum tyrannorum tu deiicies*, vel *in terram improbos deiicies*, o Deus. IV. *Reviviſcunt tui mortui*, *cadavera quæque mea reſurgant*, id eſt inſtaurantur, & ex calamitatibus tamquam ex morte rediviva membra Eccleſiæ ſervantur, verbo illo potente tuo. Eſt autem, inquiunt, hic concluſio cantici, qua Eccleſia ſingulare Dei beneficium prædicans, ſibi de mirifica hac ſalute gratulatur: *Expergiſcimini*, *inquis*, *& cantate qui inhabitatis pulverem*. Proſopopœia, qua Deus inducitur populum ſuum ex anguſtiis velut e ſepulcro excitans ad gloriam ſuam: *nam ros olerum*, *ros tuus eſt*, *poſtquam in terram expertes vitæ proiecisti*. Ætiologia, a potentia verbi Dei: Verbum Dei, inquit Eccleſia, cum cæleſti rore; fideles defecti malis, cum ſemine in terram proiecto, corrupto & moriente comparantur: quemadmodum autem ros e corrupto ſemine excitat herbam, ita verbum Dei reſtituit pios cum putri ſemine comparatos, nempe afflictionibus pene mortuos. Verum hunc locum plures de univerſali corporum reſurrectione accipiunt. Forſterus: *Vivent mortui tui*, *corpus meum exanime*, *extinctum*, *deſtitutum anima*, *& vitæ muniis reſurgent*. *Et nota*, inquit, *hic*, נבלתי *nebelathi*, *corpus meum*, *nomen ſingularis numeri*, *ponitur collective cum verbo pluralis numeri*, *reſurgent*: *ſignificans primo quod omnia corpora credentium ſint unum corpus cum corpore Chriſti*, *& capitis Chriſti*, *& cum eo etiam ſint ſurrectura*: *quod & factum eſt iuxta hiſtoriam Matthæi Evangeliſtæ cap.* XXVII. Nam multa corpora ſanctorum, qui dormierant, ſurrexerunt, & egreſſi ſunt de monumentis poſt reſurrectionem Chriſti, & venerunt in ſanctam civitatem, & apparuerunt multis. Atqui hæc non diſplicuerunt Mercero, ac Forerio. Pergit tamen Forſterus: *Denique quod nomen non in ſimili forma hic ſcribitur qua alioqui in omnibus aliis Scripturæ locis in ſtatu regiminis legitur*, *haud dubie ideo eſt factum*, *ut Propheta ſignificaret*, *quod hoc corpus Chriſti in ſepulcro non emarcuerit*, *ſeu ut regius propheta David ait*, *viderit corruptionem*, *ut alia omnium hominum corpora*, *ſed ante putrefactionem ſurrexerit*: *atque ita quies eius*, *ut alibi Propheta dicit*, *fuerit glorioſa*. *Atque hæc ſimul myſteria voluit Propheta hoc nomine ſingularis numeri*, *& hac ſingulari punctorum ratione ſignificare*, *ne quis exiſtimet temere ſic ſcriptum aut depravatum eſſe a ſcribis*. Hæc ille. Sed hoc Mercerus non admodum probat, inquiens: *Punctationem non putarim habere quidquam myſterii*, *quaſi alia fuerit corporis Chriſti in ſepulcro*, *quam ceterorum ratio*, *quia non emarcuerit*. *Nam duplici ratione hæc forma invenitur*, *in regimine*, *& cum affixis*: *ut hic habes*. (nempe in Theſauro Sanctis ex Kimchio in annotata) Sed qui Hebraice norunt, facile intelligent notationem Kimchii eſſe futilem, & Forſteri ſolidam. Ros LUCIS. אורות *oroth*, plurale, *ros lucium*, ab אורה *orah*, ſingulari, id eſt lucidiſſimus & clariſſimus. Alii: *ros olerum*, ſeu *viridium*: ut *oroth*, ſint *olera*, ſeu *herbæ virides*, *lucentes & lætæ atque ad veſcendum gratæ*: ut II. Reg. IV. 39. Quidam Hebræorum *erucas* interpretantur, id eſt herbas, quas vulgo *oruga* vocamus: ſic dictas quod illuminent oculos. Plinius Lib. XX. cap. XIII. *Putant ſubtrita eruca ſi foveantur oculi*, *claritatem reſtitui*. Vide eumdem de eruca cap. VIII. Lib. XIX. Senſum huius loci eſſe aiunt: Ut ros lucidus recreat herbas ac quæque virentia, ſic ros tuus cæleſtis ac divina virtus recreat ac inſtaurat homines.

V. 20. VADE POPULUS MEUS; &c. Hunc verſum alii ex Heb. explanant: I. *Vade*, *abi*, *i*, *popule mi*, *ingredere in penetralia*, ſeu *conclavia*, *ſecreta cubicula tua*, *& claude oſtium tuum*, vel *fores*, *valvas tuas poſt te*, ingreſſum ſcilicet in cubiculum, vel *ante te*, aut *per te*, id eſt tuis ipſe manibus, ut nemini id fidas: vel *pro te*, ut ſcilicet ſis tutus: *abſconde te ipſum velut parum*, vel *quaſi paululum*, *ad momentum*, *donec tranſeat ira*; id eſt, donec deferbuerit ira tyrannorum & opprimentium; quaſi dicat, Popule mi, patienter ſuſtine temporariam afflictionem. Alludit ad rationem agendi eorum, qui imminente aut urgente tempeſtate, domi clauſi ſe continent. II. *Age popule mi*. Hos duos verſus initio ſequentis capitis annectunt, atque ex his verbis ordiuntur caput XXVII. obſervantque hanc eſſe ultimam partem prophetiæ huius ſeu concionis (ut dictum eſt in cap. XXIV. I.) per apoſtrophen ad populum Dei; qua inſtruitur populus de officio ſuo, & promiſſionibus Dei erga ſe:

quo-

quorum illud hoc verſu continetur, hæ vero reliquo capite: hæ autem partim poſitæ ſunt in profligandis adverſariis, verſ. ultimo huius capitis, & primo ſequentis; partim in ornandis, curandis, purgandis, & colligendis Iſraelitis, inde ad finem. *Intra in conclavia tua, & occlude fores tuas tibi: latita quaſi exiguo momento, donec præterierit indignatio*; id eſt, recipe te ad Dei protectionem fide, & integro animo, & in ſtatione, in qua te ipſe collocaverit, firma patientia, in ſpe & ſilentio conquieſce, neque iſtis calamitatibus, quæ terras pervaſuræ ſunt, dimovetor. Reſpicit autem Propheta his verbis ad formam liberationis ex AEgypto, qua interdixerat Deus ne exiret ullus e porta domus ſuæ, qua nocte proceſſurus erat ad percutiendum AEgyptum, Exod. XII. 12. SUPER TE. Heb. *in uſque ad te;* quæ formula magnam & validam clauſionem indicat, ut bene ſit tutus quis ac ſecurus. MODICUM AD MOMENTUM. Heb. *ſecundum paucum rigoris*, vel *rigorem:* aut *ſecundum parvum momenti*, ſeu *momentum*. De voce רגע *reghagh*, quam *rigorem* vertimus, vide in Exodi XXXIII. 20. ſic momentum dictum volunt, quaſi citum, & exiguum, ſeu minutum tempuſculum, vel concitatum tempus. Alii, quaſi fiſſuram ſeu fragmentum temporis minutiſſimum. Hic aliqui reddunt: *circiter modicum momentum*.

V. 21. ECCE ENIM DOMINUS EGREDIETUR, &c. Alii: *Nam ecce Iehova proditurus eſt e loco ſuo ad animadvertendum iniquitatem habitatoris terræ in eum: & reteget terra cædes ſuas, neque obteget ultra interfectos ſuos*. Prior promiſſionum locus, ultio adverſariorum, ut Exod. XXII. 23. *de loco ſuo*, id eſt de cælis, unde revelatur ira Dei in omnem impietatem & iniuſtitiam hominum, Romanor. I. 18. ET REVELABIT TERRA SANGUINEM SUUM. Alii: *& proferet terra ſanguines ſuos*, quos ſcilicet hauſit; id eſt, brevi apparebit ultio divina ob ſanguinem ſuorum fuſum; quaſi dicat, Vox ſanguinum innoxie interfectorum clamabit ad Deum de terra. Nonnulli: *& diſcooperiet cædes ſuas*, quas adhuc occultat. INTERFECTOS SUOS, ſeu *occiſos*, quos continet intra ſe, quorum ſcilicet ſanguis innocens effuſus eſt in ea a tyrannis & pravis hominibus.

MENOCHII.

Verſ. 1. IN TERRA IUDA: in Sion, in Eccleſia cæleſti. URBS FORTITUDINIS. Sionis ſupernæ civitatis propugnator, & cuſtos eſt Dominus, ipſe urbis huius murus eſt, & antemurale, ideoque ſub eius tutela ſecuri degimus.

V. 2. PORTAS, Cæli. VERITATEM. LXX. *Iuſtitiam*, eos intelligit qui ſeduli legis divinæ cuſtodes fuerunt, ac proinde Iuſti.

V. 3. VETUS ERROR ABIIT. Error voluptuariorum, & damnatorum, qui nos inſanos iudicabant, cum per arctam Domini ſemitam incedebamus SERVABIS PACEM, &c. Gaudebimus bonorum omnium abundantia, cum perpetua animi tranquillitate, pace, & voluptate.

V. 4. SPERASTIS: o ſocii. IN SAECULIS AETERNIS; pro, in ſæcula æterna, ad conſequenda ſæcula æterna. FORTI IN PERPETUUM, id eſt quem ad præſtanda promiſſa fortem, & potentem agnoviſtis.

V. 5. QUIA INCURVABIT, &c. Oſtendit Dominum eſſe fortem in perpetuum, ideoque in eo ſperandum; nam ipſe incurvat, & deprimit omnes qui habitant in excelſo, id eſt elatos, potentes, & ſuperbos. CIVITATEM SUBLIMEM: mundum.

V. 6. PEDES PAUPERIS, GRESSUS EGENORUM: Apoſtolos intelligit, aliosque fideles, qui Chriſti paupertatem ſunt ſecuti; hi enim mundum, & eius ſuperbiam calcabunt, eam iudicantes, & damnantes.

V. 7. SEMITA IUSTI: quæ illum duxit ad beatitudinem.

V. 8. SUSTINUIMUS; id eſt, exſpectavimus ut opem ferres, a malis erigeres, & tandem ad præmium vocares, inſiſtentes interim ſemitæ iudiciorum tuorum, id eſt legi tuæ. NOMEN TUUM, &c. quaſi dicat: Neque aliud quidquam magis erat in votis, quam ut nomen tuum ſanctum, & celebre eſſet apud omnes. MEMORIALE TUUM, id eſt tui memoris, vel tua noſtri memoria.

V. 9. ANIMA MEA DESIDERAT TE IN NOCTE. Sunt verba Iſaiæ, abſoluto iam cantico beatorum. Sententia eſt, cupere ſe Deo inhærere, illumque die ac nocte colere, mente gerere, & orare. CUM FE-

CE-

Digitized by Google

CERIS IUDICIA TUA IN TERRA : peccatores puniendo.

V. 10. MISEREAMUR IMPIO, &c. quaſi dicat : Iuſte deſidero iudicium tuum, & ſceleſtorum punitionem, nam dum illis parcitur, deteriores fiunt. IN TERRA SANCTORUM, &c. in Eccleſia, poſt tot beneficia accepta, totque auxilia ad virtutem & ſanctitatem. ET NON VIDEBIT GLORIAM DOMINI: ſed cælo, & ſalute excludentur.

V. 11. DOMINE EXALTETUR MANUS TUA, &c. id eſt, effice Domine potenti manu tua, ut impii, & indigni non videant gloriam tuam. VIDEANT, ET CONFUNDANTUR. Eſt correctio; quaſi dicat, Immo videant eam eminus, & quaſi per umbram in die iudicii, ſed ut magis doleant. ZELANTES POPULI: impii, qui invidia, & zelo tabeſcent, videntes ſanctos vocari ad gloriam, ſe vero æternis pœnis addici. LXX. habent, *zelus apprehendet populum ineruditum*. IGNIS: Infernus.

V. 12. PACEM : quietem, felicitatem. OPERA NOSTRA. Hebræum מעשה *mahaſe* non tantum opus, & actionem, ſed & omne factum, omnem eventum ſignificat. Itaque ſenſus eſſe poteſt: Omnia quæ nobis facta ſunt, quæcumque nobis evenerunt, a te evenerunt; ergo & da pacem, tu enim bonorum omnium es dator, & auctor. Poſſunt etiam *opera noſtra* active ſumi, quæ Deus operatur in nobis per gratiam operantem, & prævenientem nos ad ea excitando, & per gratiam comitantem iuvando, ut quod aggredimur proſequamur, & perficiamus.

V. 13. DOMINI: idola vel reges externi, & tyranni, verbi gratia Reges Syriæ, Samariæ, &c. ABSQUE TE, id eſt præter te, qui ſolus in animis noſtris dominari debueras. IN TE. Heb. בך *becha*, id eſt *in te*, ſæpe capitur pro regimine genitivi, idemque eſt quod *tui*. Itaque ſententia eſt: *Tantum tui, nominiſque tui recordemur*.

V. 14. MORIENTES: ſeu *mortui*: tyranni iſti qui nos ſubiugarunt, qui ſervos tuos morti tradebant, nequaquam iterum vivent, nam reſurrectio eorum non erit ad veram vitam, atque felicem, unde perpetuo mori dicuntur; nam mors in æternum depaſcet eos. VIVANT; pro, vivent. GIGANTES. Gigantum nomine in ſacris litteris quilibet tyranni, & violenter iniuſti homines intelliguntur. RESURGANT: reſurgent, ſcilicet ad vitam æternam. VISITASTI: puniviſti.

V. 15. INDULSISTI: non puniendo, vel pœnam differendo. ELONGASTI, &c. protuliſti, & amplificaſti eorum fines, & latifundia: numquid ideo glorificaverunt te? quaſi dicat, Minime.

V. 16. IN ANGUSTIA, &c. quaſi dicat: Potius contra accidit, nam cum eos affligeres, tunc quærebant te. IN TRIBULATIONE MURMURIS: in tribulatione gravi, quæ gemitum, & querelas exprimeret. DOCTRINA TUA EIS: ſcilicet, prodeſt correctio tua, eis eſt ſalutaris.

V. 18. CONCEPIMUS, ET QUASI PARTURIVIMUS: tuis flagellis vexati bona concepimus deſideria, & opera bona quaſi fœtum videbamur edere velle in lucem. PEPERIMUS SPIRITUM. Vatabl. vertit *ventum*: id eſt rem evanidam, nihil fecimus; in deſideriis tantum hactenus, & operi manum ſtrenue non admovimus, parumque, aut nihil ultra bona deſideria progreſſi ſumus. SALUTES: opera ſalutis. NON CECIDERUNT HABITATORES TERRAE: ideo a nobis ſuperari non potuerunt hoſtes noſtri, qui terram ſanctam nobis deſtinatam, & promiſſam incolunt.

V. 19. VIVENT MORTUI TUI: reſurgent, eruntque beati mortui qui in Domino moriuntur. INTERFECTI MEI RESURGENT: qui ex genere meo Iſraelitico, vel potius ex eccleſia veritatis teſtes occiſi ſunt, reſurgent. EXPERGISCIMINI: evigilate e ſomno mortis. QUI HABITATIS IN PULVERE, ſepulcrorum. QUIA ROS LUCIS ROS TUUS. Pro *lucis* in Hebræo eſt אורת *oroth*, quæ vox *lumina* ſignificat, & etiam herbas, & olera virentia. Senſus ergo eſt: Sicut ros cadens ſuper herbas eas creſcere, & exurgere facit; ſic ros gratiæ tuæ cadens ſuper oſſa mortua, ea reſuſcitabit: ſic dicitur infra cap. LXVI. 14. *Oſſa veſtra quaſi herba germinabunt*. Eamdem ſententiam exhibet lectio vulgata; quaſi dicat: Quia ros tuus eſt ros lucis, id eſt ad lucem vitæ excitans & revocans. TERRAM GIGANTUM: corpora impiorum, ut interpretatur S. Hieronymus.

V. 20. VADE POPULUS MEUS, &c. Videtur vox Dei ad ſanctos qui in Domino moriuntur; quaſi dicat: Ite ad modicum, o ſancti, ad cubicula, id eſt ad ſepulcra, ve-

veſtra, ibi dormite, & quieſcite, quia brevi, hoc eſt, in die iudicii vos reſuſcitabo. INDIGNATIO : quia ſcilicet impios puniam, præſertim in fine mundi per multiplices plagas.

V. 21. DE LOCO SUO : e cælo deſcendens ad inſtituendum iudicium. VISITET: examinet, & puniat.. REVELABIT TERRA SANGUINEM SUUM; id eſt, terra reddet ſanguinem iuſtorum, ac martyrum quo imbuta eſt. NON OPERIET ULTRA INTERFECTOS SUOS: quia omnes martyres, ut etiam reliquos omnes vita functos, e gremio ſuo reddet.

TIRINI.

Verſ. 1. IN TERRA IUDA, id eſt confeſſionis & laudis; quod Cyrillus accipit de Eccleſia militante, Hieronymus de triumphante. URBS FORTITUDINIS NOSTRAE SION. Opponit urbem Sionem Moab, id eſt cælum inferno, beatos damnatis. De Moab dixerat: *Munimenta murorum tuorum concident uſque ad pulverem*: de Sione dicit urbem fore munitiſſimam ac fortiſſimam, ita ut nulla vis, nullus caſus, nulla ætas eam convellere, nec portæ inferi vel tantillum ei nocere poſſint. Cauſa eſt, quia SALVATOR Chriſtus erit ei MURUS *a* ET ANTEMURALE, ſeu vallum, quod forma ſemilunæ ſolet ante urbis portam & murum excitari; quaſi dicat: Chriſtus erit illi fortiſſimus undique cuſtos & protector: ita Hugo, S. Thomas, Forerius, Vatablus, Sanchez, a Lapide. Sic dicimus, Scipionem Romanis contra Hannibalem fuiſſe foſſam & vallum, id eſt omne præſidium, omne robur, & omne tutamentum.

V. 2. APERITE PORTAS: reſerate cælum, o angeli. Verba ſunt Chriſti, inquit S. Hieronymus; vel, ut Sanchez, ipſorummet Beatorum, accepta a Chriſto ſententia: *Venite benedicti Patris mei*, &c. cum triumphali plauſu cælum ſubeuntium.

V. 3. VETUS ERROR, quo ſtulti a mundo iudicabamur, iam ABIIT *b*; iam PACEM, id eſt bonorum omnium abundantiam, adepti ſumus; quam nobis, o Deus, æternum conſervabis.

V. 4. SPERASTIS IN DOMINO IN SAECULIS AETERNIS. Ex Hebræo verti poteſt, *ad ſecula æterna*, ſupple, conſequenda. Et ſic exponunt Lyranus, Haymo & Sanchez, qui dicunt verba eſſe angelorum Beatis congratulantium.

V. 5. INCURVABIT, id eſt deprimet Deus omnes HABITANTES IN EXCELSO; id eſt, omnes mundi principes, qui excelſos gerebant ſpiritus, ad excelſa adſpirabant, in ſublimi erant dignitate & officio. CIVITATEM *c* SUBLIMEM, id eſt mundum univerſum humiliabit, & in pulverem rediget, per ignem conflagrationis.

V. 8. NOMEN TUUM, id eſt tu, ET MEMORIALE, ſeu memoria tui, ſemper fuit nobis IN DESIDERIO ANIMAE. Quo quid utilius? quid iucundius? Hic finis eſt cantici Beatorum. Quorum exemplo Iſaias ait, ſe quoque

V. 9. *Deſiderare* Deum tam NOCTE, quam interdiu, id eſt continuo præſentem habere, & colere & ſervire, idque tanto ſtudio, ut etiam lucem *d* prævertat. Mox etiam de proximo ſolicitus, orat ſubinde IUDICIA *faciat*, id eſt vindictam publicam exerceat in impios. Nam ſi, ut ſequitur,

V. 10. MISEREAMUR perpetuo & parcamus IMPIO, NON DISCET IUSTITIAM, ſed perſiſtet in impietate. Etiam IN TERRA SANCTORUM INIQUA gerit; id eſt, in conſortio & converſatione cum viris probis improbe ſe gerunt. Porro ſicut Iobo magnæ laudi datur, quod inter improbos probe vixerit: ita maximæ vituperationi dat hic impiis, quod inter probos improbe vivant, ac proinde merito *gloria* DOMINI & cælo excludantur: ita Alvarez.

V. 11. DOMINE EXALTETUR MANUS TUA; id eſt, potenti manu tua effice, ut impii pro meritis ſuis priventur gloria tua, nec illam videant aut deguſtent: immo vero VIDEANT eminus, & quaſi per umbram in die iudicii, non ad ſolatium, ſed ad *confuſionem* maiorem: ita Forerius & a Lapide.

V. 12. DOMINE PACEM perpetuam & ſtabilem DABIS NOBIS fidelibus ſervis & amicis tuis, quia OMNIA OPERA NOSTRA, quæ ad veram æternamque pacem ac felicitatem nobis curandam ac ſtabiliendam neceſſaria erant, OPERATUS ES NOBIS per gratiam tuam, per filium tuum: nihil neceſ-

ceſſariorum, nihil utilium omiſiſti: ita Alvarez.

V. 13. POSSEDERUNT NOS DOMINI ABSQUE TE; id eſt, præter te, qui ſolus nobis dominari debes, alieni etiam domini, puta Philiſthæi, Iebuſæi, reges Syriæ, Samariæ, &c. ſubinde prævalent & dominantur nobis. Itaque da priſtinam nobis pacem, ut non amplius timere exteros debeamus, ſed IN, ſeu apud, TE ſolum, verſetur memoria noſtra, ut ſemper te ſolum habeamus dominantem nobis, & RECORDEMUR ſolius NOMINIS TUI. Myſtice, alieni hi domini ſunt mundus, caro, dæmon & peccatum, inquit S. Hieronymus & Cyrillus. Porro hi domini alieni crudeles & tyranni, ut veteres illi *gigantes* Geneſ. VI. ſubigantur ope tua divina & extinguantur, & morte violenta

V. 14. MORIENTES NON ſinantur diutius *vivere:* multo minus ſinantur in poſteris, ſeu imitatoribus ſuis *reſurgere*. Ut enim ſtirpitus exciſi manerent, PROPTEREA VISITASTI, id eſt puniviſti, ET CONTRIVISTI EOS. Dum vero ſubinde

V. 15. INDULSISTI eiuſmodi GENTI, id eſt indulgenter habuiſti impios, parcendo ipſis & benefaciendo; an eiuſmodi indulgentia aliquid profeciſti, & ab illis GLORIFICATUS ES? ELONGASTI, id eſt prorogaſti, OMNES TERMINOS TERRAE, id eſt fines & latifundia impiorum: ſed an ideo coluerunt te? quaſi dicat, Minime: quin potius ad idola deflexerunt: ita Vatablus, Leo Caſtrius & a Lapide. At cum affligeres eos variis flagellis,

V. 16. IN TRIBULATIONE MURMURIS, dum murmurant & queruntur de acriori tribulatione, DOCTRINA TUA EIS obvenit & infuſa eſt. מלמד *malmad* & doctrinam & ſtimulum ſignificat, inquit S. Hieronymus & Sanchez, quaſi dicat: Sicut boves non niſi ſtimulis docentur, ſic impii non niſi afflictionibus erudiuntur. Sic v. g. etiam nos ipſi nonniſi poſt quaſi partus dolores,

V. 18. PEPERIMUS SPIRITUM; id eſt, ſpiritualem fructum & fœtum feriæ & ſinceræ converſionis. Sed quia fœtum hunc vix ultra partum fovimus vel promovimus, nec conſtantes ſumus in bono & ſalute promovenda, tum in nobis ipſis, tum in proximis: IDEO *nondum ceciderant* HABITATORES TERRAE; id eſt, ideo nondum ſunt de medio ſublati alieni domini de quibus verſ. 13. qui tyrannice nos divexant; ſed quaſi pro ſtimulo nobis a te relinquuntur, quia alia via ad virtutem & ſalutem trahi nolumus.

V. 19. VIVENT iterum MORTUI TUI: ad gloriam reſurgentes, qui pro te, ſeu tui cauſa occiſi ſunt ab impiis. QUIA ROS LUCIS eſt ROS TUUS. Sicut enim ros aeris affert plantis lucem, id eſt vitam, ſic *ros tuus* divinus, nempe gratia tua vivifica, halitus tuus vitalis, iuſſio & vox tua per Archangelum, *Surgite mortui*, lucem & vitam defunctis impertiet: ita Tertull. Irenæus, Hieronymus, Cyrillus & Auguſtinus. TERRAM GIGANTUM; id eſt, mundum hunc, qui eſt ſedes impiorum, ſuperborum & violentorum tyrannorum, quales olim erant gigantes, DETRAHES IN RUINAM; id eſt, funditus deſtrues per ignem conflagrationis. Interim

V. 20. TU POPULUS MEUS, INTRA IN CUBICULA, id eſt in ſepulcra, TUA: Tertullianus, *in cellas promas*: CLAUDE OSTIA TUA, nempe oculos, aures, reliquoſque ſenſus: & quieti ac ſomno tantiſper indulge, DONEC PERTRANSEAT INDIGNATIO; qua ſæviam in impios, maxime ſub finem mundi, per tot plagas iudicio extremo prævias. Sæpe enim e vivis ſubtrahit Deus Sanctos, cum parat extraordinariis pœnis impios punire.

V. 21. DOMINUS EGREDIETUR DE LOCO SUO, nempe e cæleſti palatio cum omnibus angelis ſuis & aſſeſſoribus ſanctis, ad iudicandum orbem. Tunc REVELABIT TERRA SANGUINEM SUUM; id eſt, reddet & refundet omnes Martyres, omnes mortuos & ſepultos in gremio ſuo, NEC OPERIET ULTRA quemquam, ſed omnes prodet & producet ad unum.

(a) Prov. XVIII. 10. & Ierem. I. 18.
(b) Sap. V. 3.
(c) Iſaia XXIV. 10.
(d) Pſal. lXII. 2.
(e) Tertull. de Reſurr. c. XXXI. Iren. Lib. V II. Auguſt. Lib. XX. de Civit. c. XXI. & Serm. III de conſolat. mortuor.

GORDONI.

Verſ. 1. IN ILLA DIE..... IN TERRA IUDA: certe in Sion, & Eccleſia tum militante, tum etiam cæleſti ex Cyrillo: favet vox יהודה, *Iuda*, quaſi con-

 feſ-

ſeſſionis & celebrationis filius; & תודה *thoda, celebratio:* rad. ידה *murus, & antemurale*. LXX. *περίτειχος*: vide dicta capite xxv. En quam glorioſa dicantur de civitate Dei.

V. 10. MISEREAMUR IMPIO, ET NON DISCET IUSTITIAM. Deſiderat zelo Iſaias (v. 9. finiri videtur canticum lætantis Eccleſiæ) iudicium Dei in impiorum vindictam: nam non diſcent iuſtitiam, ſi Deus eis miſereatur tollendo pœnam: eorum autem pœna proderit, vel illis, vel aliis. Sane ad reductionem impiorum opus eſt pœna. AEgre porro reducuntur qui iniqua geſſerunt in terra Sanctorum: ibi enim maior ingratitudo eſt poſt accepta ampliora dona Dei. Videtur hic orare Iſaias, ut pœnis cogantur impii ad ſalutem.

V. 11. DOMINE EXALTETUR MANUS TUA, ET NON VIDEANT VIDEANT ET, CONFUNDANTUR. Hieronymus putat hic eſſe dialogiſmum inter Deum & Iſaiam; ſed dici iſta videntur per *ἵνα ἴδωσιν*, ſeu correctionem. Domine, percute ne videant gloriam tuam: immo potius videant eam (datam bonis) & confundantur (ut Iudæi ex indignatione) zelantes.

V. 12. DOMINE DABIS PACEM NOBIS. Senſus eſt: Domine qui omnium es dator, da etiam pacem bonis, & Eccleſiæ tuæ. Convertitur ſermo ab impiorum pœnis ad bonos. Deus ſane pacem conſcientiæ, & bona omnia operatur in nobis; ita tamen ut nos libere cooperemur Deo, gratiam conferenti: ſic ille, ſalva libertate dat pacem, meritum & præmium.

V. 13. DOMINE DEUS NOSTER. Cœpit Propheta verſ. 10. orare ut per flagella impii ad viam rectam reducantur, & compellantur ad ſalutem. Pergit hic idem declarare quomodo id factum ſit, & quam ſit utile ex cladibus & reductione crebra Iſraelitarum.

V. 18. CONCEPIMUS, &c. Hoc in Iudæos, & eos qui lente faciebant opera Dei: quaſi, inquit, PEPERIMUS SPIRITUM, & dedimus interdum aliquod initium boni operis. Sed NON FECIMUS SALUTES IN TERRA: hoc eſt, non fecimus opera ſancta quæ pariunt ſalutem: ideo Deus reliquit nobis ſtimulum, Philiſthæos, & alios hoſtes non delevit de terra.

V. 19. VIVENT MORTUI TUI, &c. Hinc incipit hortari iuſtos, ut ſpe reſurrectionis conſtanter agant, & alacriter ſuſtineant adverſa. Præclarum vaticinium eſt de reſurrectione; ſed habet enallagen & mutationem perſonarum loquentium. Nunc loquitur Iſaias aut Eccleſia, nunc Deus ipſe præſertim verſ. 20. putat tamen Mariana hæc verba verſ. 20. eſſe etiam Iſaiæ.

EX EIUSDEM AUCTARIO.

Verſ. 11. Per modum orantis prophetat quod futurum eſt impiis, quos vocat zelantes: videbunt in die iudicii, ſed obſcure, & ad maiorem dolorem, non clare & ad gaudium.

CAPUT

Digitized by Google

C A P U T XXVII.

Punitio Leviathan: paterna Domini correctio in filios Iſrael: civitas munita deſolabitur: filii Iſrael reverſi ab Aſſyriis & AEgypto adorabunt Dominum in Ieruſalem.

1. IN die illa viſitabit Dominus in gladio ſuo duro, & grandi, & forti, ſuper Leviathan ſerpentem vectem, & ſuper Leviathan ſerpentem tortuoſum, & occidet cetum,
qui in mari eſt. 2. In die illa vinea meri cantabit ei.
3. Ego Dominus, qui ſervo eam, repente propinabo ei:
ne forte viſitetur contra eam, nocte & die ſervo eam.
4. Indignatio non eſt mihi: quis dabit me ſpinam & veprem in prælio: gradiar ſuper eam, ſuccendam eam pariter? 5. An potius tenebit fortitudinem meam, faciet pacem mihi, pacem
faciet mihi? 6. Qui ingrediuntur impetu ad Iacob, florebit & germinabit
Iſrael, & implebunt faciem orbis ſemine. 7. Numquid iuxta plagam percutientis ſe percuſſit eum? aut ſicut occidit interſectos eius, ſic occiſus eſt? 8.
In menſura contra menſuram, cum abiecta fuerit, * iudicabis eam: meditatus eſt in ſpiritu ſuo duro per diem æſtus. 9. Idcirco ſuper hoc dimittetur
iniquitas domui Iacob: & iſte omnis fructus ut auferatur peccatum eius, cum poſuerit omnes lapides altaris ſicut lapides cineris alliſos, non ſtabunt luci &
delubra. 10. Civitas enim munita deſolata erit, ſpecioſa relinquetur, & dimittetur quaſi deſertum: ibi paſcetur vitulus, & ibi accubabit, & conſumet ſummitates eius. 11. In ſiccitate meſſes illius conterentur, * mulieres venientes,
& docentes eam: non eſt enim populus ſapiens, propterea non miſerebitur
eius, qui fecit eum; & qui formavit eum, non parcet ei. 12. Et erit: In
die illa percutiet Dominus ab alveo fluminis uſque ad torrentem AEgypti,
& vos congregabimini unus & unus filii Iſrael. 13. Et erit: In die illa clangetur in tuba magna, & venient qui perditi fuerant de Terra Aſſyriorum, *
& qui eiecti erant in Terra AEgypti, & adorabunt Dominum in monte ſancto in Ieruſalem.

B R U G E N S I S

ROMANAE CORRECTIONES.

Verſ. 8. *Iudicabis eam*. Secunda perſona *iudicabis*, non eſt mutanda in tertiam ſive ſingularis numeri, ſive pluralis.

Sequitur: *Meditatus eſt in ſpiritu ſuo duro*. Retinendum eſt genus maſculinum, non ſupponendum femininum *meditata*.

Verſ. 11. *Mulieres venientes, & docentes eam*. Et hic retinendus numerus ſingularis *eam*, non ſurrogandus pluralis *eas*.

Verſ. 13. *Et qui eiecti erant in terra AEgypti*. Non mutes *in* præpoſitionem, poſitam pro *ad*, cum *de*, ſive *ex*.

NOTA.

Notationes.

Verſ. 6. *Qui ingrediuntur impetu* (*in* o.) *ad Iacob*. Exemplarium quædam *ingrediuntur*, quædam *ingredientur*, quædam *egrediuntur*, quædam *egredientur* legunt. Rurſus quædam *ad Iacob*, quædam *ab Iacob*, quædam *a Iacob* ſcribunt. Genuina lectio diſcerni haud facile poteſt, quod præſtantiora etiam exemplaria varient. Ceterum tempus præſens in pleriſque omnibus præſtantibus exemplaribus lego: & quidem *egrediuntur* cum in quinque præſtantibus exemplaribus, tum in textu Hieronymi commentariis iuncto, reperio: atque apud Hebræos præſentis temporis participium באים, quod eſt *venientes*, invenio. Deinde in quinque emendatis codicibus *ab Iacob* deprehendo, ut in Hieronymi textu *de*. Videri itaque poſſit vera eſſe lectio; *Qui egrediuntur impetu ab Iacob*, quam habent eo undequaque modo lectiſſima manuſcripta, E, Brugenſe, & Plantini medium; forte primum *ab* in *ad*, poſtea etiam *egrediuntur* in *ingrediuntur* mutatum fuit. Verum unde nam τὸ *impetu* legitur, cum Hieronymi textus habeat *radice*: *Qui egrediuntur de radice Iacob*? (*a*) Sic enim & Hieronymum ſcripſiſſe ſatis loquitur commentarius. „ Qui in excelſis (vel ut Sasbout legendum putat) Qui „ egredientes fuerint de ſemine Iacob, & „ in apoſtolicam pervenerint dignitatem. “ An forte ut & alias nonnumquam, alio atque alio modo Hieronymus eſt interpretatus? primum *impetu*; poſtea dum ſcriberet commentaria, *radice*? Sed unde *impetu* verti potuit? שרש enim unde eſt verbum ישרש, quod Hebraice legitur, *radicem*, minime vero *impetum* ſignificat. Forerius exiſtimat ישרש in ſecunda coniugatione acceptum, in qua eradicare denotat; ac pro *Egredientes eradicabitur Iacob*, dictum: *Qui egredientur impetu a Iacob*. Hebræa ſic habent הבאים ישרש יעקב id quod ad verbum reddas: *Venientes radicabit Iacob*. LXX. tranſtulerunt: οἱ ἐρχόμενοι τέκνα ἰακὼβ, *Venientes filii Iacob*.

Verſ. 8. *In menſura contra menſuram, cum abiecta* (*adiecta* o.) *fuerit*, (*vinea mea* o.) *iudicabis eam*. Multum hoc loco fallitur Adamus Sasbout; qui quod legitur *cum abiecta fuerit*, non eſſe in Hebræo notat, & dubium an aliquis ſtudioſus ex commentariis Hieronymi textui adiecerit. Nam quod eſt Hebraice בשלחה, atque ad verbum vertas *in dimittendo eam*, reddidit Interpres noſter Hieronymus, *cum abiecta fuerit*, quod omnes enarratores agnoſcunt, & codices omnes legunt. Exiſtimavit vir bonus, quod Hieronymus vertit *Contra menſuram*, ei reſpondere in Hebræo, quod alii vertunt *in emiſſione eius*: cum hoc quidem ex eo translatum ſit, ex quo Hieronymus tranſtulit, *cum abiecta fuerit*, nimirum בשלחה; illud vero cum eo quod præcedit, *In menſura contra menſuram* ex hoc בסאסאה, quod alii tantum *In menſura* interpretantur; hinc error. Hieronymus dixit *In menſura contra menſuram*, vel quod vox סאה quæ *menſuram* ſignificat, in illo verbo duplicetur, quaſi eſſet in menſura menſuræ, vel quod ſenſum, non verba ſolum transferre voluerit. *Pro iudicabis* multi libri cum Hugone Carenſi, *iudicabit* legunt. Lobienſe manuſcriptum cum Haymone Halberſtattenſi *iudicabunt* habet. Antiqui vero Epanorthotæ codices, atque ex noſtris Brugenſis, Leodienſis, P, & Q cum aliis aliquot *indicabis* retinent: quibus Hieronymi textum adſtipulari etiam Epanorthotes annotavit. Adſtipulatur & Hebraicus textus: nam תריב ſecundæ perſonæ eſt non tertiæ, niſi feminino genere, quod cum ad Deum reſpiciatur loco non convenit. Exiſtimarim, *iudicabis* in *iudicabit* verſum, cum quod compendio ſcripta fuerit ultima ſyllaba, tum quod mutata perſona ſequatur, *Meditatus eſt in ſpiritu ſuo*, &c.

(*a*) Richelius utrumque & legit & exponit: uni codici *in impetu*, cum *de radice*, mutatum fuit.

COMMENTARIA

MALDONATI.

Verſ. 1. In die illa, id eſt poſtquam hæc quæ narrata ſunt acciderint, cumque Chriſtus venerit. Visitabit Dominus, id eſt puniet, occidet. In gladio suo duro. Heb. *gladio ſuo*, aut *cum gladio ſuo*, Gladius Dei ſignificat eius poteſtatem, quia poteſt occidere quos vult: ſicut gladium civilem appellamus Reipublicæ poteſtatem, quia poteſt capitis damnare. Epitheta vero quibus utitur, *duro*, *gran-*

Digitized by Google

grandi, forti, ſignificant nihil poſſe divinæ poteſtati reſiſtere. SUPER LEVIATHAN, contra Leviathan; על aut, *viſitabit Leviathan*. Leviathan proprie piſcem magnum aut draconem, qualem a Deo factum legimus Geneſ. I. 21. de quo mira Hebræi fabulantur. Per eum draconem Diabolus ſignificari ſolet, ut Iob III. 8. & XL. 20. & Pſal. XXXVII. 14. *Confregiſti capita draconis*: & Pſal. XC. 13. *Conculcabis leonem & draconem*: & Apoc. XII. 3. 4. 7. 9. 13. 16. 17. & Apoc. XIII. 1. 4. 11. & Apoc. XVI. 13. & XX. 2. Hoc loco Diabolus intelligitur. SERPENTEM VECTEM; id eſt teretem ad ſimilitudinem vectis. Heb. בריח, *fugacem*, id eſt lubricum; quibus duobus verbis ad vivum exprimitur proprietas Diaboli. Nam ſerpens dicitur quia callidus eſt, fugax aut lubricus, quia teneri non poteſt, ſicut nec rotundi ſerpentes, aut anguillæ. Atque hoc eodem ſenſu Noſter, ut opinor, Interpres vectem appellavit, id eſt teretem & lubricum. Aut, ut explicat R. David, בריח, *penetratorem*; id eſt, qui mare penetrat ab uno littore in aliud, ſicut vectis: qui liquidis dominatur in undis, qui totum occupat mare. SERPENTEM TORTUOSUM, id eſt flexuoſum. Idem ſignificat utrumque epithetum, nempe Diaboli calliditatem. ET OCCIDIT CETUM, id eſt Leviathan, Diabolum qui in mari eſt, id eſt in mundo, qui facit in mundo quod Leviathan facit in mari: ſicut enim Leviathan devorat omnes alios piſces in mari, ita Diabolus in hoc mundo, antequam a Chriſto vinceretur, omnes homines devorabat.

V. 2. IN DIE ILLA; id eſt poſtquam Chriſtus Diabolum vicerit. VINEA MERI, id eſt vinifera; aut, ut eſt Heb. חמר, *ruboris*, id eſt quæ fert rubrum vinum. Sic vocatur Eccleſia propter Chriſti ſanguinem, qui in ea genitus, in ea fuſus, in ea bibitur. CANTABIT EI; id eſt, dicet Chriſto epinicion carmen propter reportatam de Diabolo victoriam, quale illud eſt:

Pange lingua glorioſi
Prælium certaminis,
Et ſuper Crucis trophæum
Dic triumphum nobilem.

Heb. ענו־לה, *canite ei* (vineæ,) eſt enim fœminini generis; quaſi dicat: Congratulamini Eccleſiæ, quod interfectus ſit aper de ſylva, qui depaſcebatur eam.

V. 3. EGO DOMINUS QUI SERVO; id eſt, poſtquam eam plantavero, & ſepe circumdedero, ac ædificavero in ea torcular, ut Chriſtus dicit Matth. XXII. 33. præſtabo illi omnem neceſſariam operam: duæ enim res vineæ ſunt neceſſariæ, cultura & cuſtodia. Culturam illi promittit cum dicit: REPENTE PROPINABO EI; id eſt, dabo ei pluviam inſperatam. Heb. לרגעים אשקנה, *ſingulis momentis irrigabo illam*. Irrigat autem Eccleſiam Deus multis modis, ſuam illi gratiam dilargiens, maxime vero per Sacramenta. Cuſtodiam vero promittit cum dicit ſeipſum ſervaturum dies ac noctes. NE FORTE VISITETUR CONTRA EAM. Heb. פן יפקוד עליה, *ne viſitet contra eam* (hoſtis) id eſt, ne redeat ad eum poſtquam ab ea eiectus fuerit, ut eam ſicut ante depopuletur. *Ecce ego vobiſcum ſum uſque ad conſummationem ſæculi:* Matth. XXVIII. 20.

V. 4. INDIGNATIO NON EST MIHI (contra vineam meam) id eſt, placatus ſum illi poſtquam abſtuli a Iudæis, & locavi eam aliis agricolis, id eſt gentibus: Matth. XXI. 41. QUIS DABIT ME SPINAM ET VEPREM; id eſt, quis poterit me in poſterum exaſperare contra illam, ut per eam gradiens incendam illam. Heb. מי־יתנני malim exponere: *Quis mihi dabit ſpinam & veprem in bellum;* id eſt, ut cum illis pugnem, *& tranſiens per eam* (vineam) *incendam eam pariter*, id eſt ſpinam & veprem. Hic mihi videtur eſſe ſenſus, ut prætermittam multas aliorum interpretationes. Commendat enim ſuam diligentiam in vinea colenda: dicitque adeo eſſe cultam atque purgatam, ut nemo poſſit ei vel ſpinam unam in ea, vel veprem oſtendere, quem non ille ſtatim comburat. Hanc vim habet illa phraſis: *Quis dabit mihi?* eſt enim glorlantis, ſicut I. Reg. XI. 12. *Quis eſt iſte qui dixit: Saul non regnabit ſuper nos? Date viros, & interficiemus eos.*

V. 5. AN POTIUS TENEBO, id eſt cohibebo fortitudinem meam, potentiam meam (ne incendam eam ſpinam, aut diſperdam Leviathan) quaſi dicat, Non potero tenere me, quin eum perdam. FACIET PACEM MECUM? Per interrogationem legendum; quaſi dicat: An poterit Leviathan,

(aut

(aut ſpina, quod enim prius vocavit Leviathan, vocat poſtea ſpinam) placare me, ne occidam illum; quaſi dicat, Minime. Heb. clarius: או יחזק, *aut tenebit* (Leviathan) *fortitudinem meam?* id eſt, impediet, cohibebitne? quaſi dicat, Poteritne efficere aut vi, aut precibus, ut eum non perdam? minime. Similis locus apud Iob. XL 22. 23. *Numquid multiplicabit ad te preces, aut loquetur tibi mollia. Numquid feriet tecum pactum, & accipies eum ſervum ſempiternum.* Quod enim illic dicitur de homine erga Leviathan, hic dicitur de Leviathan erga Deum.

V. 6. QUI INGREDIUNTUR IMPETU AD IACOB; id eſt, qui magna contentione ad Eccleſiam venient, (ſub. florebunt, & germinabunt, & replebunt terram.) Hebr. הבאים ישרש יעקב, *venientibus temporibus aut diebus*, id eſt inpoſterum, *radices aget Iacob, germinabit & florebit Iſrael. Et implebunt ſuperficies orbis fructu*, id eſt poſteritate ſua. Poſteros autem vocat Chriſtianos, non ſecundum carnem, ſed ſecundum ſpiritum: deſcribit enim futuram Eccleſiæ multiplicationem, ac florentem ſtatum.

V. 7. NUMQUID IUXTA PLAGAM PERCUTIENTIS SE: מכהו, *percutientis eum*, id eſt Iſraelem: *percutiet eum* (Dominus) aut *percuſſit*; quaſi dicat: Non eodem modo percuſſit Iſrael, quo percuſſit alios hoſtes qui percutiebant Iſrael. Nam Iſraelita percuſſit ut radices relinqueret, ut repullulaſcere, ac refloreſcere poſſet, ut verſu præcedenti dixit, & cap. XI. verſ. 1. Alios autem hoſtes omnino delevit, & radicitus evulſit. AUT SICUT OCCIDIT INTERFECTOS EIUS, id eſt interfectos ſuos Deus, OCCISUS EST (Iſrael;) quaſi dicat, Non. Interfectos Dei vocat, quos Deus omnino interfecit tamquam hoſtes, non caſtigavit tamquam filios; quos occidit ut Deus, non caſtigavit ut pater. Id Heb. clarius dicitur, כהרג הרוגיו הרג, *num iuxta occiſionem interfectorum eius, occiſus eſt?*

V. 8. IN MENSURA CONTRA MENSURAM; id eſt, cumulate, maiore menſura percutiet Deus percuſſores Iſrael, quam illi Iſraelem percuſſerant. CUM ABIECTA FUERIT (eius vinea, de qua ante verſ. 2.) IUDICABIT EAM; id eſt, ſuſcipiet eius cauſam contra hoſtes, ulciſceturque eius iniurias: ſicut iudicare pauperem, aut pauperi, eſt eius cauſam defendere: Pſal. IX. 38. & LXXI. 4. & LXXXI. 3. Heb. *in menſura, in emiſſione eius iudicabit eam*, id eſt moderate puniet vineam ſuam, id eſt populum ſuum, non in perſonis eas occidendo, ſicut occidit hoſtes, ſed in emiſſione, id eſt in plantis & fructibus, in bonis externis tantum: aut, *in emiſſione*, id eſt non radicitus, ſed ita ut iterum emittere poſſit germen, ut ante dixit verſ. 6. הגה ברוחו הקשה ביום קדים, *Auferet vento ſuo aſpero* (Deus fructus eius) *in die Euri*; id eſt, nihil aliud mali vineæ ſuæ faciet, niſi quod eius fructus flante Euro auferet, non tamen perdet eam. Sed quia הגה ſignificat etiam meditari, noſter Interpres vertit, MEDITATUS EST IN SPIRITU SUO DURO; id eſt, non præcipitanter eam depopulatus eſt, ſed meditato conſilium, moderationem adhibuit iræ ſuæ. PER DIEM AESTUS, id eſt furoris, cum eam punivit.

V. 9. IDCIRCO; id eſt, quia Deus non puniet populum ſuum, ſicut eius hoſtes. SUPER HOC, בזאת *hac de cauſa*, id eſt hac conditione, ſi idololatriam reliquerit. *Propitiabitur*, id eſt expiabitur iniquitas Iacob. ET ISTE OMNIS FRUCTUS, id eſt magnus fructus; quaſi dicat: Atque hunc non pœnitendum fructum conſequetur, ſi idola confregerit, quod auſeretur peccatum eius. CUM POSUERIT; id eſt, ſi poſueris OMNES LAPIDES ALTARIS (idolorum) pro, altarium, ſing. pro plural. SICUT LAPIDES CINERIS; id eſt, Si comminuerit aras idolorum, & in cinerem redegerit. Heb. גיר, *calcis*; id eſt, ſi combuſſerit altaria & in pulverem redegerit, ſicut lapides ex quibus fit calx. NON STABUNT. Heb. לא־יקומו, *non reſurgent luci & delubra*; id eſt, ſi ita demolitus fuerit ea, ut non amplius ea ædificet: per idololatriam intelliguntur omnia peccata. Ex quo loco perſpicuum eſt in noſtra eſſe poteſtate cum gratia Dei diſponere nos ad peccatorum remiſſionem, declinantes a malo, & facientes bonum.

V. 10. CIVITAS ENIM MUNITA. Varie hic exponitur ab aliis particula כי, ſed ego cauſalem eſſe arbitror, ut reddidit noſter Interpres. Reddit autem cauſam eius, quod præceſſit, confringenda eſſe idola tacita quadam argumentatione a minori ad

maius

Digitized by Google

maius (aut, ut alii vocant, a maiori ad minus;) quaſi dicat, non debere videri mirum, ſi omnia altaria idolorum conterantur; fore enim ut ipſa quoque urbs Ieroſolymitana, & templum ipſum evertatur, quod minus probabile videbatur. SPECIOSA. Heb. נוה, *habitaculum dimiſſum & derelictum*; id eſt, erit tamquam tabernaculum deſertum. IBI PASCETUR VITULUS; id eſt, adeo explanabitur, & æquabitur ſolo, ut vitulus grave animal, quod non niſi in locis planis & humilibus paſci ſolet, ibi paſcatur. ET CONSUMAT SUMMITATES EIUS, id eſt depaſcat altiſſima quæque eius loca, aut ubi nunc ſunt altiſſima eius ædificia.

V. 11. IN SICCITATE MESSIS EIUS (Ieruſalem) CONTERENTUR. Hic debet eſſe diſtinctio, ut intelligantur (cives:) quaſi dicat; Ita cives Ieroſolymitani conterentur, ſicut meſſis cum matura, ſicca & arida, ut ב ſignificet ſimilitudinem, aut ut ſignificet cauſam ad hunc modum: Propter ſiccitatem meſſis illius conterentur. Siccitatem aut maturitatem meſſis appellat peccata iam inveterata, aptaque ad ſupplicium, ut ſeges ad meſſem matura. Completas eſſe iniquitates, ut Moſes loquitur. Geneſ. XV. 16. Huc alluſit Chriſtus Lucæ XXIII. 31. *Si in viridi ligno hoc faciunt, in arido quid fiet!* id eſt, ſi ego qui nullo ſupplicio dignus ſum, hoc patior, quid illi patientur qui nullo non ſupplicio digni ſunt! MULIERES VENIENTES; id eſt, mulieres venient & docebunt eam (Ieroſolymam;) quaſi dicat: Adeo erunt ignorantes poſtquam eorum civitas & templum everſa fuerint, ut non ſit Propheta neque Sacerdos, ut ait David Pſal. LXXIII. 9. ſed mulieres docere eos poſſint. Noſter Interpres videtur legiſſe מורות, *docentes*. Hebræi legunt nunc מאירות, *accendentes eam*, id eſt, cum meſſis matura fuerit, tam facile conterentur, ut vel mulieres poſſint eam comburere tamquam paleas, id eſt Romani ſoli eos vincant, ut multi interpretantur. Alii קציה vertunt *ramos eius*: non probo. NON EST ENIM POPULUS SAPIENS (populus Iudaicus) id eſt, Deo obediens; hæc enim eſt vera ſapientia. Reddit cauſam diſperſionis Iudæorum.

V. 12. PERCUTIET DOMINUS: יחבוט, *excutiet ſicut granum excutitur a palea*; id eſt, vocabit electos ac prædeſtinatos ex Iudæis, ceteros quaſi paleas comburent mulieres, id eſt damnabit. AB ALVEO FLUMINIS, id eſt Euphratis, USQUE AD TORRENTEM AEGYPTI, id eſt Nilum; quaſi dicat, Per totum orbem terrarum: poſuit enim locum certum pro incerto. ET VOS CONGREGABIMINI UNUS ET UNUS, id eſt ſingillatim; quaſi dicat, Reliquiæ ſalvæ erunt, ut ſupra cap. X. 22. & ad Rom. IX. 27.

V. 13. CLANGETUR IN TUBA MAGNA. Magnam tubam vocat Apoſtolorum prædicationem. ET VENIENT (ad Chriſtum) QUI PERDITI ERANT, qui erant diſperſi in Aſſyria & AEgypto (ſic enim legendum, qui eiecti erant *in terram AEgypti*, בארץ מצרים) id eſt, ubique gentium. Locus certus pro incerto, ſicut verſu præcedenti. ET ADORABUNT DOMINUM IN MONTE SANCTO, id eſt in Eccleſia Catholica. Mortuus eſt enim Chriſtus, *ut filios Dei qui erant diſperſi, congregaret*: Ioan. XI. 52.

S A.

Verſ. 1. GLADIO, id eſt potentia, vel verbo. LEVIATHAN. LXX. *draconem*, ſcilicet diabolum. Not. dici *Leviathan*, quia in mundo, velut in mari cete, diſcurrit; SERPENTEM, ob venenum, & aſtutiam; VECTEM, ob vaſtitatem: TORTUOSUM, ob fraudes. Factum vero quod hic dicitur, per Chriſtum.

V. 2. VINEA MERI, id eſt Eccleſia, in qua vinum gratiæ lætificans cor. CANTABIT EI, ſcilicet laudem Deo. Heb. tamen *ei* eſt ſemineum; quaſi dicat, de ea, id eſt de ſe.

V. 3. PROPINABO, ſcilicet gratiam, & auxilium porrigam. VISITETUR, ſcilicet ab hoſtibus, vel a me puniatur.

V. 4. NON; pro, nonne; vel quaſi dicat: Non ſoleo iraſci, niſi peccatores occaſionem dent. QUIS DABIT, &c. quaſi dicat, Meretur quidem vinea punitionem ob peccata. IN PROELIO, id eſt velut prœliantem.

V. 5. TENEBIT, ſcilicet converſa faciet ne percutiam.

V. 6. INGREDIUNTUR, ſcilicet Apoſtoli. IMPETU, ſcilicet ſpiritus. IACOB, id eſt Iſraelitis. SEMINE, ſcilicet verbi Dei.

V. 7. SE, id eſt Deum, ſcilicet in ſuis. PERCUSSIT, ſcilicet Deus. EUM, ſcilicet populum Iudæorum; quaſi dicat: Numquid eos punivit, ut merebantur eorum peccata, quibus Deum offenderant, Chriſtum occidendo & ſanctos? OCCIDIT, ſcilicet populus Iudaicus. INTERFECTOS EIUS, id eſt propter Deum occiſos, ſcilicet Martyres.

V. 8. IN MENSURA, &c. quaſi dicat: Erit cum puniet Deus illum pro ratione peccatorum, ſcilicet reſpondente pœnarum menſura menſuræ culpæ. ABIECTA, ſcilicet prorſus a Deo vinea, id eſt Iudæi. MEDITATUS EST, ſcilicet Deus. PER DIEM AESTUS, id eſt tempore punitionis ſcilicet a ſe faciendæ.

V. 9. IDCIRCO. Redit ad illud, *Qui egrediuntur*, &c. SUPER HOC. Heb. & Chald. *in hoc*, ſcilicet per prædicationem Evangelii, & Dei gratiam. CUM POSUERIT, &c. quaſi dicat: Cum idololatriam & errores deleverit.

V. 10. CIVITAS, ſcilicet Ieruſalem. RELINQUETUR, id eſt deſeretur. SUMMITATES, id eſt ramos, ſcilicet virgultorum naſcentium deſtructa civitate.

V. 11. IN SICCITATE, &c. quaſi dicat: In penuria & vaſtitate affligentur feminæ, videntes eos adeo ſtultos, ut a feminis poſſint doceri. Quidam tamen CONTERENTUR ad ipſos referunt; ſed Heb. eſt femineum. Alii legunt, *conteretur*, ſcilicet meſſis.

V. 12. FLUMINIS. Chald. *Euphratis*. TORRENTEM AEGYPTI. LXX. *Rhinocoluram*. Eſt id nomen oppidi, ubi torrens eodem nomine dividit Palæſtinam ab AEgypto. UNUS ET UNUS, id eſt ſinguli, ſeu ſigillatim, vel ordine quiſque, vel pauci.

V. 13. TUBA, ſcilicet prædicationis Evangelicæ. ASSYRIORUM, &c. Per Aſſyrios & AEgyptios intelliguntur Gentiles. MONTE, ſcilicet Eccleſia.

ESTII.

Verſ. 1. IN ILLA DIE VISITABIT DOMINUS IN GLADIO SUO DURO ET GRANDI ET FORTI SUPER LEVIATHAN SERPENTEM VECTEM &c. ET OCCIDET CETUM QUI IN MARI EST, &c. Quamvis per Leviathan ad literam intelligi poſſit ſignificatus fuiſſe rex Babylonis, eiuſque hoc loco prædicta oppreſſio & interitus; rectius tamen & convenientius etiam ad literam hoc dictum intelligitur de diabolo: nam in eam expoſitionem omnes fere conveniunt, nec tantum Chriſtiani, ſed etiam Hebræi. *Leviathan* proprie ſignificat certum genus piſcis vaſtum & immane; quemadmodum apud Latinos *Cetus* aut *Balæna*, quemadmodum patet ex XL. capite Iob, quo loco ad literam Cetus intelligitur; myſtice autem Diabolus. Sed hoc loco ad literam, etſi figurate, diabolus vocatur Leviathan, idque propter poteſtatis magnitudinem; & ſignificat Propheta Dominum in fine ſæculi diabolum, etſi admodum potentem (*Non eſt enim poteſtas in terra*, ut eſt Iob XLI. *quæ comparetur ei*) tamen ſua maiori potentia confecturum & exitio daturum, ut non ſit piis amplius terrori.

SUPER LEVIATHAN SERPENTEM VECTEM, ET SUPER LEVIATHAN SERPENTEM TORTUOSUM. Nota hæc quoque metaphorice diabolo aptiſſime tribui. Serpens enim dicitur propter fallendi artem & voluntatem; unde & in ſpecie ſerpentis primos homines decepit Geneſ. III. Vectem autem quidam dictum putant diabolum propter longitudinem, id eſt amplitudinem & extenſionem poteſtatis eius per univerſam terram: vectes enim ſunt ligna, vel pali oblongi. Alii ſic dictum volunt, quod nihil in ſe rectum habeat, ſed totus ſit pravus & tortuoſus. Huic putant ſuffragari, quod velut exponendo additum ſit, *ſerpentem tortuoſum*. Sed alii malunt vectem dici, quod ſit potentiſſimus: vectes enim ligna ſunt fortia & firma, ut in iis onera portentur. Huc reſpexit Theodotio, qui ſenſum, non verba reſpiciens, vertit *ſerpentem robuſtum*. Alii denique conſiderant quod vectibus portæ claudantur; ſcilicet, lignis oblongis, quæ obiiciuntur foribus. Hi diabolum vectem dicunt, quia multos in ſuam poteſtatem redactos velut carcere claudat: ad quem ſenſum Symmachus vertit, *ſerpentem concludentem*.

MARIANAE.

Verſ. 1. SUPER LEVIATHAN. Is cetus eſt, piſcis immanis. Et per *Leviathan* Regem Babylonium intelligit, aut dæmonem. SERPENTEM VECTEM, id eſt oblongum. Quidam *penetratorem* vertunt, quod maria omnia percurrat. TORTUOSUM: ſe complicantem ob magnitudinem. ET oc-

OCCIDET CETUM. Heb. *draconem*. Sed is eſt *cetus*, ſeu *Leviathan*.

V. 2. VINEA MERI, aut *vini optimi*. CANTABIT EI, ſcilicet Deo ob partam victoriam menſas quaſi in triumpho vino onerabunt. Dicitur *vinea canere*, cum homines canant vino incaleſcentes. Heb. *cantate ei* (affixum eſt femininum) ſcilicet vineæ, ipſam ob deiectos hoſtes celebrate.

V. 3. SERVO EAM, cuſtodio eam ego Deus. Vos celebrate vineam, ego etiam eam beneficiis cumulabo. REPENTE PROPINABO EI; pro, colam. Heb. *ad momenta frequenter irrigabo eam*. Per *irrigationem* intellige culturam omnem. NE FORTE VISITETUR CONTRA EAM. Heb. *viſitet contra eam*, ſcilicet hoſtis in eam irrumpat, nocte & die eam cuſtodio.

V. 4. INDIGNATIO NON EST MIHI contra vineam: alioqui ſupple. QUIS DABIT ME, id eſt mihi ſpinam & veprem. IN PRAELIO; pro, ut in bello fieri ſolet. SUCCENDAM EAM PARITER. Heb. *ſimul*, id eſt omnem vitem iis ſpinis iniecto igne incendam.

V. 5. AN POTIUS TENEBIT. Heb. *apprehendet fortitudinem meam*, id eſt me timebit: faciet mecum pacem, ne ſcilicet opus ſit illam incendere.

V. 6. QUI INGREDIUNTUR IMPETU AD IACOB, id eſt qui in eum populum irruunt, ſupple, intelligant, quod ſequitur. Heb. aliter: *Veniunt* (ſcilicet dies) *radices aget Iacob*. SEMINE, fructu aut proventu implebunt orbem. In alias orbis partes fructus & fruges ob copiam mittent.

V. 7. NUMQUID IUXTA PLAGAM PERCUTIENTIS SE. Heb. *percutientis eum*, id eſt aliquem. PERCUSSIT EUM? id eſt Iſraelem Deus. AUT SICUT OCCIDIT INTERFECTOS EIUS. Heb. *Si ſicut occiſio interfectorum eius* (id eſt alicuius) *occiſus eſt*; quaſi dicat: Deus non vulnerat, aut occidit, ut alii, qui non ut medeantur, neque cum modo id faciunt, ſed ut noceant, & quantum poſſunt. Deus econtrario.

V. 8. IN MENSURA CONTRA MENSURAM. Et plagam & vires percuſſi metitur. CUM ABIECTA FUERIT, ſcilicet Iſrael, cum eam punire voluerit. Heb. *in dimittendo eam*, *cum eam a ſe eiecerit*. IUDICABIS EAM, id eſt punies, in menſura ſcilicet. Heb. *litigabis cum ea*, id eſt punies. *Fidelis Deus*, *qui non patietur vos tentari ſupra id quod poteſtis:* I. ad Cor. x. 13. MEDITATUS EST IN SPIRITU. Sic Chald. id eſt cogitat, quatenus punitio procedat. Heb. *abiiciet*, *removebit in ſpiritu ſuo duro* (id eſt in ira.) PER DIEM AESTUS, id eſt cum iratus fuerit. Heb. *in die Euri*, id eſt æſtus, eo vento flante concitatur æſtus. Ergo abiiciet populum, cum iratus fuerit, ſcilicet in menſura. Inde pendet oratio.

V. 9. IDCIRCO SUPER HOC DIMITTETUR INIQUITAS. Si in menſura puniet, placabitur Deus, dimittet peccata Iacob. Quando? cum templum reſtituerit, id eſt redierit ad religionem. NON STABUNT LUCI ET DELUBRA (Heb. *idola*) non ſtabunt, aut reſurgent. LAPIDES CINERIS ALLISOS. Heb. ut *lapides calcis confractos*, id eſt rudes, ex quibus fit calx, ponet lapides altaris, cum illud reſtituet. Non volebat Deus altare extrui ex lapide ſecto. Eos *lapides cineris* Noſter vocat, quoniam in cinerem redigi videntur, quando fit calx.

V. 10. CIVITAS ENIM MUNITA DESOLATA ERIT. Quare opus eſt, ut altare extruatur? quia Ieruſalem iuxta vaticinia Prophetarum deſolabitur. SPECIOSA RELINQUETUR. Heb. *habitaculum deſertum* aut *derelictum*, ſcilicet erit ſicut deſertum. Cedet in mapalia. Hieron. pro נוה *nave* legiſſe videtur נאוה *navah*, id eſt *pulchra*, *ſpecioſa*. Aut vox *naveh* ambigua eſt: de quo Iob v. 43. VITULUS, id eſt vituli paſcentur ibi. ET CONSUMET SUMMITATES ILLIUS, comedet vitulus. Heb. *ramos illius*: dumorum ſcilicet & arbuſtorum, quæ in ipſa civitate exciſa naſcentur.

V. 11. IN SICCITATE, id eſt præ ſiccitate meſſes conterentur, non erunt fruges, fame laborabunt. MULIERES VENIENTES, ET DOCENTES EAM, ſcilicet urbem. In periculo ſolent mulieres prodire in publicum, & viris attonitis conſulere, quid facto opus ſit: Chald. *docebunt eos*. Vox מאירות *meiroth* poteſt ſignificare *illuminantes*. Id Noſter & Chald. ſunt ſecuti. Poteſt etiam ſignificare *incendentes*, quod Hebræi & multi alii ſequuntur; eritque ſenſus: Civibus attonitis præ metu, hoſtes mulierum inſtar infirmi incendent urbem. NON EST ENIM POPULUS SAPIENS: neſcit quid facere debeat: ideo ea incurret mala, nec Deum habebit propitium.

V. 12. IN DIE ILLA, id eſt alio tempore.

PERCUTIET, ſive *excutiet*. AB ALVEO FLUMINIS, Euphratis. UＳQUE AD TORRENTEM AEGYPTI, Nilum ſcilicet, aut Rhinocoruram, quo Palæſtina ab AEgypto dividitur. Quos excutiet? gentes iis locis habitantes. UNUS ET UNUS; id eſt, ſigillatim & pauci colligentur, ut ſcilicet in ſuas ſedes reſtituantur, ut mox dicit.

V. 13. IN TUBA MAGNA, voce præconis & edicto Regio. QUI PERDITI FUERANT, id eſt captivi in Aſſyria venient. ET QUI EIECTI ERANT DE TERRA AEGYPTI. Heb. *qui pulſi erant in terram AEgypti*, venient in montem ſanctum in Ieruſalem.

MALVENDAE.

Verſ. 1. VISITABIT: id eſt, anquiret, animadvertet, puniet. IN GLADIO SUO DURO. Heb. *perplexo*, *intricato*, *rigido*, *pertinace*, *duriſſimo*. ET FORTI. Heb. *obtento*, *apprehenſo*, *robuſto*, *validiſſimo*; id eſt, infinita potentia ſua, & potente verbo: humanitus dictum. SUPER LEVIATHAN. Alii: *contra*, *in balænam*, *cetum*. Vide in Iob XL. 20. SERPENTEM, ſeu *colubrum*, VECTEM. ברח *bariach*, varie reddunt: I. *tranſeuntem mare inſtar vectis*. II. *penetratorem*; id eſt, penetrantem mare ab extremo ad extremum. III. *oblongum inſtar vectis*. IV. *fugacem*, *lubricum*. V. *teretem*. Hiſpanicus Interpres, *rollizo*. Recte obſervatum a Forſtero, quod ſingulariter hic, & Iob XXVI. 13. ſcribatur *bariach*, cum *Cametz*, & ſine *Iod*, ad diſcrimen בריח *beriach*, cum *Sceva* & *Iod*, quod *vectem*, ſeu repagulum ſignificat: vide eum locum Iob. TORTUOSUM. עקלחון *ghakallathon*, *obliquum*, *incurvum*, *contortum*, *flexuoſum*: dicitur de ſerpente, quando in gyros torquetur dum ſerpit, vel cum orbiculatus quieſcit. CETUM. Heb. *draconem*, *balænam*, *priſtem*, *phyſeterem*, *thunnum*: vide in Geneſ. 1. 20. Plerique his allegoricis appellationibus ſignificari putant diabolum principem huius mundi, cuius vim omnem & potentiam Chriſtus ſuo adventu fregerit ac protriverit. Alii, ſublimitatem omnem ſpiritualem & corporalem, quæ extulerit ſe adverſus Deum, vi, fraude, vel utroque ſimul, quæ omnia allegorice his nominibus figurantur. QUI IN MARI EST: id eſt, in fluctuante huius ſæculi æſtuario.

V. 2. IN DIE ILLA VINEA MERI CANTABIT EI. Alii ex Heb. I. *In die illa, vinea ruboris, cantate ei*; id eſt, vini rubri, ſive ferens vinum rubrum: erat enim vinum rubrum in illis regionibus commendatiſſimum. II. inverſo ordine: *In die illa cantate illi, vinea ruboris*; id eſt, cantando vocate eam vineam optimam, quæ vinum optimum afferat. III. *In die illo alternis canite vineæ turbidi*; id eſt, prænuntiate populo meo, qui olim erat vinea optimi vini, epoturum vinum turbidum ac lutulentum iræ Dei (alludat in nomine turbidi, quod vinum rubrum & optimum ſignificat) & turbulentum ac fervidum ex calice iræ Dei. IV. *Die illa*, ſeu *tempore illo*, *vineam rubentis meri*, *acclamate ei*. Secundus promiſſionum locus, ut diximus ſupra cap. XXVI. 20. propoſitio nimirum ſumma ſtatus, in quo Eccleſia futura eſt, & ſibi gratulatura in Domino: quæ deinceps exponitur ſuis gradibus, a cura & attentione Dei erga illam, ut qui ſolus eſt auctor, & effector beatitudinis. *Vineam rubentis meri*, id eſt feracem vini præſtantiſſimi & generoſiſſimi, quod in Scripturis fere a rubore commendari ſolet, ut Geneſ. XLIX. 12. Proverb. XXIII. 31. Allegoria contraria illi, qua uſus eſt Propheta ſupra cap. V. 2. De voce חמר *chemer*, quam *turbidum* reddimus, vide in Deuter. XXII. 14.

V. 3. EGO DOMINUS QUI SERVO EAM, &c. Hunc verſum alii ex Heb. reddunt: I. *Ego Iehova cuſtodio eam, per ſingula momenta rigare faciam eam, ne forte viſitet eam* hoſtis, *nocte & die cuſtodiam eam*. II. *Ego Iehova conſervo eam, ſingulis momentis irrigo eam, ne fiat viſitatio contra eam, nocte ac die cingo eam*; quaſi dicat: Ego Iehova ſervo vineam hanc, vel conſervator eius ſum, qui rego, qui protego, qui curam eius gero, ad ſingula quoque momenta irrigo eam: ſemper ad populum meum miſi prophetas, atque doctores, qui eum cæleſtis doctrinæ imbribus irrigarent: neque his contentus, ne animalia, aut irruptores eam devaſtent, illam noctu dieque cingo, circumeo, magna cura muniens ne quis irruat aut noceat. III. *Ego Iehova ſum cuſtoditurus eam, momentis irrigaturus eam: ne quis inviſat eam, noctes dieſque cuſtoditurus ſum eam*. Pergit in eadem allegoria vineæ, ut ſupra cap. V. ibi contrariæ minæ ſimilibus verbis exponuntur, præſertim verſ. 5. & 6. NE FORTE

TE

TE VISITETUR CONTRA EAM. Heb. eſt verbum activum, *ne quando viſitabit*. Sed familiare eſt Hebræis tertias perſonas verborum activas ſumi paſſive & imperſonaliter, *viſitabitur*. Quidam reddunt: *ne quando recenſeatur contra eam;* id eſt, ne quis ſecum rationem ineat nocendi ei. Aliqui: *ne forte recordetur illius*, hoſtis ut devaſtet eam. Obſervabis cum כרם *cerem*, *vinea*, Heb. ſit maſculeum, Prophetam de ea loquentem uti affixis femineis, ad ſenſum de Sione, vel ſynagoga, aut Eccleſia.

V. 4. INDIGNATIO NON EST MIHI, &c. Hunc verſum varie alii ex Heb. explanant: I. *Ira non eſt mihi*: ſum enim longanimis, tardus ad iram, & multus miſericordia: *quis det mihi ut contra veprem, ſentem*, vel *contra ſpinas, & vepres, in prælium gradiar, ſuccendam eas pariter?* II. *Indignatio non eſt mihi: quis ponet me tamquam ſpinas & vepres in ipſo conflictu? ingrediar per illam, & incendam eam ſimul*; id eſt, Utinam eſſem ſimilis ſpinis & vepribus, quæ habent aculeos, nam in ipſo conflictu ingrederer per illam, & totam eam incenderem, ſcilicet vineam; quaſi dicat: Careo quidem ira & indignatione; ſed ſi haberem aculeos, cum offenderet me populus, funditus perderem eum. III. *quis dabit me veprem & ſpinam in prælium*; id eſt, ut eſſem vepris & ſpina in prælio? *gradiar in eam*, vineam, *comburam eam ſimul*. IV. *quis me committat cum vepre & ſpina in prælium? gradiar per eam*, veprem & ſpinam, *incendam penitus*, vepres & ſpinas; id eſt, acerrimo prælio vepres & ſpinas, quæ vineæ meæ nocent, profligabo. V. *Ardor non eſt mihi: quis dabit mihi vepres & ſpinas in bellum ut tranſgrediar in eas, & comburam eas ſimul?* VI. *Murus non eſt mihi*, vel *nullus eſt mihi: quis dabit me ſenticetum ſpinarum ab bellum?* Verba vineæ ingratæ, quæ queritur ſibi deeſſe divina præſidia, proinde humana quærere; quaſi dicat: Nulla mihi eſt a Deo munitio, nullum ſeptum; quis det mihi præſidia gentium quibus tamquam ſentibus & vepribus circumvallata, externa bella & impreſſiones propulſem? Quod vitium diffidentiæ, quam fuerit Iudæis frequens, Scripturæ paſſim loquuntur. *Sentes & vepres*, allegorice accipiunt cœtus, ſeu copias haſtatorum, & ſagittariorum, ut ſupra cap. x. 17. & pro חמה *chemah*, immutatis punctis legunt חומה *chomah*, *murus;* deinde ſequantur verba Dei: *Tranſgrediar contra eam, ſuccendam eam pariter*; quaſi dicat: Vinea mea diffidit præſidio meo, proinde transferam me ad hoſtium caſtra, partes hoſtium agam, illam impugnabo. Senſus minime placet. VII. *Iracundia non eſt mihi, quis me reddat ut ſim vepris, & ſpina in bello, ut iniquius quid contra eam deſignem, & eam ſimul incendam?* Nullus eſt, inquit, qui contra vineam meam, ſeu populum meum exaſperare me poſſit, ut eam perdam. Huc pertinere videtur ſenſus vulgati Interpretis. VIII. *Furor non eſt apud me, alioqui cum illa vinea det mihi vepres & ſpinas, per bellum graderer per eam, & incenderem eam ſimul*. IX. *Æſtus iræ, excandeſcentia, non eſt mihi: qui dederit me*, ſeu *induxerit me ſente & vepre ad prælium, eaute ingrediens, eam ſuccendam ex ea ſimul*. Occupatio illius obiectionis, quam poterant Iudæi ex argumento ſuperiorum prophetiarum adducere: Quid? dixerit quiſpiam, nihil niſi graviſſimas & ſeveriſſimas minas prophetiæ tuæ denuntiant, incurſiones, depopulationes, cædes ab Aſſyriis, Ægyptiis, & Babyloniis: ecquando igitur tempus iſtius promiſſionis, quam modo ſignificas, futurum eſſet? Hanc obiectionem anticipat Deus per Prophetam: Ne putetis, inquit, me iracundum eſſe, moroſum, atque difficilem; non eſt in me, ſed in vobis culpa iſtarum calamitatum: ego vos fugientes revoco, accedentes obviis ulnis amplector, & cupientes pace dono; quam ob rem non eſt quod dubitetis de fide & miſericordia mea: ſi pergatis in improbitate, pergam in iudiciis; ſin autem pacem quæratis, iam expoſita eſt omnibus quærentibus eam: hæc eſt complexio huius & ſequentis verſus. *Sente & vepre;* id eſt, obfirmata malitia & peccatis ſuis, allegorice: ut ſupra cap. v. 6. *eam ſuccendam*, vineam videlicet, id eſt Eccleſiam, in qua perfidi, hypocritæ & contumaces ſe extulerint adverſus Deum: *ex ea ſimul*, videlicet, eos omnes qui Deum ad prælium indignis ſuis facinoribus provocaverint. GRADIAR. אפשעה *ephſeghah*, pleraque exemplaria ſcribunt cum *Sein* ſiniſtro, *incedam, deambulabo, gradiar, ingrediar, magnis & extenſis paſſibus digrediar per eam*. Alia vero cum *Sein* dextro, *tranſgrediar, deficiam, rebellabo, ibo, prævaricabo eam;* quaſi dicat:

Le-

Leges communes tranſgrediar in puniendo eam, ultra modum caſtigabo eam.

V. 5. AN POTIUS TENEBIT FORTITUDINEMM EAM, &c. Diverſimode Hebræa vertuntur. I. *Aut apprehendet fortitudinem meam, ut faciat pacem mecum, pacem, inquam, faciat mecum.* II. *O ſi, utinam apprehenderet munitionem meam;* id eſt, O quam bene ſibi hic populus meus conſuluiſſet, ſi non ab alio præter me præſidium expectaſſet! *faceret pacem mecum, pacem faceret mecum;* id eſt, ſi mecum pacem firmam ac ſtabilem habere voluiſſet. III. *Aut quis compellet fortitudinem meam, ut pacem mihi faciat, pacem mihi componat?* IV. *Aut apprehendet* populus meus *robur meum*, id eſt legem meam, *aut pacem faciet mecum, pacem faciet mecum?* id eſt, reconciliabitur mihi. V. *Sin prehendet robur meum facturus pacem mecum, pacem fecerit mecum.* Altera pars dilemmatis, de quo verſu præcedente, promiſſio erga fideles prehendentes Deum fide & dilectione, & conquieſcentes in robore eius: *pacem fecerit mecum;* id eſt, illico facta fuerit, cum fidem & pœnitentiam ſuam exponet: ſic regreditur Propheta ad promiſſionem cœptam.

V. 6. QUI INGREDIUNTUR IMPETU AD IACOB. Alii ex Heb. I. *Venturis*, diebus, vel *veniunt dies quibus*, vel *inpoſterum poſthac radices aget Iahakob.* II. *Veniunt dies, quod radicabit Iahakob* &c. id eſt, olim tempore gratiæ Eccleſia ſparſa & radicata per totum orbem, edet fructus fidei, caritatis, &c. III. *Venientes radices agent Iahakobitæ;* id eſt, poſteri venturi Iahakobi radices agent. IV. *Ut advenientes Iahakobi poſteri radicentur, faciet.* Regreſſio ad promiſſionem verſ. 2. & 3. quam præcedens occupatio verſ. 4. & 5. interruperat, qua Propheta continuat allegoriam vineæ.

V. 7. NUMQUID IUXTA PLAGAM, &c. Alii clarius hunc verſum ex Heb. elucidant: I. *Num iuxta percuſſionem percutientis eum, percuſſit illum? num iuxta cædentium eum, cæſus eſt?* vel *cæſorum eius*, id eſt eorum, qui occiſi ſunt in gratiam eius; quaſi dicat, An aliquando Dominus percuſſit populum ſuum, ut Sancheribum, aut Pharhonem? Nequaquam. Verba Prophetæ, quibus commendat Dei benignitatem erga ſuos. II. *An ut percuſſit percuſſorem eius percutit eum? an ut interfecti ſunt interfecti illius, interficiuntur?* Amplificatio beneficentiæ Dei, quam promiſſionibus ſignificaverat, a fine caſtigationum, quibus in Eccleſiam utitur, quæ illuſtrantur per comparationem earum, quas in ſuos inimicos adhibet Deus. Hæc autem antitheſis hoc verſu poſita, per interrogationem explicatur ſubiectione elegantiſſima, quatuor verſibus ſequentibus. *Percuſſorem eius*, id eſt inimicum, a quo populus Dei infeſtatur, quem Deus funditus delet: de quibus caſtigationibus dictum eſt inde a cap. XIII. ſupra: *interfecti illius*, id eſt homines e percuſſoribus & inimicis populi ſui, quos Deus curavit interfici.

V. 8. IN MENSURA CONTRA MENSURAM, &c. Multifariam alii hunc verſum ex Heb. convertunt: I. *In menſura, in plantatione eius iudicabis eam: removebit Deus vento ſuo duro, in die Euri*, id eſt *tempore quo flat Eurus.* II. *In modo, in emiſſione eius contendes cum illa;* id eſt, ſervato modo punies populum tuum in hortis, pomariis, agriſque eius frugiferis, (id enim intelligit per emiſſiones ſive plantationes) immittendo rubiginem, ſiccitatem, locuſtas, bruchos, & huiuſmodi, quibus fruges, fructuſque conſumes: *removebit*, Heb. præteritum pro futuro, & mutatio perſonæ ſecundæ in tertiam, pro *tolles, decuties*, o Deus, fructus *vento ſuo moleſto, & violento, tempore quo flabit ventus orientalis* maxime noxius fructibus ipſis ac frugibus. III. *In menſurando eam, in dimittendo eam, caſtigabis*, vel *corripies eam*; id eſt, implendo menſuram, & effundendo eam, caſtigabis eam: quo ſignificat neque omnino delendos, neque omnino a caſtigatione ſuperſedendum, ſed partim plena, partim vacua menſura feriendos; vel plenam & confertam iudiciorum menſuram dimittendo ſeu effundendo ſuper vineam, caſtigabis eam: *amotus eſt vento ſuo forti in die auſtri*, vel *ingemuit in ſpiritu ſuo duro in die ſubſolani;* id eſt, Iſrael, ſeu populus meus duro ſuo illo ac pertinace ſpiritu, quem ad pœnitentiam vix quiſquam flectere poterat, iam dolet, gemit, pœnitet, dum uritur ſubſolano, ſeu vento orientali calamitatum, qui in illis regionibus calidiſſimus eſt. IV. *In menſura, dum amandas eam, contendes*, ſeu *iudicio ages cum ea: abſtulit vento ſuo gravi in die Euri.* V. *In menſura, adverſa immittens iudicabis eam; abſtulit, decuſſit fructus eius*

Digitized by Google

in vento ſuo duro, per diem venti orientalis. VI. *Moderate emittendo cum eo, illum auferet ſpiritu ſuo duro, quaſi tempore Euri.* Subiectio ad quæſtionem præcedentem: qua Propheta primum modum caſtigationum explicat in populum, & in adverſarios Dei, proleptice hoc verſu; deinde uſu propoſito exornat, tribus ſequentibus. *Emittendo eum,* ſeu expellendo e terra promiſſa, in miſeram ſervitutem, ſub Aſſyriis & Babyloniis: *illum auferet*, ſcilicet hoſtem ſuum, percuſſorem populi ſui: *quaſi tempore Euri*, id eſt abripit & convellit radicitus.

In mensura contra mensuram. סאסאה *Saſſeah*, plerique nomen geminatum faciunt a סאה *Seah*, *ſato*, de quo vide in Geneſ. XVIII. 6. unde reddunt: *In ſato ſato*, vel *in ſat ſato, in menſura menſuræ*, id eſt iuſta & adæquata menſura. Nonnulli: *In modio modii*, id eſt moderate; metaphora. Alii infinitum Pihel faciunt cum affixo femineo: *In menſurare eam*, ut ſit verbum geminatum a nomine *ſeah, ſatum*, quod ſignificatum intendat: *In exactiſſime menſurando eam*. Ex verbo dicas: *in ſatiſando eam*, a ſato. Cum abiecta fuerit. בשלחה *Beſchalechah*. Plerique infinitum faciunt cum affixo: *in dimittendo, amandando, abiiciendo eam*. Alii nomen: *in emiſſione, plantatione, propagine, pomario, horto, viridario*, ut Nehem. III. 15. & Canticor. IV. 13. *eius*: ut taxet idololatriam, quam in hortis exercebant, ſupra cap. I. 29. Iudicabis eam. תריבנה *Theribennah*, ex Hiphil, ſignificatum auget: *acriter, vehementer litigabis, contendes, diſceptabis cum ea*; vel *obiurgabis, caſtigabis, corripies eam*. De obiurgatione vocali ſimul & reali accipiendum. Meditatus est. Verbum הגה *Haghah* eſt maſculeum, & omnia iſta complectitur: *meditatus eſt, muſſitavit, rugiit, ingemuit, amovit, removit, infremuit, abſtulit*; quæ omnia hic Deo conveniunt meditanti vel exercenti iudicia in improbos. Spiritu suo, vel vento, vel ira & animoſitate ſua, duro, vel perplexo, intricato, rigido, *pertinace*, ut ſupra verſ. I. Per diem aestus. Heb. *in die* קדים *Kadim*: vide in Geneſ. XLI. 6. Hiſpanicus interpres totum verſum ita expoſuit: *Con medida la caſtigaras en ſus medidas*, id eſt *en ſus ramos y pimpollos*, ſcilicet, *a la vinna: aun quando ſoplare* Dios *con ſu viento rezio en dia de ſolamo*.

V. 9. Idcirco super hoc dimittetur iniquitas domui Iacob. Alii ex Heb. I. *Propterea*, quia ſcilicet Deus eſt clemens, & mediocriter punit, *in hoc expiabitur iniquitas Iahakobi*. II. *Idcirco hac conditione*, hac lege, hac una re *obtegetur*, *oblinietur perverſitas Iahakob*, nempe ſi doleat, ſi ingemiſcat, ſi ex animo reſipiſcat. III. *Idcirco hac re expiatur iniquitas Iahakobi*. Amplificatio gratiæ Dei in caſtigationibus populi ſui, a fine aut uſu earum, nimirum ut purgetur populus a peccatis ſuis: *hac re*, id eſt caſtigationibus & flagellis. Et iste omnis fructus, ut auferatur peccatum eius. Alii I. *& iſte erit univerſus fructus, ut removeat peccatum eius*; id eſt, hunc fructum reportabit populus ex flagellis, ex pœnitentia, ut auferat Deus peccata ipſius. II. *& hic eſt totus fructus, ut amoveat peccatum eius*. Omnis fructus: Dei & Iſraelis, id eſt quem Deus ſuarum caſtigationum habere vult, & quem Iſrael ex eiſdem capit: ut intelligas benignitatem Dei, qui ſibi fructum accreſcere ex noſtra pœnitentia reputat. Cum posuerit omnes lapides altaris sicut lapides cineris allisos. Alii ex Heb. I. *cum poſuerit ipſe omnes lapides altaris*, id eſt altarium, ſtructorum in honorem idolorum, *ſicut lapides calcis dirutos*, vel *diſſipatos*, in fruſta & in varias partes diſiectos. II. *cum poſuerit ipſe omnes lapides aræ ut lapides ruderis confractos.* III. *cum diſponet omnes lapides altaris, ut lapides calcis diſſipatos*; id eſt, cum ex animo tollet, abolebitque omnia, quæ adverſantur Dei gloriæ, ut paſſim imperatur lege. Lapides cineris. גר *ghir*, *calcis, gypſi, cæmenti.* Aliqui exponunt: *lapides calcis*; id eſt, ut lapides, qui excoquuntur ut ex illis fiat calx, qui ſi aquam exceperint, facile diſſolvuntur, ac friantur. Allisos. מנפצות *menupphatzioth, diſperſos, diſſipatos, comminutos, confractos, colliſos, dirutos, diſiectos, contritos.* Non stabunt luci et delubra. Alii: I. *ita ut non reſurgant luci & imagines*, ſubaudi, ſolis. II. *& non conſiſtant*, ſive *inſtaurentur luci*, *neque ſimulacra ſolaria*, id eſt in honorem ſolis facta. III. *neque erigantur luci, & ſolaria*. IV. *nec conſiſtent luci*, aut *ſubdiales ſtatuæ*; id eſt, evertentur & cædentur. Ac ſi dicat: Conſequetur populus veniam peccatorum, ſi omnia altaria, omnia idola, omnem falſum cultum everterit, deſtruxerit, diſſipaverit, ita ut penitus omnia aboleantur, nec ultra inſtaurentur. De voce חמנים *chammanim*, vide ſupra cap. XVII. 8.

V. 10.

V. 10. CIVITAS ENIM MUNITA, DESOLATA ERIT. Alii: I. *At civitas muris cincta, erit ſolitaria*. II. *Sed illius civitas munita, erit ſolitaria*. Notant eſſe alterum membrum prolepſeos, ut dictum eſt in verſ. 8. & de caſtigationibus Dei in adverſarios, quæ dicuntur fore graviſſimæ, & humanis rebus deſcribuntur. SPECIOSA RELINQUETUR. Alii ex Heb. I. *habitaculum dimiſſum*, id eſt regia, vel templum. II. *paſcuum dimiſſum*; id eſt, locus graminoſus & herbidus, ſeu rura amœna. III. *caula disiecta*. De voce נוה *naveh*, quam *nomum* vertimus, vide Notas in Exod. XV. 13. IBI PASCETUR VITULUS. Romanum exercitum, vel Titum ipſum principem intelligunt, qui Ieruſalaim funditus depaſtus eſt & extirpavit. Alii: *ibi paſcet vitulus*, &c. id eſt, omnia ſurſum & deorſum perdet hoſtis, ad ſummas arbores. ET CONSUMET SUMMITATES EIUS. ת [illegible] *ſeghipheiah*, *progreſſiones*, *protenſiones*, *prominentias eius*, id eſt extrema arborum verbera, prominentes palmites, ſummos ramos eius. Periſtat in allegoria vineæ, ſeu arboris.

V. 11. IN SICCITATE MESSES ILLIUS CONTERENTUR. Heb. *In areſcendo meſſem eius, confringentur*. Verbum *confringentur* Hebraice eſt femineum, & *meſſis* maſculeum; *eius* vero femineum: proinde ſubaudiunt vocem סעפות *ſeghaphoth*, *prominentias*, ſeu *ramos*, unde reddunt: *Areſacto ramo eius, frangentur ramuſculi*. Non tam recte. Alii: I. *Cum exaruerint palmites eius*, vel *rami eius*, id eſt populi, *confringentur*, vel *rumpentur ſua ſponte*. II. *In ariditate palmites eius confringentur*. Pronomen *eius* refert vel civitatem, de qua verſu præcedente, vel ſynagogam aut Eccleſiam, ſub allegoria vineæ, vel congregationem improborum adverſantium Eccleſiæ. MULIERES VENIENTES, ET DOCENTES EAM. Heb. proprie: *mulieres venientes, illuminantes, illuſtrantes eam*. Noſter ad doctrinam retulit: nam quæ maior reipublicæ infelicitas contingere poteſt, quam ut a feminis doceatur ac regatur? Plerique tamen ſignificatum participii Hiphil מאירות *meiroth*, ab אור *ur*, *flamma*, *igne*, deducunt: *inflammantes*, *incendentes*, *ſuccendentes eam*; id eſt, ramos & palmites eius ſiccos & confractos, vel accendendo, vel fovendo & nutriendo igni applicabunt. Alii ab ארה *arah*, derivant, *carpentes*, *decerpentes*, *colligentes* ramuſculos *eius* arentes: ut ſolent pauperculæ mulieres ramuſculos, & virgulta ſicca decerpere & colligere accendendo igni. Quidam reddunt: *mulieres venientes incendent illam*; id eſt, etiam imbecilla mulierum manu conſumentur, adeo deiectæ arbores futuræ ſunt. NON EST ENIM POPULUS SAPIENS. Heb. *quia non populus intelligentiarum eſt*. Alii: *quia non eſt populus ulla intelligentia præditus*. PROPTEREA NON MISEREBITUR EIUS. Heb. *idcirco non inviſcerabit eum*; id eſt, non intra viſcera ſua condet, non proſequetur vel amplectetur eum miſericordiæ viſceribus. ET QUI FORMAVIT EUM, NON PARCET EI. Alii: I. *nec miſerebitur eius fictor eius*. II. *& qui formavit eum, non faciet gratiam ei*, vel *non gratia afficiet eum*.

V. 12. ET ERIT, &c. Obſervant eſſe hic ſummam promiſſionum de reſtitutione populi, quæ eſt veluti quædam concluſio totius prophetiæ, ſignum primum, adituſque ad promiſſiones reliquas quæ ante dictæ ſunt. IN DIE ILLA. Alii: *Tempore illo*, quo Deus inimicos ita conſumpſerit, ut Babylone per Cyrum factum eſt. PERCUTIET DOMINUS. Heb. *excutiet*, *teret*, *triturabit* IHUH. AB ALVEO FLUMINIS, USQUE AD TORRENTEM AEGYPTI. Alii I. *a culmo*, *calamo ſpicæ*, *ſpica fluvii*, *uſque ad flumen AEgypti*: id eſt, ab Euphrate ad Nilum, id eſt Chaldæos & AEgyptios atteret: & ſynecdochice omnes nationes adverſantes Eccleſiæ. Et eleganter Propheta uſus eſt voce ambiguæ ſignificationis *ſchibboleth*, quæ *fluxum*, & *culmum ſpicæ* ſignificat, ut perſiſteret in allegoria meſſis, & trituræ, de qua paulo ante. II. *excutiet ſuos Iehova ab alveo fluminis uſque ad torrentem AEgypti*; id eſt, faciet trituram, & ſeliget ſuos ab aliis gentibus more agricolæ excutientis triticum a palea, Matth. III. 12. III. *inde a fluxu illius fluminis uſque ad torrentem AEgypti*; id eſt, ab Euphratis alveo uſque ad Sichorem AEgypti terminum, de quo Ioſue XIII. 3. ET VOS CONGREGABIMINI UNUS ET UNUS, FILII ISRAEL. Heb. alii: *vos autem colligemini*; id eſt, excutimini & educemini e media illa veluti area, in qua populus per Cyrum eſt trituraturus Deus: *ſigillatim*, ut etiam prophetat Ieremias III.

14.

Digitized by Google

14. & Ezechiel. XXXIX 28. *o Iſraelitæ*. UNUS ET UNUS. Heb. *uni unius*, vel *ad unum unum*. Alii: 1. *unus poſt alium*. 2. *per unum unius loci*, id eſt per ſingulos ſingulorum locorum, vel ſinguli e ſingulis locis. 3. *ad unum unus*; id eſt, omnes ad unum uſque. 4. *unum unum*, vel *uni uni*. Hiſpanice, *uno a uno*, id eſt ſingillatim omnes.

V. 13. ET ERIT: IN DIE ILLA CLANGETUR IN TUBA MAGNA. Quidam: *Eritque tempore illo quando clangetur buccina magna*; id eſt, promulgabitur mandato Cyri per totum regnum ipſius. II. Paralipom. XXXVI. 22. & Hezræ I. 1. Alii tubam magnam Evangelii intelligunt perſonantem in toto orbe. QUI PERDITI FUERANT DE TERRA ASSYRIORUM. Heb. *pereuntes in terram Aſſur*: intelligit vel Iudæos abductos in Chaldæam per Nebuchadnatzarem, vel Iſraelitas abactos in Aſſyriam per Salman-Eſerem: vel utroſque pariter. ET QUI EIECTI ERANT DE TERRA AEGYPTI. Heb. *& impulſi*, ſeu *expulſi in terram AEgypti*. Forte alludit ad hiſtoriam Ieremiæ XLIII. ET ADORABUNT DOMINUM IN MONTE SANCTO IN IERUSALEM. Heb. *& incurvabunt ſe*, vel *ſupplicabunt Iehovæ*, aut *& honorem exhibentes incurvabunt ſe Iehovæ in monte ſancto Ieruſchalaimis*. Prædicit reſtitutionem populi ac templi: ſeu verius reductionem ſynagogæ in Eccleſiam Chriſti, cuius illa reſtitutio typus fuit. Alii converſionem gentium ad fidem Chriſti ſynecdochice per Aſſyrios & AEgyptios ſignificatam intelligunt.

MENOCHII.

Verſ. 1. VISITABIT: puniet, & quaſi trucidabit. GLADIO SUO: ſuo robore, ſuis viribus, & armis. LEVIATHAN. Leviathan eſt cetus ſive balena, & ita dicitur ob vaſtitatem corporis. Vide quæ diximus Iob XL. 20. ſub allegoria autem Leviathan diabolus intelligitur. SERPENTEM VECTEM: ita dicitur Leviathan vel propter longitudinem, unde aliqui vertunt *ſerpentem longum*, vel quia in carcere inferni, ut vectis, damnatos claudet, quare Symmachus vertit, *ſerpentem concludentem*; vel ob robur, quare Theodotion reddit, *ſerpentem robuſtum*. TORTUOSUM: inſidioſum, callidum. OCCIDET: morte æterna, relegando eum, & religando in inferno. QUI IN MARI EST: qui in hoc rerum mundanarum pelago dominari videbatur.

V. 2. IN DIE ILLA: ſcilicet iudicii, cum Leviathan, & impii ibunt in mortem æternam. CANTABIT: Deus publica, lætaque voce, & ſententia proclamabit. ET: ſcilicet vineæ, id eſt Eccleſiæ ſuæ, laudans eam, & dicens: O vinea mea quæ non protuliſti labruſcas, ſed vinum merum & generoſiſſimum egregiorum operum, beata, & felix es.

V. 3. SERVO EAM: cuſtodio, & beatam facio. REPENTE. In Hebræo eſt לרגעים *Lirgahim*, quod verti poteſt *repente*, vel *aſſidue*: utrumque commode. Repente quidem, quia poſt paucos labores accidit beatis voluptas æterna: Aſſidue vero, quia iugiter, per ſingula momenta, & æternum illa fruentur. PROPINABO EI: vinum dulce, & generoſum, quale ipſa protulit. Hoc eſt quod ait Pſaltes Pſal. XXXV. 9. *Torrente voluptatis tuæ potabis eos*. NE FORTE VISITETUR CONTRA EAM: ne quid agatur contra eam, ne quid mali ei accidat, ideo nocte, ac die ſervo eam.

V. 4. INDIGNATIO NON EST MIHI: non poſſum iraſci, & indignari vineæ tam bonæ, tam fertili, ut indignatus ſum ſterili Synagogæ. QUIS DABIT ME SPINAM, ET VEPREM? quaſi dicat: Quis faciet ut tam electæ vineæ ſim in ſpinas? quis me faciet illi aculeatum, & iratum ob levia eius peccata, ut bellum contra eam ſuſcipiam, conculcem, & ſuccendam? Sane nemo. GRADIAR SUPER EAM: illam aggrediar oppugnaturus. PARITER: cum alia ingrata, & infideli vinea.

V. 5. AN POTIUS TENEBIT FORTITUDINEM MEAM; quaſi dicat: An non vinea mea tenebit, & cohibebit ſua gratia, & decore fortem vindictam meam, ne contra illam eam exeram, mecum enim iugem pacem faciet, ſemper mihi ſerviet, amica erit, &c.

V. 6. QUI INGREDIUNTUR, &c. Hic finitur canticum, tranſitque Propheta ad Apoſtolos, eorumque prædicationem, & fructum. In Heb. eſt *Venientibus*, vel *Ingredientibus*, ſcilicet Apoſtolis. IMPETU: magno cum fervore ſpiritus. AD IACOB: ad Iſraelitas convertendos. FLOREBIT, ET GER-

GERMINABIT: vera religione, pietate & ſanctitate. IMPLEBUNT FACIEM ORBIS SEMINE, ita ut felix hic proventus orbis ſuperficiem impleat.

V. 7. NUMQUID IUXTA PLAGAM PERCUTIENTIS SE PERCUSSIT EUM? Id eſt, Numquid Deus Iudæos punivit æqualiter ex lege talionis, ut ſicut ipſi Chriſtum, & ſanctos eius dire vexarunt, flagellarunt, & necarunt, ita flagellarit, & necarit eos? quaſi dicat, Minime. SIC OCCISUS ES; ſcilicet Iſrael.

V. 8. IN MENSURA CONTRA MENSURAM; id eſt, nondum quidem cumulate punivit infideles, & ſceleſtos Iſraelitas; puniet tamen ſuo tempore, pari & contra poſita menſura, ut *pro menſura peccati, ſit & plagarum modus*. Deut. XXV. 2. CUM ABIECTA FUERIT: cum Synagoga fuerit repudiata. MEDITATUS EST: nam Deus meditatus eſt contra eam dura, & atrocia flagella. PER DIEM AESTUS, id eſt, tempore vindictæ, & excidii Ieroſolymitani. IDCIRCO, &c. Redit ad verſum ſextum, & ad reliquias Iudæorum credentes in Chriſtum, præſertim eas quæ ex clade, & terrore excidii eorum, de quo verſiculo præcedenti egit, convertentur. SUPER HOC: *Hoc pacto*, ut vertit Vatablus. DIMITTETUR INIQUITAS DOMUI IACOB: ea ſe ad Chriſtum adiungente. ET ISTE OMNIS FRUCTUS, Prædicationis Evangelii. CUM POSUERIT OMNES LAPIDES ALTARIS, *&c.* quod in excidio Ieroſolymorum ſub Tito factum eſt. ALLISOS, comminutos. NON STABUNT LUCI, ET DELUBRA, ſcilicet Gentilium, quæ per prædicationem Evangelii cadere incipient. Non ſunt hæc intelligenda de Iudæorum lucis, & delubris, quia hoc tempore non leguntur idola coluiſſe; ſententia ergo eſt: Cum videbunt Iudæi, templo ſuo deſtructo, etiam idola everti per Chriſtianæ religionis prædicationem, ex ipſis multi convertentur.

V. 10. CIVITAS MUNITA, ſcilicet Ieruſalem. SPECIOSA: quæ pulchra prius fuerat, & ſpecioſa. CONSUMET SUMMITATES EIUS: *Ramos eius*, ut vertunt Fagninus, & Vatablus; ut faciunt feræ in vinea, aut ſaltu.

V. 11. IN SICCITATE MESSES ILLIUS CONTERENTUR; quaſi dicat: Ieroſolymitæ ſiccitate, penuria, & fame affligentur. MULIERES VENIENTES, ET DOCENTES EAM: id eſt, adeo conſilii inopes erunt, ut ſe mulieribus gubernandos permiſſuri ſint, eorumque conſilia licet inepta audituri. Vel, nomine mulierum mulieroſos Principes intelligit, falſos prophetas, & doctores, qui perdiderunt Iudæam ſua mollitie, ignavia, & inſipientia. NON EST ENIM POPULUS SAPIENS: quare meretur regi a mulieribus. QUI FECIT EUM, ſcilicet Deus.

V. 12. ET ERIT, &c. Docet Iudæos exules, & profugos venturos ad Eccleſiam Chriſti. PERCUTIET. Heb. יחבט *iachbot*; id eſt, excutiet ſicut excutiuntur olivæ ex olea, ita ut Dei donis ſpolientur Iudæi quibus prius florebant. AB ALVEO FLUMINIS: ab Euphrate. TORRENTEM AEGYPTI. *Uſque ad Rhinocoluram*, ut vertunt LXX. eſt autem Rhinocolura torrens de eremo fluens, qui inter urbem Rhinocoluram, & Peluſium, mare ingreditur. CONGREGABIMINI UNUS, ET UNUS. Congregabimini ad unum; quaſi dicat: Quicumque eſtis veri Iſraelitæ non carne, ſed ſpiritu, ſinguli congregamini ad Chriſtum in Eccleſiam. Hoc eſt quod dicitur Ioan. capite XI. *Ut filios Dei, qui erant diſperſi, congregaret in unum*.

V. 13. TUBA MAGNA: prædicationis Evangelicæ. VENIENT: confluent ad Chriſtum, & Eccleſiam. QUI PERDITI FUERANT DE TERRA ASSYRIORUM: qui captivi ducti fuerant in Aſſyriam, & Babylonem. QUI EIECTI ERANT IN TERRA AEGYPTI: Iudæi qui profugi, & eiecti ſe in AEgyptum receperant. IN MONTE SANCTO IN IERUSALEM: in Eccleſia, cuius typus fuit mons Sion.

T I R I N I.

Verſ. 1. VISITABIT, id eſt puniet, GLADIO SUO, id eſt robore & potentia ſua divina, (neque enim aliis armis eget Deus:) LEVIATHAN, id eſt cetum ſive balenam, ut dixi Iob XL. & deſignat dæmonem ſuperbiſſimum ac potentiſſimum, qui in hoc mundo, quaſi balena in mari, diſcurrit, ludit, dominatur: & *ſerpens* vocatur ob aſtutiam, hoſtilitatem, & venenum quod hominibus ſuffundit: vocatur & *vectis*, quia pluſquam vectis ferreus, obſtruxit valvas cæli, ne quis

co

eo penetret; item clauſtra inſerni ac peccati, ne quis inde emergat. Eratque hic vectis adeo ſortis & tenax, ut non niſi potentiſſimo Dei gladio diffringi potuerit, inquit Sanchez. Pro *vecte*, LXX. verterunt *fugientem*; Forerius, *teretem*, ſive *lubricum* ſerpentem, qui facile fugit & elabitur. Hunc Deus IN ILLA DIE iudicii extremi OCCIDET morte non corporali vel temporanea, ſed ſpirituali & æterna, ſeparando illum ab omni oblectatione, & religando illum in ignibus infernalibus; in quibus damnati perpetuo quaſi moribundi cruciantur, at numquam moriuntur.

V. 2. VINEA MERI eſt vinea ferax meri vini, nempe Eccleſia Beatorum; cui, relegato Leviathan cum cœtu impiorum in barathrum infernale, Deus quaſi gratulabundus occinet hoc lætum canticum: ita Sanchez & a Lapide.

V. 3. REPENTE (Hebræum *lirgaim* verti etiam poteſt, *aſſidue*) PROPINABO EI, ſupple vinum dulce & generoſum, quod & quale ipſa protulit. Propinabo, inquam, non ſcypho vel cantharo, ſed integro *torrente voluptatis*. ET SERVO EAM DIE AC NOCTE, id eſt continuo, NE FORTE dolo, vel vi hoſtili, VISITETUR CONTRA EAM; id eſt aliquid ei mali vel adverſi inferatur.

V. 4. INDIGNATIO NON EST MIHI adverſus vineam tam fertilem, tam bonam, tam ſuavem. ET QUIS, obſecro, DABIT ME SPINAM ET VEPREM? id eſt, quis mihi perſuadebit, ut inſtar ſpinæ aculeatæ pungam & impugnem tam nobilem vineam, tam mihi dilectam & electam? Impugnavi quidem ſic Synagogam, immo expugnavi, conculcavi & ſuccendi illam; ſed ob enormia ipſius ſcelera, & pertinaciam in malo. Ut vero ſimili modo ſæviam in Eccleſiam Chriſtianorum, ob nævos aliquos & leviora peccata, numquam inducar.

V. 5. POTIUS ipſa ſuo decore, gratia & ſuavitate vinctam TENEBIT FORTITUDINEM MEAM, ne hac utar adverſus eam. Hic finitur canticum; tranſitque Propheta ab Eccleſia Chriſtianorum ad Synagogam Iudæorum.

V. 6. AD IACOB, id eſt ad Iudæos convertendos *ingreſſi* Apoſtoli Chriſti cum IMPETU & fervore ſpiritus, *reflorere* ſecerunt *& germinare Iſraelem* novo fidelium SEMINE, novo flore, novo germine, quo FACIEM ORBIS *impleverunt*.

V. 7. NUMQUID IUXTA PLAGAM PERCUTIENTIS SE, pari menſura ex lege talionis PERCUSSIT Deus Iſraelem; ut ſicut ipſi Chriſtum & Sanctos eius inhumaniter exagitarunt & enecarunt, ita & ipſe illos viciſſim divexarit & exſtirparit? Minime gentium: ſed vicit in bono malum, quamdiu capaces illi manſerunt alicuius boni.

V. 8. At CUM propter intolerabilem ſuam nequitiam & rebellionem prorſus a te ABIECTA FUERIT Iudæorum vinea, tum IUDICABIS EAM IN MENSURA CONTRA MENSURAM, id eſt pari & contrapoſita ſceleribus menſura pœnarum. MEDITATUS EST enim Deus, decrevitque contra eam dura ſupplicia IN SPIRITU SUO DURO & inexorabili, PER DIEM AESTUS, id eſt tempore ſerventis vindictæ, quam per Veſpaſianum & Titum exeret in univerſam Iudæam.

V. 9. IDCIRCO, quia tot cladibus & flagellis, ſimulque Apoſtolorum prædicatione reſipuit aliqua pars *domus* IACOB, propter hoc DIMITTETUR illi omnis eius INIQUITAS: nam finis FRUCTUSQUE OMNIS caſtigationis divinæ eſt *auferre* PECCATUM: Deus enim non verberat ut lædat, ſed ut corrigat & ſanet. Hunc porro ſanationis Iudaicæ fructum, ſaltem ex plurimis colliget Deus; CUM POSUERIT OMNES LAPIDES ALTARIS holocauſtorum, adeoque & totius templi Ieroſolymitani, SICUT LAPIDES CINERIS, id eſt lapides incineratos & mutua colliſione contritos. Item cum non amplius STABUNT LUCI ET DELUBRA idolorum, everſa per Apoſtolos & Apoſtolicos viros: ſed e contrario videbunt, exciſo ſuo templo, & aliis idolorum templis, uni Chriſto & vero Deo templa paſſim & aras toto orbe erigi; incipient & ipſi oculos aperire, & ad Chriſtum colendum ſe transferre, inquit S. Hieronymus. Adeoque patebit ad oculum, ſalutem tunc temporis a ſolo Chriſto & in Eccleſia Chriſtiana ſperandam eſſe, ut etiam MULIERES verſ. 11. id paſſim edocturæ ſint. Qui vero id non advertet, vel amplecti nolet, eo ipſo deſignabit ſe *non ſapere*, ac PROPTEREA nec mereri ut Deus eius *miſereatur* aut parcat. Ceterum totam Iudæam

V. 12. PERCUTIET DOMINUS virga Romanorum, AB ALVEO FLUMINIS Euphra-

 tis,

tis, uſque ad Rhinocoluram TORRENTEM AEGYPTI: ita LXX. & Chaldæus. Vos interim veri Iſraelitæ, Deo fideles & Meſſiæ, UNUS ET UNUS, id eſt pauciſſimi quidem, ſed ſelectiſſimi, CONGREGABIMINI ad Chriſtum & in ovile Chriſti. Huc alludit Ioannes XI. cum dicit veniſſe Chriſtum, *ut filios Dei, qui erant diſperſi, congregaret in unum*. Nam

V. 13. CLANGETUR TUBA MAGNA, nempe prædicationis Evangelicæ, qua exciti veri Iſraelitæ undique ad Chriſtum accurrent ex locis, in quibus diſperſi & quaſi PERDITI degebant, etiam ex Aſſyria & AEgypto, & unanimiter omnes ſimul colent verum Deum & Meſſiam ſuum IN MONTE SANCTO Sion IN IERUSALEM, id eſt in Eccleſia ſancta Chriſti: ita S. Hieronymus, Cyrillus & Theodoretus, & hos ſecutus Alvarez & a Lapide. Alludit quidem ad reditum Iudæorum e captivitate Babylonica & AEgyptiaca: ſed per has umbras intendit deſignare ſpiritualem redemptionem humani generis per Chriſtum.

G O R D O N I.

Verſ. I. IN DIE ILLA, &c. Leviathan hic Diabolum tenebrarum principem potentem deſignat: quid vox ipſa ſit proprie, dixi ad Librum Iob XL. Habet hic locus vim exhortationis ad certamen forte contra Diabolum: aderit enim in conflictu Dominus, iuvabit, & tandem in fine mundi omnem illi vim adimet & potentiam. LEVIATHAN VISITABIT, inquit Iſaias, ET OCCIDET, ſcilicet morte æterna, quando omnino alligatus inferno ſemper morietur, & numquam mortuus erit ſerpens hic tortuoſus ob fraudes. Eſt porro ut vectis ferreus obſtruens portas inferni, ne quis inde egrediatur.

V. 2. IN ILLA DIE VINEA, &c. Non ſunt hic minæ, ut aliqui interpretantur, ſed laus eſt & gratulatio Eccleſiæ, quæ cantabit, & laudes pronuntiabit Deo, quod ex gratia non proferat labruſcas, ut Synagoga (ſupra cap. v.) ſed vinum merum & purum: non eſſe canticum vineæ, ſed Dei, Cornelius interpretatur. Ceterum in Heb. eſt כרם *cherem*, *vinea*: ענו *hhanu*, *cantate*, cum affixo ſem. לה *ei*. Hebraica forte enallage eſt: nam כרם eſt maſculinum. Porro Vulgatus habet *cantabit*; ubi videtur legiſſe ענה *cantabit*, pro ענו *cantate*: ענו לה, *cantate ei*, *hhanu lah*.

V. 3. EGO DOMINUS QUI SERVO EAM. Promittit viciſſim Deus ſe vineam conſervaturum: nec fore ut ab ullo cogatur ad indignationem contra illam, aut ſit illi in ſpinam, aut ſuccendat eam.

V. 6. QUI EGREDIUNTUR IMPETU, &c. hoc eſt, per eos qui impetu egrediuntur ad Iacob (ſunt Apoſtoli) & impetu Spiritus Sancti impelluntur, florebit Iſrael, & hoc ſemine replebunt orbem: eumdem ſenſum habet Hebræus.

V. 7. NUMQUID IUXTA PLAGAM, &c. Hæret in converſione Iudæorum; quaſi dicat: Numquid Deus punivit Iudæos, ut ipſi Chriſtum, & Apoſtolos perſecuti ſunt? nequaquam. Sed primum IN MENSURA CONTRA MENSURAM excipiet eos Deus (verſ. 8.) caſtigando & diſſipando, ut ſub Tito; poſtea tamen (verſ. 9.) DIMITTETUR DOMUI IACOB peccatum, & reliquiis. Cauſam dat, quia per Apoſtolos vel ſucceſſores everſa ſunt altaria, & deſtructa idololatria: eveniet autem hæc converſio, quando videbunt everti templum & altare, & meſſes ſiccitate conſumptas. At quæ ſunt mulieres docentes eam, ſcilicet Ieroſolymam? Tertul. & Ambroſ. hoc accipiunt de Magdalena, quæ hoc tempore multos docuit verbo & exemplo veræ pœnitentiæ: vel certe tam ſtulti erunt tunc Iudæi permulti, ut a feminis doceri poſſint.

V. 12. ET ERIT IN DIE ILLA. Hos percutiet Dominus, ſed ſanabit etiam multos ſub Chriſti adventum: per alveum fluminis intelligit Iordanem vel Euphratem.

EX EIUSDEM AUCTARIO.

Verſ. 4. & 5. Profitetur benevolentiam Deus erga vineam: nec futurum ſe illi in ſpinam & tribulos, nec velle ſe indignari vineæ tam fertili.

V. 9. NON STABUNT LUCI, VEL DELUBRA. Evertentur etiam delubra gentium; ſed nec apud Iudæos tunc erunt luci. Sane poſt captivitatem lucos non habebant.

CAPUT

Digitized by Google

CAPUT XXVIII.

Superbis & ebriis Iſraelitis comminatur Dominus eo quod ſacerdotes vacent ebrietati, & principes irrideant verba & comminationes Prophetarum, ponentes mendacium ſpem ſuam: de lapide angulari in fundamentis Sion ponendo: de pœna illuſorum, & conſolatione paucorum bonorum.

1. VAE coronæ ſuperbiæ, ebriis Ephraim, & flori de-
cidenti, gloriæ exultationis eius, qui erant in vertice val-
lis pinguiſſimæ, errantes a vino. 2. Ecce validus & for-
tis Dominus, ſicut impetus grandinis; turbo confringens,
ſicut impetus aquarum multarum inundantium, & emiſ-
ſarum ſuper terram ſpatioſam. 3. Pedibus conculcabitur
corona ſuperbiæ ebriorum Ephraim. 4. * Et erit flos de-
cidens gloriæ exultationis eius, qui eſt ſuper verticem vallis pinguium, quaſi
temporaneum ante maturitatem autumni: quod cum aſpexerit videns, ſtatim
ut manu tenuerit, devorabit illud. 5. In die illa erit Dominus exercituum co-
rona gloriæ, & ſertum exultationis reſiduo populi ſui: 6. & ſpiritus iudicii ſeden-
ti ſuper iudicium, & fortitudo revertentibus de bello ad portam. 7. Verum
hi quoque præ vino neſcierunt, & præ ebrietate erraverunt: ſacerdos & pro-
pheta neſcierunt præ ebrietate, abſorpti ſunt a vino, erraverunt in ebrietate,
neſcierunt videntem, ignoraverunt iudicium. 8. Omnes enim menſæ repletæ
ſunt vomitu ſordiumque, ita ut non eſſet ultra locus. 9. Quem docebit ſcien-
tiam? & quem intelligere faciet auditum? ablactatos a lacte, avulſos ab ube-
ribus. 10. Quia manda remanda, manda remanda, expecta reexpecta, expe-
cta reexpecta, modicum ibi, modicum ibi. 11. (a) In loquela enim labii, &
lingua altera loquetur ad populum iſtum. 12. Cui dixit: Hæc eſt requies mea,
reficite laſſum, & hoc eſt meum refrigerium: & noluerunt audire. 13. Et
erit eis verbum Domini: Manda remanda, manda remanda, expecta reexpe-
cta, expecta reexpecta, modicum ibi, modicum ibi: ut vadant, & cadant re-
trorſum, & conterantur, & illaqueentur, & capiantur. 14. Propter hoc audi-
te verbum Domini viri illuſores, qui dominamini ſuper populum meum, qui
eſt in Ieruſalem. 15. Dixiſtis enim: Percuſſimus fœdus cum morte, & cum
inferno fecimus pactum. Flagellum inundans cum tranſierit, non veniet ſuper
nos: quia poſuimus mendacium ſpem noſtram, & mendacio protecti ſumus.
16. Idcirco hæc dicit Dominus Deus: (b) Ecce ego mittam in fundamentis
Sion lapidem, lapidem probatum, angularem, pretioſum, in fundamento fun-
datum: qui crediderit, non feſtinet. 17. Et ponam in pondere iudicium, &
iuſtitiam in menſura: & ſubvertet grando ſpem mendacii: & protectionem a-
quæ inundabunt. 18. Et delebitur fœdus veſtrum cum morte, & pactum ve-
ſtrum cum inferno non ſtabit: flagellum inundans cum tranſierit, eritis ei in
conculcationem. 19. Quandocumque pertranſierit, tollet vos: quoniam mane di-
luculo pertranſibit in die & in nocte, & tantummodo ſola vexatio intellectum
dabit auditui. 20. Coanguſtatum eſt enim ſtratum, ita ut alter decidat: & pal-

lium

lium breve utrumque operire non poteſt. 21. (c) Sicut enim in monte diviſionum ſtabit Dominus: (d) ſicut in valle, quæ eſt in Gabaon, iraſcetur: ut faciat opus ſuum, alienum opus eius: ut operetur opus ſuum, peregrinum eſt opus eius ab eo. 22. Et nunc nolite illudere, ne forte conſtringantur vincula veſtra: conſummationem enim & abbreviationem audivi a Domino Deo exercituum ſuper univerſam terram. 23. Auribus percipite, & audite vocem meam, attendite, & audite eloquium meum. 24. Numquid tota die arabit arans ut ſerat, proſcindet & ſarriet humum ſuam? 25. Nonne cum adæquaverit faciem eius, ſeret gith, & cyminum ſparget, & ponet triticum per ordinem, & hordeum, & milium, & viciam in finibus ſuis? 26. Et erudiet illum in iudicio: Deus ſuus docebit illum. 27. Non enim in ſerris triturabitur gith, nec rota plauſtri ſuper cyminum circuibit: ſed in virga excutietur gith, & cyminum in baculo. 28. Panis autem comminuetur: verum non in perpetuum triturans triturabit illum, neque vexabit eum rota plauſtri, nec ungulis ſuis comminuet eum. 29. Et hoc a Domino Deo exercituum exivit, ut mirabile faceret conſilium, & magnificaret iuſtitiam.

(a) I. Cor. xiv. 21. (b) Pſal. cxvii. 22. Matth. xxi. 42. Act. iv. 11. I. Pet. ii. 6. Rom. ix. 33.
(c) II. Reg. v. 20. I. Par. xiv. 11. (d) Ioſ. x. 10.

B R U G E N S I S

Romana Correctio.

Verſ. 4. *Et erit flos decidens gloriæ exultationis eius*. Quidam coniiciunt pro genitivo aut dativo *gloriæ*, legendum nominativum gloria: ſed liceat *gloriæ* accipere ut nominativum pluralem.

C O M M E N T A R I A

M A L D O N A T I.

Verſ. 1. VAE CORONAE SUPERBIAE, id eſt regno ſuperbo Iſraelis. Coronam regnum vocat; aut, ut alii putant, rerum omnium copiam. EBRIIS EPHRAIM, id eſt Iſraelitis præ ſuperbia, ſicut ebriis mente motis, elatis, inſanis. Cur Iſraelitæ vocarentur Ephraim, diximus cap. VII. 2. & IX. 9. & XI. 13. ET FLORI DECIDENTI; id eſt & florenti gloriæ decoris eius qua exultat, quia decidet. Participium *decidenti* habet hoc loco vim particulæ cauſalis. QUI ERANT IN VERTICE VALLIS PINGUISSIMAE, id eſt in medio fertiliſſimæ regionis Samariæ. Vel, אשר על־ריש גיא שמנים *qui erant ſuper caput vallis unguentorum*; vel, *qui* (habebant) *ſuper caput vallem unguentorum*; id eſt, quorum caput adeo multo erat unguento delibutum, ut videretur vallis aliqua eſſe fluens unguentis: quod nihil aliud ſignificat, quam omnium rerum affluentiam, qua ſe ſe inſolentius efferebant. ERRANTES A VINO, id eſt ebrii, oppreſſi vino; quaſi dicat: Væ Iſraelitis in magna rerum copia ſecure convivantibus, coronis redimitis, & unguentis delibutis, & uſque ad ebrietatem potitantibus.

V. 2. ECCE VALIDUS ET FORTIS DOMINUS. Heb. לאדני, *Domini*; id eſt, ecce Domini potentia & fortitudo irruet in Iſraelitas. Per validum autem & fortem Domini intelligit hoſtem quemcumque, per quem Deus Iſraelitas puniturus erat. SICUT IMPETUS GRANDINIS; id eſt, ſubito & fortiter depopulabitur Samariam & Iſraelitas delebit. ET EMISSARUM SUPER TERRAM SPATIOSAM, id eſt planam, ubi nihil eſt quod inundantium aquarum impetum cohibere poſſit, quominus omnia obruant: Heb. הניח לארץ ביד, ad verbum,

Deiicit

Deiicit in terram in manu; id eſt, qui turbo (omnia) in terram proſternit, in manu, id eſt in fortitudine, fortiter, ita ut nihil ei poſſit reſiſtere.

V. 3. PEDIBUS CONCULCABITUR; id eſt, regnum Iſrael hoſtibus ſubiicietur. Eſt autem elegans antitheſis inter coronam quæ ſuper caput ferri ſolet, & pedes: inter ſuperbiam & conculcationem.

V. 4. ET ERIT FLOS DECIDENS. Vide verſ. 1. QUASI TEMPORANEUM ANTE MATURITATEM, id eſt ſicut præcoces fructus. QUOD CUM ASPEXERIT VIDENS; id eſt, quos fructus quicumque primus viderit, decerpit & non ſervat, ſicut alios fructus, qui poſt proveniunt: neque domum fert, ſed ſimulatque manu legerit, devorat magna aviditate. Hac metaphora ſignificat Iſraelitas ante omnes alios eſſe delendos.

V. 5. IN DIE ILLA; id eſt, poſtquam Iſraelitæ de ſua gloria deturbati fuerint. ERIT DOMINUS CORONA GLORIAE; id eſt, dabit glorioſum regnum, RESIDUO POPULI SUI, id eſt duabus tribubus, Iuda & Beniamin, vel reliquiis Iſraelis, id eſt electis & prædeſtinatis; quaſi dicat: Non ponent amplius gloriam, & ſpem regni ſui in rerum caducarum copia, ſed in Deo. Dominus illis rex erit, Dominus diriget & gubernabit eos.

V. 6. ET SPIRITUS IUDICII (erit Deus,) id eſt dabit regi ſapientiæ ſpiritum ad recte iudicandum. SEDENTI SUPER IUDICIUM. Heb. *ad iudicium*, id eſt regi ſedenti in tribunali ad iudicandum. ET FORTITUDO REVERTENTIBUS DE BELLO; id eſt, fugientibus e bello uſque ad portam urbis, ut ſe recipiant in locum tutum, Dominus addet animos, ut non fugiant, ſed hoſtibus reſiſtant. Heb. active, משיבי מלחמה שערה, *convertentibus bellum ad portam uſque;* id eſt, ut convertant in fugam hoſtes uſque ad urbium ſuarum portam.

V. 7. VERUM HI QUOQUE; id eſt, Iudæi duarum tribuum exemplo Iſraelitarum, quos a Deo ob ſua flagitia caſtigari videbant, non ſunt facti meliores. PRAE VINO NESCIERUNT; שגו, *erraverunt* ut ebrii, nec ſolum plebeii, ſed Sacerdotes etiam & Prophetæ: non intelligit omnes, ſed multos. NESCIERUNT VIDENTEM: ראה, *viſionem;* id eſt, prophetiam non intellexerunt, prædixerunt falſa. IGNORAVERUNT IUDICIUM, id eſt male iudicarunt.

V. 8. QUIA OMNES MENSAE. Reddit cauſam cur Prophetæ & Sacerdotes erraverint, quia crapulæ dediti erant. REPLETAE SUNT VOMITU SORDIUMQUE. Solent homines ebrii ſub ipſa menſa vomere ac mingere. Significat ergo hac periphraſi maximam ebrietatem. Sobrietas Sacerdotibus & Prophetis maxime debet eſſe propria.

V. 9. QUEM DOCEBIT SCIENTIAM (Deus) quaſi dicat: Adeo ſunt omnes ebrii, ut non inveniat Deus quem docere poſſit, & prophetico afflare ſpiritu, niſi forte infantes, qui nondum ſe inebriare potuerunt. ET QUEM INTELLIGERE FACIET AUDITUM, id eſt prophetiam, quæ ideo auditus vocatur, quia Propheta eam a Deo audit: Iſai. LIII. 1. *Quis credidit auditui noſtro?* Alii hunc locum per nominativum convertunt: *Ablactati a lacte, avulſi ab uberibus*, id eſt ſimiles ſunt pueris recens ablactatis.

V. 10. QUIA MANDA, REMANDA. Reddit cauſam cur pueris eos comparaverit. Solent enim, cum a Prophetis aliquid eis præcipitur nomine Dei, non continuo facere, ſed efficere ut opus ſit idem iterum atque iterum præcipere, iterum atque iterum eorum tarditatem patienter expectare: pauliſper nunc, pauliſper poſt: itaque abutuntur Dei patientia. Hoc eſt, MANDA REMANDA; EXPECTA REEXPECTA, MODICUM IBI, MODICUM IBI. Quæ oratio quo magis conciſa eſt, eo maiorem habet gratiam, maioremque vim ad ponendam rem ante oculos. Hebræi aliter interpretantur: Adeo ſimiles ſunt pueris, ut צו לצו צו לצו, *præceptum ad præceptum, præceptum ad præceptum*; id eſt, ut paulatim ſint illis præcepta tradenda, inculcanda, repetenda: קו לקו קו לקו, *linea ad lineam, linea ad lineam;* id eſt, ſingulæ lineæ ſint illis minute ac particulatim explicandæ, ſicut pueris elementariis: זעיר שם זעיר שם, *paululum ibi, paululum ibi;* id eſt, in unaquaque re parum admodum delibandum illis ſit, ut poſſint capere. Vel forte ſenſus eſt, Deus ab illis non magis intelligitur, quam ſi his verbis uteretur, *Manda, remanda*, quæ ficta ſunt: ut verſ. 13.

V. 11. IN LOQUELA ENIM LABII. Heb. בלעגי שפה, *in balbutientibus labiis*, id eſt obſcure, & lingua altera, id eſt aliena, barbara. *Loquitur* (Deus) AD POPULUM ISTUM, id eſt loqui ſolet; quaſi dicat: Cum Deus

huic

huic populo per Prophetas loquitur, non magis intelligitur ab eo, quam ſi barbara illi & peregrina lingua loqueretur, ut Hiſpanice dicimus, *Como ſi les hablaſſe en Algarania*.

V. 12. CUI DIXIT. Probat exemplo quod Deus populo barbare loqui videretur; dixit enim illi: HAEC EST REQUIES MEA; id eſt, ſi vultis dare mihi requiem, date requiem pauperi fatigato: *Quod enim uni ex minimis iſtis feciſtis, mihi feciſtis*. ET NOLUERUNT AUDIRE, id eſt intelligere: id quod perſpicue & aperte dictum erat.

V. 13. ET ERIT EIS VERBUM DOMINI, MANDA, REMANDA; id eſt, nullam illis utilitatem attulit, niſi quod ſæpe eorum auribus inſonuit. Vel היה, *fuit illis verbum Domini, Manda, remanda*, id eſt obſcurum, & (ut ita dicam) inintelligibile, & barbarum: ſicut hæc verba, *Manda, remanda*, צו לצו צו לצו. UT VADANT, ET CADANT RETRORSUM; id eſt, quia non intellexerunt verbum Domini, pereant; quaſi dicat, Ut, quia ignoraverunt, ignorentur a Deo, id eſt auxilio deſtituantur, ut loquitur D. Paulus, poſtquam hunc locum induxit, I. Cor. XIV. 38.

V. 14. ILLUSORES: אנשי לצין, *viri impii*, vel *deriſores*, qui religionem & pietatem omnem deridetis, ut Pſal. I. Y.

V. 15. QUIA DIXISTIS; id eſt, exiſtimaſtis vos feciſſe fœdus cum morte, aut adeo tutos eſſe, quemadmodum ſi cum morte fœdus iniiſſetis, id eſt quaſi non poſſetis mori; ideoque minas Dei non timeretis. CUM INFERNO FECIMUS PACTUM, הזה, *viſionem*: vidimus infernum, & cum illo collocuti ſumus, nihil timemus. Italice dicimus, *Abbiamo viſto la morte in faccia*. Hoc loco idem ſignificat *infernus* quod *mors*, ut ſæpe alias. FLAGELLUM INUNDANS CUM TRANSIERIT; id eſt, cum ira & punitio Dei vehemens venerit, non attinget nos, non poterit nobis nocere. QUIA POSUIMUS MENDACIUM. Non loquuntur ex ſua, ſed ex Dei vel Prophetæ opinione; id eſt, quia ſpem noſtram collocavimus in idolis, in auxilio humano, quæ tu ſoles mendacia & vanitates appellare.

V. 16. IDCIRCO. Dubium videri poteſt cuius rei cauſam reddat: non enim adhærere videntur hæc bene cum præcedentibus; ſed ſenſus eſt: Quia hæc feciſtis ac dixiſtis, ne ſubito & non ſervato iuris ordine vos punire videar, mittam prius ad vos filium meum; forte enim eum verebimini, tunc qui ad me converti noluerint, ſine ulla excuſatione punientur. ECCE EGO MITTAM IN FUNDAMENTIS. Heb. הנני יסד, *Ecce ego fundator lapidis angularis*, id eſt ponam pro fundamento in Sion, id eſt in Eccleſia, lapidem angularem, id eſt Chriſtum: Pſal. CXVII. 20. & Matth. XXI. 42. & Act. IV. 11. & Rom. IX. 33. & I. Petri II. 9. *Fundamentum enim illud nemo ponere poteſt præter id quod poſitum eſt, quod eſt Chriſtus Ieſus*: I. Cor. III. 11. Lapidem angularem vocat non uno ſenſu, ſed duplici, quemadmodum interpretati ſunt Apoſtoli. Primum quod totum ædificium fulciat, atque ſuſtentet: quo ſenſu interpretatur Chriſtus illud Pſal. CXVII. *Factus eſt in caput anguli*. Et D. Paulus Epheſ. II. 20. *Superædificati ſuper fudamentum Apoſtolorum & Prophetarum ipſo ſummo angulari lapide Chriſto Ieſu*. Idem enim vocat ſummum & angularem: deinde quod aliis ſit in fundamentum, aliis in ruinam. Solemus enim offendere ad lapides, qui in angulis ſunt, quia extant ab ædificio: ſic interpretatur D. Petrus I. Epiſt. cap. II. 7. *Vobis igitur honor credentibus, aut lapidem, quem reprobaverunt ædificantes, hic factus eſt in caput anguli*. D. autem Paulus Rom. IX. 33. hunc locum confundit cum altero eiuſdem Prophetæ cap. VII. 14. LAPIDEM PROBATUM. Heb. *lapidem probationis*; quod nonnulli active interpretantur; id eſt, ad quem quaſi ad lapidem lydium homines probentur quales ſint. *Ecce hic poſitus eſt in ruinam & reſurrectionem multorum*: Luc. II. 34. Ego paſſive intelligo, id eſt approbatum, electum; ut opponatur lapidi reprobato. Idem enim valet, *Lapidem quem reprobaverunt ædificantes, hic factus eſt in caput anguli*; ac ſi diceret: Lapis, quem reprobaverunt illi, a Deo electus eſt ut optimo loco poneretur. IN FUNDAMENTO FUNDATUM: Heb. *fundatum*, id eſt firmiſſimum fundamentum. QUI CREDIDERIT, NON FESTINET; id eſt, ne exiſtimet id brevi futurum: non enim eveniet niſi poſt multos annos. Aut qui hoc credit, ne ſit impatiens: hoc enim vocat feſtinare; ut Heb. X. 36. *Patientia vobis neceſſaria eſt, adhuc enim modicum aliquantulumque, qui venturus eſt veniet, & non tardabit*.

V. 17.

Digitized by Google

V. 17. ET PONAM IUDICIUM IN PONDERE: לקו, *ad perpendiculum;* id eſt, exercebo in impios iuſtum iudicium. ET IUSTITIAM IN MENSURA: למשקלת, *ad pondus*, id eſt æque, iuſte. ET SUBVERTET: יעה, *everret* GRANDO (quaſi ſcopæ) SPEM MENDACII; id eſt ira, aut iuſtitia mea, quam ſcopis & aquis comparat, quia omnia peccata quaſi ſordes puniendo everrit, & omnem ſuperbiam deiicit, ſicut inundantes aquæ ædificia proſternunt. Ira, inquam, mea tollet ſpem mendacii, id eſt vanam veſtram confidentiam, quam in idolis habetis. ET PROTECTIONEM; id eſt idola, divitias, ceteraque præſidia, quibus confiditis.

V. 18. 19. ET DELEBITUR FOEDUS VESTRUM, id eſt nihil vobis proderit. Intelligetis vos poſſe mori. FLAGELLUM INUNDANS, id eſt magnum, & vehemens. Duplex metaphora coniuncta, ut ſupra verſu 15. ERITIS EI IN CONCULCATIONEM; id eſt, conculcabit vos, quæ eſt tertia metaphora. Neque inundare neque conculcare proprium eſt flagelli; ſed accepit flagellum pro hoſte. Sicut Attila vocatus eſt flagellum Dei QUONIAM MANE DILUCULO, &c. id eſt inopinato, omnibus horis diei & noctis. Heb. בבוקר בבוקר, *mane, mane*, id eſt ſingulis diebus. ET TANTUMMODO SOLA VEXATIO INTELLECTUM DABIT AUDITUI, id eſt audienti: prius enim audiebatis Dei comminationes, & nolebatis intelligere; cum autem re ipſa experti fueritis intelligentes: היה רק זועה הבין שמועה, *& fiet ut commotio ſit intelligere famam;* id eſt, ut quicumque ſolam eius calamitatis famam audierit, commoveatur & contremiſcat. Indicat excidium Ieroſolymitanum ſub Tito Veſpaſiano.

V. 20. COANGUSTATUM EST ENIM STRATUM. Elegans metaphora ſumpta a lecto nimis anguſto, ita ut ſi duo in eo cubent, alterum decidere neceſſe ſit. Similis eſt quæ ſequitur, ſumpta a nimis anguſto pallio, quo ſi ſe duo velint tegere, non poſſint. Lecto & pallio anguſto comparat Ieruſalem, quæ cum a Tito obſideretur, in eas anguſtias adducta eſt, ut multitudinem hominum, quæ in eam confugerat, continere non poſſet. Heb. *Anguſtatum eſt ſtratum*, מהשתרע, *ne ſe extendat;* id eſt, ita ut qui cubat non poſſit ſe extendere. והמסכה צרה כהתכנס, *& ſtragula arctata eſt, ut non tegat*. Urbem ipſam comparat lecto, res autem ad victum neceſſarias ſtragulæ; quaſi dicat: Neque locus illis erit, ubi habitent, neque cibi, quibus alantur: omni ex parte affligentur.

V. 21. SICUT ENIM IN MONTE DIVISIONUM, פרצים, STABIT DOMINUS; id eſt, oſtendet potentiam ſuam contra Iſraelitas, ſurget, cum ante deſidere ac otioſus eſſe videretur: ut, *Exurge, quare obdormis Domine?* Pſal. XLIII. 23. Sicut in monte Perazim, id eſt ſicut ſtetit in monte Perazim pro Davide contra Philiſthæos: II. Reg. v. 20. SIC IN VALLE. Heb. כעמק, *Sicut in valle quæ eſt in Gabaon iraſcetur;* id eſt, oſtendet iram ſuam contra Iſraelitas, ſicut olim pugnans pro Ioſue contra Gabaonitas in Gabaon. UT FACIAT OPUS SUUM, id eſt miraculum, quod ab eo ſolo fieri poteſt. ALIENUM OPUS EIUS (ſuum) id eſt inſolitum, rarum. UT OPERETUR OPUS SUUM: PEREGRINUM EST OPUS EIUS. Heb. *opus ſuum peregrinum*, id eſt ſingulare, quale raro ſolet facere. Alii opus alienum vocari putant novum, quod cum ante pro Iſraelitis pugnare conſueverit, tunc ſit contra illos pugnaturus. Alii, quod cum proprium eius ſit miſereri, iraſci ſit ab eo alienum & peregrinum.

V. 22. ET NUNC NOLITE ILLUDERE; id eſt contemnere minas Dei, aut לא לצנו, *ne ſitis impii*, ut Pſal. I. I. NE FORTE CONSTRINGANTUR, id eſt ne gravius puniamini: metaphora ſumpta a feris quæ in laqueum inciderunt, quæ quo magis eximere conantur, arctius ſe ſe conſtringunt. Alii vertunt, פן יחזקו מוסריכם, *ne roborentur caſtigationes veſtræ*, ſenſus eſt idem. CONSUMMATIONEM ENIM ET ABBREVIATIONEM; id eſt, exitium quo aboliturus eſt univerſam terram Iuda, *& abbreviationem*: נחרצת, *definitionem*, id eſt tempus ad eam rem præſcriptum, vel decretum ab eo conſtitutum. Audivi ſpiritu prophetico eadem ſententia ſup. cap. x. 23.

V. 24. NUMQUID TOTA DIE; pro, ſingulis diebus, id eſt ſemper ARABIT: arare terram proſcindere, ſeminare, ſarrire, eſt eam colere & beneficiis afficere; metere autem & triturare eſt terram quodammodo punire, quia ſegetibus tamquam veſtibus diſpoliatur. Senſus ergo eſt: An agricola ſemper terram colit? nonne aliquando metit & triturat? hoc enim per apoſiope-

Digitized by Google

ſim intelligendum eſt. Sic Deus non ſemper benigne tractabit populum ſuum, ſed aliquando puniet.

V. 25. Numquid cum adaequaverit faciem eius (terræ;) id eſt, poſtquam occaverit eam, ſeminabit varia ſemina, ſuo quodque loco ac tempore; quaſi dicat, Neque terram, omne genus ſeminis ſemper tractat agricola eodem modo, ſed pro ſua quodque dignitate. Seret gith, id eſt nigellam Romanam quam vocant Græci *μελάνθιον*. Et ponet triticum per ordinem, id eſt ſuo loco. Heb. שׂוֹרָה, *optimo loco*: vel, ad menſuram, vel princeps, primarium, optimum. Et hordeum, et milium. Heb. וּשְׂעֹרָה נִסְמָן, *& hordeum ſignatum*, id eſt electum ad ſementem. Et viciam in finibus suis (eius, id eſt tritici & hordei.) *Vicia* Hiſpanice nomen *Veſa*, genus leguminis ipſi ſimilis, ſed ſubnigri, quod ſaginandis bobus aptiſſimum eſt. Solent autem agricolæ triticum, hordeum ac meliora ſemina vicina, aut fabis, aut alio vili genere leguminis circumcingere, ne a prætereuntibus animalibus depaſcantur. Atque hoc eſt quod dicit: *Viciam in finibus ſuis*.

V. 26. Et erudiet illum (agricolam) in iudicio. לַמִּשְׁפָּט, *ad iudicium*; id eſt, ut ſciat iudicare quo modo unumquodque ſemen ſeminare, metere, & excutere debeat. Intelligitur. Quanto ergo magis Deus qui illum docuit, ſciet quomodo debeat tractare homines.

V. 27. Non enim in serris. חָרוּץ, *tribula dentata*, qua etiam nunc agricolæ utuntur ad trituram in ea parte Hiſpaniæ quæ Caſtilla dicitur. Neque rota plaustri. Periphraſi deſcribit aliud genus tribulæ quæ rotis trahebatur, ſicut aratra in Gallia. Sed in virga excutietur gith. Significat, quemadmodum agricola non eodem modo omne genus ſeminis excutit; ſed quo quodque melius eſt, eo duriore inſtrumento, frumentum tribula dentata, cyminum baculo, gith virga; ita Deum non eodem modo omnes caſtigaturum, ſed Iudæos ſicut frumentum (qui propter legem meliores eſſe debebant) dentata tribula contriturum, alios levius veluti virga & baculo.

V. 28. Panis autem comminuetur, id eſt triticum unde fit panis. Verum non in perpetuum. Conſolatio eſt poſt comminationem: nam ſicut agricola non diu triturat, ſed quoad grana ſeparet a paleis; ita Deus non ſemper Iudæos caſtigabit, ſed tantiſper dum prædeſtinatos a reprobis ſeparet.

V. 29. Et hoc; id eſt, hæc argricolarum prudentia, ut non ſemper ac ſine modo triturent, a Deo profecta eſt; quanto ergo magis ea ipſe in caſtigandis hominibus utitur, ut ſup. verſ. 26. Aut *hoc*, id eſt moderate ac tempeſtive homines puniat. A Deo exivit, id eſt ab eo decretum eſt. Ut mirabile faceret consilium; id eſt, ut oſtenderet hominibus admirabile conſilium ſuum, & magnam iuſtitiam תּוּשִׁיָּה, *ſapientiam*, decretum, præceptum. Alii, *hoc a Deo profectum eſt, qui admirabili eſt conſilio, & magna ſapientia*.

S A.

Verſ. 1. Coronae superbiae, id eſt regno ſuperbo, ſcilicet Iſrael. Vertice. Heb. & LXX. *capite*, id eſt principio. Errantes a vino, id eſt præ ebrietate. LXX. *ebrii abſque vino*.

V. 2. Dominus. LXX. *furor Domini*. Turbo; pro, ſicut turbo.

V. 3. Pedibus, ſcilicet Aſſyriorum. Ebriorum. Chald. *inſipientis principis*.

V. 4. Temporaneum; id eſt præcoqui fructus. LXX. *præcox ficus*. Maturitatem, ſcilicet aliorum fructuum. Devorabit; ſcilicet ſic Aſſyrii Iſraelem.

V. 5. Dominus. Chald. *Chriſtus Domini*.

V. 6. Spiritus iudicii; id eſt donum bene iudicandi, ſcilicet a Domino dabitur. Chald. *in verbum veritatis*, ſcilicet erit Chriſtus. Sedenti, ſcilicet Iudici, vel Regi. Quidam Ezechiam intelligunt. Ad portam. Chal. *in domum ſuam*. Quidam Ieruſalem intelligunt, Aſſyriis ab Angelo occiſis.

V. 7. Verum, &c. Redit ad eos, de quibus dixit ſupra. Notandum id in Prophetis, quod ſæpe velut interpoſita longa parentheſi, ad ſuperiora redeunt, ita fiunt difficillimi intellectu. Quidam tamen id, ut & proxime dicta, ad duas tribus referunt. Hi, ſcilicet Sacerdos & Propheta; quaſi dicat, Non ſolum populus. Prae

vino,

VINO, id eſt ut ſolent ebrii. VIDENTEM, ſcilicet omnia Deum.

V. 8. LOCUS, ſcilicet vacuus ſordibus, id eſt peccatis.

V. 9. DOCEBIT, ſcilicet Deus. AUDITUM, id eſt diſciplinam, quæ audiendo percipitur. LACTE, id eſt deliciis, ſeu vita imperfecta.

V. 10. QUIA; ſcilicet dicunt iſti non credentes Dei verbis. MANDA, &c. quaſi dicat: Toties promittit, & numquam præſtat, quamdiu expectabimus? MODICUM IBI. LXX. *adhuc parum;* quaſi dicat: Promittit paulo poſt ſe præſtiturum, & numquam præſtat.

V. 11. IN LOQUELA, &c. quaſi dicat: Ita non intelligunt, ac ſi Deus cum illis peregrino ſermone loqueretur, aut labiis male proferentibus.

V. 12. CUI DIXIT, id eſt eum, tamen ei aperte dixerit.

V. 13. ET ERIT, &c. quaſi dicat: Contemnent, & dicent more ſuo, *Manda*, &c. CAPIANTUR, ſcilicet ab hoſtibus, vel diaboli laqueis, vel Dei punitione.

V. 15. FOEDUS; quaſi dicat, Non timemus mortem. MENDACIUM: non ita illi dicunt, ſed ita interpretatur Propheta, ſcilicet fallacem eſſe illorum ſpem.

V. 16. IDCIRCO. Continuativa particula, non cauſativa; quaſi dicat, Attamen. SION, id eſt Eccleſiæ. LAPIDEM, ſcilicet Chriſtum. PROBATUM. LXX. *electum*. ANGULAREM, ſcilicet Iudæos & Gentiles copulantem. FUNDATUM, id eſt poſitum firmiter, ut totum pondus ſuſtineat. NON FESTINET, ſcilicet volens ſtatim exhiberi, ſed expectet patienter. LXX. *non confundetur*.

V. 17. IN PONDERE, id eſt moderatum, ſeu rectum. GRANDO, ſcilicet Evangelii vis, vel Romanus exercitus, vel Dei punitio. MENDACII, id eſt fallacem. PROTECTIONEM, ſcilicet iſtorum mendacem. AQUAS, ſcilicet doctrinæ Evangelicæ, vel milites Romani, vel Dei vindicta. INUNDABUNT, id eſt ſubvertent.

V. 18. INUNDANS, id eſt vehemens, & ſubvertens.

V. 19. MANE, &c. quaſi dicat: Per totum diem & noctem, ſcilicet aſſidue.

V. 20. COANGUSTATUM, &c. quaſi dicat, Redigemini, Deo puniente, in maximas anguſtias.

V. 21. DIVISIONUM. Heb. *perazim*. Alludit autem ad victoriam, de qua II. Reg. v. GABAON. Vide Ioſ. x. OPUS SUUM, id eſt iuſtitiam, ſeu punitionem. ALIENUM, &c. quaſi dicat, Non proprium Dei punire, ſed miſereri, & parcere: illud velut ab eo alienum.

V. 22. CONSTRINGANTUR, &c. quaſi dicat, Durius puniamini. CONSUMMATIONEM, id eſt conſumptionem, ſeu deſtructionem. ABBREVIATIONEM; quaſi dicat, Eamque brevi futuram.

V. 24. NUMQUID TOTA, &c. ſignificat Deum, more agricolæ, omnia facere propter fructum: idque accommodatiſſime, ſcilicet debitis modis, etſi variis, homines tractantem.

V. 25. GITH. Genus eſt ſeminis calidi, & nigri; unde Græce, μελάνθιον, vulgo *Nigella*.

V. 26. IUDICIO, id eſt ſapienter agere.

V. 27. SERRIS, id eſt dentata tribula.

V. 28. PANIS. Chald. *frumentum*, ſcilicet tritici grana. COMMINUETUR, ſcilicet mola. COMMINUET EUM, ſcilicet ſed faciet tandem panem, quem comedat.

V. 29. ET HOC, &c. quaſi dicat: Hunc agendi modum Deus docuit homines, & ipſe ſervat in operibus ſuis mirabili conſilio & iuſtitia. IUSTITIAM. Chald. *ſapientiam*.

ESTII.

Verſ. 16. ECCE EGO MITTAM IN FUNDAMENTIS SION LAPIDEM, LAPIDEM PROBATUM, ANGULAREM, &c. QUI CREDIDERIT NON FESTINET. Citatur hæc Scriptura de Chriſto vero lapide angulari, Matth. XXI. Act. IV. Rom. IX. & I. Petri II. Ceterum quod additur: *Qui crediderit non feſtinet*, Apoſtolus ad Rom. X. ſecundum Septuaginta citat hoc modo: *Omnis qui crediderit in illum*, *non confundetur*. Ubi etſi apud Septuaginta non additur nota univerſalis, ſed tantum effertur indefinite, tamen vim habet univerſalis. Senſus quoque coincidit cum noſtra verſione, ſcilicet: Increduli feſtinare ſolent ex diffidentia promiſſionis, cupientes mox oculis conſpicere, & reipſa experiri, quod promiſſum eſt. At qui firmiter credit, per patientiam expectat bona promiſſa, etiamſi in longum dilata fuerint, nihil dubitans de ve-

veritate promiſſionis. Sic ad Heb. 11. Sancti patres per fidem graviſſima mala pertulerunt, nondum tamen acceptis repromiſſionibus, de quibus nihil dubitarunt. Et II. Petri iii. incredulorum vox eſt: *Ubi eſt promiſſio aut adventus eius?* Sed contra eos armat fideles Petrus per fidem & patientiam. Ideo ergo non feſtinet, quia non confundetur.

MARIANAE.

Verſ. 1. VAE CORONAE, quam Ieroboam arripuit e tribu Ephraim. EBRIIS EPHRAIM, id eſt væ Iſraelitis ebriis & ſine ſenſu. ET FLORI DECIDENTI, id eſt cuius gloria & exultatio marceſcet, non ſecus ac flos deciduus. Ad breve tempus de novo regno ſunt læti. IN VERTICE VALLIS PINGUISSIMAE. Talis erat Samariæ ager, in cuius vertice ſeu capite erat ſita ea urbs. Illa ſuperbiendi occaſio. ERRANTES A VINO. Heb. *percuſſi vino*, id eſt haudquaquam ſui compotes.

V. 2. ECCE VALIDUS ET FORTIS DOMINUS. Heb. *Domini* in genitivo: ſic Hieronymus in Comment. Nimirum Aſſyriorum Rex validus & fortis miniſter Domini. SICUT IMPETUS, aut *ſicut procella* grandinis. TURBO CONFRINGENS: ſupple, Et ſicut turbo. Heb. *turbo exciſionis*, id eſt ſicut turbo, qui evertit & confringit omnia. SICUT IMPETUS, ſeu procella. EMISSARUM SUPER TERRAM SPATIOSAM, ſcilicet aquarum. Heb. *deiiciet terram in manu*, id eſt in fortitudine, quaſi dicat: Turbo & procella ſua vi vaſtabit terram.

V. 3. PEDIBUS CONCULCABITUR, ſcilicet ſic evertet Aſſyrius Iſraelem.

V. 4. QUASI TEMPORANEUM. Hebr. *quaſi ficus præcox*. ANTE MATURITATEM AUTUMNI. Heb. *ante æſtatem*. Quam qui videt, feſtinat ut colligat; & ut habuerit in manu, continuo devorat. Sic continget Iſraeli, cito peribit.

V. 5. IN DIE ILLA: cum decem tribus actæ fuerint in captivitatem, honorabit Deus tribum Iuda.

V. 6. ET SPIRITUS IUDICII SEDENTI SUPER IUDICIUM, id eſt ſedenti ſuper thronum iudicii, id eſt Ezechiæ: *dabit ſpiritum iudicii*, id eſt ſapientiam. Et fortitudinem dabit militibus de bello redeuntibus ad portam, id eſt in urbem.

V. 7. VERUM HI QUOQUE. Invehitur in tribum Iuda, quos ebrios eſſe ait, & præ ebrietate in omnibus errare. ET PRAE EBRIETATE. Heb. *& in ſicera*, pro, præ ſicera. NESCIERUNT VIDENTEM, id eſt neſcierunt Prophetam cui credere deberent. Heb. *erraverunt in viſione*, id eſt prophetia, falſi prophetæ extiterunt. IGNORAVERUNT IUDICIUM, ſcilicet ſacerdotes, quod rectum erat neſciebant. Heb. *offenderunt in iudicio*, id eſt non recte iudicaverunt in litibus.

V. 8. OMNES ENIM MENSAE REPLETAE SUNT VOMITU. Dixerat eſſe ebrios; nunc addit, ebrios eſſe uſque ad vomitum crapulæ. ITA UT NON ESSET ULTRA LOCUS, ſcilicet vomitu & ſordibus liber.

V. 9. QUEM DOCEBIT, ſcilicet Doctor aut Deus. Ebrii doctrinæ non ſunt capaces. Reliquum eſt, ut ſolos infantes docere poſſint. ABLACTATOS A LACTE. In quo puerorum inſtitutio commendatur. Reipub. cum inverſa eſt, ſanandæ ea relinquitur ſpes.

V. 10. QUIA MANDA REMANDA. Heb. *quia præceptum ad præceptum, linea ad lineam;* quaſi dicat: Doctrina ut infantibus non infundenda uno impetu eſt, ſed inſtillanda ſenſim & paulatim; modicum nunc, deinde modicum aliud. Uberioris doctrinæ, neque infantes ob ætatem ſunt capaces, neque maiores propter ebrietatem; id eſt *manda remanda*, id eſt paulatim pueros inſtitue.

V. 11. IN LOQUELA ENIM LABII, id eſt ut pueris loquetur labiis, non ſatis formatis vocibus. Heb. *quia in blæſitatibus labii*, id eſt balbutiendo loquetur, ſic loquimur infantibus. ET LINGUA ALTERA; pro, & quaſi lingua altera. Multæ enim finguntur voces, cum pueris loquimur.

V. 12. CUI DIXIT, ſcilicet Propheta, aut Deus. HAEC EST REQUIES MEA, id eſt hoc me placabitis. Heb. non eſt *mea*, ſed ſolum *hæc eſt requies*, *hoc refrigerium*, ſcilicet vobis bene erit, ſi feceritis hoc quod mando, ut laſſum reficiatis illi benefaciendo; quaſi dicat, Hoc modicum quaſi pueris præcepi.

V. 13. ET ERIT EIS VERBUM DOMINI: MANDA. Doctrina Dei quaſi infantibus guttatim inſtillabitur. Quod cum nec ſic obe-

Digitized by Google

obediant, fiet UT VADANT, ET CADANT RETRORSUM, & quæ ſequuntur omnia.

V. 14. QUI DOMINAMINI SUPER POPULUM MEUM, id eſt eſtis proceres, aut tyrannide populum opprimitis. Audite. Dixiſtis enim:

V. 15. PERCUSSIMUS FOEDUS; quaſi dicat: Quid Prophetæ mortem minamini? eam contemnimus, eam amicam habemus fœdere cum ea facto. ET CUM INFERNO, aut *cum ſepulcro*. FECIMUS PACTUM. Heb. *fecimus viſionem*. Sed *viſio* pro *pacto* ſumitur: ſic Pagn. aut pro *pace*, ut Chald. FLAGELLUM.... NON VENIET: ea quæ minaris, excidium non veniet ſuper nos. MENDACIUM, quod tu mendacium putas, ſcilicet idola, in iis ſperamus. MENDACIO PROTECTI SUMUS. Heb. *occultati ſumus*, ne ſcilicet flagellum nos inveniat. Hoc homines faciunt & dicunt. Quid Deus?

V. 16. IDCIRCO. Non eſt cauſalis, ſed pro attamen ponitur. ECCE EGO MITTAM: offenſus quamvis, maiora conferam. LAPIDEM PROBATUM. Sept. *pretioſum*. Hebræi vocem *bohan* putant ſignificare *munitionis*, *turris*. Sed & *probatum* poteſt ſignificare a radice *bahan*, quod eſt *probare*, præſertim ſi mutatis punctis legamus *buhan*. ANGULAREM, id eſt fortem, quo uterque paries nectitur. QUI CREDIDERIT, NON FESTINET, non enim videbit, quia non brevi id fiet. Non ergo de Ezechia hoc intelligitur, qui iam regnabat, ſed de Chriſto, in quo Rabbini falluntur. Gotth. *qui crediderit in eum, non confundetur*. Sic Sept. pro יחיש *iahis*, *feſtinet*, legerunt יבש *iabis*, *pudefiet*. Sic Paulus citat ad Rom. IX. 33.

V. 17. ET PONAM IN PONDERE, id eſt faciam, ut in iudiciis iuſtitia dominetur, non fraus, aut pecunia. SUBVERTET GRANDO SPEM, tempeſtas, flagellum. SPEM MENDACII. Dixerat poſuiſſe mendacium ſpem ſuam. ET PROTECTIONEM. Heb. *latebram*. Dixerant, *Mendacio protecti ſumus*, aut abſconditi ſumus. AQUAE INUNDABUNT; pro, aquæ inundantes ſubvertent, id eſt hoſtes ſubvertent idola.

V. 19. MANE DILUCULO, id eſt improviſo. Heb. *in mane & in mane*. *Mane*, pro, die, id eſt omnibus diebus pertranſibit flagellum. IN DIE ET IN NOCTE, id eſt non diebus ſolum, ſed noctibus malum vigebit. SOLA VEXATIO DABIT INTELLECTUM. Malo coacti ſapitis, non aliter. AUDITUI, id eſt etiam audita iis qui audierint, non ſolum iis qui patientur, dabit intellectum. Heb. *tremor intelligere auditionem*, id eſt qui audierint, ad quos fama pervenerit, ii trement.

V. 20. COANGUSTATUM EST ENIM. Duo Reges in modica Provincia eſſe non poſſunt, ideo Babylonii adventu regnum Iuda ab eo occupabitur. ITA UT ALTER DECIDAT. Heb. *ab extendendo ſe*; quaſi dicat: Vix poteſt, qui in eo ſtrato iacet, pedes extendere. ET PALLIUM BREVE. Heb. *operimentum* (ſcilicet quo lectus tegitur) *anguſtum*. UTRUMQUE OPERIRE NON POTEST. Heb. *a colligendo ſe*, ſcilicet ut ſub eo quis ſe componat. Quod ſi unum non capit, multo minus plures. Ea bellorum cauſa.

V. 21. SICUT ENIM IN MONTE DIVISIONUM. Is eſt *Baal paraſim*: II. Reg. V. 20. ubi David vicit Philiſthæos. SICUT IN VALLE, QUAE EST IN GABAON, IRASCETUR: ibi Ioſue cecidit Amorrhæos: Ioſue X. 10. Ergo adinſtar earum cladium Deus puniet vos. ALIENUM OPUS EIUS. Invitus punit, qui ſua natura benignus eſt. UT OPERETUR. Repetitio. PEREGRINUM, id eſt opus puniendi illi eſt alienum, inſolitum.

V. 22. VINCULA VESTRA, id eſt ſupplicia maiora fiant, ſi illuditis & ridetis quæ dico. ET ABBREVIATIONEM, id eſt brevi & cito futuram conſummationem (id eſt excidium) Deus mihi dixit. Quidam vertunt, *conſummationem deciſam & definitam audivi*.

V. 24. NUMQUID TOTA DIE, id eſt ſemper, omnibus diebus arator arat; quaſi dicat, Non ſemper arat. Sed poſtquam terram aravit, committit illi varia ſemina ordine & prudenter.

V. 25. GITH: nigella, lolium, quo ruſtici pro pipere utuntur. ET MILIUM, ET VICIAM. Hebraice ſolum pro his duobus ponitur כסמת *chuſemeth*, id eſt *far*, aut *ſpelta*.

V. 26. ET ERUDIET ILLUM: docebit quid facere debeat. IN IUDICIO. Heb. *ad iudicium*, id eſt ut recte faciat, Deus illum agricolam docebit. Omnes artes a Deo ſunt, etiam agricultura.

V. 27. NON ENIM IN SERRIS, tribulis aut

Digitized by Google

ant trahis; quaſi dicat: Cum meſſes maturæ ſunt, non eodem modo ſegetes omnes triturat, ſed alia legumina virga decutit.

V. 28. PANIS AUTEM, id eſt triticum tribula terit & hordeum. Ex utroque enim panis fit, & ideo *panis* dixit, ut utrumque comprehenderet. Hordeaceus panis in illis regionibus frequens eſt. NON IN PERPETUUM: ut non ſemper arat, ſic nec ſemper triturat, ſed ſuis temporibus, & unumquodque ut oportet. Sic Deus nec ſemper beneficia confert, nec ſemper punit, ſed ſuo tempore, & cum ratione.

V. 29. ET HOC A DOMINO DEO, id eſt hoc etiam, triturandi rationem Deus docuit. MAGNIFICARET IUSTITIAM, ſcilicet docendo omnes. Heb. *eſſentiam*, ſeu *ſapientiam ſuam voluit in hoc etiam magnificare*, id eſt magnam oſtendere. Chald. *ſapientiam*. Quid ſit תושיה *thuſiah* hic poſita, dictum eſt alio loco, Proverb. II. 7.

MALVENDAE.

Verſ. 1. VAE CORONAE SUPERBIAE, &c. Fere conſentiunt Explanatores, huius capitis duas eſſe præcipuas partes, unam de regno Iiſraelitarum, quod in exemplum Iudæis proponitur, primis quatuor verſibus: alteram, de regno Iudæorum, a verſ. 5. ad finem uſque. Tractatur autem prior hæc pars per ſimilitudines elegantiſſimas, & comparationem ſingulorum iudiciorum Dei cum peccatis Iiſraelitarum, quæ proleptice expoſita ſunt hoc verſu. CORONAE SUPERBIAE. Alii: *coronæ faſtus*, id eſt ſuperbiſſimo & faſtuoſiſſimo regno Iiſraelitarum: nam corona inſigne regni & regum eſt. EBRIIS: vel *ebrioſi*; alii, *ebrioſorum & temulentorum Ephraimi*; id eſt, regno vino & deliciis dedito: ſynecdochice; vel faſtu & ſuperbia ebrio: *Ephraimi*, id eſt Iſraelitarum, ut ſupra cap. VII. 2. ET FLORI DECIDENTI, GLORIAE EXULTATIONIS EIUS. Varie ex Heb. I. *& flori decidenti, gloriæ decoris eius*. II. *& flori marceſcenti, iucunditati decoris eius*. III. inverſo dictionum ordine: *cuius gloria decoris eſt veluti flos deciduus*. Gloriam decoris vocat gloriam inclytam & decoram: ſuperbiebant enim propter opes, quas ceu fluxas comparat flori deciduo & langueſcenti. IV. *cuius eximia gloria eſt veluti flos marceſcens*. V. *Et deciduo flori gloriæ decoris eius*. VI. *cuius ornatus decor eſt velut flos caducæ plantæ*; id eſt, qui momento defluxuri ſunt, ut flos marceſcentis herbæ: nam ſtatim hoc regnum labefactatum eſt per Schalman-Eſerem, anno ſexto Chizkiiæ II. Reg. XVIII. 10. Sic infra verſ. 4. QUI ERANT IN VERTICE VALLIS PINGUISSIMAE, ERRANTES A VINO. Alii ex Heb. I. *quæ* gloria eſt *ſuper verticem vallis pinguium*, ſeu *pinguedinum, qui ſunt concuſſi vino*. II. *quæ eſt ſuper caput vallis pinguium, oppreſſorum a vino*. III. *qui flos eſt iuxta caput vallis pinguedinum: qui conquaſſantur a vino*, vel *conquaſſatorum vino*. IV. *ſuper quorum capita eſt veluti vallis*, ſeu *amnis unguentorum, & ſunt percuſſi vino*. Valles vocantur amnes, quod valles ſoleant abundare fluminibus & amnibus; quaſi dicat, Qui in conviviis ſuis perfunduntur multo unguento: ſive, in quorum capita defluit ut amnis unguentorum copia. Notant, Prophetam vocare eos vallem oleorum, ſeu pinguedinum, quod madentes unguentis, iugiter vino oppreſſi, in terra iacerent, vomentes, & omnia loca ſuis immunditiis inquinantes. V. *quæ eſt ſuper caput vallis opimæ, percuſſorum vino*. VI. *eis, qui ſunt in capite vallis pinguiſſimæ*; ſeu *eis, qui præſunt valli pinguiſſimæ*; id eſt principibus opulentiſſimi regni, ac proinde luxu propter ſummas opes diffluentis. VIII. *Valli propinquiſſimæ*, id eſt agro Iiſraelitarum, qui tamquam vallis ſubiacet Libano, eſtque uberrimus: ut oſtendunt Iahakob & Moſch, Geneſ. XLIX. & Deuteron. XXXIII. *obtuſis vino*. Nonnulli, *vallem pinguiſſimam* ſingulariter accipiunt Vallem Iezrehel, de qua Ioſue XVII. 11. & Iudith. I. 8. Nos voces ipſas Hebraicas retinuimus גי־שמנים *ghe-ſcemanim*, quod eſſet nomen proprium vallis cuiuſdam inter urbem Ieruſalaim, & montem olivarum prope urbem, quæ Matthæi XXVI. 36. luxata voce dicitur *Geth-ſemani*, ſic dicta ob oleum & pinguedinem proximi montis: a qua ut re notiſſima & proxima, ob pinguedinem & fertilitatem videtur Iſaias Samariam ſeu regnum Iſraeliticum denominaſſe, eique comparaſſe. Vide Mercerum, & Bertramum in Theſauro Pagnini, colum. 391. Marinum in Arca Noe, & Lib. XI. Noſtrum de Antichriſto cap. VIII. ſic infra verſ. 4.

V. 2. Ecce validus et fortis Dominus, &c. Varie alii hunc verſum ex Heb. transfundunt: I. *Ecce* dies, vel exercitus, *validus & fortis Domino*, id eſt quem miſſurus eſt Dominus, *tamquam inundatio grandinis*, *& turbo exciſionis*, vel *exitii*, ſeu *turbo excidens*, *velut inundatio aquarum fortium inundantium*, quæ *deiicit in terram in manu*, id eſt valide ac fortiter. II. *Ecce pertinax & vehemens a Domino velut imber grandinis*, *horror evulſionis: ſicut imber aquarum copioſarum inundantium*, *qui deiicit in terram cum manu;* id eſt, vi ac prævalida violentia. Hæc autem omnia aiunt ſignificare hoſtium adventum, qui regnum Iſraeliticum devaſtaturi erant. III. *Ecce fortis & robuſtus*, exercitus *Domini*, *veluti nimbus*, ſeu *procella grandinis*, *& turbo confringens*; *veluti nimbus aquarum validarum inundantum*, *valide in terram ſe demittet*, vel *qui deturbat valide in terram* omnia, in quæ incurrit. IV. *Ecce*: ſingularis explicatio maledictionis, a perſona Aſſyrii, quem Deus erat in Iſraelitas immiſſurus, a malorum gravitate, quæ erant perpeſſuri: *robuſtus & fortis Domino*, nimirum Schalman-Eſer Aſſyrius cum copiis, adminiſter iudiciorum Dei contra Iſraelitas: *ſimilis inundationi grandinis*, *turbini exitiali*, *ſimilis inundationi aquarum validarum exundantium*, *deiiciet in terram manu*, videlicet una; quaſi dicat, Nullo negotio: nam regnum totum intra triennium occupatum eſt. Validus. חזק *chazak*, *intenſus*, *obtentus*, *firmus*, *pertinax*, *vehemens*, *impetuoſus*, *valens*, *validus*, *robuſtus*. Fortis. אמץ *ammitz*, *ſurrectus*, *erectus*, *ſtrenuus*, *obfirmatus*, *fortis*. Dominus. Heb. in dativo: *ipſi Domino*; id eſt, vel a Domino, vel Domino miniſtrans. Sicut impetus. זרם *zerem*, *fluxus aquarum ſubitaneus*, *& repentinus ac impetuoſus*, *imber*, *nimbus rapidus*, *fluctuatio & inundatio præceps*, *quæ ex abrupto fit*, *cataracta:* vide ſupra cap. iv. 6. ſic ſtatim. Turbo. שער *ſaghar*, cum *ſcin* ſiniſtro, proprie: *formido*, *horror*, *horripilatio*. Plerique tamen *Schin* ſemel poſitum pro *Samech* volunt, ut paſſim fit; id eſt, *horribilis tempeſtas*, *procella*, *turbo*. Confringens. קטב *keteb*, *avulſio*, *convulſio*, *ſucciſio*, *excidium*, *exitium:* vide in Deuteron. xxxii. 24. Poteſt autem hic reddi ſyntactice, *turbo avulſionis*, ſeu *exitii*, hoc eſt exitialis: vel ſine ſyntaxi, *horribilis tempeſtas*, *avulſio*, *excidium*. Multarum. כבירים *cbabbirim*, *multiplicium*, *copioſarum*, *validarum*, *vehementium*, *denſarum*: vide in Iob. viii. 2. Emissarum. הניח *hinniach*, *depoſuit*, *demiſit*, *deiecit*, *pauſare fecit*, *ſtatuit*, *collocavit*. Super terram spatiosam. Heb. in dativo, *terræ*, vel *ad terram in manu*. Noſter intellexit, in ſpatio, extenſione, id eſt ſuper terram ſpatioſam, ut ſupra cap. xxii. 18. alii, id eſt cum potentia, valide, fortiter: vel una manu, id eſt facile, nullo negotio.

V. 4. Et erit flos decidens gloriae exultationis eius, &c. Alii hunc verſum ita ex Heb. transferunt: I. *Eritque flos decidens*, vel *deciduus gloria decoris eius*, *quæ eſt ſuper verticem vallis pinguium*, *ſicut præcox ficus*, *quæ venit ante fructus æſtatis: quam cum viderit videns*, *dum adhuc fuerit in manu eius deglutiet eam*. II. *Et erit flos marcidus*, *iucunditas decoris eius*, *qui eſt iuxta caput vallis pinguedinum; ſicut primitivum ante æſtatem*, *quod videbit videns*, *dum adhuc ipſum in vola ſua deglutiet illud*. III. *Erit autem velut flos deciduus gloria decoris eius*, *& ſuper quorum caput eſt vallis*, ſeu *amnis unguentorum*, *erunt ut ficus præcox ante æſtatem; quam ubi quis viderit*, *& cum adhuc fuerit in manu eius*, *abſumet eam;* id eſt, gloria inclyta regni Iſrael, erit ſicut flos, qui facile marceſcit & decidit: utque ſtudioſi & avidi præcocium fructuum, illos decerptos ſub ipſa arbore ſtatim devorant; ſic venient hoſtes, qui Iſraelitas madentes unguento, & diffluentes deliciis ſtatim auferant, & abſumant. IV. *Uſque veniet deciduo flori decoris gloriæ eius*, *quæ eſt in capite vallis opimæ*, *quod præcoci fructui*, *antequam autumnus adeſt*, *quem ſimul atque vidit aliquis*, *dum adhuc in manu eius eſt*, *eum devorat*. V. *Tum erit velut turba florum caducæ plantæ decor ornatus illius quiſquis præeſt valli pinguiſſimæ; ut fructus præcox*, *cum nondum eſt æſtas*, *quem ubi videt quiſpiam*, *dum adhuc eſt in manu ſua*, *deglutit;* id eſt, velociſſime decerpetur, & avidiſſime conſumetur, ut ſequentia verba explicant; nam una expeditione regnum Iſraelitarum deletum eſt: non autem ſæpius reſtitutum, ut regno Iehudæorum fecerunt Babylonii. Prius hemiſtychium iam ſupra habes verſ. 1. Temporaneum. בכורה *biccurah*, ſingulare

Digitized by Google

lare femineum, *primogenita*, *primitiva*, *præcox ficus*, aut *fructus*: nec dubitaverim inde ſactum Valentinum noſtrum nomen, quo præcoquas ficus, ſeu groſſos, *bacoras* vocamus.

V. 5. In die illa erit Dominus, &c. vel tempore illo erit Ihuh, &c. Secundus locus prophetiæ de regno Iehudæ, ut diximus in verſ. 1. Notant autem huius prophetiæ eſſe partes quatuor; prima eſt, promiſſio ſalutis in Iudæa permanſuræ, cum profligabitur Iſrael, duobus verſibus: ſecunda, querela de peccatis Iudæorum, & conteſtatio, inde a verſu 3. ad 14. tertia, denuntiatio iudiciorum Dei in futurum, uſque ad verſum 22. poſtrema, concluſio a doctrina & uſu ſuperiorum omnium, ad finem uſque. Tempus autem illud intelligit, quo fuerunt Iſraelitæ profligati, & Iudæi ſervati incolumes. Corona gloriae, et sertum exultationis residuo populi sui. Alii: I. *ad coronam decoris, & diadema gloriæ reliquiis populi ſui*. II. *pro corona decoris, & pro diademate*, ſeu *cidari*, *ornatus*, *reliquo populo ſuo*; id eſt, erit gloria, decus, & ornamentum Iudæorum. *Reſiduum populi ſui* vocat reliquas duas tribus Iehudæ, & Biniaminis. III. Forſterus: *in coronam iucunditatis, & in maturationem*, ſeu *manicationem*, ſive *in folliculum*, *decoris reliquiis populi ſui*. צפירה *tzephirah*, inquit, proprie maturatio, vel manicatio, a verbo צפר *tzaphar*, *mane exortum eſt*, *manicavit*, *mane excitatum eſt*, *maturavit*, Iudic. vii. 3. & hoc nomine appellant Hebræi folliculum, qui mane, id eſt ſtatim protruditur. Sed nihil tale apud Hebræos reperio, inquit Mercerus. Verum Forſterus non de Hebræorum doctoribus, ſed de ipſis ſacris Scripturis intelligit. Doctores autem Hebræorum *tzephirah*, *gyrum*, *circuitum*, *ambitum*, inde *cidarim*, ſeu *diadema*, quod caput cingat & circumvolvat, interpretantur. Nonnulli tamen, *cauſam*, ſeu *ſententiam matutinam* ſeu *maturam* exponunt, quod circumvolvatur. Expoſitio Forſteri eo aptior videtur, quod flori deciduo Ephraimi verſ. 1. & 4. opponat maturationem ſeu folliculum vividum, ac vegetum Iehudæ.

V. 6. Et spiritus iudicii, &c. Alii hunc verſum ex Heb. reddunt: I. *Et in ſpiritum iudicii ſedenti ſuper thronum iudicii, & in robur reducentibus*, ſeu *vertentibus prælium uſque ad portam*, id eſt propulſantibus; quaſi dicat: Dabit virtutem ac robur his, qui vertent in fugam hoſtes ſuos, fugabuntque eos uſque ad portas urbium illorum, in quas illi ſe recipere conabnntur. II. *& in ſpiritum iudicii ſedenti ſuper tribunal, & in fortitudinem reducentibus bellum ad portam*; id eſt, faciet ut domi, ac militiæ, pace belloque bene ſit Iehudæis: in pace enim exercentur iudicia. Illud, *reducentibus bellum ad portam*, biſariam accipiunt: vel quod Deus ſit robur ac præſidium, prælium reparantibus ac revocantibus, ſeu redintegrantibus uſque ad ipſas inimicorum portas; id eſt, ut numquam ſatientur hoſtium cæde, nec deſiſtant eos inſequi quouſque eos intra ſuas urbes compellant: vel ſit periphraſis ſtationariorum ſeu præſidiariorum militum, qui in propugnaculis portarum urbium ſemper ſtationem habebant ad arcendos hoſtes, & ſuos e prælio revertentes excipiendos. III. *& in ſpiritum iudicii ſedenti ſuper tribunal, & in robur avertentibus prælium a porta*, ſive *transferentibus bellum ad portam*; id eſt, Dabit Deus ipſi Ezechiæ gratiam, ut æquiſſime iudicet: & robur iis, qui verterint hoſtes ſuos in fugam, & perſecuti eos fuerint uſque ad portas urbium ſuarum. IV. *& pro ſpiritu iudicii*; id eſt, auctor erit, effectorque iudiciorum, quæ in Iudæa pacis ac belli tempore fuerint opus: *ei, qui præſidebit iudicio*, id eſt regi, & omnibus militiam forenſem exercentibus: *& viris potentiæ*, ſeu *& potentibus regerentibus bellum in portam*; id eſt, ducibus militibuſque hoſtem non tantum propulſantibus, ſed etiam invadentibus terminos illius: ut II. Reg. xviii. 8.

V. 7. Verum hi quoque, &c. Hunc verſum alii ex Heb. reſundunt: I. *& iſti quoque propter vinum erraverunt, & propter ſechar erraverunt in viſione, impegerunt in iudicio*. II. *Et etiam illi*, id eſt tribules Iehudæ & Biniaminis, *in vino perplexi ſunt*, vel *allucinati ſunt*, *& in ſicera aberrarunt; ſacerdos & propheta perplexi ſunt ob ſiceram: obruti vino, errant ob ſiceram, perplexi ſunt in videndo; vacillant in decernendo*, vel *allucinati ſunt in viſione*, *erraverunt in recto iudicio*; id eſt, neque recte interpretati ſunt Scripturas, neque recte iudicaverunt. De falſis prophetis loquitur. III. *Verumtamen etiam iſti vino errant*, &c.

ſe-

ſecunda pars iſtius prophetiæ, ut diximus in verſ. 5. continens primum querimoniam de indignitate Iudæorum, verſ. 7. & 8. deinde conteſtationem uſque ad verſ. 14. *præſes ac propheta errant potu inebriante: præſidem* reddunt ut Geneſ. XLI. 45. nam interpretationem hanc alteri, quæ exponit *ſacerdotem*, præferunt, propter finem verſus, quem huc pertinere non dubitant: *abſorbentur a vino, oberrant præ potu inebriante, errant in functione videntis*, id eſt prophetæ, *titubant in iudicatione, abſorpti ſunt a vino*. Poteſt reddi: *deglutiti ſunt, devorati ſunt, præcipitati ſunt a vino*. IGNORAVERUNT IUDICIUM. Varie ex Heb. convertunt: I. Kimchius, Sanctes, Marinus, Montanus, Schindlerus: *impegerunt, offenderunt, corruerunt in iudicio*. Hiſpanicus Interpres: *tropeçaron en el ivicio*. II. Vatablus: *erraverunt in recto iudicio*. III. Leo Iudas, & Schindlerus, *nutant, vacillant in decernendo*. IV. Buxtorfius, Tremellius & Iunius: *titubant in iudicatione*. Forſterus, Avenarius, & Forerius: *eructaverunt iudicium*; id eſt, inter vomitus & ructus vini, proferebant iudicium: vel tam turpiter & inconſiderate iudicium ferebant, quam ebrius vinum ructat & evomit, aut inter pocula & ebrietates de rebus maximis decernebant. Perſtat in metaphora, ſeu veritate ebrietatis, quam cœperat. V. Mercerus: *dimoti ſunt a iudicio*, ſeu *impegerunt in iudicio*. VI. Aben-Ezra tranſitive: *iudices diſſolverunt, dimoverunt*, vel *mutare fecerunt iudicium*. Nos apte: *luxarunt iudicium*; id eſt, rectitudinem, integritatem, compagem, ſoliditatem iudicii diſſolverunt, diſtorſerunt, & ſuo loco moverunt: ut membra luxari dicuntur.

V. 8. ITA UT NON ESSET ULTRA LOCUS. Alii: I. *abſque loco*, vel *in non loco*; id eſt, ut iam nullus ſit locus ſedendi aut conſiſtendi in eorum tricliniis, præ exundantibus ſtercoribus. II. *non ſupereſt locus*, videlicet vacuus & purus a ſordibus & immunditie ipſorum.

V. 9. QUEM DOCEBIT SCIENTIAM, &c. Alii ex Heb. I. *Quem igitur poſt hac docebit ſcientiam?* id eſt, quem deinceps doctor quiſpiam docebit ſcientiam Dei? *& quem faciet intelligere auſcultationem?* id eſt prophetiam; quaſi dicat, Quem poterit docere ea, quæ ſpiritu edocente audivit a Deo? *ablactatos nimirum & ab uberibus avulſos*; vel *ſimiles ſunt ablactatis a lacte, avulſis ab uberibus*; id eſt, ſunt ſimiles pueris imperitia. II. *Quem doceret ſcientiam, & cui proponeret intelligendum documentum? depulſis a lacte, avulſis ab uberibus?* Conteſtatio contra Iehudæos per occupationem: Dicetis fortaſſe (inquit Propheta) vos non ita abſorberi a vino, & in peccatis ſepultos eſſe, quin adhuc poſſitis percipere ſpiritum iudicii a Domino, immo vos ſpiritum illum obtinere; ſed fruſtra illud obtenditis: nam primum non magis valetis ſenſu ad percipienda documenta iudiciorum Dei quam puerull, ſeu infantes eſtis, hoc verſu; deinde vero non eſtis infantes malitia, ſed ſcurræ, deriſores & contemptores Dei, verſ. 14.

V. 10. QUIA MANDA REMANDA. צו לצו *tzau, latzau*. Noſter utrumque pro imperativo accepit: alii prius imperativum, poſterius infinitivum faciunt, *manda mandando*: ſic in ſequenti קו לקו *Kau lakau, expecta expectando*. Plerique tamen omnia nomina eſſe volunt; unde reddunt: I. *Mandatum ad mandatum, mandatum ad mandatum: linea ad lineam*, &c. II. *Nam ut pueris datur eis mandatum poſt mandatum, mandatum poſt mandatum; linea poſt lineam, linea poſt lineam*, &c. quaſi dicat: Adeo rudes, & tardi, ac ſtupidi ſunt, ut ſint docendi ſicut pueri paulatim & ſenſim, multa illis ſimul tradenda aut inculcanda uno impetu non ſunt, ſed ſigillatim unum præceptum nunc, deinde aliud, unam libri lineam ſeu verſum prius, poſtea aliam: *parum ibi, parum ibi*; id eſt, paululum nunc ex una parte libri, cras iterum paululum ex altera parte libri, ut ſenſim & pedetentim, quo capere poſſint, eis tamquam pueris ediſcenda inſtillentur. Quidam exiſtimant proverbialem fuiſſe locutionem, eo tempore uſurpatam, ut nunc dicimus de pueris & imperitis, *No ſabe, o aprende el A, B, C*, ſive *el Be a Ba*, qua ſignificabant aliquem neſcire, vel ut puerum ediſcere prima litterarum rudimenta: *tzau latzau, kau lakau*, &c. quæ frequens tunc fuerit in ore puerorum, ut nunc Hiſpanice pueri paſſim loquuntur, *paſſa el A, B, C, o el Be a Ba, o la cartilla*. III. *Quia præcipe ad præceptum, præcipe ad præceptum: expecta ad expectationem, expecta ad expectationem, puſillum hic, puſillum iſtic*.

iſtic. Carpit Iudæos, quod cum ſannis exciperent verbum Dei per prophetas denuntiatum, & mimeſi quodam cum contemptu & irriſione voces eorum imitarentur, quibus illi denuntiabant populo Deum illa & illa præcipere, expectandas eſſe minas Dei, quæ cito & intra breviſſimum tempus caſuræ eſſent in populum. IV. *Cum præceptum præcepto, præceptum præcepto; delineatio delineationi, delineatio delineationi; pauculum hic, pauculum illic fuerit additum*. Ergaſia proxime præcedentis criminationis in Iudæos de infantia & inſcientia illorum, quatuor verſibus; ſic enim argumentatur Propheta: Neque puerilia rudimenta domeſticorum, & minutiſſimæ accuratiſſimæque præceptiones, & inſtitutiones a Deo propoſitæ; neque extraneorum durities profuit ad vos informandos, neque paternum imperium, tribus verſibus: ſed his omnibus tamquam inſipientiſſimi pueruli abuſi eſtis in perniciem veſtram verſ. 13. ecquis veſtrum ergo eſt, quem doceat Deus? *Præceptum præcepto*, &c. Alludit Propheta ad viam illam facilem, qua informantur pueri, quibus præceptiones ſubinde dantur, & inculcantur, & manus ad ſcriptionem ducitur, denique documenta ſingularum rerum ſingulis prope momentis quam faciliime fieri poteſt traduntur eis: quod officium per prophetas erga populum Iudæorum a Deo factum eſſe conſtat, ut II. Paralipom. XXXVI. 12. EXPECTA REEXPECTA. קו לקו *kau lakau*, omnia iſta complectuntur: I. *expectatio, expectationi*, ſeu *ad expectationem*. II. *regula, regulæ*. III. *filum filo*. Hiſpanice, *hilo a hilo, perfiladamante*. IV. *norma normæ*. V. *linea lineæ*. Hiſpanicus Interpres: *reglon tras reglon*. VI. *ædificium* ſeu *ſtructura, poſt ædificium*: quia præceptum inſtar ædificii eſt, recte inſtituto congruit delineationis, ſeu lineæ ſignificatus.

V. 11. IN LOQUELA ENIM LABII, &c. Varie alii ex Heb. I. *Quia balbutientibus labiis*. II. *Quia in balbutiis labii*, id eſt blæſo ſeu balbutiente ſermone. III. *Quoniam blæſitatibus labii*, id eſt blæſis & balbutientibus labiis; ac ſi dicat: Similes, inquam, erunt pueris rudibus; nam verus propheta, qui eos docebit, videbitur illis loqui lingua blæſa, & balbutiente; adeo alienus e ſacris erit ipſe populus propter ebrioſitatem ſacerdotum ac prophetarum eius. IV. *Cum ridiculis labiis*, id eſt peregrinis, quia vulgo peregrinus ſermo non intellectus, ludibrio eſt: vel *cum peregrino ſermone, & lingua exotica allocutus ſit populum iſtum Iehova*; quaſi dicat, Cum Deus pueros facilibus & obviis domeſticorum ſuorum documentis non credentes, per extraneos in Iudæam introductos exercuerit & caſtigaverit: quod ſæpius factum fuiſſe commonſtrant ſacræ hiſtoriæ. Secundum ad infidelitatem Iudæorum evincendam argumentum, ut loquitur Paulus I. Corinth. XIV. 21. V. Forſterus: לעג *laghagh, ſanna, ſubſannatio, ironia, obliqua locutio, ſarcaſmus: & in plurali ſtatu regiminis Iſaiæ* XXVIII. 11. *paſſive uſurpatur: ſed per ſubſannationes labii, & linguam aliam loquetur ad populum iſtum, id eſt per balbutiones labii, quos alii ſubſannabunt. Loquitur de ſtulta prædicatione Evangelii, quam ſapientes huius ſæculi ſubſannabunt*. I. Corinth. I. Quod nimirum ſint ſubſannandi prædicantes Evangelium, tamquam ſtulti forent, & balbutirent apud ſapientes huius ſæculi. Forerius hæc annotat: *Paſſive hoc loco pro ſubſannationibus labii, id eſt balbutientibus labiis, quod vitium ſubſannationi ſubiectum eſt, accipitur: pro quo Apoſtolus ſenſum conſiderans, & verba tranſponens, dixit*. Labiis aliis, *ut pro eodem acceperit balbutiones labii, & linguam alteram: ut non hic linguam peregrinam, ſed immutatam prolationem, qualis ſolet eſſe eorum qui cum balbutientibus volunt balbutire, accipiamus: quemadmodum dicebat Paulus ad quoſdam, qui ad infantiam redierant, Galat.* IV. 19. *&* 20. Filioli mei quos iterum parturio, donec formetur Chriſtus in vobis. Vellem autem eſſe apud vos, & mutare vocem meam. Nec inepta nec incurioſa obſervatio.

V. 12. CUI DIXIT: HAEC EST REQUIES MEA. Alii: I. *Ad quos dixit* verus Propheta: *Hæc requies eſt*, nimirum qua poteſtis refocillare lapſum &c. ut ſequitur. II. *Qui locutus ad eos fuerat*, nempe ſacerdotibus & prophetis falſis verus propheta dixerat: *Hæc requies*, ſubaudi, erit vobis; id eſt, bene vobis continget, & non deportabimini. III. *Cum dixerit eis, Hæc eſt ipſa requies*. Tertium argumentum ad evincendam infidelitatem; quaſi dicat, Cum Iudæi ab extraneis vexati atque agitati audiverint Deum ſibi redintegrantem promiſſiones ſuas, niſi

per

Digitized by Google

per ipſos ſtaret quominus eas obtinerent: ut II. Reg. xxi. 8. & 9. REFICITE LASSUM. Alii I. *quietem tribuite laſſo;* id eſt, ſiquidem laſſi eſtis, & cruciatibus magnis fatigati, videte ut quietem hanc obtineatis ſervando præcepta mea. II. *requiem præſtate laſſo;* quaſi dicat: Vos o ſacerdotes, & pſeudoprophetæ ſinite in pace populum, & date requiem populo huic feſſo & defatigato, iam multa perpeſſo propter ignorantiam Dei & peccata ſua, quod mendaciis veſtris crediderit, deſinite fallere ipſum: ſi veram doctrinam ipſum docueritis, deſinet affligi, & quietem conſequetur. ET HOC EST REFRIGERIUM MEUM, &c. Quidam: *& hæc eſt reſpiratio; & noluerint auſcultare*. ET NOLUERUNT. Heb. *& non amaverunt*, אבוא *abu*, ſcribitur cum *Aleph* paragogico ſeu redundante: fortaſſe ad indicandum præfractum & obſtinatum animum eorum, qui nullo modò documentis divinis obtemperare voluerint; quaſi dicat, Non utcumque, ſed pervicaci obſtinatione renuerunt.

V. 13. ET ERIT EIS VERBUM DOMINI: MANDA REMANDA, &c. Quidam hunc verſum exponunt: *Sed fuerit eis verbum Iehovæ: Præceptum præcepto, delineatio delineationi, pauculum hic, pauculum illic; ut pergerent, & corruentes retrorſum confringerentur, & irretiti caperentur. Idcirco audite verbum Iehovæ viri irriſores*, &c. ut ſententia cadat in ſequentem verſum, id eſt, ac potius omnia illa documenta Dei, (de quibus ſupra verſ. 10. quæ hic ſynecdochice intelligenda ſunt) Iudæorum improbitate in ruinam ipſorum converſa ſint: ut infidelibus Evangelium, & omnia quæ Deus exhibet per ſe ſalutaria, odor eis ſunt mortis ad mortem per ipſorum vitium, II. Corinth. II. 16. Quaſi dicat: Verbum ipſum Domini, & omnia ipſius documenta, quæ domeſtice & ſigillatim, paulatimque ac ſenſim ipſis Iudæis tamquam pueris ediſcenda propoſita ſunt, erunt eis in ruinam, ac perditionem.

V. 14. PROPTER HOC AUDITE VERBUM DOMINI VIRI ILLUSORES, &c. Heb. *Idcirco audite verbum Iehovæ homines illuſionis*, ſive *irriſionis*, id eſt *viri illuſores*, ſeu *irriſores*, &c. Tertia pars, denuntiatio iudiciorum Dei, ut dictum eſt in verſ. 5. in qua Propheta Iudæis primum omnis excuſationis ſpeciem adimit, exprobrans impietatem ſummam, & ludificationem Dei, duobus verſibus: poſtea iudicium ſeveriſſimum prædicit, verſ. 16.

V. 15. PERCUSSIMUS FOEDUS CUM MORTE. Heb. *Exſcidimus, ferimus, icimus, pepigimus fœdus ad mortem*, vel *cum morte;* id eſt, fœdere cum ipſa tranſegimus, ne nos invadat, aut occupet; quaſi dicat, Nos ab omni malo ſumus ſecuriſſimi. Hæc & ſequentes ſunt Thraſonicæ hyperbolæ. ET CUM INFERNO FECIMUS PACTUM. Alii ex Heb. I. *& cum ſepulcro fecimus viſionem;* id eſt, coram & in præſentia venimus in colloquium pacis cauſa: collocuti ſumus cum illo ne nos abſorbeat. Hiſpanice diceremus: *Venimos a viſtas con el ſepulcro*, ut ſcilicet cum eo de pace tranſigeremus. II. *& cum ſepulcro fecimus complicationem*, ſeu *apprehenſionem*, ex ſignificatione verbi חזה *Chazah*, Iob VIII. 17. id eſt, amicitiam, ſocietatem, pactum, quod complicatione & apprehenſione manuum paciſcentium fieri ſolet. III. *& cum ſepulcro fecimus videntem*, id eſt ſpeculatorem; hoc ſenſu: Poſuimus ſpeculatorem cum ſepulcro, qui nos admoneat de tempore adventus eius, cum appropinquabit, ut liceat repellere. IV. Forſterus: *& cum inferno fecimus viſionem*, ſeu *proviſionem*, id eſt, commeatum tamquam ſocii ſimul navigantes vel itinerantes. Chaldæus vertit שלמא *ſchelama*, *pacem*, quod inituri amicitiam, aut fœdera, prius convenientes invicem conſpiciebant: ut in hiſtoria regum cernere licet. V. Tremellius, Iunius & Buxtorfius: *& cum ſepulcro fecimus proviſionem*, id eſt proſpeximus, provide egimus, vel *egimus cautum*, id eſt tantum nobis proſpeximus, quantum viri cauti & prudentis eſt proſpicere. VI. Schindlerus a חוז *chuz*, deducit: *& cum inferno fecimus terminum;* id eſt, præfiximus ſepulcro terminum, quem non tranſeat; vel *pactum*, ad quod quis reſpicit, & in eo fidit, ac ſperat. חוזה *Chozeh*, poteſt eſſe participium, vel nomen participiale, *egimus videntem, providentem, cautum:* aut nomen ſubſtantivum, *fecimus viſionem, præviſionem, proviſionem*. FLAGELLUM INUNDANS. Quidam reddunt: *Circuitus, orbis, inundans*, id eſt ambitus, ſeu circuitus malorum cum magno impetu omnia pervaſtans. Alii: *Flagellum, ſcutica inundantis, cum tranſibit, non obveniet nobis*, id eſt malum re-

pente invadentis Dei; ut torrentes ſolent irrumpere: duplex allegoria, qua Propheta uſus eſt ad ſervandam antonomaſiam. Nonnulli: *ut cum inundans vaſtatio pertranſeat, non perveniat ad nos*. QUIA POSUIMUS MENDACIUM SPEM NOSTRAM. Alii: I. *quamvis poſuerimus mendacium refugium noſtrum*. II. *quia poſuimus mendacium receptaculum noſtrum*. Putant, Iudæos hic *mendacium* ironice appellare, vel deos alienos, vel iuſtitiam legis ſine fide, quæ omnia falſa, mendacia, & hypocritica Deus & prophetæ vocabant; quaſi dicant improbi iſti: Quia nitimur diis, & iuſtitiæ noſtræ, quæ nos eripient a malis, quæ vox prophetæ mendacium immerito appellatis. III. *quia diſponimus fallaciam receptum noſtrum*; id eſt, ut moles & obices opponuntur aquis irrumpentibus, ita nos adverſus iſta mala, quæ interminatis nobis, ſagaciſſime proſpeximus, velut obiectis aggeribus, quos tu fallaciæ nomine, & mendacii appelles licet, nos tamen illis freti in ſecuritate vivimus. ET MENDACIO PROTECTI SUMUS. Heb. *& in falſitate*, ſeu *falſo*, *fallacia abſconditi*, vel *occultati ſumus*, ſeu *abdidimus nos*, ne nos malum ingruens inveniat.

V. 16. IDCIRCO HAEC DICIT DOMINUS DEUS. Heb. *Ad ſie* (Hiſpanice *Anſi*,) *dixit Adonai* IHUH Quidam: *Idcirco ita ait Dominus Iehovi*. Perperam pronunciant *Iehovi* cum iungitur nomini *Adonai*: vide Geneſ. XV. 2. Iam ſequitur, inquiunt, hic denuntiatio iudicii, ut in verſ. 14. dictum eſt: qua exponitur primum quæ ſit cauſa & fundamentum omnium iudiciorum Dei, nimirum Chriſtus, qui unus ſalutis piorum & exitii infidelium effector eſt, hoc verſu: deinde quæ forma iudiciorum in deriſores illos futura ſit, verſibus ſequentibus. ECCE EGO. Notant ineſſe emphaticam exprobrationem adverſus incredulos particulæ demonſtrandi, & toti huic orationi; quaſi dicat: Ego ab æterno poſui fundamentum Eccleſiæ Chriſtum, eumdem vobis expoſui, & Eccleſiæ toti, ut fide adhærentes ei non traduceremini præcipites ad amplectenda ſtudia & iudicia carnis veſtræ; ſed fide in ipſum (quæ eſt demonſtratio rerum futurarum) patienter expectaretis opus Dei: iam vero cum omiſſo Chriſto, abiectaque fide, feſtineris ad res præſentes, quæ amantes ſui omnino confecturæ ſunt, propterea diſponam &c. ut verſu ſequente. Hanc eſſe volunt totius huius verſus complexionem. ECCE EGO MITTAM IN FUNDAMENTIS SION LAPIDEM: יסד *Iiſſadd*, plerique nomen participiale eſſe volunt: *Ecce ego fundator in Tziione lapidis*; pro, Ecce ego fundo in Tziione lapidem. Hypallagen eſſe volunt, pro, fundo Tziionem in lapide. Quidam: *Ecce ego fundamentum poſui in Tziione lapidem*. Alii præteritum Pihel putant: *Ecce me* Chriſtum *fundavit* Pater *in Tziione lapidem*, ut ſint verba Chriſti de Patre ſuo. Perperam Avenarius: *Ecce ego* hoc facio, *fundavit* aliquis *lapidem* &c. LAPIDEM. Chriſtum; Pſalm. CXVII. 22. Matth. XXI. 42. I. Petri II. 6. PROBATUM. Heb. *probationis*, *explorationis*, *examinis*, *periculi*, *experimenti*: ut ſupra cap. XXIII. 13. id eſt, qui probatus duritiam ſuam, & firmitatem retinet, & ſervat, Hebræor. IV. 15. Alii, *probationis*, id eſt electum, veluti probatiſſimum, quomodo interpretatur S. Petrus ibidem. Nonnulli: *munitionis*, id eſt munitiſſimum, firmiſſimum, ſolidiſſimum, qui nobis eſt munitio ac præſidium. ANGULAREM, PRETIOSUM. Heb. *angulum*, ſeu *pinnam pretioſitatis*, ſeu *pretii*. Alii: 1. *anguli pretioſi*. 2. *pinnam pretioſiſſimam*; ſeu *pinnaculum pretioſum*; id eſt, qui ſit in pinnam ſeu pinnaculum ædificii pretioſiſſimum, nimirum ut lapis iſte ſit fundamentum, angulus, & pinnaculum ædificii, id eſt principium, medium & ſummum faſtigium, Alpha & Omega, & omnia in omnibus. Vide in Pſal. CXVII. 22. IN FUNDAMENTO FUNDATUM. מוסד מוסד *muſad muſſad*, utrumque participium paſſivum Hiphil, *fundatum fundatum*, ut geminatio augeat ſignificatum; hoc eſt, fundatiſſimum, ſolidiſſimum, apprime & valide fundatum. Nonnulli Hebræorum prius faciunt nomen, poſterius participium: *fundamentum fundatum*; vel prius participium, poſterius nomen: *fundatum fundamentum*; nam ad diſcrimen videtur prius eſſe raphatum, poſterius dagheſſatum. Alii: 1. *fundamentum fundati*, ſeu *fundationis*. 2. *fundamentum ſolidiſſimum*. 3. *fundationem fundationis*, ſeu *fundatiſſimam*. Utrumque faciunt nomen ſubſtantivum, ſed prius in regimine, id eſt, cui omnes qui ſuperſtructi fuerint, non poterunt concuti, neque ab ipſis inferorum portis ſuperari, Matth. VII. 24. & cap. XVI. 18. QUI CREDIDERIT,

Digitized by Google

RIT, NON FESTINET. Heb. *credens non feſtinabit*. Quia locus utcumque difficilis, libuit varias explanationes auctorum ſuorum verbis adducere. I. Sanctes, Clarius, Vatablus: *Qui credit, ne feſtinet*, ſubaudi, *ut videat hoc*; hoc eſt, ne exiſtimet hanc prophetiam de lapide hoc ponendo brevi eſſe adimplendam, & cito. II. Leo Iudas: *Fidens non feſtinabit*. III. Forſterus pag. 38. *Quicumque credit, non feſtinabit. Hanc ſententiam Paulus Romanor.* IX. *allegans, verbo* πᾶς ὁ πιστεύων, *id eſt*, Quicumque fidit, *tranſtulit; id eſt, quicumque fide acceperit verbum de miſericordia Dei omnibus gratis promiſſa propter Chriſtum, non trepidabit*. Sed vereor ne iſte e grege proteſtantium, locum ad fiduciam iuſtificantem novantium detorqueat; ſi de fide viva & per caritatem operante intelligat, recte dicit. Et pag. 238. *Qui credit, non feſtinabit; id eſt manebit conſtans in adverſis, & tranquilla conſcientia non fugiet adveniente morte*. Id ſequitur quoque Mercerus col. 654. Idem Forſterus pag. 332. *Qui crediderit, non trepidabit*. IV. Mercerus Colum. 121. *Qui credit, hoc eſt qui fidit, non feſtinet. Citat Paulus Romanor.* IX. πᾶς ὁ πιστεύων ἐπ' αὐτῷ οὐ καταισχυνθήσεται: *ſenſum magis reddens quam verba: Qui verbum promiſſionis per fidem accepit, nec acceleret, nec etſi ſtatim non impleantur Dei promiſſa, ideo animum deſpondeat: neque enim tandem confundetur, aut fruſtrabitur. Alii exponunt, non trepidabit. Sed Kimchi in Commentario ſenſum, quem attuli, exprimit*. V. Avenarius: *Qui credit, non feſtinabit*. Sed exſpectabit mature huius prophetiæ impletionem. VI. Forerius: *Qui crediderit, non pudefiet: ita reddiderunt* LXX. *& eos ſecuti Paulus Romanor.* IX. 33. *& Petrus* I. *cap.* II. 6. *Non eſt dubium quin verbum* חוש *chuſch., feſtinare ſignificet: Qui credit, non feſtinet, ſcilicet videre, quod hic pollicetur Dominus, quia non ſtatim id futurum eſt: innuens quod ſi feſtinaret, pudefieret, non reperiens quod ſe inventurum putabat: atque idem ſenſus eſt* LXX. *& Apoſtolorum. Non alia conciliatio mihi probabilior apparet quam ſi dicamus, Hebræos verbo chuſch, feſtinandi in Hiphil uti, ſicut nos Hiſpani verbo currendi, pro erubeſcere ſeu pudefieri; nam qui erubeſcunt, ſeſe abdere feſtinant: reddemus ergo Hiſpanice, Qui credit, ſcilicet quæ dicta ſunt, vel in eum lapidem, quod eodem recidit, noſe correra; quaſi diceremus, Non ſe proripiet feſtinus a conſpectu hominum. Nam & verbo* חפר *chaphar, infodiendi, pro pudefaciendi, utuntur eadem ratione Hebræi paſſim. Vide ſupra cap.* I. 29. VII. Tremellius, Iunius, Buxtorfius: *Qui credit, non præfeſtinabit, accelerabit; id eſt, ex impatientia, & infidelitate ad res præſentes non confugiet, ut fecit Achaz ſupra cap.* VII. *& vos quoque, o irriſores facitis, qui mavultis cum morte & ſepulcro paciſci, quam pendere ex promiſſionibus Dei: quod vobis in confuſionem, exitiumque ceſſurum eſt: quamobrem hoc verbum per metalepſim a Græcis redditum eſt* καταισχυνθῇ, *vel* καταισχυνθήσεται, *Romanor.* IX. 33. *&* I. *Petri* II. *6. 7.* Chaldæus exponit: *Et iuſti qui credunt in illis, cum venerit tribulatio, non commovebuntur*. Hiſpanicus Interpres: *el que creyre, no ſe apreſſure*.

V. 17. ET PONAM IN PONDERE IUDICIUM. Alii ex Heb. I. *Et ponam iudicium ad lineam*. II. *Et exigam iudicium ad perpendiculum*. Hebræa hæc omnia continent: *Et ponam iudicium ad lineam, regulam, funiculum, normam, filum*; id eſt, dirigam. ET IUSTITIAM IN MENSURA. Heb. *& iuſtitiam ad libram, trutinam, libramentum, regulam, amuſſim, perpendiculum*. Perſeverat in allegoria lapidis, anguli, pinnæ, fundamenti, quæ omnia ad lineam, regulam, & perpendiculum exiguntur. Vitruvius enim Lib. VI. ait: *Longitudines ad regulam & lineam, altitudines ad perpendiculum, anguli ad normam reſpondentes exigantur*. Senſum huius hemiſtychii eſſe aiunt: Tempore Chriſti vigebunt iudicium & iuſtitia quam exactiſſime, & rectiſſime. Aliqui exponunt: *Diſponam enim iudicium ad lineam, & iuſtitiam ad perpendiculum*, &c. Deſcriptio iudiciorum Dei, illuſtrata per antitheſin peccatorum, quibus ſuæ comparantur pœnæ, & iuſtitia Dei ſapientiſſima: atque huius veritatem propterea Deus metaphorice appellat lineæ & perpendiculi nominibus. ET SUBVERTET GRANDO SPEM MENDACII. Varie alii ex Heb. I. *& verret grando ſpem mendacii*; id eſt, more ſcoparum eiiciet, ſive quaſi ſcopa amovebit inanem fiduciam. II. *& ſcopabit, repurgabit, abradet grando protectionem mendacii*. III. *& removebit tamquam cineres grando protectionem mendacii*.

Nos

Nos reddidimus: *& depalabit*, *expalabit*, *palis removebit*, *palis purgabit*, *inſtrumento palæ auferet protectionem mendacii*. IV. Leo Iudas: *grandinis procella ſcopæ inſtar verret mendacium fiduciam veſtram*. V. Tremellius, Iunius, Buxtorfius: *& excernet*, vel *ut excernat grando receptum fallaciæ*; id eſt, ut quidquid extruxiſtis (velut ſtraminea caſa arenæ impoſita) repentino Dei iudicio ut grandine corrumpatur, & torrentium impetu abripiatur, membro ſequente: allegoriæ, ut Matth. VII. 24. & ſequentibus. *Excernere* autem, quod dicit, accipiendum eſt de illis quaſi ramentis populi ſui, quæ ſe non tantum everſurum ſcopis, ut antea, ſed etiam palam minatur ejecturum e medio ſuorum, & quaſi furcillis extruſurum; quod Hebræum verbum ſignificat, unde potes reddere: *& exfurcillabit grando*, &c. Vide de voce in Exod. XXVII. 3. ET PROTECTIONEM AQUAE INUNDABUNT. Heb. *& abſconſionem aquæ inundabunt*; id eſt, illud latibulum ac receptum ubi ſe tutos putarant fore, aquæ inundabunt, ſeu evertent & abripient. Alii: *& latibulum aquæ inundantes obruent*. Hiſpanicus Interpres hunc verſum ita reddidit: *Y aiuſtare el tuizio al cordel, y a nivel la iuſtitia: y granizo barrera la acogida en mentira, y aguas arroyaran eles condrixo*.

V. 18. ET DELEBITUR FOEDUS VESTRUM CUM MORTE. Verbum כפר *chuppar*, in *Puhal* varie reddunt. I. *Et removebitur*, *auferetur*. II. *Et expiabitur*, id eſt amovebitur, ceſſabit, tolletur. III. *Et abolebitur*, *diluetur*. IV. *Et piaculum erit*; vel *Tamquam piaculum*, *& ſacrilegium quoddam ammovebitur*, ut non amplius appareat. Nos apte diximus: *Et oblinetur*, *obtegetur*, *operietur*, *abſcondetur*, *occultabitur*, *occludetur*, *obturabitur*, *obducetur*, *quaſi inducto atramento aut alio liquore delebitur*, *& corrumpetur*, *inducetur fœdus veſtrum cum morte*; quaſi dicat, Interlitum erit: ſic ſumitur id verbum Geneſ. VI. 14. ET PACTUM VESTRUM CUM INFERNO NON STABIT. Pro חזה *chozeh*, quod ſcribitur verſ. 15. hic ponitur חזות *chazuth*, quod varie exponunt: I. *& viſio veſtra cum inferno non ſtabit*, id eſt amicitia ſeu fœdus. II. *& proviſio veſtra cum inferno non erit ſtabilis*, aut *firma*. III. *& cautio veſtra cum ſepulcro non ſtabit*, aut *ſubſiſtet*: vide de hoc verſu ſupra verſ. 5.

V. 19. QUANDOCUMQUE PERTRANSIERIT, &c. Heb. *A*, vel *de tranſire eum*. Alii: *A tempore tranſire ipſum*. Proprie, *De ſufficientia tranſeundi eius*; id eſt, quandocumque opportune & ſufficienter tranſierit ipſe. Varie alii hunc verſum interpretantur: I. *Ex quo tempore tranſire cœperit ipſe*, *tollet vos*, *quoniam ſingulo mane tranſibit diu & noctu*: *& erit tantum pavor intelligere famam eorum*, *quæ vobis contigerint*; vel, *& fama eorum quæ vobis accident*, *incutiet metum audientibus*: Aut, *& fiet ut duntaxat vexatio faciat intelligere auſcultationem*, ſive *& erit ut terror*, ſeu *commotio*, *duntaxat intelligere faciat auditum*; vel *& erit*, *tantummodo terror faciet ut intelligant auditum*. II. *Quando tranſierit vos*; *quando ſummo mane tranſibit de die ac de nocte*: *& erit*, *tantummodo commotio intelligere faciet auditum*; id eſt, ipſa caſtigatio eos intelligere faciet veras fuiſſe Dei minas, quas ex ore prophetarum audierit. III. *Mox ut pertranſiverit* hoſtis, rapiet *vos*: *nam ſummo diluculo pertranſibit*, *nocte & die*, *ut ſit terror audire auditionem*, ſeu *famam*. IV. *Ex quo tranſiverit*, *interdiu & noctu*; id eſt, ubi cœperit in vos irrumpere, non deſinet, donec pereatis e via; *eritque tantummodo commotioni*, *proponendo intelligendam auditionem*: ſic accipitur auditionis nomen infra cap. LIII. 1. pro documento ſeu doctrina Chriſti: vel *eum percipietur auditio*; id eſt, neque tantum gravitate operum Dei commovebimini in exitium veſtrum, verum etiam verbo, quod nunc petulanter ludificamini; denique conſternabimini omnibus teſtimoniis præſentiæ Dei, a quo abhorrebitis tamquam iudice ſeveriſſimo: hæc ut ita accipiamus, facit comparatio verſ. 9. ſupra.

V. 20. COANGUSTATUM EST ENIM STRATUM &c. Alii hunc verſum ex Heb. transferunt: I. *Brevius enim erit ſtratum*, *quam ut poſſint ſe extendere in eo*: *& operimentum erit anguſtius*, *quam ut ſeipſos poſſint colligere ſub eo*. II. *Quia abbreviatum eſt ſtratum*, *ita ut non ſit extenſio*: *& operimentum anguſtum ut fiat collectio*; quaſi dicat, Vanæ ſpes veſtræ vos tutari non poſſunt neque protegere. III. *Anguſtum enim eſt ſtratum*, *ne ſuperfluat*, vel *ut non ſuperſit*, ſubaudi, in quo ſe extendant: aut, *quoniam contractus erit lectus*,

ut

Digitized by Google

ut non ſufficiat: & anguſta erit ſtragula in colligendo ſe, vel membra ſua; id eſt, arctior erit, quam ut qui ſub illa iacebit, ea tegere ac colligere poſſit membra ſua. Volunt ſignificari obſidionem Ieruſalaim, in qua ſic arctabuntur & conſtringentur omnia, ut vix ſit locus conſiſtendi aut ſe colligendi. IV. *Anguſtior enim erit lectus, quam ut quis membra latius extendat; & operimentum ſtrictius, quam ut ſe eo quiſquam involvat*, vel *ut ſub eo, quis ſe componat aut colligat*. V. *Nam brevius erit ſtratum, quam colliget ſe cubans*. Ergaſia proxime præcedentis denuntiationis, Deum pertranſiturum interdiu & noctu, Iudæoſque gravitatem iudiciorum experturos, quod per hyſteroſin exponitur: primum enim nocturnæ anguſtiæ, hoc verſu; poſtea diurnæ, verſu ſequente ab exemplo demonſtrantur. *Brevius erit ſtratum*, &c. inferne, nulla denique ex parte poterit ſe a flagellis Dei tegere, *cum colliget ſe cubans*; id eſt, corpus ſuum in arctum contrahet. ITA UT ALTER DECIDAT. Heb. proprie: *ab extendere, diſtendere ſeſe facere; ab excedere, excreſcere, ſuperfluere, exuberare, ſupereſſe ſeſe facere*. Forſterus reddit: *Sed brevius eſt ſtratum a diſtendendo ſe*; id eſt, ne ſe diſtendere poſſit, ne extendatur, ne ſuperſit. UTRUMQUE OPERIRE NON POTEST. Heb. *ſecundum colligere ſeſe facere*. Forſterus: *ſecundum colligere ſe*; id eſt, quam ut ſe colligant, ſeu colligere poſſint duo ſimul ſub eodem opertorio.

V. 21. SICUT ENIM IN MONTE DIVISIONUM STABIT DOMINUS, SICUT IN VALLE QUAE EST IN GABAON, IRASCETUR. Alii ex Heb. I. *Quoniam Iehova exiliet*, ſeu *inſurget* in vos *ſicut in monte Perazim, & fremet ut in valle Gibeon*. II. *Nam ſicut in monte Peratzimorum exurget Iehova*; id eſt, ita vos ex improviſo opprimet citra humanam artem, ut olim Pheliſthæos II. Samuel. v. 20. & ſequentibus: & I. Paralip. XIV. 11. & ſequentibus, *ſicut in valle ad Gibbonem*. Percuſſit enim iterum Pheliſthæos Deus inde a Gibbone Gezerum uſque II. Samuel. v. 25. & I. Paralip. XIV. verſ. 16. Alii alluſum putant ad Ioſue X. 10. & ſequentibus. UT FACIAT OPUS SUUM, &c. Hoc poſterius hemiſtychium varie ex Heb. convertunt: I. *ad faciendum factum ſuum, alienum factum ſuum; ad colendum cultum ſuum, nothum cultum ſuum*. Ac ſi dicat: Tam alienum eſt a Iehovah caſtigare ſuos, quam ſi cultum nothum & ſpurium inſtituiſſet: videtur ſibi Deus falſum cultum peragere cum ſuos punit. Inſignis hyperbole divinæ miſericordiæ. Alii: II. *ad faciendum factum ſuum, extraneum factum ſuum; ad operandum opus ſuum, alienum opus ſuum*, id eſt inſolens, & ſumme admirabile, vel gravitate ſupplicii, vel præter naturam Dei beneficam.

V. 22. ET NUNC NOLITE ILLUDERE, NE FORTE CONSTRINGANTUR VINCULA VESTRA. Alii: I. *Nunc igitur ne deludatis vos ipſos, ne invaleſcant vincula veſtra*; id eſt, ne caſtigemini arctioribus vinculis. II. *Et nunc ne illudatis voſmetipſos ne invaleſcant*, ſeu *roborentur*, aut *fortificentur caſtigationes veſtræ*. III. *Nunc igitur ne vobiſmetipſis illudatis, ne forte validiora fiant vincula veſtra*; id eſt, Nolite irridere quæ vobis prædico, quod eſt, vos ipſos deludete, ne Deus vos ſeverius puniat. IV. *Nunc itaque ne pergatis ludificari*. Quarta pars huius prophetiæ, concluſio, ut dictum eſt in verſ. 5. cuius in univerſum loci ſunt duo: prior, quo revocat Iudæorum reliquias ad pœnitentiam, ut ſibi præcaveant a malo, duobus verſibus; poſterior, quo Dei adminiſtrationem & veritatem aſſerit, ut tempeſtive reſipiſcant, verſ. 24. & ſequentibus: *ut non confirmentur vincula veſtra*; id eſt, non conſtringamini valentioribus vinculis potentiæ Dei, ac proinde vincti non permaneatis, donec exardeſcente igne iræ Dei conſummamini; quaſi dicat: Peccatis vincula hominum confirmantur, ſolvuntur reſipiſcentia ac pœnitentia: videte ergo ut reſipiſcatis mature. CONSUMMATIONEM ENIM ET ABBREVIATIONEM AUDIVI, &c. Alii: I. *quandoquidem conſumptionem & exciſionem audivi a Domino Iehova Tzebaoth ſuper univerſam terram*. II. *quia conſumptionem & conciſionem audivi*, &c. III. *quoniam conſummatam & expolitam Eccleſiam audivi, &c.* Sed hæc expoſitio inſtituto non congruit. IV. *quia conſumptionem, & eam quidem deciſam*, id eſt definitam, decretam, certam, *audivi a Domino Iehova exercituum ſuper univerſam terram*; quaſi dicat, Revelavit mihi Dominus certo eventuram deſtructionem univerſæ terræ Iehudææ. V. *conſummationem, & quidem præciſam*, id eſt inevitabilem, *audivi a Domino Iehova exercituum contra totam hanc terram*, niſi reſipiſcatis, ut modo dictum eſt: nam hæ promiſſiones & minæ hypotheticæ ſunt ex Lege. Vide ſimilem locutionem ſupra

pra

pra cap. x. 22. & 23.

V. 24. Numquid tota die &c. Alii hunc verſum ex Heb. reddunt: I. *Numquid tota die arat arator ad ſeminandum? confringit, & comminuit glebas terræ ſuæ?* II. *Num agricola omni tempore arat, aperit, & contundit tellurem ſuam ad ſeminandum?* III. *An arator omni die arat? ſolvere ſolet boves, & comminuere* glebas *agri ſui?* Complexionem huius parabolæ uſque ad finem capitis, qua Deus ad bona opera hortatur, ita quidam ſtatuunt: Non ſemper arat arator, qui arare ſolet ut ſementem faciat; ſed primum arat, & cum aliquot diebus aravit, poſtea ſolvit boves, & glebas contundit: ubi autem glebas comminuit, & agri ſuperficiem æquavit occa aut alio inſtrumento, ſementem facit; poſtremo meſſem maturam demetit, & legumina illa colligit & triturat: omnia legumina quidem lenius, & meſſem gravius, quod grana tritici non facile excutiantur. Agricola Deus eſt, Iſrael eſt ager, ſemina dona Dei ſunt, & lex; grana, quæ excutiantur meſſe & leguminibus maturis, ſunt bona opera: ut autem agricola colit agrum, & poſtea tritico aut leguminibus ſerit; ita Deus colit animos noſtros, & illos poſtea ſerit lege ſua & dotibus: & ut agricola tandem exigit fructus ab agro, quem coluit, ac meſſem & legumina ipſa excutit trituratione leviore & graviore; ſic etiam Deus tandem a ſuis, quos lege ſua donaverit, & donis ſuis affecerit, bona opera iure quodam ſuo exigit, & illa per tribulationes graviores, leviores velut trituratione quadam elicit & excutit. Deus triturator eſt, qui dum a ſuis elicere vult fructus bonorum operum, affligit illos, alios quidem gravius, alios vero levius, pro conſtantia & robore fidei. IV. *An totum diem arat arator ad ſeminandum? ſolcat & occat terram ſuam?* Secundus concluſionis locus, quo Propheta adminiſtrationem & veritatem Dei aſſerit, per comparationem agricolæ, ut illuſores humano exemplo evincat ſuo tempore iudicium Dei eventurum, & pios confirmet in expectatione eius: Sua ſunt, inquit Propheta, rebus omnibus agendis tempora, novandi, arandi, occandi, æquandi, ſerendi, metendi, colligendi, & excernendi grani, & ſuæ rationes ſingulis; quæ omnia agricolarum prudentia diſcernit a Deo indita. Qui ergo poſſet Deus auctor prudentiæ vacare prudentia in adminiſtratione ſua? populum ſuum quodammodo novavit, aravit, occavi, &c. iam vero audivi tempus meſſis impendere, quod vocatur conſummatio præciſa, ſupra verſ. 22. ne itaque amplius ludificemini. Nonnulli in eamdem fere ſententiam exponunt, quaſi dicat: Hanc rationem adminiſtrandi agri a Deo didicit agricola; auditorum autem animis relinquo ut ratiocinationem conficiant: Si Deus agricolam docuit, ut ſciret qua ratione ſingulæ fruges ſerendæ, metendæ, & triturandæ eſſent; nonne Deus ipſe multo melius intelliget qua ratione, & qua menſura, quoque tempore caſtigandi ſunt homines, & quandiu flagellandi? quare ergo committetis, ut velut imperitus agricola uſque ad conſumptionem & excisionem vos terat? hanc enim vobis impendere a Iehova audivi. Proscindet. Heb. *aperiet*, id eſt exarabit, ſulcabit, proſcindet, vel fodiet. Valentine dicimus, *exobrix*. Et sarriet. Futurum Pihel ישדד *ieſadded*, quidam quaſi ſcriptum eſſet cum *Scin* dextro exponunt, *vaſtabit;* id eſt, confringet, contundet. Ceterum exemplaria cum *Scin* ſiniſtro habent, id eſt, *occabit*: vide in Iob. xxxix. 13.

V. 25. Gith. קצח *kerzach*, omnes ferme conſentiunt eſſe *gith*, quod ex Græcis alii *melanthion*, alii *melaſpermon* a nigro ſemine vocant: optimum quam excitatiſſimi odoris, & quam nigerrimum: de quo vide Theophraſtum Lib. I. Hiſtoriæ Plantarum, cap. xxii. Plinium Lib. XX. cap. xii. & Lib. XIX. cap. vii. & viii. Dioſcoriden Lib. I. cap. xlvii. & Lib. III. cap. xciii. Buellium Lib. II. de Natura ſtirpium, Lemnium de Herbis Bibliacis, cap. xiii. aiunt dici quoque nigellam, a nigrore ſeminis, Hiſpanice, *nequilla*; Arabice, Hiſpaniceque *axenuz*. Auſonius in Monoſyllabis:

Eſt inter fruges morſu piper æquiparans
gith.

Sic infra verſ. 27. Triticum per ordinem. שורה *ſorah*, cum *Scin* ſiniſtro, *triticum menſuratum*, *ordinatum*, *ſeriatum*, *delineatum;* id eſt, triticum ordine, menſura, ſerie & per ſulcos ſatum. Alii bonum, optimum, princeps, principale, laudatiſſimum, principe dignum, præſtantiſſimum. Quidam: *triticum ſerie ſua*. Et hordeum, et milium. Heb. habent: *& hordeum ſignatum*, *notatum*, *deſignatum*, id eſt inſigne, optimum, præſtans.

Alii:

Alii: *& hordeum ſignatura*, id eſt loco deſignato*:* vel *& hordeo* diſponet *ſignaturam*, id eſt locum deſignatum. נסמן *niſaman*, ab inuſitata radice סמן *ſaman*, nuſquam alibi in Scriptura legitur. *Siman*, inquit Forſterus, *in profanis litteris Hebræorum grammatici & ſcriptores utuntur pro nota ſeu ſigno: pro quo in Sacra Scriptura* אות *oth ponitur. Græci quoque imitati hanc vocem* σημεῖον *vocarunt ſignum*. Sed & Rabbini caput libri, ſignum, id eſt *ſiman* appellant. Ego facile adducerer ut crederem Hebræos ignoraſſe vocem *niſman*, & ſuum *ſiman* e Græcis potius mutuatos, quam Græcos ab ipſis: & LXX. ac S. Hieronymum probe ſcientes ſignificationem vocis, reddidiſſe *milium;* niſi quod hordeo tunc ſuum adiectum deeſſet, quod tamen tritico & ſpeltæ apponitur: quod veriſimilem reddit Hebræorum interpretationem. Cur autem aut quid ſecutus S. Hieronymus cum LXX. *milium* poſuerit, malumus ignorantiam fateri, quam inepta & ridicula hariolari. Et viciam. כסמת *cuſſemeth*, plerique *ſpeltam*, *zeam*, aut *ſiliginem* interpretantur: vide in Exod. IX. 32. In finibus suis. Heb. *terminum ſuum*, vel *termino ſuo*, ſeu *eius*, arantis; non ſpeltæ aut zeæ, quæ ſunt feminea, cum affixum ſit maſculeum. Quidam totum verſum dilucidius ſic reddunt: I. *Nonne ut æquavit ſuperficiem eius*, *viciam*, ſeu *nigellam ſpargit*, *ac cyminum diſſipat*, *& ponit triticum ſerie ſua*, *& hordeum ſignato loco*, *tum far in ſuo termino?* vel *ſpeltam* aut *zeam in agro ſuo?* II. *An non cum æquavit ſuperficiem eius*, *aut ſpargit melanthium*, *cyminumque diſpergit*, *aut diſponit triticum præſtans*, *vel hordeum inſigne*, *vel ſpeltam in termino ſuo?*

V. 26. Et erudiet illum in iudicio, Deus suus docebit illum: nimirum aratorem, ſeu agricolam. Alii ex Heb. I. *Erudit enim* ſatorem *illum* Deus *ad iudicium*, ſeu *ad rectitudinem;* id eſt recte, apte, debito modo, ut omnia aptiſſime faciat*: Deus ſuus docet eum*, ſubaudi, agriculturam illam; quaſi dicat, Hanc ſcientiam ferendi ſingula ſuis locis ac temporibus, habet a Deo. II. *Et ut hæc rite peragat*, *erudit ac dirigit eum Deus ſuus;* id eſt, erudit agricolam ad faciendum omnia recto iudicio. III. *Deinde colligat*, ſeu *conſtringit illud;* id eſt, ex his demeſſis manipulos efficit, circumpoſitis vinculis, de quibus diximus ſupra in verſu 22. *ad eam rationem*, *quam Deus eius docet eum?* id eſt, ut manipulis illis ſuis faciat, quod Deus lege naturæ faciendum docuit: videlicet excutiendo granum ſuis modis, acuſque & ſtipulam ab eo excernendo, ut grana recondantur, & paleæ conſumantur. Verbum יסר *iaſar*, nedum *erudire*, & *caſtigare;* ſed etiam *coercere*, *& conſtringere*, ſeu *colligare vinculis* ſignificat.

V. 27. In serris. בחרוץ *becharutz*, *in tribula*, *raſtro*, *&c.* Vide in II. Samuel. XII. 31. & infra cap. XLI. 15. Hunc verſum alii reddunt: I. *Neque enim tribula dentata exteritur vicia*, ſeu *gith*, aut *nigella Romana*, *nec circumducitur rota plauſtri ſuper Cyminum;* *ſed virga excutitur vicia*, *& cyminum baculo*. II. *Nam non tribula trituratur melanthion*, *aut rota plauſtri ſuper Cyminum verſatur: ſed baculo excutitur melanthion*, *& cyminum virga*. Volunt hos duos verſus velut per parentheſin inſertos, tamquam exegeticos illius rationis, quam proxime Propheta nominavit. Rationem hanc, inquit, Deus indidit agricolis, ut leviora & teneriora ſemina levius, graviora, fortioraque gravius excutiantur.

V. 28. Panis autem comminuetur, &c. Hunc verſum alii ex Heb. reddunt: I. *Panis*, id eſt grana, unde fieri ſolet panis, nempe grana tritici, hordei, & zeæ, *comminuctur;* id eſt, triturari ſeu excuti ſolent maiore vi, & alia ratione*: ſed non in perpetuum triturando triturabit illum*, panem, ſcilicet agricola, vel tribula, aut rota*; nec conteret*, ſubaudi grana illa*;* id eſt, non penitus confringet aut contundet; ſervatur enim modus in iis triturandis, *rota plauſtri eius*, ſcilicet agricolæ: *& dentibus illius*, ſcilicet tribulæ aut raſtri, *non comminuet eum*, panem. II. *Triticum comminuetur*, *verum non perpetuo terendo teret illud*, *& ſtrepitus rotæ plauſtri ipſius*, *& iugati eius non comminuent eum*, id eſt iugata animalia, ut boves, vel equi, quibus iugo iunctis in quibuſdam regionibus triturantur ſegetes. III. *Panis comminuetur*, *quoniam non perpetuo*, vel *tamen non omnino triturando triturabit illum*, *neque ſtridebit rota plauſtri ſui*, *dentibus ſuis non comminuet illud:* Ubi פרשים *pharaſchim*, pro inſtrumento dentato ponitur, quo fruges excutiuntur, vel *& tumultus rotæ plauſtri*, *& ſtimuli eius non comminuet ipſum*, triticum. IV. *Sed panis comminui ſolet*, *quamquam non in æternum triturabit eum* panem, *& non perdet eum rota plauſtri eius* agricolæ, *& cum dentibus tribulæ non comminuet eum;* quaſi dicat: In triturando triticum modus ſerva-

Digitized by Google

tur, non enim in æternum ſive perpetuo tribulatur; ſed ſic tribula ipſa circumducitur, ut non frangat grana tritici: quod alioqui fieret, ſi longiore tempore quam ſit par, tribula circumduceretur. V. *Panis comminuitur, quandoquidem non perpetuo tritura exteritur: & ſtrepitus rotæ plauſtri eius, & ungulæ ipſius non comminuent eum.* VI. *Panis* vero, id eſt triticum, ex quo panis conficitur, metonymice, ut Eccle. xi. 1. *comminuitur*, nimirum *tribula, rota plauſtri, & equitibus*, ut ſequentia verba oſtendunt: quod genus excutiendi frumenti in partibus illis, & Italia tota uſitatiſſimum eſſe conſtat. Vide M. Varronem Lib. I. de Re ruſtica, cap. LII. *quia non in perpetuum pereſt triturare ipſum*, agricola, *ubi quaſſabit rotam plauſtri ſui, equitibus ſuis non comminuit ipſum*. NEQUE VEXABIT EUM ROTA PLAUSTRI. Heb. *& conturbabit, ſtrepere, tumultuari faciet*, vel *ſtridebit rota plauſtri eius*, ſubaudiunt negationem e præcedente membro, vel *&* ſumunt pro *neque*, ut Noſter. Alii: *& quaſſabit, conteret, profligabit rotam plauſtri ſui*, vel *rota plauſtri eius*, quod negative, & affirmative accipi poteſt; המם *hamam*, haud recte Forſterus, Leo Iudas, Forerius, nomen faciunt: *& conturbatio, ſtrepitus, tumultus, rotæ plauſtri eius*: cum ſit potius verbum. NEC UNGULIS SUIS COMMINUET EUM. פרשים *paraſchim*, Hebræi aiunt eſſe hic dentes raſtrorum, ſeu tribularum, quod ſint acuti & pungentes inſtar calcarium & ſtimulorum quibus incitantur equi, ac pro inſtrumento dentato poni, quo fruges excutiuntur; unde reddunt: *& dentes eius*, id eſt unuſquiſque ex dentibus eius, *non comminuet eum*, vel *& dentibus ſuis non comminuet eum*, ſcilicet tribula; vel *& dentibus* ſeu *cuſpidibus ſuis*, ſcilicet ſuæ tribulæ, *non comminuet* agricola *illud* triticum. Quidam: *& cuſpidibus* ſive *dentibus illius* ſcilicet החרוץ *hacharutz*, tribulæ, quæ ſunt acutæ & pungentes. Hoc modo eſſet pronomen affixum abſque antecedente ſubſtantivo: nam *tribulæ* nomen non antecedit. Plerique tamen vocem *paraſchim* ab uſitata ſignificatione non dimovent: *& equitibus*, vel *equis ſuis*, quod ungulis equorum aut iumentorum, in quibuſdam regionibus, ut etiam in hac noſtra Valentina, ſoleant triturari frumenta. Varro Lib. I. de Re ruſtica, cap. LII. *Apud alios exteritur ſeges grege iumentorum inacto, & ibi agitato perticis: quod ungulis e ſpica exteruntur grana.* Et huc proculdubio reſpexiſſe Noſtrum, cum dixit, *ungulis ſuis*, veriſimilius eſt, quam quod alii aiunt legiſſe *pharaſim* cum *Scin* ſiniſtro, pro *Samech*: vel ungulas metaphorice accepiſſe pro dentibus, ſeu cuſpidibus, aut ſtimulis tribulæ aut raſtri.

V. 29. ET HOC A DOMINO, &c. Alii ex Heb. hunc verſum reddunt: I. *Etiam hoc a cum Iehova exercituum egreſſum eſt, qui mirandum reddit conſilium ſuum, & magnificat ſapientiam ſuam*; id eſt, etiam hoc ut alia accepit agricola a Deo, qui ut omnia agit admirabili conſilio, & ſumma ſapientia, in hac re quoque oſtendit ſe conſultiſſimum & ſapientiſſimum. Ac ſi dicat: Sic quoque Deus, ut agricola repetet a nobis fructum talentorum commiſſorum. II. *Hoc etiam a Iehova Tzebaoth prodiit, qui excellens fecit conſilium, qui magnificavit effectionem.* III. *Etiam hoc a Iehova exercituum proditum eſt, qui miro agit conſilio, & magnifico inſtituto.* IV. *Etiam hoc a Iehova prodit, qui mirificus eſt conſilio, magnificus re ipſa.* Alterum exemplum prudentiſſimæ adminiſtrationis Dei, conſolandis bonis: Ut non ſemper iterit beneficia, etiam non ſemper triturat & affligit malis. His autem verbis obſervandum eſt reticeri alteram partem exempli de iudicio Dei adverſus improbos: quod modeſtiſſimum loquendi genus docet quam ſancte Propheta de Iudæis cogitaverit, quos ad pœnitentiam provocabat. *Magnificus re ipſa;* id eſt, hac eadem prudentia utitur Deus in momentis temporum, & rationibus obſervandis, ut bonos beneficiis, & afflictionibus perducat ad perceptionem quietis ſuæ, & improbos perdat. IUSTITIAM. תושיה *thuſchiiah*, proprie, *eſſentiam, exiſtentiam*. Alii: *effectionem, efficacitatem, rationem, inſtitutum, opus, rem ipſam*, exponunt: vide Iob v. 12.

M E N O C H I I.

Verſ. 1. CORONAE SUPERBIAE, id eſt regno ſuperbo. EPHRAIM: Iſrael intelligit, hoc eſt, decem tribus. FLORI DECIDENTI; id eſt, cuius coronæ gloria ſimilis eſt flori decidenti, qui mox ut floruit, marceſcit, & perit. Coronæ cum ex alia materia, tum ex floribus plectebantur. QUI ERANT IN VERTICE VALLIS PINGUISSIMAE, id eſt qui habitabant in urbe

Sama-

Samariæ, quæ ſita eſt in vertice montis, cui vallis fertiliſſima vinetis, & olivetis abundans ſubiacet. ERRANTES A VINO, id eſt præ ebrietate. LXX. *Qui ebrii eſtis abſque vino*.

V. 2. ECCE VALIDUS ET FORTIS DOMINUS: fortiter ſternet, & populabitur agros Samariæ. TURBO: ſicut turbo.

V. 4. FLOS DECIDENS: vide n. 1. QUASI TEMPORANEUM: temporaneum appellat fructum præcocem. Sententia eſt; quaſi dicat: Sicut primi fructus, utpote novi, irritant palatum, & avidiſſime vorantur; ita vos, o Samaritæ, abſorbebit exitium.

V. 5. IN DIE ILLA; ſcilicet decem tribubus vaſtatis, & abductis. CORONA GLORIAE, &c. cingens, decorans, & protegens contra Sennacherib, Philiſthæos, alioſque hoſtes. RESIDUO POPULI SUI: duabus ſcilicet tribubus reliquis Iuda, & Beniamin.

V. 6. SPIRITUS IUDICII; id eſt, donum bene iudicandi dabitur a Domino. SEDENTI SUPER IUDICIUM, id eſt Regi Ezechiæ iudici, & principi populi. FORTITUDO; id eſt, faciet ut a bello domum revertentes, fortes redeant, vegeti, & integris viribus. AD PORTAM: qua ad bellum exierant. Chald. *In domum ſuam*.

V. 7. PRAE VINO NESCIERUNT: taxat ebrietatem, & crapulam Iudæorum, qui in hoc Samaritas imitabantur. SACERDOS ET PROPHETA: omnes, etiam qui ad ſanctiſſimos ordines pertinent, cuiuſmodi ſunt Sacerdotes, & Prophetæ. NESCIERUNT: erraverunt, vel, ut paulo poſt dicitur, *ignoraverunt iudicium*. NESCIERUNT VIDENTEM; ſcilicet omnia Deum, vel non intellexerunt, aut audire, & intelligere noluerunt Prophetas Domini, qui *Videntes* appellantur in Scriptura. Verti etiam poteſt ex Hebræo, *allucinati ſunt videndo*, nam ebrios viſus fallit. IGNORAVERUNT IUDICIUM: præ ebrietate recte iudicare, diſcernere, & decernere nequierunt, ſed in iudicando erraverunt.

V. 8. NON ESSET ULTRA LOCUS; ſcilicet vacuus ſordibus.

V. 9. DOCEBIT, ſcilicet Deus. AUDITUM, id eſt diſciplinam, quæ auditu percipitur. ABLACTATOS A LACTE, id eſt a delitiis, ſeu vita imperfecta. Hoc eſt quod ait D. Paulus ad Heb. v. *Omnis enim qui lactis eſt particeps, expers eſt ſermonum iuſtitiæ*.

V. 10. MANDA REMANDA: eſt imitatio vocis, & phraſis Prophetis familiaris, qui ſæpe dicebant: *Hæc mandat Dominus*. Irident ergo Iſaiam dicentes, *Manda remanda*, id eſt iterum manda, o Iſaia, o Propheta. EXPECTA REEXPECTA, id eſt iterum expecta; quaſi dicant: Prophetæ toties minantur, aut promittunt, & nihil eorum evenit quod prædicunt, quamdiu expectabimus? MODICUM IBI, &c. Eſt irriſio eorumdem Prophetarum qui dicere ſolebant, Modicum erit, & hoc, aut illud fiet. Itaque docet huiuſmodi irriſores ſcientiæ, & diſciplinæ divinæ ſuſcipiendæ capaces non eſſe.

V. 11. IN LOQUELA ENIM LABII, &c. Pagninus, & Vatablus, & alii ex Hebræo vertunt, *Balbutientibus labiis*. Nemo neſcit balbutientem labiorum aliquando ad irridendum adhiberi: crediderim ergo ſenſum hunc eſſe: Vos me & Prophetas meos irridetis, at ego vos viciſſim veſtro malo irridebo, & ſubſannabo. Vos dicitis Manda remanda; at ego alium ſermonem vobis reponam, qui vobis gravis ſit, & acerbus. Ital. diceremus, *Vi parlerò d' un' altro linguaggio che non vi piacerà*.

V. 12. CUI DIXIT: HAEC EST REQUIES MEA, &c. Ego illis ſignificavi mihi placere, & hanc eſſe quietem, & conſolationem meam, ut debiles, miſeri, & fatigati ſublevcntur & miſericordia eis exhibeatur; ſed illi audire noluerunt.

V. 13. ET ERIT EIS VERBUM DOMINI, &c. id eſt, cum ipſi malis prementur, eos ridebit Dominus, illis revocans in memoriam verba quæ uſurpare ſolebant, Manda remanda, &c. UT VADANT, &c. Eos ridebit, & deſtituet auxilio ſuo, ut ruant in exitium: merito iis miſericordia ſubtrahitur, qui in alios miſericordes non fuerunt. PERCUSSIMUS FOEDUS CUM MORTE; quaſi dicant: Non timemus mortem. CUM INFERNO FECIMUS PACTUM. Eſt repetitio eiuſdem ſententiæ. Infernus hoc loco ſumitur pro ſepulcro. FLAGELLUM INUNDANS, &c. quaſi dicat: Cum mala inundaverint flagellumque divinum terram longe lateque pervaſerit, nos communem plagam evademus. QUIA POSUIMUS MENDACIUM, &c. non ita illi dicunt, ſed ita interpretatur Propheta, ſcilicet fallacem eſſe illorum ſpem.

V. 16. IDCIRCO, &c. More ſuo Prophe-

ta avolat ad Chriſtum; quaſi dicat: Idcirco ut fiduciam veſtram mendacem ſapientiore, & ſolidiore conſilio evertam, immo corrigam, & emendem, vobis, licet indignis, miſericorditer mittam Chriſtum Salvatorem. MITTAM IN FUNDAMENTIS SION LAPIDEM: dabo Chriſtum, qui Eccleſiam ædificet, & ſit lapis illis fundamentalis & angularis. LAPIDEM PROBATUM: cuius explorata eſt ſoliditas, pretioſitas, & ad hoc munus aptitudo, ideoque electus eſt, ut illi tota moles incumberet. IN FUNDAMENTO FUNDATUM, id eſt conſtitutum. QUI CREDIDERIT NON FESTINET: ſcilicet volens ſtatim lapidem hunc Sionis, Chriſtum ſcilicet, ſibi exhiberi.

V. 17. ET PONAM, &c. Redit ad ſua tempora, & minas in Iudæos proſequitur. PONAM IN PONDERE IUDICIUM, id eſt ego Iudæos illos illuſores iuſto pondere, & menſura iudicabo. SUBVERTET GRANDO SPEM MENDACII: per grandinem intelligit violentam Dei punitionem, per Chald. aut Romanos immiſſam, quæ inanes Iudæorum ſpes diſſipabit. PROTECTIONEM AQUAE INUNDABUNT: murum quo vos protegitis, & quo vos tutos fore ſperatis, exercitus hoſtilis quaſi aqua omnia inundans, tranſiliet.

V. 18. DELEBITUR FOEDUS VESTRUM CUM MORTE, &c. Hæc intelliguntur ex dictis ſupra n. 15. ERITIS IN CONCULCATIONEM: conculcabimini.

V. 19. PERTRANSIERIT; ſcilicet, flagellum Dei. TOLLET VOS: proſternet, perdet vos. MANE DILUCULO PERTRANSIBIT IN DIE, ET IN NOCTE. Hæc grando, hoc flagellum cito, & tempeſtive, quaſi ſummo mane vos comprehendet, & durabit continuo integros dies, & noctes: ſignificatur ergo celeritas, & continuatio flagelli.

V. 20. COANGUSTATUM EST ENIM STRATUM, &c. Lectulus anguſtus eſt, nec duos capit amatores, itaque neceſſe eſt, ut aut Deum abiiciatis, aut idola; ſimile proverbium eſt, *Nemo poteſt duobus dominis ſervire:* Matth. VI. 24. &, *Quæ conventio Chriſti ad Belial?* II. Cor. VI. PALLIUM: lecti ſtragulum.

V. 21. SICUT ENIM IN MONTE DIVISIONUM; quaſi dicat: Sicut in Baal-Pharaſim, quod ſignificat *locum diviſionum*, Deus pro Davide deiecit Philiſthæos II. Reg. V. ibique Davidem victorem a Philiſthæis devictis, & diſperſis diviſit, & ſegregavit; ſic conſurget, & ſtabit contra vos Dominus. SICUT IN VALLE, QUAE EST IN GABAON. Ut in hac valle Amorrhæus armis Ioſue cecidit, & grandine contrivit, ita & vobis faciet. UT FACIAT OPUS SUUM: opus a ſe decretum, vindictam, & punitionem exigendo. ALIENUM OPUS EIUS; quaſi dicat: Opus quod invitus facit, non enim proprium eius eſt punire, ſed miſereri, & parcere. PEREGRINUM: idem eſt quod *alienum*.

V. 22. NOLITE ILLUDERE: has minas meas. NE FORTE CONSTRINGANTUR VINCULA VESTRA: citius & arctius ab hoſte conſtringamini, & a me dirius plectamini. CONSUMMATIONEM, ET ABBREVIATIONEM, id eſt extremam cladem brevi futuram.

V. 24. NUMQUID TOTA DIE ARABIT ARANS, &c. Sententia eſt: Ut ſolertis agricolæ varium eſt munus circa agrum ſuum, nam aliquando arat, aliquando ſerit, metit, aut triturat, ut agriculturæ diſciplina exigit, omnia vero facit, ut tandem fructus colligat: ita Deus vineam populi ſui variis modis colit, nam ſeminat ſemine legis, gratiæ, & donorum ſuorum metit fructus bonorum operum, triturat, id eſt affligit gravius aut levius, ut ipſius exigit providentia. Debet ergo quilibet hanc Dei culturam admittere, & ex ea proficere, & curare ut tam boni agricolæ labori & expectationi reſpondeat, uberes fructus ferendo. SARRIET: ſegetes a lolio purgando, & aliis noxiis herbis.

V. 25. CUM ADAEQUAVERIT FACIEM EIUS: cum complanaverit campi ſuperficiem. GITH: genus eſt ſeminis calidi, & nigri, unde Græce *μελάνθιον*, vulgo *nigella* dicitur. Vide Columellam Lib. VII. & Plin. Lib. XX. cap. XVII. IN FINIBUS SUIS: ſuo loco, & ordine.

V. 26. ET ERUDIET ILLUM IN IUDICIO; quaſi dicat: Deus docebit agricolam cum iudicio & ſapienter hæc omnia diſtribuere: ita S. Hieronymus.

V. 27. NON IN SERRIS TRITURABITUR GITH: non triturabitur dentata tribula.

V. 28. PANIS, id eſt triticum, frumentum ex quo panis conficitur, triturabitur inductis iumentis, quæ ungula ex ſpicis grana exterant, plauſtris etiam & dentatis tribulis.

bulis · Verum non in perpetuum; quaſi dicat: Quemadmodum agricola inducit plauſtra, & tribulas ſuper ſpicas, donec triticum ſeparet ab ariſtis, & paleis; ita Deus non perpetuo vexabit populum ſuum, ſed ſolum ad tempus, donec ſcilicet quod vult conſecutus fuerit, ut illum purget, & abſtrahat a peccatis; verbi gratia idolis, &c.

V. 29. Et hoc, &c. quaſi dicat: Hunc agendi modum Deus docuit homines, & ipſe ſervat in operibus ſuis, mirabili conſilio, & iuſtitia. Iustitiam. Chald. *ſapientiam*.

TIRINI.

Verſ. 1. Vae coronae, ſeu regno ſuperbo & guloſo, Ephraim, id eſt Iſraelitarum: nam inſtar *floris decidentis*, marceſcet & interibit. In vertice vallis ſita erat Samaria, urbs regia Iſraelitarum, nempe in monte, cui *vallis pinguiſſima*, vinctis & olivetis abundans ſubiacebat. Vide Adrichomium.

V. 4. Quasi temporaneum, id eſt quaſi præcoces fructus, v. g. primæ ficus, poma, ceraſa, quia nova magis irritant palatum, ac proinde ante maturitatem ſociorum fructuum avidiſſime devorantur: ita & vos, o Samaritæ, ante alios vicinos populos, quaſi primæ cupediæ devorabimini ab Aſſyrio tyranno Salmanaſſare, IV. Reg. xvii.

V. 5. Residuo autem populi sui, id eſt duabus reliquis tribubus Iuda & Beniamin, Dominus erit corona, cingens, protegens, ornans, & glorioſe magnificans illas contra ſimilem Aſſyriorum impetum per Sennaeherib, & Philiſthæos & alios hoſtes.

V. 6. Sedenti super iudicium, id eſt Ezechiæ regi, iudici ſupremo, & principi totius populi, aderit spiritus iudicii aſſiſtens ubique regi, eumque dirigens ac gubernans, ut iuſte prudenterque omnia diſponat. Militibus vero eum ſalute revertentibus de bello ad portam, e qua exierant, erit fortitudo, id eſt pro robore & pro præſidio.

V. 7. Verum hi quoque prae nimio vino & crapula, nescierunt Videntem; id eſt verum Prophetam, ſeu Prophetas Domini noluerunt audire, neque obedire. Et hæc crapula ac in malo pertinacia communis erat, non ſolum vulgo, ſed & *ſacerdotibus* & *Prophetis a*, id eſt concionatoribus & inſtructoribus populi. Porro cum omnes hiſce puerilibus delitiis & vitiis ita mancant immerſi,

V. 9. Quem docebit Deus iam deinceps cæleſtem scientiam, quæ non capitur niſi a generoſis & perfectis, *ablactatis* ab eiuſmodi lacte & puerilibus nugis? quaſi dicat: Neminem amplius docebit. Cum enim non capiant eam niſi *ablactati*, & tales nulli ſint inter vos, fruſtra illam aliquos doceret: ita Cyrill. Oſorius, Pintus & Sasbout.

V. 10. Quia rident & exſibilant doctrinam cæleſtem; per *mimeſin*, ſeu *ethopœiam* (quæ eſt relatio dictorum alienorum cum denſu,) inter pocula repetentes verba Prophetarum, qui ſæpe inculcabant: *Hæc mandat Dominus*, &c. quaſi dicat: Obtundunt nobis aures Prophetæ, toties nobis minitando, toties prædicendo & promittendo, quæ tamen non videmus evenire: iubent exſpectare nos modicum, nunc hic, nunc ibi, nunc alibi, & nihil ſubſequitur. Sed magno ſtabit iſtis ſannioribus hic luſus.

V. 11. In loquela enim alterius labii, et lingua altera, nempe ferrea & chalybea Babyloniorum, loquetur Dominus ad populum istum:

V. 12. Cui hactenus nihil aliud dixit, quam, Haec est requies mea, in medio tui requieſcere, habitare, & vobiſcum iucundari deſidero: nec aliud a vobis expetii, quam opera fraternæ caritatis: reficite lassum, membra mea fatigata laboribus, doloribus, ærumnis fovete, recreate: hoc erit mihi ſummo ſolatio ac voluptati: *Quod enim uni ex minimis meis feceritis, mihi feceritis*. Sed ſurdis cecini: quare loquar deinceps alia lingua dentata & ferrata, cum nempe obrutis & oppreſſis a Chaldæis inſultabo & exprobrabo ſuos hos ſannos, videboque an credant iam completum quod toties minatus ſum, & ipſi non crediderunt. Interim

V. 14. Illusores monitorum & minarum mearum, quibus intento ipſis mortem & infernum, elevant omnia, dicentes:

V. 15. Percussimus foedus cum morte et inferno, amicos illos nobis habemus & faventes. Atropon, id eſt, mortem: & Plutonem, & ᾅδην, id eſt infer-

fernum, deos nobis delegimus tutelares & patronos, more Gentilium: quare nihil hoſtile, nihil moleſtum ab iis metuimus. Sed neque eſt cur Aſſyrium vel Chaldæum monarcham timeamus. Eſt quidem FLAGELLUM INUNDANS univerſam Aſiam, & abſorbens pene omnes gentes, ſed, CUM TRANSIERIT loca nobis vicina, NON VENIET SUPER NOS, tum ob acceſſus difficiles, & loci munitionem: tum ob idolorum præſidium & tutelam, in quibus SPEM omnem NOSTRAM iam pridem POSUIMUS. Idolum autem *mendacium* vocari in Scripturis, patet ex Ieremiæ XIII. *Oblita es mei, & confiſa es in mendacio*. Oſeæ VII. *Operati ſunt mendacium*: & I. Corinth. VIII. *Idolum nihil eſt*. Et ita docent Hugo, S. Thomas, Sanchez, Maldonatus & Alvarez; quaſi dicat: *Idolum*, quod a Prophetis vocatur MENDACIUM, deus & protector noſter eſt, hoc niti volumus, hoc nixi tuti erimus. Aſt ego, inquit Deus, tutelam hanc veſtram facile ſubvertam, pactum cum morte quo gloriamini, & fœdus veſtrum cum inferno diſrumpam. Qua via?

V. 16. ECCE MITTAM IN FUNDAMENTIS SION, ſeu pro fundamento Eccleſiæ meæ ponam non mendacium, ſed ſolidum PROBATUMQUE LAPIDEM, nempe Chriſtum, ut paſſim Doctores, etiam Hebræi exponunt, & conſtat ex Matth. XXI. 42. & ad Epheſ. II. 20. & aliis Scripturæ *b* locis, ubi hæc de Chriſto exponuntur. *Sed* QUI CREDIDERIT, NON FESTINET, quaſi volens ſtatim exhiberi Chriſtum qui hic a me promittitur; verum patienter exſpectet, quia certiſſimo complebo ſuo tempore promiſſionem meam: unde expectando *non confunditur*, ut hic vertunt LXX. Porro huius Chriſti mei olim venturi intuitu,

V. 17. PONAM ex nunc hiſce illuſoribus IUDICIUM IN PONDERE, ET IUSTITIAM IN MENSURA; id eſt, iudicabo illos iuſte, & puniam rigide, quaſi appenſo iuſto pondere, & impleta menſura, nempe per Chaldæos primum, dein per Romanos & alios. Sicut enim intuitu Chriſti benefacio piis eius filiis ac clientibus, ita etiam punio rebelles ipſi & refractarios. ET hæc GRANDO, id eſt vehemens ac ſubita punitio, SUBVERTET SPEM omnem MENDACII, id eſt mendaces ſpes impiorum Iudæorum, quas in idolis ſuis repoſitas habent: ET AQUAE afflictionum iſtarum INUNDABUNT, convellent, diruent, deſtruent PROTECTIONEM, id eſt murum & munitionem omnem qua ſe protegendos putabant.

V. 19. MANE DILUCULO; id eſt, cito ac tempeſtive, PERTRANSIBIT per vos hæc grando, hæc aqua, & durabit DIE ET NOCTE, id eſt continuo ac diu. Et hæc SOLA VEXATIO INTELLECTUM DABIT AUDITUI; id eſt, faciet vos intelligere & credere vera fuiſſe oracula & minas, quas a Prophetis iam auditis, ſed credere non vultis. Quod ſi quis roget, cur cum Chriſtum orbi ſalvatorem promittam, ita rigide ſæviam in Iudæos e quibus ipſe procreabitur? Reſpondeo: Id vel maxime facio intuitu eiuſdem Chriſti, ut nempe tot flagellis cogam Iudæos ipſi ſe ſubdere, & pacto, quod cum idolis inierunt, renuntiare.

V. 20. COANGUSTATUM EST ENIM STRATUM; id eſt, arctus eſt lectulus amoris, non fert, non capit niſi ſponſum unum & ſponſam: tertium, ſcilicet adulterum, non admittit. Unde & ego zelo plenus, adverſus adulteros iſtos effuſis habenis pro Chriſto meo,

V. 21. *Iraſcar* & exſurgam, ſicut olim pro Davide typo Chriſti mei, exſurrexi *in monte Phariſim*, id eſt diviſionum, II. Regum V. & pro Ioſue IN VALLE contra GABAON; Ioſue X. ita S. Hieronymus, quaſi dicat: Iterum etiam ſolem, ſi opus fuerit, ſiſtet Deus, UT FACIAT OPUS SUUM, ſeu vindictam & punitionem a ſe decretam. Quod tamen proprie non eſt OPUS Dei, ſed eſt ALIENUM, & PEREGRINUM AB EO, & ab innata ipſi bonitate. Veſtrum potius eſt opus, ad quod veſtris ſceleribus cogitis vel invitum Deum.

V. 22. NUNC ergo illuſores, qui illuſiſtis & eluſiſtis hactenus minas omnes Prophetarum, NOLITE perſiſtere in iſta illuſione & eluſione, & ILLUDERE ac eludere has etiam minas meas, NE FORTE magis ac magis CONSTRINGANTUR VINCULA VESTRA, & citius atque arctius ab hoſte vinciamini. Iam enim AUDIVI A DOMINO, certo inſtare CONSUMMATIONEM ET ABBREVIATIONEM SUPER UNIVERSAM TERRAM Iudæorum, id eſt brevi omnem illam conſumptum & deſtructum iri.

V. 24. NUMQUID TOTA DIE ARABIT AGRICOLA? quaſi dicat: In regenda Synagoga

Digitized by Google

goga Deus ſe gerit ut ſapiens & providus agricola, qui commodo tempore agrum ſuum nunc aratro, nunc ligone, nunc alio modo exercet & ſubigit: nunc vario ſemine conſerit, nunc purgat ſata, nunc demetit, nunc colligit fructus, nunc triturat: & legumina quidem, ut *gith & cyminum*, levi virga[a], ſeu baculo; frumenta vero, quæ difficilius excutiuntur, *vungulis* boum, vel *plauſtris*, more Syriæ dentatis & ſerratis. Videte ergo, o Iudæi, ut his Dei exercitationibus apte reſpondeatis in bonum veſtrum, & per eas tandem ad cor & ad mentem reduci vos patiamini, ut fiatis tritura & meſſis non inferni, ſed cæli; non odii, ſed amoris; non ruinæ, ſed ſalutis: ita S. Hieronymus, Vatablus & alii.

V. 25. Gith genus eſt ſeminis calidi & nigri, de quo multa Plinius & Columella[c]. Solent eo uti tenuiores vice piperis, & in Gallia vocant *poiure*, inquit Ruellius. Significat autem Allegorice, ſicut & cyminum, vulgarem populum & rudem; qui ſi peccet, leniter baculo corripietur; at frumentum, ſacerdotes, Scribas & principes deſignat, qui dura rota plauſtri calcabuntur, inquit idem S. Hieronymus.

(a) Proleg. de Idiotiſm. Heb. n. 11.
(b) Rom. ix. 33. & I. Pet. ii. 7.
(c) Plin. Lib. XX. c. xvii. Colum. Lib. VII.

GORDONI.

Verſ. 1. PRimum hoc VAE, eſt contra Samaritas. Erat Samaria ſita in vertice montis, ut dixi in Lib. Regum. Samariæ adiacebat vallis fertilis abundans olivetis & vineis: regiam fecit Amri.

V. 5. In illa die erit Dominus, &c. Convertit ſe Iſaias iam ad duas tribus reliquas. Clarum eſt vaticinium de victoria contra Sennacherib ſub rege Ezechiæ, & de læto militum reditu ad portam.

V. 7. Verum hi quoque, &c. Nihilominus poſtea, inquit, excidetur Ieruſalem, quia infecta eſt malo Samariæ.

V. 9. Quem docebit scientiam. Vatablus & Sanchez hæc per interrogationem explicant: commodius, ut puto, ſi per modum aſſertionis accipiantur. Tria vero hic aſſerit; primum eſt verſ. 9. Iudæos eſſe indociles, & more puerorum delitiis puerilibus implicatos, adeo ut a Deo doceri nequeant. Sunt ſecundo irriſores Prophetarum & doctrinæ Dei ex verſ. 10. Tandem concludit verſ. 11. eſſe caſtigandos. Sane irridebant in hoc quod Prophetarum verba (minantia futuram caſtigationem) repeterent irriſorie, dicentes, Prophetæ inaniter dicunt, EXPECTA, REEXPECTA, &c.

V. 11. 12. & 13. In loquela enim labii. Senſus eſt: Loquetur Dominus ad hos deriſores altera lingua per Chaldæos: nam Dominus qui bona locutus eſt, & ad miſericordiam; brevi inducet (quia noluerunt audire) ſuperbos & deriſores Babylonios, qui nova lingua in captivitate 70. annorum dicent vobis Iudæis, Expecta reexpecta, manda remanda.

V. 14. & 15. Propter hoc audite verbum Domini, &c. En ſententiam Dei contra illuſores: non proderit vobis irriſio; nec quod irridendo dicitis, vos feciſſe pactum cum morte & inferno, cum vobis hæc minabantur Prophetæ: nec ſtabit firmum hoc pactum veſtrum, uti iam ſubiungit Iſaias.

V. 16. *& deinceps*. Idcirco haec dicit Dominus, &c. Quid ergo faciet Dominus, ut pactum illud diſſolvat? Sane duo eaque magna & ad ſtuporem: nam (verſ. 16.) dabit lapidem angularem & Chriſtum (Epheſ. II. verſ. 20.) qui convertet utrumque populum, & ſuo tempore diſſolvet pactum hoc cum dæmone & inferno. Alterum eſt: interim caſtigabit Dominus ſuos, ut vexatio det intellectum: immo (ut habet inſequens caput) ipſa Ieroſolyma ſubvertetur.

V. 20. Coangustatum est, &c. Similitudine anguſti ſtrati explicat quo modo adveniente Chriſto lex gratiæ expellet idololatriam, ita ut ſimul & in eodem loco morari non poſſint.

V. 21. Sicut enim in monte. David percuſſit & diviſit Philiſthæos in Baal Pharaſim: II. Reg. v. 21. & 25. ubi eſt mons ſeparationum. Item Ioſue percuſſit Amorrhæos in Gabaon, Ioſue x. 10. cum ſtetit ſol. Sic, inquit, Chriſtus ſeparabit ſuos ab idololatris; vel, ut aliqui volunt, eſt obiter regreſſus ad Babylonios qui ſic percutient Iudæos. Hieronymus hæc refert ad mundi finem & vallem Ioſaphat. Vocat Propheta hanc caſtigationem opus Dei, non proprium illi (utpote qui propenſus ex ſe eſt ad benignitatem) ſed quaſi alienum, & ex peccato natum.

V. 24. NUMQUID TOTA DIE, &c. Deus omnia agit propter fructum quem expectat: ſed agit & operatur variis modis varioque tempore. Ad hunc fructum hortatur Deus Iudæos, & omnes uſque ad finem capitis; idque optima ſimilitudine petita ab agricultura: ubi agricola agit ob fructum vario tempore, & modo vario, nunc arando, nunc ſerendo, nunc etiam metit aut triturat Gith, nigellam aut lolium quo uti ſolent ruſtici pro pipere. Græce μελάνθιον. Columella Lib. VII. panis hic verſ. 28. metonymia eſt, pro frumento.

EX EIUSDEM AUCTARIO.

Verſ. 4. DEVORABIT. Temporaneum eſt primo tempore natus fructus, aut etiam præcox. Solent primi fructus, & arborum poma avide appeti, & ſtatim devorari: ſic de Samaria.

Verſ. 16. QUI CREDIDERIT NON FESTINET. Patienter expectet, & non tamquam volens Chriſtum ſibi ſtatim exhiberi.

Verſ. 17. & 18. Regreditur ad tempus afflictionis, qua edocti Iudæi ſapient, dum vexatio dabit tandem intellectum.

Verſ. 24. Hæc Dei cultura erga homines varia deſcribitur, quam admittere debet homo. Sarrit ſeparando ſegetes a lolio.

Verſ. 25. ADAEQUAVERIT, aream cylindro, &c. Sic Deus docet homines.

FINIS TOMI DECIMISEXTI.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google